Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Opervm omnivm reverendi viri Philippi Melanthonis, pars prima [-qvarta] ...

https://hdl.handle.net/1874/432070

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

F. fo.
87



17.
8.

4

4

Locuti sunt de me lingua
mendacii uerbis odii circumdede
runt me. & expugnauerunt
me frustra. Pro orabam.
Pro eo ut qđ eos diligebā aduer
sabantur mihi. ego autem
Et posuerunt contra me malum
pro bono. & odium pro
dilectione mea.
Constitue sup eum impium. et
satan stet a dextris eius.
Cum fuerit iudicatus exeat
condempnatus. & oratio eius
fiat in peccatum.
Fiant dies eius pauci. et episco
patum eius accipiat alter.
Sint filii eius pupilli. et
uxor eius uidua.
Instabiles uagentur filii
eius et mendicent. et que
rant in parietinis suis.
Scrutetur quidquid uniuersa que
habet. & diripiant alieni
laborem eius.
Non sit qui eius misereatur
nec q clemens sit in pupillos eius.
Fiant nouissimi eius interitus
in generatione altera
deleatur nomen eius.
Recolat

Locuti sunt aduersum me lingua
dolosa. & sermonibus odii
circumdederunt me. et expug
nauerunt me gratis.
Pro eo ut me diligerent detra
hebant mihi. ego autē orabam.
Et posuerunt aduersus me
mala pro bonis. et odium
pro dilectione mea.
Constitue sup eū peccatorē. et
diabolus stet a dextris eius.
Cum iudicatur exeat con
dempnatus. & oratio eius
fiat in peccatum.
Fiant dies eius pauci. & episco
patum eius accipiat alter.
Fiant filii eius orphani. et
uxor eius uidua.
Nutantes transferantē filii
eius et mendicent. eiciantē
de habitationibus suis.
Scrutetur fenerator omēm sub
stantiam eius. et diripiant
alieni labores eius.
Non sit illi adiutor. nec sit
qui misereatur pupillis eius.
Fiant nati eius in interitum.
in generatione una
deleatur nomen eius.
[illegible]

Locuti sunt aduersū me lingua
dolosa. & sermonibus odii
circumdederunt me. et ex
pugnauerunt me gratis.
Pro eo ut diligerent me detra
hebant mihi. ego autē orabam.
Et posuerunt aduersus me
mala pro bonis. et odium
pro dilectione mea.
Constitue sup eū peccatorē. et
diabolus stet a dextris eius.
Cum iudicatur exeat con
dempnatus. et oratio eius
fiat in peccatum.
Fiant dies eius pauci. & episco
patum eius accipiat alter.
Fiant filii eius orphani. et
uxor eius uidua.
Commoti amoueantur filii
eius et mendicent. eiciantē
de habitationibus suis.
Scrutetur foenerator omēm
substantiam eius. & diripi
ant alieni labores eius.
Non sit illi adiutor. nec sit
qui misereatur pupillus eius.
Fiant filii ei in interitum
in una generatione
deleatur nomen eius.
In memoriā redeat iniquitas

Miscellanea Theologica
Folio n°. 87.

N. 18. ~~B~~ C.

N.° 42. m.

OIERVM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS,

PARS QVARTA.

QVÆ CONTINET Enarrationes Epistolæ

- *Ad Romanos.*
- *Ad Corinthios.*
- *Ad Collossenses.*
- *Ad Timotheum &*
- *Nonnulla alia, quæ sequens pagina indicabit.*

Cum Indice copioso rerum & sententiarum insignium.

Cum Gratia & Priuilegio ad annos quindecim.

VVITTEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.
ANNO M. D. LXIIII.

ACADEMIA PRAGENSIS THEOLOGICA

Ex donatione Burckh.

INDEX LIBRORVM QVI CONTINENTUR in hoc Volumine.

EPISTOLA
- *Ad Romanos.*
- *Ad Corinthios.*
- *Ad Colloſſenſes.*
- *Ad Timotheum.*

Propoſitiones Theologicæ D. Philippi Melanth:
Acta Wormatienſia.
Acta Ratisbonenſia.
Acta Smalcaldenſia.
Apologia proteſtantium &c.
Reſponſio ad Criminationem Staphyli.
Conſilium de moderanda Controuerſia in Articulis religionis &c.
Epiſtola Philipp: Melanth: ad Regem Angliæ.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOACHIMO II. MARCHIONI BRANDENBVRGENSI, SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI ET ARCHICAMERARIO, SEDINORVM, POMERANORVM, CASSVBIORVM, HENETORVM ET SILESIÆ DVCI, BVRGGRAVIO NORIBERGENSI, PRINCIPI RVGIÆ DOMINO, SVO CLEMENTISSIMO S. D.

VM HVIC POSTREMÆ PARTI SACRORVM SCRIPtorum PHILIPPI MELANTHONIS annectenda essent, quæ in comitijs Imperij decreto, consensuq; ordinum omnium à Theologis quodam quasi conflictu disputationum agitata fuerunt, atq; tractata, ad controuersias religionis vel componendas, vel leniendas publicæ pacis causa, donec de ijsdem legitima synodus, ex autoritate verbi diuini decerneret, operæ precium me facturum esse putaui, si hoc in loco paucis exponerem, tum quibus occasionibus eo deuentum sit, vt institueretur inter doctos talis collatio sententiarum de controuersijs, tum quid effectum sit, atq; obtentum vtrobiq; illis quasi velitationibus. Vtile est enim extare testimonia confessionis vtrorumq; hac inter se Antithesi contrariorum argumentorum illustrata, quæ vbi posteritas considerarit, facilius ac certius iudicabit & de fundamentis, & de causis, de quibus, tanto suo cum discrimine dimicarunt nostri, & propter quas ab erroribus, abusibus, Idolatria, legibus Impijs Ecclesiæ Romanæ discesserunt ad restitutum ex Propheticis & Apostolicis scriptis consensum cum doctrina veteris, orthodoxæ, & Catholicæ Ecclesiæ omnium temporum, quam voce & ministerio Euangelij colligit ac condit Filius Dei, & Spiritu sancto gubernat, ac conseruat.

Ordiar autem à Consilijs CAROLI V. Imperatoris, cuius gubernatio cum in res motas incidisset, etsi postquam audiuisset LVTHERVM Wormaciæ, condemnauit dogmata quæ ille proposuit, ac defendit, pontificijs decretis & erroribus inueteratis contraria, & autorem proscripsit: Tamen neq; tunc hanc asperiorem sententiam exequutus est, nec posterius in eundem durius quidquam statuit, quanquam non deessent à quibus incitaretur, Sed ad consilia sese paulatim conuertit moderatiora. Etsi enim hanc Reipublicæ formam, quæ ex duobus distinctis ordinibus, sacro & politico constituta, annos amplius quingentos Germaniæ axioma Imperij conseruarat, labefactari aut mutari nolebat, intelligebat tamen magnitudinem abusuum in Ecclesia Romana emendationem flagitare, in qua etsi perspiciebat caueri prorsus non posse pericula, quæ crearentur ordini, ac dignitati Ecclesiasticæ, atq; in primis hierarchiæ Romanæ, quod autoritas sacri ordinis niteretur potissimum huius superstitione, ac Tyrannide: Tamen & conscientijs consulendum esse iudicabat, & susceptam à Lutheranis emendationem paulatim serpere, & nunc hæc, mox illa conuellere, atq; abolere, hominumq; animos penitus occupare cernebat, ita vt si consilijs violentis prohiberetur, conatus ille in atroces seditiones funestaq; ciuilia bella esset erupturus. Sed vicissim neq; è sua & Imperij dignitate, neq; ex Ecclesiæ vsu fore animaduertebat, si in Ecclesiam introduceretur ἀναρχία, quod fieret si permitteretur cuilibet priuato suo arbitrio abrogare instituta, moresq; veteres, & recepta atq; vsurpata tot seculis dogmata reijcere. Neq; ignorabat, quod audacia & petulantia leuium

ingeniorum his sese occasionibus multis in locis offerret, & in religione comminisceretur intolleranda. Quare & mitigata paulatim edicti Wormaciensis atrocitate, aliquantò mitiora decreta fieri permittebat de ijs, qui mutationem iam fecerant, sed ita ne haec potestas concederetur cæteris, qui eo vsq; in decretis Romanæ Ecclesiæ perstitissent, & interea in hanc curam ipse totus incumbebat, vt ad legitimam synodum controuersiæ reuocatæ, huius autoritate ex norma scripturæ sacræ cognoscerentur, ac dijudicarentur, præsertim cum ad synodi iudicium Ecclesiæ emendatæ prouocarent, seq; ad veritatem doctrinæ, quam amplexæ essent, euidentissimis testimonijs diuinarum literarum, & sincerioris antiquitatis demonstrandam offerent.

Fuerunt autem ad deliberationes de religione in conuentibus Imperij Theologi primum adhibiti Spiræ, proximo ante Augustanum conuentum anno, in quo ceu fundamenta sunt iacta confessionis, quæ Augustæ deinceps CAROLO recitata est, & protestantes vocari ceperunt, qui decretis in detrimentum purioris doctrinæ & Ecclesiarum emendatarum conditis aduersati sunt. Anno 1530. redijt CAROLVS ex Hispanijs per Italiam in Germaniam, cum mense Ianuario conuentum, religionis potissimum, & Turcici belli causa indixisset Augustam. Eò Principes Germaniæ conuenerunt frequentes, adductis secum Theologis, vt rationem fidei suæ exponerent Imperatori, apud quem atrociter accusati erãt de tetris horribilium opinionum confusionibus. Nondum enim à quoquam capita controuersiarum scripto comprehensa, & diserte explicata erant, nec elaborata tum adhuc ac ceu expolita erant singula, ea perspicuitate, quæ deinceps accessit ex assiduo vsu, exercitys, tractatione. Nec constabat satis quid quisq; inter illos qui se Lutheranos profitebantur, sentiret, in quibus dissideret à pontificijs, quæ illorum probaret, in quibus verteretur certaminum cardo. Neq; id mirum erat, cum in crassiores abusus plerisq; intuerentur: Errores & labyrinthos doctrinæ scholasticæ perpauci expendissent. Itaq; cum dicendæ sententiæ, & scripto complectenda fuisset formula, quæ explicatè ac dilucidè ostenderet, in quibus nostra à pontificijs discreparent, vel cum Propheticis, & Apostolicis scriptis congruerent, reperti fuerunt pauci, qui momenta rerum tantarum intellexerunt, non commonefacti. Quidam iussus suam de iustificatione sententiam proferre, Catonis illud adduxit in medium, Si Deus est animus nobis vt carmina dicunt, Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus. Nonnulli doctiores, qui scholastica degustarant sed propter perplexitatem non exhauserant, atq; his ceu fascinati Paulina non fuerant assequuti, euoluere sese atq; extricare, non potuerunt. Deniq; mirabiles auditæ sunt sententiæ, interq; sese dissonæ ac diuersæ. Fuit omnino res magni negotij, & magnæ difficultatis, imo & periculi plena propter obscuritatem rerum ex errorum diuturnitate, ac disputationum scholasticarum perplexitate, in eam formam capita controuersa redigere, vt & tunc in præsentia Imperatori probaretur causa discessus, ac seiunctionis ab Ecclesia Romana, & in posterum satisfieret ambitiosis, ac Sophisticis ingenijs.

Formulam ergò confessionis descripsit PHILIPPVS MELANTHON, quam cum approbassent cæteri, exhibita illa CAROLO, & deinceps publicè recitata fuit, cui etsi quandam refutationem oppposuerunt aduersarij, tamen quam fuerit hæc friuola & ieiuna, ostendit confessionis Apologia

Postquam audiuisset vtriusq; partis sententias CAROLVS, cepit experiri multiplices conciliandæ concordiæ rationes. Tentauit animos singulorum & vniuersorum modis diuersis, blandis promissis, minis, exaggeratione periculorum, Et minarum atrocitatem non-

tem nonnulli aggrauarunt, atq; exasperarunt, præter Caroli mandatum, Nam de sæuicia deinceps sese principibus ipse tam grauiter purgauit, vt suspicionem etiam omnem diluerit. Sed cum nihil hic consilijs proficeret, decurrit tandem ad aliud, vt diligenter viri eruditi & pij, qui vbi placida collatione examinassent controuersa capita, deliberarent atq; decernerent quæ vtriq; vtrisq; largiri ad rationem concordiæ cum salute publici status, & tranquillitate patriæ ineundam, hæc enim spectabat Carolus præcipuè, cum ediuerso gloriam Dei, & conscientiarum salutem nostri quærerent.

Hoc primum Theologorum de religione colloquium fuit, in quo modo plures, modo pauciores, mutatis viribus, vt intentatum relinqueretur nihil, sententias ac consilia communicare iussi, cum pontificij aliqua insidiosè concederent, vt nostris vicissim neruos sui status extorquerent, scilicet, spectacula missarum Theatricarum, & prophanationem in his cœnæ dominicæ, ac nonnulla alia, Prohibitionem coniugij Sacerdotum, Iurisdictionem Episcoporum, quæ iam sua sponte conciderunt, etsi de Iurisdictione Episcoporum, si suo fungerentur munere, & repurgatæ doctrinæ consensum promouerent, nostri se non pertinaciter rixaturos esse præseferrent: Hæc ergo cum ita fierent, nostris nullam, quàm male vel etiam impiè sartam concordiam admittere, & rem integram ad Synodi iudicium seruare consultius fuit visum.

Etsi autem grauiter tulit Carolus irritos fuisse suos in efficienda concordia, conatus, tamen nostris Synodum deposcentibus assensit, de qua denuo in Italia cum pontifice acturus erat. Nam & ante conuentum Augustanum cùm venisset Bononiam Coronationis causa, ostenderat pontifici, omnino curæ sibi fore, vt controuersiæ religionis ad synodum deducantur, eo quod videat dissidia, quibus ardeat orbis Christianus, aliter componi non posse, Ideo priusquam accessit ad eam deliberationem, ne rem tantam iuuenili quadam incogitantia videretur moliri & aggredi multorum doctorum ea de re explorauit iudicia, & audiuit sententias. Horum quidam Laconica quadam sapientia moti periculis, quæ ab omni mutatione extitissent, suaserunt non faciendam esse vllam doctrinæ aut rituum emendationem, Nec Synodo tollendas esse controuersias, sed armis delendos esse qui labefactato præsenti statu, & mutata doctrina priore & ritibus, ab ordinaria potestate discederent & concordiam dissoluerent, Quia plus mali sit in exemplo admissa mutatione, quam in morbo, cuius emendatio instituatur. Tentata enim vel minima mutatione mox ruituram esse vniuersam sacri ordinis autoritatem, qui altera pars sit Imperij orbis terrarum, & sequuturam simul disciplinæ laxationem, quæ ingenia curiosa inuitatura sit ad maiores mutationes, euersuras totam Hierarchiæ præsentis & Imperij formam, quam cum à maioribus sapientissimo consilio sit hoc modo constituta, & pietate ac virtute cæterorum propagata, oporteat nunc quoq; defendi ac conseruari. Imò ne profuturam quidem Synodum ad tollendas discordias, sed potius inquietis ingenijs præbituram occasionem plures controuersias mouendi.

Alij mitiores respondernnt, non decere Ecclesiam hæc horrenda & Laconica consilia In Ecclesia enim anteferendam esse gloriam Dei publicæ paci, quam Laconica gubernatio solam quærat. Cùm autem manifestum sit multas falsas opiniones errore, superstitione, auaricia, in Ecclesiam inuectas esse, necessariam esse emendationem propter gloriam Dei. Deinde ne quidem fore pacem vnquam, quia cum certaminibus motis iam patefacta sint vicia Ecclesiæ, quæ autoritate pontificiæ potestatis tecta latuerunt, semper futuri sint, qui aliqua reprehendent & exagitabunt, idq; multos facturos esse tumultuosius, quia sine autoritate publica, & sine consensu gubernatorum id facient, confisi applausu ac præ-

sidio multitudinis, quæ iniusta onera conscientiarum, & corporum, quibus oppressa fuit excussura sit quoq; modo, eoq; magis, vbi illa cum impietate coniuncta esse intellexerit. Præterea manifestũ esse turpitudinem libidinum in cœlibatu, quam tolli Deus præceperit quantum fieri à gubernatoribus possit. Postremò Ecclesiam non debere Tyrannicam esse, sed propter probabiles causas lenire iniusta onera. Athenis Solon veterum legum asperitatem mitigauit, & σεισαχθειαν effecit. Sæpè & in vrbe Roma & in Imperio mitigatæ sunt nexorum calamitates. Quanto magis Ecclesiam decet lenitas, cui toties præceptum est, vt parcat infirmis? Deniq; cum Principes ad Synodum prouocent, & eandem cum vbiq; terrarum boni & docti assiduis gemitibus petant & expectent, qualis Tyrannis esset sine vlla cognitione sæuiciam exercere. Commemorata sunt exempla etiam bonorum ac salutarium principum, qui synodos vtiles, imo necessarias Ecclesiæ celebrarunt, Constantini, Theodosij, Arcadij, Marciani, quarum confessionem, quæ asserta est, atq; confirmata veritas in maximis ac difficilimis controuersijs Ecclesia adhuc religiosè sequatur ac retineat. Quare opus esse Synodo sed postea Regum ac Principum consensu Synodi decreta constanter, ac seuere defendenda esse.

Lecto vtroq; consilio Imperator natura mitis, & à crudelitate alienus, & non prophanus, re diu cogitata ac cum sapientissimis viris disputata, prætulit sententiam iustam, ac mitiorem, ac in ea se permansurum esse affirmauit.

Hanc sententiam de synodo cum ad pontificem Bononiæ degentem attulisset, mox ritibus ijs peractis, quibus renunciatus est Imperator Romanorum, suscepit deliberationem de pace Ecclesiæ, ac voluntatem suam per Mercurinum cancellarium in frequenti Cardinalium consessu proponi iussit, qui necessariam esse Synodum edocuit vniuersæ Reipublicæ Christianæ, non tantùm vt Germanicæ dissensiones sopiantur, sed vt multæ superstitiones apud omnes gentes emendentur & disciplina in populo ac Sacerdotibus restituatur, & Imperatorem hanc serio flagitare ostendit. His postulatis etsi pontifex acriter restitit: tamen cum se Carolus ab hac sententia, donec viueret, non discessurum esse affirmasset magno animo, repressit ille sese, atq; ea de re se cum suo Senatu rursus deliberaturum esse respondit.

In hunc modum cum ante comitia Augustana Carolus de Synodo cum pontifice egisset, vrsit eandem deinceps multò magis ac pertinacius, Primo missis legatis dum in Germania adhuc commoraretur, qui Ratisbonam ad ipsum responsa retulerunt, Deinde coràm postquam in Italiam ab Austriaca contra Solymannum expeditione, reuersus esset. Id verò eum fecisse conijcio, non quod hoc communi teneretur errore, pontificem mandato atq; constitutione diuina Ecclesiæ caput, & hanc ad Regnum pontificium alligatam esse, nec sine eo, aut secus, quam ille dictaret, licere Regibus Christianis in religione mutare quidquam, aut statuere, nec decere eosdem turbato ordine rapere aut vsurpare aliena officia. Nam & pontificum Tyrannide hoc regnum constitutum esse contra interdicta diuina, & ad Regum & Principum curam pertinere, vt impia dogmata abolerentur, leges impiæ & iniustæ inciderentur, Idolatriæ extirparentur, abusus corrigerentur, flagitia manifesta prohiberentur, deniq; quid ante se pij Imperatores fecerint, non ignorabat. Ideo non comuni errore multitudinis. Sed potius hac politica sapientia persuasum fuisse multis argumentis conijcio, quod pontifice excluso, cæteri Reges excluderentur, quia ab ipso inueterata longi temporis & consuetudine & persuasione pendebant. His verò exclusis Synodum nec Oecumenicam, nec salutarem sed exitiosam fore orbi Christiano. Nam si decretis à se factis aduersarentur, & autoritatem Pontificiam armis

propugna-

propugnarent, futurum prospiciebat, vt bellis intestinis alienissimo ac periculosissimo tempore inuolueretur orbis Christianus, Deinde quòd dissoluta, ac destructa Hierachia, quæ complexa erat ordine pulcherrimo orbem Christianum, successura esset horribilis & tetra ἀναρχία, cuius à se causa existere non deberet. Emendationem enim fieri doctrinæ, rituum ac disciplinæ, non perturbari aut euerti statum volebat. Has eum habuisse causas, cur à Pontifice indici Synodum vellet, minime dubito.

Sed cum pontifex, qui defugiebat talis Synodi iudicium, quale requirebat Carolus, rem duceret, difficultates prætendendo inexplicabiles, & moras alias ex alijs nectendo: Dissidia vero religionis indies augescerent, ita vt pericula ingentia metui oporteret, Carolus his vt occurreret, rationem ineundæ ac stabiliendæ concordiæ accommodatam hanc fore censuit, si viri docti ex vtraq; parte placida sententiarum de controuersijs collatione, quæ horridiora essent ceu mollirent ac limarent, quæ obscuriora, explicarent, quæ non procul inter se dissiderent, de ijs sublata diuersitate vna communi formula definirent. Si quid enim concordi consensu ex scriptorum Propheticorum & Apostolicorum testimonijs statueretur de quacunq; controuersiarum parte, id approbatum atq; receptum, vel placaturum esset, vel saltem leniturum odia, quæ vt discessio accenderat, ita Pontificij regni inclinatio quotidie exasperabat.

Datum est itaq; negotium Ferdinando tunc regi Romanorum de conuocandis viris doctis ad colloquium, cui Spira initio, mox Haganoa destinata fuit. Vbi congregati magno numero docti, quòd de forma colloquij conuenire inter eos non posset, nostris petentibus vt de ijs quæ in Augustana confessione desiderarent, institueretur disceptatio, illis contra requirentibus, vt retineretur consuetudo Augustæ seruata, vbi conciliationes dogmatum fuerunt quæsitæ: Quòd ergò de his frustra contenderetur re infecta discessum est, ea tamen conditione, vt Wormaciã eodem anno docti reuerterẽtur. Aberat Haganoa Philippus Melanthon morbo detentus grauissimo. Sed Wormaciam deinde cum recuperasset vires, adyt. Adfuere ibi Theologi frequentes ex parte vtraq; sed dissimiles, & attraxerat quosdam ex Hispania Granuellus, Muscosam, Maluendam, Carobellum. Granuellus adducto secum filio Episcopi Atrebatensi, Imperatoris loco colloquio præerat & omnia moderabatur. Ceptum est disputari de peccato originis, Philippo nostras, Eccio pontificias partes tuente. Sed tertio mox die incoatam collationem abruperunt literæ Imperatoris, quibus & Granuellum reuocauit, & actionem omnem ad comitia Ratisponensia reiecit. Existimabat enim vti persuasus erat, & res docebat, præsentis sui autoritatem plus momenti rebus allaturam.

Cum ergò ventum esset Ratisbonam, etsi coniuncti confessioni Augustanæ, petierunt pertexi disputationem Wormaciensem: tamen Imperator repudiata illa dissertationis forma, aliud proposuit consilium, vt pauci deligerentur, qui non tam pugnantes sententias defenderent, quam experirentur, quæ dogmata conciliari possent. Nam ad concordiam publicam respiciebat, quam cernebat coituram esse nunquam, nisi conciliata religione. Etsi autem aliquoties deprehensæ technæ pontificiorum mouerunt non nullos, vt huic consilio fraudem subesse suspicarentur, præsertim cum veteribus & recentibus exemplis edocti meminissent, in talibus conciliationibus plærunq; decurri ad ambiguas, flexiloquas, fucosas, & fallaces formulas, quibus obscuratur veritas, & Ecclesiæ non sanantur, sed magis lacerantur: Assenserunt tamen nostri, quòd hanc viam profuturam esse censerent ad illustrandam doctrinam Ecclesiarum nostrarum, & de ipso sibi Imperatore pollicerentur, quod futurus esset mitior si intelligeret non tam absurda esse dogmata quæ defenderemus, sicut à

Sycophantis traducerentur, præsertim cum serio & grauiter testatus esset Imperator, velle se inquiri veritatem, & ne quid periculi metuere inde pars alterutra posset, non velle se obligari quenquam his deliberatis, nec præiudicij vim ea habere debere, sed omnia prius ad iudicia principum referenda esse.

Prolatus ergò tum liber est, quem Imperator propter moderationem cæteris eodem argumento durius & acerbius scriptis prætulit, & postulatum est conditione æquissima, vt legeretur, & dicerentur sententiæ de singulis capitibus liberrime, sed candore adhibito. Inde quædam quasi velitationes disputationum extiterunt. Prima libri capita etsi quædam in materijs vtilibus, de quibus Ecclesiæ nostræ necessario pugnant, vt de hominis creatione, de lapsu, de vicio originis, de causa peccati ex formula Wormacienſi repetiuerunt breuius quam opus erat: tamen tunc in disputationem reuocata non sunt, sed præterita. His proxime cohærens locus de Iustificatione hominis coram Deo (quod nouas quasdam sententias contineret, & plerag in eo essent obscura, ambigua, impropria, vt videretur alias disertè dicere, Fide iustum esse hominem coram Deo, alias contr:, propter donatas virtutes, vt Thomas, seu vt Plato loquitur.) Hic ergò locus certamen mouit, in quo post aliquot dierum conflictum euicerunt nostri, Eccio quamuis inuito confitente, Fide gratis propter Christum, non propter nostras virtutes hominem iustificari. Composita consensionis formula est, quam sua manu Granuellus descriptam Imperatori exhibuit ac declarauit, tanto cum gaudio, vt cum non dubia serio lætantis animi significatione ostenderit se de concordia optimè sperare. Eccium etiam cum descriptæ formulæ testimonium Chirographi addendum esset, tergiuersantem, & astute renuentem, facere id coegit.

Altera συμφραξις fuit de Ecclesia, cui parti liber intexuerat falsas quasdam hypotheses, communem Ecclesiæ consensum, & legitimas Synodos non errare, nec licere priuatis aut paucioribus dissentire à suffragijs plurimorum, magnum certamen exortum est, Eccius hoc δεμέλιον religionis pontificiæ acerrimè propugnauit, quia hoc stabilito intelligebat, reliquos articulos, de quibus sunt controuersiæ, sine certamine obtineri posse: Philippus idem acerrime oppugnauit, oppositio fundamento veriore ac firmiore, quo aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, Relicta tamen veteribus ac probatis Synodis, qualis est Nicena & plures aliæ, sua autoritate, quæ testes sunt primæ sententiæ in Ecclesia. Neq; obscurum erat, concessa illa hypothesi libri, futurum fuisse, vt Tyrannis pontificum confirmaretur, & suis sese nostri suffragijs iugularent. Sed cum decedere de sententia sua neutri vellent, & dissensionis causas nostri scripto comprehensas præsidi obtulissent, abrupta hæc disputatio, & in aliud tempus reiecta fuit.

Hinc ventum est ad neruum Idolatriæ Pontificiæ περὶ μεταβολῆς ἄρτου seu de abiectione naturæ panis, seu vt nouo ipsorum vocabulo vtar, περὶ μετουσίας qui error confirmat multas falsas persuasiones, de oblatione, de adoratione spectantium panem in missa, aut pompis Theatricis circumgestationis extra vsum institutum. Vbi cum Philippus ortam inde prophanationem Cœnæ dominicæ in Idolatrica repositione, circumgestatione, & adoratione panis redarguisset hoc vero & immoto argumento. Nihil habere rationem Sacramenti extra vsum à Christo institutum. Item Nullam creaturam posse instituere sacramenta, aut in his, quæ autoritate diuina condita, atg commendata sunt, mutare, & expressa mentione Idolatriæ Eccium non terruisset tantum, sed et eneruasset adeo, vt & animi & exercitatæ ac lubricæ sophistices præsidio semetipsum destitueret, His ergò ve-

ras

ras demum commouit turbas. Eccius enim præ indignatione & fremitu penè furere cepit. Granuellus cum magna animi commotione erupit in hac voces. Non tantam fore imperatori iacturam, & amissionem omnium regnorum, quanta esset futura abolitio Missæ. Nec passurum eum vnquam, vt propter missæ cultum Idolatris annumeretur. Errare inquit potuimus, Idolatræ esse non volumus. Quod ergo Eccius eo die æstuans adhuc ira, apud Episcopum Mutinensem se meraciore vino Italico impleuisset, atq; ex eo in febrile incendium exarsisset, disputatio de hoc argumento præcisa prorsus, & intermissa est. Et Groppero in Eccij locum succedente, ceptum est de sequentibus capitibus conferri.

Cùm ventum esse ad caput de pœnitentia, rursus contentionem acerrimam peperit, quæstio per se solida, Vtrum in confessione necessaria sit omnium delictorum enumeratio, Pontificijs regnum confessionum magno conatu defendentibus, vel propter autoritatem ordinis Sacerdotum, vel propter culinas Monachorum. Contentio hæc in eum finem desijt, vt vtriq; sententiam suam de hac quæstione seorsim scripto exposuerint.

Agitata est etiam quæstio de satisfactionibus, deq; potestate Episcoporum, quibus liber tribuerat autoritatem mutandi ceremonias diuinitus institutas. Et certamina mota sunt, de inuocatione sanctorum, qui ex hac vita discesserunt, de oblatione, & applicatione Missæ, de priuata missa, de vsu integri Sacramenti Cœnæ Domini, de quibus cum Groperus vir minimè ad disputandum idoneus, tantùm protulisset collecta magno numero hinc inde ex scriptoribus testimonia ad stabilienda ea, quæ libet proposuit, à nostris contrariæ sententiæ oppositæ sunt ex doctrinæ sacræ testimonijs.

Cùm ad hunc modum librum delecti percurrissent, iussi libro reddito exponere, de quibus conuenissent, & quæ controuersiæ adhuc hærerent, censuram vtriq; suam conscripserunt, qua perlecta cum se minimè consequutum Imperator vidisset, quod quæsierat, aliam aggressus est viam. Tentauit animos principum splendidè exaggeratis concionibus de vtilitate concordiæ & pacis, de ingentibus malis, quæ ex ciuilibus bellis, nascerentur. Adiectum & illud est, Imperatorem moliri emendationem Ecclesiarum, & doctrinam capitum, de quibus nitus esset consensus, propagaturum esse ad gentes exteras. Hæc tanta bona impediri, si articuli cæteri mordicus retineantur, & regredientes aliquantulum cessuros non hostium improbitati, sed piorum in alijs regionibus vtilitati, qui assiduè & anxiè ad Deum pro qualicunq; luce veræ doctrinæ suspirant. Hæc erant illa σοφὰ φαρμακὰ & vt Paulino verbo vtar πιθανολογιαὶ, quæ omni tempore tenebras veræ doctrinæ offuderunt. Mouit enim multo bellorum ciuilium mentio, vt nutarent animis & sententijs, & est talium bellorum species tristissima. Nonnullos animosiores altera pars magis affecit, qui censuerunt moderatione nostra inuitandam & confirmandam esse voluntatem Imperatoris cupientis consulere vniuerso orbi Christiano, quorum hoc fuit argumentum, cum singuli quædam amicorum vicia dissimulemus, aliquibus etiam suos errores condonemus, posse etiam hoc tempore aliquid seu remitti, seu inuolui, cum propter nostras Ecclesias, in quibus bello ciuili vastitas futura esset, tum propter aliarum gentium vtilitatem, quæ ad Ecclesiæ societatem alliciendæ sint atq; adducendæ.

Alij contra etsi inficiari non poterant, se patriæ, Ecclesiarum, & Scholarum excidia metuere: tamen censuerunt doctrinæ corruptelas fugiendas esse, non eò tantùm, quod veritas omnibus periculis sit anteferenda, sed quia moderatiores pacem quæ ostenderetur, non sint impetraturi, nisi totam veræ doctrinæ professionem abijcerent. Deinde quia oporteret respici etiam ad domesticam consensum. Plerosq; enim domi talem pacificationē vel

paucorum articulorum deprauatione reprehensuros esse, Inde sequuturas esse magnas in Ecclesijs nostris discordias. Illa verò promissa de aureo seculo & de emendatione Ecclesiarum videri, vt apud Thucydiden dicitur, χρῆμα πολιτικὸν λόγος.

Responsum est ergò Imperatori diliberationes de reliquis controuersijs differendas esse, donec sententiæ ex vtraq; parte de prioribus dictæ essent. Imperator ergo spe sua deceptus, conuocato Senatu, rogauit sententias de libro delectis proposito. Hæ fuerunt triplices. Primam pontificiorum de scripto pronunciauit Wilhelmus Bauariæ Dux, refertam criminatione eorum, qui confessionem Augustanam amplexi erant. Hæc reiecto libro prorsus, censuit nullius opinionis correctionem aut moderationem, nullam legum pontificiarum mitigationem admittendam esse, nec concedendum esse nostris, vt à receptis & tot seculorum vsu comprobatis opinionibus & ritibus dissentiant. Mitior fuit altera Legatorum Episcopi Colonienſis, Electoris Palatini ad Rhenum, & aliorum quorundam. Hæc articulos conciliatos probauit, cæteras ad synodum aut alterius temporis collationem distulit, Censuit autem paulatim coituras Ecclesias in concordiam, si adhiberetur æquitas, & conscientijs piorum desiderantibus vicioſorum rituum, & opinionum emendationem consulendum esse. Tertia fuit nostrorum, quæ recipi articulos conciliatos posse professa est, si quædam ambiguè data clarius explicarentur, & addidit de cæteris sententias à nostris expositas, veras, & tam candide ac moderatè scriptas esse, vt non dubitent eas pijs omnibus satisfacturas esse.

Discrepantibus ergò Principum sententijs, cum se Imperator nihil proficere experiretur, vt abrumperet tractationes honestè, sine suo & publico detrimento, Contarenum legatum pontificium pronunciare iussit, quid rebus hærentibus fieri oporteret. Hic cum se antea ostendisset non abhorrere ab articulis conciliatis, incitatus Eccij importunitate præter omnium spem & opinionem, & conciliata reiecit, & seruari totam causam pontifici Romano integram voluit, & de controuersijs iterum disputari vetuit. Hic exitus fuit deliberationum Ratisbonensium, quas magno conatu & studio Imperator adiuuit ac promouit frustra, non tamen nostrorum culpa, sed aduersariorum, vt res docet.

Dimisso conuentu Imperator reuersus in Italiam ad expeditionem maritimam aduersus pyratam Barbarossam, conuenit Pontificem Paulum Lucæ, & cum eo rursus de synodo egit, sicut antea Romæ, Genuæ, & Niceæ egerat, Repetiuit & deinceps hanc postulationem Bussetj, postquam re infeliciter gesta sese in Italiam recepisset.

Cùm ergo instare & vrgere non desineret, perfecit tandem vt pontificia autoritate indiceretur Synodus Tridenti, quam cum nostri recusarent grauissimis de causis, quæ peculiari scripto in hac editione commemorantur, redyt Imperator Wormaciæ Anno 1545. ad vetera sua consilia de instituendo inter doctos colloquio Ratisbonæ, in quo disputarent quaterni, ex parte vtraq; delecti, bini vtriuq; præessent, sed gubernator esset Mauricius Episcopus Eichstetensis. Præcipuæ partes in hoc colloquio fuere Maluendæ & Buceri. Sed de sola iustificationis doctrina tractatum tunc est, cum quod decretum antea fuerat, in dubium reuocaretur. Interea & synodus Tridentina incoata est, & paulò pòst exarsit in Germania bellum calamitosum ac maximè funestum patriæ, quod quo sit euentu finitum, ante oculos est. Bello confecto cum non deponeret Imperator curam sanciendæ pacis, quadam etiam vsq; ad Synodum controuersiarum compositione, & obtruderetur nostris Ecclesijs liber Sphyngis Augustanæ, sequuta est Ecclesiarum in nonnullis locis horribilis & perturbatio & deuastatio. Id malum superaturæ fuissent, nisi cæteris adhuc tranquillis ac bene constitutis Ecclesijs vulnus inflixisset grauius multo,

malicia

malicia & ambicio inquietorum hominum calumniosa deprauatione, & exaggeratione eorum, quæ ipsi ignorarunt. Hoc vulnus ita distraxit ac dilacerauit Ecclesias nostras vt vix vnquam sint rursus coalituræ. Nam mox deinceps dissidiorum autor egregium se esse turbulentarum ac seditiosarum molitionum artificem corruptione purioris doctrinæ & Ecclesiarum nostrarum perturbatione & consilijs vafris atq; clandestinis satis declarauit. Hic ergo mox alia ex alijs certaminum ac dissensionum semina protulit. Sed de his hoc in loco plura non dicam, Narrationem pertexam de colloquijs.

Carolus Imperator cum hac etiam via res non succesßisset, in Synodum totus incubuit, à qua depulsus Mauricij armis, cum sua animaduerteret consilia infœlicia esse, curam omnem reipublicæ & Ecclesiæ cùm Imperio deposuit. Successor Ferdinandus Imperator ad fratris consilia redijt, re cum Imperij ordinibus deliberata, cumq; decretum communicatis sententijs, vt denuo inter se docti de dogmatibus colloquerentur Wormaciæ, quod multa tempus iam lenierat in plerisq; controuersijs & odia essent minus sæua, erexit hoc decretum multorum animos pene in certam spem concordiæ, Sed cuius artificijs multi boni, ac præstantes viri decepti, benemeriti deformati, Ecclesiæ scissæ, & in discordias coniectæ erant, huius artibus quomodo certa & explorata victoria contra aduersarios nostris quasi de manibus extorta, & explicatio doctrinæ salutaris impedita sit testabitur hæc vera narratio Philippi Melanthonis toti posteritati, quam cum versetur alioquin in manibus omnium, inserere huic scripto volui, non in cuiusquam contumeliam, sed vt artes FLACCII, quibus ille se consuluisse Ecclesijs iactitat, posteritas cognoscat ac iudicet.

Anno 1557. mense Augusto postquam in vrbem Vangionum venimus, antequam inchoarentur congressus cum pontificijs, legati principum nostrorum vocauerunt concionatores missos ad doctrinæ explicationem, & iusserunt paratos esse, cum à præside ad congressum cum pontificijs vocarentur, & hortati sunt, vt perspicuè & modestè doctrinam Ecclesiarum nostrarum exponerent. Hac communi adhortatione proposita, legatus ducum Saxoniæ fratrum, Basilius longam orationem habuit, cum multi post bellum doctrinæ corruptelas recepissent, Primum rursus constituendam esse concordiam inter nostros congruentem ad confessionem Augustanam, & articulos Smalcaldicos. Deinde Sneppius prodijt, dixit se mandata habere à suis principibus, vt de articulis communi consensu condemnationes fiant.

Primum, damnandos esse Cinglianos.
Secundo, Osiandri doctrinam.
Tertio, Propositionem quæ dicit, Bona opera necessaria esse ad salutem.
Quarto, Lapsum eorum qui Adiaphora recepissent.

Respondit PHILIPPVS, si condemnationes faciendæ essent, articulos scribendos esse, qui de tantis rebus explicatè dicant, quid asseuerandum, quid improbandum sit. Nec in primo articulo Cinglianos damnandos esse, sed etiam pontificios, qui horribilia idola in Ecclesiam inuexerunt, & adhuc stabiliunt in deprauatione Sacramenti. De secundo articulo extare nostra scripta, quibus perspicuè refutatur Osiandri doctrina. De Tertio, non refragari se ipsis, dixit, sed tamen articulum scribendum esse, vt sciatur, quæ forma loquendi retinenda sit. Etsi enim placet omitti formulam, ad salutem: tamen retinendas esse has propositiones. Noua obedientia necessaria est eo ipso quia creatori rationalis creatura debet obedientiam. Item, Clamores Antinomorum impios esse, qui vociferantur renatos retinere Spiritum sanctum, & iustos esse fi-

esse fide, etiamsi perseuerent in sceleribus contra conscientiam. De quarto dixit crimen falsi ab Illyrico commissum esse in editione scripti Lipsici, & se iudicium præsentibus legatis de toto illo negotio permittere. Fateri se dedisse consilium ne Ecclesiæ desererentur propter vestem lineam, & festorum & lectionum ordinem. Sed alia multa affingere falsa Illyricum. Libenter etiam se abfuturum esse dixit ab ipsorum congressibus si fuerit reiectus à Flacianis.

Dixit etiam, cum veniissent ad faciendas condemnationes, articulos formatos fuisse adferendos, vt cæteri de eis deliberare possent. Addidit etiam nos paucos esse, & magnum periculum esse, si nos pauci conderemus articulos, cum tanta sit multorum rabies in reprehendendis alijs. Idem postea Sneppius dixit nos paucos esse, nec sine periculo articulos scribi posse.

Brentius plura de Osiandri controuersia dixit, se de doctrina prorsus nobiscum sentire. Sed Osiandrum à se non condemnari, quia aliter intelligeretur, quàm sensisset. His responsionibus auditis legati re deliberata responderunt, Quia missi essemus ad defensionem Ecclesiarum nostrarum aduersus pontificios, nunc nos debere in communi causa coniunctos esse, nec faciendã esse distractionem. Illas igitur controuersias inter nos differendas esse ad synodũ nostrorum. Idem Elector Palatinus scriptis literis ad omnes legatos petiuit, ad quem tamen accesserant aliqui antea, vt eum contra nos incenderent. Hæc inter nos acta sunt antequã Præses nos vocauit. Nõ multò post à Præside vocati sunt collocutores vtriusq; partis. Hìc rursus mota est contentio de condemnationibus faciendis initio congressuũ. Petiuerunt legati, ne initia communis colloquij hac re turbarent, quia postea in singulis articulis, & quidem rebus explicatis, liberum singulis futurum esset, dicere suas sententias & addere condemnationes vt videretur. Post longam altercationem decursum est eò vt condemnationes isti exhiberent legatis nostrorum Principum. Ita videri satisfactum mandatis, quæ haberent. Dictum etiam fuit Illustrissimum Ducem Iohannem Fridericum hac exhibitione contentum esse. Quia cum eò cæteri principes ea de re locuti erant, cum esset in vicinia. Exhibitæ sunt igitur legatis nostrorum Principum illæ condemnationes. Deinde simul ad colloquium cum pontificijs accessimus, & videbatur inter nostros omnes dulcis concordia esse. In publicis congressibus exordia erant placida. Hortabatur nos Præses, vt modeste conferremus sententias, & ad concordiam mentes & voluntates flecteremus. Deinde promissio facta est, ne disputata spargerentur in publicum. Deinde de modo procedendi deliberatum est. Ibi nos proposuimus duas vias. Priorem, quæ inter doctos & bonos vtilissima & expeditissima esset, vt candidè & placidè conferremus voce sententias, & argumenta, & cum de aliqua materia inter nos constitutus esset consensus, mox articulus vnicus de ea re scriberetur, vbi non conueniret duo articuli scriberentur. Ita Senatum Imperij facile posse agnoscere, de quibus rebus consensus esset, & de quibus reliquæ essent controuersiæ. Hac via si non vellent vti, sed mallent certare scriptis, nos non grauatim etiam scriptis acturos esse, etiamsi tale certamen futurum esset multo longius collatione, quæ voce fieret. Placuit & Præsidi via prior. Sed pontificij contenderunt, vt scriptis certaretur. Non recusauimus & quidem beneficium nobis tribui diximus. Ventum est igitur ad certaminis initium, quod fuit splendidum & iucundum. Prima disputatio hæc fuit. Cum necesse sit in Ecclesia iudicia esse, oportere & normam iudicij esse certam & non ambiguam. Hanc normam Pontificij constituebant perpetuum Ecclesiæ consensum. Nos in responsione primum repetiuimus vsitatam hanc commemorationem. Nos amplecti scripta Prophetica, & Apostolica, &

Symbola

Symbola, & sentire eam doctrinam comprehensam esse in confessione nostra Augustæ exhibita Carolo V. Imperatori Anno 1530. & ab ea confessione nos nec discedere, nec discessuros esse, & reijcere omnes sectas, & opiniones pugnantes cum ea confessione, & nominatim Anabaptisticas, Sacramentorum deprauatores, Seruetum, Stenckfeldium, & Thammerum. Reijcere etiam Synodi Tridentinæ decreta & Interim, deniq; omnes corruptelas cum confessione illa pugnantes. Affirmauimus nos Dei beneficio & esse Ecclesiæ membra & Deo iuuante semper Ecclesiæ ciues mansuros esse. Deinde ad disputationem accessimus. Sentimus nos quoq; oportere in Ecclesia iudicia esse. Sed non admittimus iudicem consensum illum de quo ipsi loquuntur, qui non est perpetuus, sed est consuetudo pontificia, in qua multa contraria vetustati recepta sunt. Volumus autem normam esse iudicij scripta Prophetica & Apostolica & Symbola. Illi contra contendebant cùm scripta Prophetica & Apostolica sint ambigua, anteferendum esse consensum illum tanquam interpretem non ambiguè loquentem. Hic refutatio à nobis instituta est, & dictum de vtraq; parte, de certitudine Prophetici & Apostolici sermonis. Deinde de hoc argumento, perpetuus consensus sit norma. Consuetudo Pontificia est perpetuus consensus. Igitur consuetudo quam ipsi nominabant perpetuum consensum, sit norma. Plura hic de minore diximus, quia est magis perspicuum κρινόμενον. Certum est multas opiniones contra veterem doctrinam & multa decreta contraria veteri Ecclesiæ recepta esse à pontificijs. Manifestum est igitur consuetudinem pontificiam non esse perpetuum consensum. Decretum de cœlibatu, inuocatio mortuorum hominum, circumgestatio panis sunt ignota vetustati. Si veterem Ecclesiam sequerentur, statim abolituros esse multos vicioſos cultus. Anteferendam igitur esse normam certam, scilicet, scripta Prophetica & Apostolica & Symbola. Sicut & in singulis pijs fides nititur, non consuetudine, aut synodorum decretis, sed nititur verbo Dei, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Idem fiat & in dijudicatione doctrinarum. Cauillatio de ambiguitate Deum contumelia afficit, quasi doctrina ab eo tradita sit præstigiatrix. Plerunq; τὸ ῥητὸν expressè dicit, quid sit sentiendum, sicubi est obscuritas, sumitur ex collatione membrorum διάνοια firma & consentiens Decalogo & Symbolis. Nec nos aspernamur veteres scriptores, sed dicimus Ecclesiam audiendam esse vt doctricem. Fidem vero niti verbo Dei, & considerare an Ecclesia docens retineat verbum Dei. Citatum est etiam à nobis Epiphanij dictum: τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα δεῖται ἀλληγορίας, ἀλλὰ ὡς ἔχει, θεωρίας δὲ δεῖται ἡμῖν διαθέσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως δύναμιν. Deniq; manifestissimum est anteferri oportere dicta diuina non ambigua & consuetudini & scriptis omnium hominum. Esse autem in Monachorum doctrina & pontificijs decretis multa palam pugnantia cum dictis diuinis, in quibus nulla est ambiguitas. Cùm autem iniquum sit aduersarium constituere iudicem, nos eo ipso consuetudinem pontificiam nolle iudicem esse, quia eam tanquam aduersariam præcipuè accusamus. Contra illi ad conuicia delapsi sunt, nos arrogantes esse, qui anteferremus nostras sententias vetustati, & tamen inter nos quoq; dissensiones esse. Hæc fuit prima σύρραξις. Postea inchoata est disputatio de peccato originis, vbi cum manifeste absurda dixissent, excogitatum est ab eis consilium abrumpendi colloquij. Vt apud Xenophontem quidam de Lacedæmonijs dixit, sic cum eis bellum gerendum esse, vt domi dissipentur, sicut apes fumo facto, sub alueolis facile & tuto dissipantur, Sic illi etiamsi Xenophontem non legunt: tamen hoc consilium iuuenerunt, petunt fieri tunc statim multas condemnationes, Cinglianorum, Osiandri, Illyrici. Respondi modestè, In his materijs opus esse explicatione, & explicatione facta in singulis articulis ordine nos addituros esse condemnationes, quia nudæ futuræ essent ambiguæ. Hac excusatione reiecta, illi non desinunt petere condemnationes Hic collegæ nostri qui

antea

antea condemnationis exhibuerant legatis nostrorum principum, illas ipsas etiam volunt ibi aduersarijs publice recitari. Dehortantur eos nostri. Scripseram tamen ego condemnationes, in quibus expresè comprehenderam omnes istas, quas collegæ isti proponi voluerant. Condemnaueram etiam adiaphoristica vt nominant, ne impediuisse me mea causa dicerent. quæ flagitabant illi, qui hæc proponebant, cum tamen mendacia ab Illyrico sparsa de me & alijs præstantibus viris, quorum aliqui mortui sunt, minime agnoscam, Sed fatear hoc me consilium dedisse nostris & Francicis Ecclesijs, ne propter mutationem rituum non impiorum suo genere, desererent Ecclesias, Malui enim hanc plagam accipere pacis studio quanquam innocens, quàm videri defuisse publicæ causæ contra aduersarios cum à mandatis quæ adferebant, sibi discedere non licere toties quererentur, & testatus hoc essem antea, ac tunc quoq; testarer. Sed Brentius Osiandrum nominatim taxari noluit. Hic collegæ nostri suas condemnationes adferunt ad pontificios, quia nostri eas publice ab eis recitari noluerant, ac postea domum redeunt. Hac distractione facta nolunt pontificij collocutores procedere. Nos petimus vt procedatur. Interrogato Rege Ferdinando, mandata mittuntur, vt procedamus, & scribit Rex, satis esse, si ordine in singulis articulis re explicata addamus condemnationes. Sed pontificij collocutores ne quidem iubente Rege, & hortante præside procedere voluerunt. Nos oppositа protestatione confessionem repetiimus, vt consensus eorum consticeretur qui manserant, & petiuimus vt procederetur. Permisimus etiam vt à quo vellent articulo rursus initium facerent. Sed cum pontificij manerent in sua sententia, & aliqui discederent, & præses diceret, se non posse eos cogere, nos præsidi gratias egimus, quem fuisse æqualem fatemur, ac aliquanto post etiam ex vrbe Vangionum discessimus. Hanc simplicem narrationem veram esse multi norunt, qui deliberationibus interfuere. Totam ergo hanc de colloquijs, vt vocant, narrationem præmittere huic operi volui, cum quæ acta in plerisq; fuerunt, adiecta sint cæteris autoris scriptis, quia iudico vtile esse posteritati vt hæc legat & consideret.

Tuam autem celsitudmem, Illustrissime princeps Elector, domine clementissime, potissimum delegi, cuius patrocinio hoc opus committerem, quia scio T. C. harum deliberationum & actionum omnium, & partem non minimam fuisse, & optime consciam esse, & delectari non tantum studio doctrinæ piæ, sed etiam lectione, & commemoratione eorum quæ his seculis mutationem statui veteri Ecclesiarum in Germania necessarijs de causis attulerunt, in qua mutatione alijs recte sentientibus, & confessionem Augustanam amplexis se T. C. adiunxit, Deinde quia scio C. T. autorem ipsum & vere dilexisse, & clementissime complexum esse, cumq; eo tum in conuentibus Imperij, tum aliàs de plerisq; capitibus controuersiarum piè, grauiter, & sapienter sæpè contulisse. Quare & propter res ipsas quæ in hoc libro continentur, & propter autorem confido hoc munus C. T. gratissimum fore atq; vt sit animo subiectissimo peto. ORO autem Deum æternum patrem Domini & saluatoris nostri IESV CHRISTI, conditorem generis humani, & Ecclesiæ suæ vt Ecclesias, & politias seruet, ac protegat, nec sinat bellis vel externis, vel domesticis effici vastationes. Deinde vt C. T. confirmet vires animi & corporis, ac tribuat salutarem gubernationem per & propter filium suum Dominum nostrum IEsum Christum, Amen. Bene & feliciter valeat C. T. Datum Witebergæ 4. Iduum Augusti 1564.

Illustriss. Celsitudinis tuæ

deditissimus

Caspar Peucerus D.

EFFIGIES REVERENDI VIRI, D. PHI=

LIPPI MELANTHONIS, EXPRESSA VVITEBERGÆ,
ANNO M. D. LXIIII.

EXPLICATIONES ALI
QVOT LOCORVM SA-
CRÆ SCRIPTVRÆ.

NON ingredieris in iudicium cum seruo tuo. 3. 39.
Euangelium est potentia Dei. 4. 34.
Iustus ex fide uiuet 5. 5.
Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro. 6. 42.
Arbitramur hominem iustificari ex fide sine operibus legis. 8. 36
Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad Iusticiam. 9. 26.
Lex iram efficit. 11. 10.
Ideo ex fide gratis ut sit firma promissio. 11. 14.
Per Legem abundauit peccatum. 13. 32.
Lex iniustis est posita. 13. 38.
Aculeus mortis peccatum est potentia uero peccati Lex. 14. 1.
Nulla condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant. 18. 24.
Non est uolentis neq; currentis sed miserentis Dei. 24. 10.
Omnis qui Crediderit non pudefiet. 25. 44.
Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. 25. 45.
Concluſit Deus omnes in incrudelitatem ut omnium misereatur. 28. 33. 172. 14.
Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. 42. 13.
Maledictus qui non manet in omnibus quæ scripta sunt in Lege. 49. 4.
Non estis sub lege sed sub gratia. 50. 31. 130. 1
Propter te mortificamur tota die & sicut oues occisionis æstimati sumus. 52. 38.
Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. 53. 7.
Iohan. 4. Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & ueritate. 55. 42. 178. 9.
Orate ne intretis in tentationem. 64. 24.
Deus uult omnes homines saluos fieri. 70. 44.
Psalm: 7. Iudica me domine secundum iustitiam meam. 79. 19.
Gene: 30. Cras respondebit mihi Iusticia mea. 79. 33.
Matth. 3. Decet nos implere omnem Iusticiam. 79. 34.
Omnes peccauerunt & carent gloria Dei. 79. 42.
Beati quorum remissæ sunt iniquitates. 80. 44.
Iustitia Dei manifestatur. 81. 2.
Videt Deus omnia quæ fecerat & erant ualde bona. 82. 25.
Non ueni soluere legem sed implere. 99. 2.
Notitia serui mei iustificabit multos. 103. 31.
Credidit contra spem in spem. 110. 4.
Resurrexit propter iusticiam nostram. 111. 25.
Ieremiæ. 17. Peruersum est cor super omnia & ærumnosum. 121. 10.
2. Corinth: 3. Nunc retecta facie &c. 127. 22. 579. 26.
Mortuus iustificatus est à peccato. 128. 41.
Esaiæ. 52. Gratis uenundati estis non argento redimemini. 131. 17. 136. 21. 576. 43.
Peccatum fit excellenter peccatum. 135. 18. 373. 9.
Lex Dei est iudicium spirituale. 135. 35.
Iob cap. 9. Verè scio quod non est homo iustus coram Deo. 136. 21.
Si secundum carnem uixeritis moriemini. 145. 10.
Alienum opus facit Deus ut faciat proprium opus. 153. 10.
Quis accusabit electos, Deus est qui iustificat. 156. 9.
Esaiæ. 10. Etiamsi erit numerus filiorum ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt. 163. 41.
Ne dixeris in corde tuo. Quis ascendet in Cœlum. 166. 28.
Corde creditur ad Iusticiam. 168. 22.
Esaiæ 52. Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem. 169. 38.
Esaiæ cap. 59. Veniet ex Sion redemtor &c. 172. 38.
2. Corinth. 3. Intuentes gloriam Domini transformamur ad eandem imaginem. 174. 36.

Neminem concutiatis neq; calumniemini. 183. 40.
Nemini quicquam debeatis. 188. 43.
Si uis in uitam ingredi ſerua mandata. 189. 26.
Eſai: 61. Gaudebo in Deo meo. 190. 46. 308. 27.
πολίτευμα noſtrum in Cœlis eſt. 193. 28.
Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. 196. 3. 450. 6.
Nemo ſcit an amore uel odio dignus ſit. 197. 2.
Oſeæ. 4. Omnem aufer iniquitatem & benefac nobis & reddemus uitulos labiorum noſtrorum. 202. 41.
Pſalm 118. Voluntaria oris mei beneplaceant tibi. 203. 16.
Attende lectioni doctrinæ & conſolationi. 208. 41. 281. 25.
Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ. 222. 20.
Corpus non ſcortationi ſed Domino ſeruiat. 226. 1.
Erunt duo in carnem unam. 226. 16.
Sapientibus & inſipientibus debitor ſum. 236. 17.
Omnia ad gloriam Dei facite. 237 28.
Sedit populus manducare & bibere & ſurrexit ludere. 241. 5.
Pſalm. 23. Attollite portæ Capita ueſtra. 25. 28.
Micheæ ultimo. Iram Domini portabo quia peccaui ei. 276. 16.
Sectamini, dilectionem ſuſcipite uero Spiritualia. 280. 5.
Quem docebit ſcientiam? ablactatos ā lacte auulſos ab uberibus. 285. 44.
Abſorpta eſt mors ad uictoriam. 299. 40.
Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. 301. 25.
Si uis perfectus eſſe uade & uende omnia. 331. 5.
Iohan. 16. Non dico quod ego pro uobis precaturus ſim. 335. 10.
2. Corinth. 3. Agnoſcentes Deum per uocem Euangelij transformamur in eandem imaginem. 336. 43.
In ipſo habitat omnis plenitudo Diuinitatis. 339. 12.
1. Timot. 4. Omnis Creatura Dei bona eſt. 343. 20.
Vt oculus uideat & auris audiat, Deus facit utrunq;. 343. 40.
Sermo Chriſti habitet inter uos cum omni ſapientia. 357. 29.
Syrach: cap. 3. Quæ præcipit tibi Deus ſancte cogita. 362. 8.
Commenda Deo uiam tuam & ipſe faciet. 361. 38.
Marc: 9. Bonus eſt ſal, habete in uobis Salem, & pacem habete inter uos. 364. 29.
Cor mundum crea in me Deus. 369. 5.
Galat. 3. Lex eſt pædagogus in Chriſto. 372. 26.
Iuſto non eſt lex poſita. 373. 40.
Scortatores & adulteros iudicabit Deus. 387. 38.
Iohan: 20. Sicut pater me miſit ita & ego mitto uos. 419. 10.
Pſalm 31. Non eſt in ſpiritu eius dolus. 449. 35.
Hebræ: 13. Per ipſum offerimus ſacrificium laudis acceptum Deo. 449. 46.
Gene: 32. Minor ſum cunctis miſerationibus tuis. 451. 22.
Gratia & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. 455. 41.
Rom: 8. Quis condemnabit? Chriſtus intercedit pro nobis. 610. 10.
Nulla nunc condemnatio eſt in his qui in Chriſto Ieſu ambulant. 639. 17.
Pſalm 116. Ego dixi in exceſſu meo Omnis homo mendax. 648. 7.
Dixi Confitebor aduerſus me iniuſtitiam meam &c. 548. 14.
Non eſt uoluntas patris ut pereat unus de paruulis iſtis. 664. 18.
Paulus. Præbete Corpora ueſtra hoſtiam uiuam & ſanctam. 744. 6.
Si nos iudicaremus ipſi non iudicaremur ā Domino. 744. 14.
Eſaias. Obſigna Legem in diſcipulis meis. 787. 26.
Prouerb: 30. Omnis ſermo Dei igne probatus clypeus eſt omnibus ſperantibus per ipſum. 796. 8.
Gene. 48. Inuocetur ſuper eos nomen meum &c. 819. 2.

INDEX.

A.

ABraham non fuit iuſtus coram Deo propter opera ſua. 100. 29.
Abſolutio. 518.5.
Abſolutio priuata. 528. 42.
Abuſus proprij Corporis quare ſit maius delictum. 228. 5.
Abuſus Cœnæ Domini punitur. 257. 14.
Abuſus aliqui diſſimulandi. 825. 11.
Abuſus Miſſæ meri queſtus Monachorum. 828.28.
Accipere perſonam quid. 70.28.
Accuſatio abuſus libertatis. 222. 2.
Actiones carnis in renatis. 145. 19.
Actio dominatur in uultu. 254. 39.
Actiones congruant ad legem Dei. 295.13.
Actiones omnes debent regi lege Dei & Euangelio. 362.26.
Actiones Dei ad extra fiunt in tempore & cum tempore Cæperunt. 571. 11.
Actiones Dei ad intra non ſubiacent tempori. 571.
Adam & Chriſtus duæ ſummæ perſonæ 122.33 (17
Adam & Eua peccarunt ſua uoluntate decepti à Diabolo 436.10
Adæ & Euæ poſt lapſum ratiocinatio 107.1
Adiáφορα 225.23
Admonitio ne alia doctrina proponatur quam diuinitus tradita 368.28
Adminiſtratio ſuperans uires ſit poſſibilis 394.31
Ad initia exigua errorum paulatim accedunt tetra idola 409.39
Ad lectionem quæ pertineant 415. 1
Adhortatio ad conſtantiam 427.35
Adulterium 230. 14
Aduerſus obtrectationes quid ſit præſtandum 396. 8
Adſentiens trahitur uolens 162.18
Aedificatio Paulo quid 282. 12
Aemulatio. 267.40.
Aenigma 273.33
Aequalitas in contractibus ſeruanda 253.24.
Aequalitas quam docet Paulus 309. 45
Aequalitatis nomine Paulus intelligit æqualitatem Geometricam 363.26
Aequipollentes propoſitiones, fide & per miſericordiam iuſtificari 341.14
Afflictiones Sanctorum 521.1
Agentem pœnitentiam oportet ſibi applicare articulum de remiſſione 627.17
Akriboδíkaiom non quærendum 33.28
Alcibiades 237. 4
Alcibiades ſolis pane, ſale & aqua uictitans reprehenditur 496.39
Alexander tertius 268.29
Álogo& laξeía 30.27
Alienæ interpretationes quid uelint 43.14
Aliud eſt meritum Chriſti, aliud applicatio ad nos 111.13
Aliqui inter Iudæos credituri 171.30
Aliud eſt Eccleſia, aliud politiæ mundi 172.14
Aliqui ex Iudæis ſubinde conuertuntur 72.34
Aliud ſunt iudicia, aliud uitia quæ accedũt 223.28
Aliqua dona manent in hypocritis 266.39
Aliqui emendantur 302.2
Alia interpretatio dicti iuſto non eſt lex poſita 373.40
Altera propoſitio. Recipimur gratis propter filium 61.16
Altitudo 357.38
Alter uſus legis in nõn renatis, punire 373.1
Alterum genus eorum qui occultè corrumpunt aliquem articulum 409.15
Ambiguitas in uocabulo Saluati 151.3
Ambitioſa petitio officij 394. 18
Ambiguitas in omnibus negotijs uitanda 806.42
Ambiguitas nulla eſt in Decalogo 778.25
Amen 284.11
Análυσις μεθοδικὴ 12.21
Anantapódoτom 24.31
Anabaptiſtæ bella gerunt cum tota humana natura 31.44
Anabaptiſtarum error de malo originis 123.20
Anabaptiſtarum figmentum de mortificatione & uiuificatione 126.27
Anabaptiſtica deliramenta 181.26
Anabaptiſtarum cauillatio de officijs politici ſtatus 183. 43
Anabaptiſtæ 352.43
Anabaptiſtæ tollunt diſtinctionem dominiorum 622.11
Anabaptiſtarum pertinacia 294.13
Anelεήmoνeς 67.34
ἀnέγκλκτoι 340
ἀntίλυξom 453. 6
Angeli boni & mali quales fuerint erga Chriſtum
Animæ partes 468.40 (406.3
Anni quinquageſimi obſeruatio 550.20
Anni Iubilæi finis 550.28
Anni Iubilæi uera ſignificatio 552.3
Antinomorum furor. 599.33
Antinomorum error, homines iuſtos eſſe fide ſi perſeuerent in delictis contra conſcientiam 359. 29
Antinomos refutat conuerſio piorum 98. 31
Antiquitas. 287.38
Antiquitas ſuperſtitioſa fuit in exercitijs, noſtra ætas prophana eſt 356.10
Anathema 303.12
Antiquitas doctrinæ in Eccleſia 408.12
ἀntιλήψeις 265.8
Antichriſtus 537.7
Anſelmus 467.13
Anſelmi definitio peccati 119.39
Antitheſis Legis & Euangelij 321.39
Antitheſis mortis & noſtræ reſurrectionis 358.44
ἀnoδíωξις 24.24
Apoſtolica autoritas 202.16
Apoſtoli præ reliquis ſubiecti cruci 220.32
ἀpóληψις 353.16
ἀpolύξωσις 453. 7
Apoſtolica doctrina immotum & immutabile decretum Dei 785.2
Apocryphi 820.38
Appellationes Originalis & Actualis peccati propter Pelagium inuentæ 121.10

Applicatio beneficiorum Christi fit fide 327.11
Applicatio redemtionis est uiuificatio 454.11
Applicatio beneficiorum Christi 563.43
Applicatio promissionis fit usu Sacramenti 595.20
Appetitionum gradus 468.30
Appellationes Filij Dei ex Nazianzeno 595.29
Aquæ figura 515.8
Argumentum Epicureorum 21.13
Argumentum Pauli contrarium Epicureorum argumento 21.14
Argumentum rationis 25.31
Argumentum Adami 40.25
Argumenta aduersariorum contra doctrinam de Iustificatione. 46.31
Argumentum primorum parentum 90.34
5. Argumenta confirmantia iusticiam fidei 100.1
Argumentorum Osiandri refutatio 83.1
Argumentum rationis de Ecclesia 143
Argumentum à finali liberatione 149.34
Argumentum ab exemplo mundi 149.42
Argumentum ab exemplo Apostolorum 150.34
Argumentum ab ordine & tempore liberationis 150. 40
Argumentum ab exemplo diuino 153.5
Argumentum ab exitu afflictionum 154.15
Argumentum de dilectione 189.8
Argumenta duo de mulieribus uelandis 253.44
4. Argumenta quibus refutantur Ethnici 287.30
Argumentum scriptorum Pauli 304.16
Argumentum 2. Epistolæ ad Timotheum 424.16
Argumenta Eccij 667.19
Ἀρχαὶ 157.36
Aristoteles 475.37
Arrianorum error 614.16
Arma lucis 189.46
Arrogantium tyrannis in usu libertatis 198.28
Arrabo unde 315.15
Artes ex noticijs naturalibus extructæ sunt res bonæ & dona Dei 343.35
Artes habent suas metas 344.4
Artificia sycophantarum 817.40
Artaxerxis uotum 785. 46
ἀσώτευτοι 66.3
ἀσώθετοι 66.13
ἄσοργοι 66.20
ἄσπονδοι 67.30
A scripturis deducimur ad ipsum Deum 200.15

Assiduitas & Constantia in ueritate requiruntur in doctore 430.20
Athanasius de λόγῳ 143.4
Attoniti seu stupefacti 422.27
Athanasius 710.31
A uerbo ordiendum est 199.16
Augustini sophisma 232.9
Augustinus quomodo restringat Vniuersalem 382.39
Augustinus de autoritate Ecclesiæ. 502.18
Auij Cauillatio 820.34
Autumnus 468.22
Authores schismatum qui? 613.40
Auxilium Dei infirmis ostenditur 311.11

B.

Basilius 93.10
Basilius de iudicijs Ecclesiæ 290.3
Basilij error 473.14
Basilius de fide 535.1
Basilius de libero arbitrio 506.1
Baptismus quid? 713.30
Baptismi uis 713.34
Baptismus quid conferat 713.41
Baptismus signum 512.5
Baptismus pignus remissionis & efficaciæ Christi in nobis 128.10
Baptizandi adducti ad ossa mortuorum 297.7
Baptisari pro mortuis 297.18
βαυκοπάνουργοι. 350.39
Bernhardi dictum 131,40.378.14
Bernhardus de fide 543.34
Beneficentia 267.33
Beneficia quæ meruit filius Dei 439.34
Blanditiæ in moribus 207.23
Blanditiæ in dignitatibus 207. 39
Bonauentura 467.15
Bonifacij octaui constitutio abolenda 673.22
Bona opera in quibus placeant 105.44
Bona opera quomodo fieri possint 174.27
Bona opera habent premia in hac & post hanc uitam 176 1
Bona opera quid mereantur 525.42
Bona opera merentur mitigationem pœnarum in hac uita 618 46
Bona opera quare sint necessaria 811.1
Bona opera cur sint facienda 175.14
Bonitas Dei 539.40
Bonum natura sui conseruatiuum 66.43
Bonus princeps nihil differt à patre bono 184.18
Breuis summa doctrinæ de Iustificatione 370.10
Burgensis Etymologia 303.43

C.

Calamitates Christianorum in Iudæa 204.21
Calamitates leniuntur ut seruetur Ecclesia 176.43
Calamitates Ecclesiæ 522.16
Calix benedictionis 246.39
Calix gratiarum actionis 247.17
Calumnia pestis aulica 269.31
Caligo in mente & auersio uoluntatis à Deo non leuia mala 647.24
Canisij error de perfectione 98.40
Caput 5. prioris ad Timotheum quid tractet 416 36.
Caput Ecclesiæ 636.36
Caro quid significet 19.14
Carnalis natura 135.44
Caro & sensus carnis 136.2
Canones recentes 231.42
Carolostadij errores 237.14
Calix noui testamenti quid 257.35
Calix est nouum testamentum per Metonymiam dicitur 257.42
Catalogus annorum pauli 366.36

Candor 270.1.41
Carni alia attribuetur proprietas 299.4
Carentia iuſticiæ Originalis quid ſignificet 647.8
Caſtitas neceſſaria uirtus 421.15
Catalogus electorum 199.2
Catholicus conſenſus 735.7
Cauſa efficiens fidei 26.12
Cauſæ cur Deus notitiam legis uoluerit eſſe reliquam in homine 36,10
Cauſæ copulationis duarum naturarum in Chriſto 88.17
Cauſæ communium calamitatum 113.16.527.33
Cauſæ calamitatum Eccleſiæ 113.20
Cauſa finalis reconciliationis 130.33
Cauſæ propter quas Eccleſia eſt ſubiecta cruci 147.39
Cauſa reiectionis 159.43
Cauſæ deletæ politiæ Iudaicæ 170.25
3. Cauſæ doni linguarum 285.24
Cauſa finalis ærumnarum 312.27
Cauſæ efficientes ac finales bonarum actionum 363.1
Cauſæ propter quas laudandum eſt coniugium 390.13
Cauſa reprobationis eſt peccatum in reiectis 433.33.
Cauſæ propter quas traditæ ſint promiſsiones bonorum corporalium 452.1
Cauſa inſtrumentalis electionis 498.37
Cauſæ concurrentes in uera conuerſione 631.16
Cauſa peccati 700.29
Ceremoniæ 225.27
Ceremoniæ ualent ſi congruant cum lege Dei 72.22.
Ceremoniæ accedunt ad promiſsionem ut ſigna 72.36
Ceremoniæ cur inſtitutæ ſint 178.35
Ceremoniæ Moſaicæ fuerunt umbra, Chriſtus corpus 350.5
Ceremoniæ legis Moſaicæ non potuerunt portari 497.12
Ceremoniarum finis in Eccleſia 508.29.719.15
Chriſtus quid afferat 8.5
Chriſtus eſt uerum propiciatorium 8.11
Chriſtus cur uenerit 29.7
Chriſtum per accidens iuſtificare eſt horribile mendacium 82.34
Chriſtus dupliciter tollit peccatum 92.3
Chriſtus finis legis etiam Moralis 95.43.165.24
Chriſtus implet legem 4. modis 99.1.446.9
Chriſti paſſio applicatur nobis 131.8
Chriſtus & Spiritus ſanctus concurrunt in conuerſione hominis 138.37
Chriſti meritum 159.2.24
Chriſti efficacia 339.5
Chriſtus geſtat Eccleſiam merito & efficacia 168.37.
Chriſtiani non ſunt alligati ad politiam Moyſi 184.24
Chriſti ſponſi ornatus ſacerdotalis 191.12
Chriſtum in duere quid 191.18
Chriſti actiones 201.37
Chriſtus cur adſit Sacramento 247.33
Chriſtus in miniſterio efficax 302.25
Chriſtus non nouit peccatum 308.9
Chriſtus tribuit nobis Iuſticiam Dei 308.25
Chriſtus fit peccatum 308.21
Chriſtus ſponſus Eccleſiæ 308.40
Chriſtianis conceſſum eſt iudicare 315.37
Chriſtus caput Eccleſiæ 327.1
Chriſtus caput Eccleſiæ quatuor modis 338.
Chriſtus ἀντίλυτρον pro omnibus 385.10(28.
Chriſtus iuſticia noſtra 443.39
Chriſtus redemtor & mediator ſecundum utramque naturam & quomodo 453.1
Chriſtus redemtor propter 5. Cauſas 453.11
Chriſtus eſt iuſtificator noſter ſecundum utramque naturam merito & communicatione ſui 454.19
Chriſtianorum duplex ſacrificium 514.4
Chriſto pedes laruare quid 669.15
Chryſoſtomi dictum de fide 488.1
Chryſoſtomus de confeſsione 549.1
Chirographum 348.18
Chirographo deleto ſimul fit uiuificatio 348.37
Chœnix quid 204.13
Cinglius 512.28
Cinglianorum error 512.11
Circumciſionis uſus 10.24
Circumciſio ſigillum iuſticiæ fidei 106.32
Circumciſio non iuſtificat 482.25
Circumſtantiæ quædam quæ in precatione requiruntur 385.25
Clauſula addenda precationi 284.30
Cœna Domini quid 256.39
Cœnæ Domini fines 250.6.563.31
Cœna ſumenti prodeſt per fidem 746.31
Cœna cur ſit inſtituta 840.38
Cognitio in hac uita ex uerbo ſumta non eſt incerta 273.20
Collatio noſtræ naturæ cum lege 18.9
Collatio Adæ & Chriſti 123.6
Collatio iuſticiæ Legis & iuſticiæ Euangelij 165.
Collatio Elemoſinarum 309.35 (18.
Collatio doctrinarum 408.21
Colloquia praua 297.29
Coloſsæ in confinio Lidiæ 326.3
Coloſsi nomen 326.13
Comparatio peccati, Legis & Gratiæ 12.30.13.16.
Comparatio ſeruitutis 16.23
Cometæ 471.32
Cometa cur dirus dicatur 494.6
Commoneſactiones in precatione conſiderandæ 554.18
Communes miſeriæ ſunt ordinati effectus Legis 372.1
Concio de officijs ſexus muliebris oppoſita eſt ſuperſtitioni 386.2
Concionum finis 283.40
Conciones Euangelij efficaces 315.9
Concio Euangelij halitus ſparſus à Chriſto 317.17
Concupiſcentia 133.25.467.17.469.4
Concio Eſaiæ cap. 59. 172.38

Concilia omnia alicubi peccarunt 497.26.622.34.
Concupiſcentia 133.25.467.17.469.4
Concupiſcentiæ uis 469.15
Concupiſcentia eſt malum pugnans cum Lege Dei 796.35
Concludi ſub peccatum 173.10
Coniugium Spirituale Filij Dei 227.2
Coniugij ordo 227.16
Coniuges unum membrum 227.7
Coniugium facit conſenſus 229.34
Coniugium concedendum perſonæ innocenti 230.39
Coniugia diſſentientium de Deo non diuellenda 231.42
Coniugium 396.40
Coniugij prohibitio doctrina dæmoniorum 749.9.
Confundi pro fruſtrari 164.31.115.41
Confirmatio idolorum uitanda 250.43
Confirmationes quod in Chriſto ſint duæ naturæ 335.39
Confeſsio quæ fit proprie Deo 548.14
Confuſiones & mala poſtremis temporibus creſcunt propter 3. cauſas 407.16
Confeſsio 519.37
Confuſio philoſophiæ & Euangelij 342.29
Conſilia Dei omnia non comprehendit humana ratio 173.38
Conſcientiæ Erynnies 260.11
Conſcientia Pauli, qui non inflectit religionem ad cuiuscq; affectus 313.25
Conſolatio 209.9
Conſolationum diſcrimen 114.13
Conſolationum philoſophicarum loci 148.45
Conſolationum in Eccleſia loci 149.14
Conſolationes de cruce 149.31.
Conſolationes in pœnis 276.1
Conſolatio finis doctrinæ in Eccleſia 282.18
Conſolatio & conſolationis propria quibus fit applicatio doctrinæ 416.15
Conſolatio in ueris pauoribus eſt modus quo fit regeneratio 449.24
Conſolatio piorum 604.11
Conſtantinus ſedens in medio ſynodi 509.43
Conſternationes ſpiritus ſeruitutis 146.40
Conſecrare 247.30
Conſumatio in Chriſto fit imputatione & effectione 346.27
Contra Antinomos 99.12.175.19
Contra dubitationem 156.4
Contra reliquias peccati tenenda conſolatio quod ſemper habamus remiſsionem peccatorum propter Chriſtum 455.22
Contritio eſt mortificatio 126.36.
Contritio eſt exuere corpus peccatorum, mortificari 347.19
Contritio ex agnitione peccati 376.36
Contritionis exempla 529.36
Contritio neceſſaria omnibus qui conuertuntur 540.28.827.23
Contritio fit timor filialis 547.39
Conuerſus Deo placet propter Mediatorem 108.9
Conuerſos oportet uincere dubitationem naturalem 428.18
Conuerſio non eſt in perſeuerantibus in delictis contra conſcientiam 609.20
Conuerſio neceſſaria 629.11
Cor purum quod fide purificatum eſt 368.38
Cor organum affectuum 471.4
Corde creditur ad Iuſticiam 268.22
Corda aſsimulantur λόγῳ 390.42
Corporalium pœnarum uſus 243.16
Corpus ψυχικὸν ſeu χοϊκὸν 298.1
Corpus Spirituale 298.6
Corpora reſtituentur 298.43
Corporalia bona quare petenda 556.14
Corporis Chriſti Sacramentalis præſentia 512.25
Corpus & ſanguis Chriſti in cœna Domini uere & realiter adſunt 736.2
Corruptelæ Ebionis, Cerinti &c. 181.4
Corruptelæ doctrinæ & impoſturæ ad tres modos reduci poſſunt 242.24
Corruptela Origenis 379.20
Correctiones ordinationis diuinæ 241.38
Creatio quid 570.38
Credentes non ſunt ſub lege 492.21
Credere Eccleſiam Catholicam 611.44
Creaturæ quatenus ſunt à Deo ſunt bonæ 410.22
Credentes liberati à damnatione legis 446.9
Crux Eccleſiæ non labefactat certitudinem doctrinæ 341.40
Crucis ſapientia inexhauſta 148.35
Culpa & pœna remittuntur propter Filium Dei 550.1
Cultus Dei 56.2.174.23.178.27
Cumulatio mandatorum 286.3
Cupiditas uindictæ 267.15
Cur maior par ſiit reiecta 171.42
Cur doctores magis affligantur 312.17
Cur Apoſtolis magis credendum quam Epiſcopis 333.18
Cur de imputatione iuſticiæ dicatur 370.24
Cur oportuerit conſtitui Mediatorem inter Deum & homines 384.22
Cur tribuatur fidei iuſtificatio 478.45
Cur non pronunciemur iuſti propter noſtras uirtutes 482.10
Cur non dubitandum an Deo placeamus 486.31
Cur Deus Eccleſiam colligat & conſeruet 557.34
Cur oportuerit Mediatorem eſſe Deum & hominem 576.12
Cur dicendum gratis remitti peccata 625.38
Cyneſias contraria feſta celebrauit 194.10
Cyprianus 747.3

D.

Daemones qualem habeant fidem 9.45
Damnare quid 140.8
Danielis de antichriſto uaticinatio 537.32
De appplicatione beneficiorum filij quæ fit fide 340.29
Debetur obedientia paſtoribus in his quæ ſunt miniſterij 418.39

Debitum & meritum correlatiua 103.46
Debitum & neceſſitas quid propriè ſignificent 144.2
Debitores ſumus non carni 20.22.143.41
Decalogus quare non aboleatur 492.15
Decalogus ſit norma actionum 395.3
Decalogus in doctrina de dilectione accipiendus 278.37
Decalogus in Eccleſia proponendus 187.33
Decretum Dei immotum homines accipere remiſsionem peccatorum propter Chriſtum 560. 28.
De dicto iuſto non eſt lex poſita 373.19
De eſſentia & uoluntate Dei iudicandum ex Euangelio 344.7
Defectus & inclinationes prauæ 467.10
Definitio dilectionis 278.22.188.37
Definitio iuſtificationis 92.3
Definitio coniugij 228.19
Definitio Epiſcopi 52.13
Definitio ſummi Sacerdotis 156.15
Definitio iuſtitiæ apud clementen legalis 79.31
Definitio Prophetæ 52.5
Definitio ueræ humilitatis 351.25
Definitio Apoſtoli 52.9.264.45
Definitio regni Chriſti 200.35
Deficientium à fide duo genera 409.4
Deformes geſtus 269.5
De iuſtificatione nemo glorietur 314.37
De lege politica 185.28
Delicta propter quæ renati deſinunt eſſe iuſti 450 35.
Delicta primi lapſus 120.6
Delicta contra ſecundam tabulam 64.2
De nolentibus audire conſolationem fruſtra diſputatur 376.7
De non cognitis non eſt iudicandum 180.29
De non neceſſarijs dimicantes aerem uerberant 237.38
Deprauationes in antiqua conſuetudine factæ per Papam & Epiſcopos 393.7
Deprecatorem oportuit eſſe Deum & hominem
De precatione 381.4 (456.25
De prædeſtinatione 23.10
De qua re loquatur Paulus cum dicit: Senſus carnis inimicitia eſt &c. 141.36
Deſcriptio iuſticiæ legis non impedit dicta de Iuſticia fidei 71.32
Deſcriptio ſummæ laudis Eccleſiæ 287.22
De Sacramentis 47.41
Deſertio 230.25
Deſponſationes ſine conſenſu parentum irritæ 229.11
Deus gubernat euentus 202.11
Deus etiam eſt efficax per miniſterium eorum qui ſunt uocati ab Eccleſia 333.28
Deus legem poſt lapſum ſua uoce repetiuit 437 24.
Deus quomodo arguat peccatum 577.17
Deus uult ſe agnoſci æqualem 331.45
Deus tandem tollit blaſphemos 403.63
Deus ſanctis adeſt ſocietate 575.43
Deus tantum per miniſterium uerbi eſt efficax 639.41
Deus uerbo externo tanquam inſtrumento utitur 709.23
Deus requirit externam diſciplinam & uiolationem punit 437.39
Deus ſemper ſuſtentat res creatas 423.41
Deus quare ſuos caſtiget 743.19
Deus cur tempora diſtinxerit 550.12
Deus ſic agnoſcendus ſicut ſe patefecit in filio 405.12
Deus ad nullam rem alligandus ad quam ſe uerbo non alligauit 678.27
Deus colligit Eccleſiam per miniſterium Euangelij 458.10
Deus quomodo in conuerſis habitet 447.40
Deus non approbat peccatum reliquum in ſanctis & quale illud ſit 451.6
Deus etiam præmia addit bonis operibus 457.29

Deus reliquias peccati deleri uult morte corporis 445.32
Deus non eſt cauſa peccati 256.12
Deus caput Chriſti 254.14
Deus Maozim 249.35
Deus colligit ſibi Eccleſiam ex turpiſsima mundi colluuie 224.32

Deus punit etiam per angelos bonos 243.7
Deus ſemper addidit promiſsioni Sacramenta 248. 38
Deus poſtulat obedientiam in cruce 114.2
Deus in Eccleſia exaudit 533.11
Deus cur legem repetiuerit 49.17
Deus damnauit peccatum 139.31
Deus nunquam uult peccatum 130.25
Deus quomodo uelit coli 60.6
Deus cauſa efficiens Iuſtificationis 266.17
Deus cur affligat 261.31
Deus pariter efficax eſt per miniſterium docentium 218.17
Deus uult nos & de ira & gratia certos eſſe 196. 25
Deus præcipit politica officia 183.34
Deus ipſe excutor ſui ordinis 184.43
Deus ſolus eſt bonus 82.23
Deus nihil nobis debet 24.29
Deus habitat in afflictis 312.6
Deus non diſceſsit à ſuo opificio 572.19
Deus quomodo agnoſcendus 574.26
Θεοσυγὲς 65.20
Deo licet uti creaturis pro arbitrio 24.27
Deo iurani eſt credendum 28.42

De uoluntate Dei iudicandum iuxta uerbum 375 42.198.43.217.37.433.17
De uſu legis 371.3
De uitandis corruptelis doctrinæ 342.12

Diabolus author impiarum opinionum & traditionum 406.36
Diabolus hoſtis caſtitatis 388.25

Diaboli insidiæ impellentis homines ad inanes disputationes 174.4
Diaboli urgent mœstos 316.31
Diablorum prædictiones 293.3
Διακονίαι 263.37
Διακρισις πνευματῶν 264.27
Dic Ecclesiæ 289.31
Dicentes in publico seruiant utilitati auditorum 280.38
Dictum ad Ephesios: Ipse est caput omnia perficiens 339.10
Dictum Esaiæ: Notícia serui &c. 456.41
Dictum Christi: Non dico quod placaturus sim pro uobis, non excludit intercessionem Christi 334.10
Dictum Esaiæ Gratis uenundati estis &c 576.43
Dictum Zachariæ de effusione Spiritus sancti 569.26
Dictum omnis creatura bona pertinet ad sobriam philosophiam 343.20
Dictum filius qui est in cœlo 358.17
Dictum præcipiens labores docendi & discendi 414.22
Dictum symboli, Ascendit in cœlos, de corporali & physica locatione 358.8
Dictum Oseæ cap. 13. 300.12
Dictum Sedet ad dextram patris &c. 358.32
Dicti Christi, si uis perfectus esse enarratio duplex 331.5
Dicta de omnipotentia filij sunt testimonium diuinitatis eius 336.9
Dicta scripturæ testantia λόγον esse ἐνυπάρκτον 597.22
Dicta de confessione nostræ infirmitatis 74.32
Dicta de laudibus operum semper sunt synechdoche 105.3
Δίκη 300.45
Differentia concupiscentiæ quæ est in renatis & concupiscentiæ quæ est in non renatis 702.47
Differentia Fidei & Spei 47.10.151.32
Differunt Deus est ubiq; & habitat in Ecclesia 142.44
Differunt exercitia corporis nostro iudicio sumta à pietate 355.39
Differunt in Ecclesia potestas ordinis, & potestas Iurisdictionis 460.37
Differunt esse sine peccato & esse sine Crimine 395.37
Differunt iudicia Ecclesiastica & politica 461.14

Difficile est uetustos abusus tollere 750.30
Diffidentia 271.1
Digami antiquitus 396.37
Digne quis manducet 257.1
Dignitas ministerij in causa efficiente & finali conspicitur 419.1
Dignitas Euangelij 4.32
Dignitas Sacramentorum non à dignitate ministrorum 506.6
Dilatio pœnarum confirmat impietatem 70.9
Dilectionis definitio 369.12.549.43
Dilectio Dei quid 639.10
Dilectio & pax opponuntur Contentiosis 434.33
Dilectio uinculum perfectionis 330.15
Dilectio legis impletio 489.6
Dilectio comprehendit opera omnium præceptorum Decalogi. 369.7
Dilectio necessaria est 265.44
Dilectio quas uirtutes complectatur 387.13
Dilectio est impletio legis de Idea loquendo 189.21.
Dilectio Dei & proximi una uirtus 278.13
Dilectio non inflatur 268.25
Dilectio maxima uirtus 279.11
Dilectio fidei effectus 267.4
Dilectio est æterna 271.37
Dilectionem singulos habere oportet 280.17
Diligentia quid 236.30
Diligentiæ opposita 236.39
Disputatio Iob 314.35
Disputatio de uocabulis ubi & ero 300.16
Disputationes non necessariæ 221.46
Disciplina quid sit 372.34
Disciplina quare necessaria 77.30
Disciplina non meretur remissionem peccatorum 372.37.544.36
Disciplina præstanda propter 4. 372.9
Disciplinæ laus 523.8
Discerni oportet causam, id est, Deum effectorem & effectus in nobis 448.31
Discerni oportet necessaria & non necessaria 411.33
Discrimen uirium in homine & earum confusio 61.32
Discrimen cultuum Leuiticorum & interiorum 55.41
Discrimen inuocationis Christianæ & Ethnicæ 169.9.555.36.334.21
Discrimen inter patientiam philosophicam & Christianam 114.40
Discrimen promissionum 176.6.310.19
Discrimen inter Ioseph & Scipionem 145.24
Discrimen persecutorum 375.27
Discrimenn lapsus Diabolici & primorum parentum 244.45
Discrimen Iusticiæ Euangelij & rerum politicarum semper sit in conspectu 361.2
Discrimen inter Ecclesiam & humanas politias 531.16
Discrimen inter Sacramentum et sacrificium 513.15

Discrimen legis & Euangelij 564.27.589.41
Discrimen inter bonos & fanaticos spiritus 292.39.
Discrimen inuocationis ueræ & falsæ 574.3
Discrimen peccatorum in renatis 562.32

Discrimen inter notitiam legis & promissionum gratiæ 573.11
Discrimen Legis & Euangelij Deus subinde renouat in Ecclesia 306.29
Discrimen potestatis politicæ & Ecclesiasticæ 316.15
Discrimen regni Christi in hac & altera uita 580.29

Discrimina peccatorum necessaria sunt 450.20
Discrimina sunt inter errata ignorantiæ & delicta contra conscientiam 376.16
θρησκεία 352.15
Dissentio de Deo parit discordiam inter coniuges 231.16
Dissensio rationis & Euangelij de disciplina 438.15
Dissentio piorum cum mundo 3.11
Dissimilitudo inter Scipionem & Ioseph 617.17
Dissimilitudo philosophiæ & Euangelij 415.18
Distractio externæ disciplinæ & interioris Iusticiæ 141.44
Distributio capitis posterioris ad Corinthios 305. 37.
Diuersa significata uocabulorum Iustitiæ & Iustificationis 441.19
Diuinitas quomodo habitet in credentibus 592.
Diuinitas habitat in nobis 319.13 (42
Diuortia in quibus casibus concedantur 230.10
Diuortia Romana 230.22
Δωρέμας 157.36.265.7
Docentes uictum habeant ex collatione Ecclesiæ
Docentium gradus 264.44 (430.18
Docere 281.45
Doctores 265.3
Doctores iudicent 292.5
Doctores atq; discipuli sunt debitores 56.29
Doctrina 209.3
Doctrina de iustitia fidei post Apostolorum tempora cito obscurata 568.24
Doctrina Ecclesiæ propria 558.1.596.27.606.29
Doctrina quas res tradat 415.37
Doctrina de contritione quæ est necessaria 309.23
Doctrina est ipsa Cetechesis 415.42
Doctrina de bonis operibus 381.2
Doctrina de pœnitentia & consolatio in inuocatione cogitanda 555.32
Doctrina & ritus traditi à Christo recipiendi 252 40.
Doctrina de imputatione languefacit curam bene operandi 125.9
Doctrina de fide applicante promissionem 628.2
Doctrina de Iustificatione hominis statim initio patefacta Ecclesiæ 53.41
Doctrina de donatione Spiritus sancti 146.15
Doctrina de cruce 307.39
Doctrina de consumatione beneficij Christi 118.7
Doctrina de sacerdotio Christi 156.11
Doctrina Christiana circa quem locũ uersetur 4.2
Dogmatum conciliationes 219.34
Dolorum & consolationum lucta 152.38
Dominatio Christi in natura non est otiosa sed efficax 337.26
Dona in alijs alia 263.33.280.21
Donatio Electoris Saxoniæ Iohannis 206.23
Donatistarum error. 712.37
Donum interpretationis ad pios pertinet 735.25
Donum linguarum cessabit 272.16
Donum interpretationis non ad certam personam aut locum alligatum 735.1
Donum per gratiam quid 13.11
Duæ naturæ in filio Dei 614.1.54.22
Duæ sunt tentationes præcipuæ, de dignitate & particularitate 332.10
Duæ quæstiones de electione 160.9
Duæ quæstiones 185.26
Duæ differentiæ promissionum legalium & Euangelij 565.17
Duæ uirtutes in gubernatione 180.13
Dubitatio papistarum 196.11
Dubitatio de Dei uoluntate est impia 488.43
Dubitatio fide uincenda 155.8
Dubitationi repugnandum 196.41
Dubitanti promissio est inanis sonitus 428.22
Duo argumenta quæ imppellunt ad dubitandum 154.37
Duo artificia quibus hypocritæ decipiunt 207.21
Duo de sacerdotio Christi consideranda 156.26
Duo fines Sacramentorum præcipui 248.36
Duo cœtus in Ecclesia 669.3
Duo genera hostium Ecclesiæ 587.4
Duo genera promissionum 412.3
Duo motus in conuersione 87.20
Duo munera Ecclesiasticorum gubernatorum 679.30
Duo usus legis aduersus non renatos 372.7
Duplex descriptio facultatum Necessaria & non necessaria 331 24
Duplex in Ecclesia disciplina Spectanda 725.39
Duplex est petitio officij 394.6
Duplex destructio in quolibet peccato 227.39
Duplex lumen insitum mentibus humanis 63.6

E.

EAdem causa erroris omnibus qui corruperunt sententiam Pauli 43.2
Eadem semper fuit uox Euangelij 60.28
Eadem uox Prophetarum & Apostolorum de Iustificatione 617.35
Ebrietas impedit intentionem cogitationis de Deo 356.40
Ecclesia quæ & ubi 526.3
Ecclesiæ descriptio 458.18.705.16
Ecclesiæ descriptio ex Isaia 635.38
Ecclesia uisibilis 359.1.557.43
Ecclesia congregatio multorum 365.23
Ecclesia semper est mansura 458.22
Ecclesia in quo cætu sit 459.17
Ecclesia uera qualis sit in hac uita 459.33

Ecclesia in hac uita est subiecta cruci & sanctis sunt admixti multi non sancti 460.24
Ecclesia & subiecta est cruci et habet promissiones uitæ præsentis 412.13
Ecclesiæ desertores 503.10
Ecclesia sonet suum nomen 503.27
Ecclesiæ in hac uita uera descriptio 398.40
Ecclesiæ doctrina 529.21
Ecclesia ubi sit 218.29
Ecclesia alligata est ad libros certos 414.37
Ecclesia semper Deo curæ est 637.5
Ecclesiæ uocationem à Deo approbari ingens beneficium 420.19

Ecclesia est cœtus dispersus 399.1
Ecclesiam sæpe oppresserunt regna Idolatrica 399.6
Ecclesia ubi quærenda 306. 6
Ecclesia quomodo dicatur iusta 637.32
Ecclesia non est alligata ad maiorem numerum, aut titulos, aut successionem 404.4
Ecclesia quare præ cæteris castigetur 743.28
Ecclesiæ signa 580.1
Ecclesia alligata ad uerbum 500.34
Ecclesia propagatrix uocis acceptæ à Deo 81.46
Ecclesia similis omnibus temporibus. 239.5
Ecclesiæ membra 530.39
Ecclesia non est Cyclopum exercitus 207.21
Ecclesia sancta Catholica 499.32
Ecclesiæ reditus olim distributi in quatuor partes 206.36
Ecclesiæ titulum usurpant diuersi populi 158.24
Ecclesiæ nomine mouentur homines 158.17
Ecclesiæ multi mali admixti sunt 774.40
Ecclesia alligata ad doctrinam Euangelij 600.26
Ecclesia non est alligata ad imperia pontificum 795. 24
Ecclesia est doctrix 793.22
Ecclesiæ ueræ fundamentum 580.15
Ecclesia sponsa 561.25
Ecclesia uno modo Deū semper inuocauit 533.20
Ecclesiæ uniuersalis consensus à particularium Ecclesiarum & synodorum autoritate discernendus 711.26.
Ecclesia uoce Euangelij colligitur 601.6
Ecclesiæ doctrina quomodo differat ab aliarum gentium doctrinis 559.3
Ecclesia uere retinens fundamentum est columna ueritatis 401.43.500.20.710.21
Ecclesiæ unitas 500.41
Ecclesia patria omnium sanctorum 558.28
Ecclesia quibus notis cognoscatur 501.39
Ecclesiæ lapsus 500.13
Ecclesiæ authoritas 500.7.
Ecclesia in hac uita sub cruce expectans integram nouitatem 347.33
Ecclesia quæ incorrupte sonat Euangelium diligitur exauditur & seruatur à Deo. 782.6.
Ecclesia etsi sit templum Dei tamen tantum placet propter filium 442.38
Effectus reconciliationis 111.33
Effectus Legis 134.30
Efficacia ministerij descripta in dicto Pauli; Euangelium est potentia Dei 57.27
Efficacia diuina coniuncta cum nostra fidelitate 317.37
Efficimur similes imaginis 174.43
Electi possunt labi 157.21.243.39
Electi etiam uocantur uoce Euangelij 434.3
Electi quærendi in cætu uocatorum 154.22
Electis in hac uita manent admixti hypocritæ & non electi 399.23.
Eligere misericordiæ 24.3
Elusio dicti Paulini detrahentis iusticiam operibus legis 76.28
Emanuel. 447.7
Emphasis uerbi Relatiui 58.34
Enarratio dicti Esaiæ cap.25. 299.26
Enarratio dicti: Eum qui non nouit peccatum &c. 307.45
Enarratio dicti: Quod non ex fide est, peccatum est 196.3
Enarratio dicti; Nemo scit an odio uel amore dignus sit 197.2
Enarratio dicti: Attende lectioni 208.45
Enarratio uocabulorum psalmi 31. 104. 19
Enarratio dicti; Qui in his seruit Christo placet Deo 198.9
Ἐνδελέχεια quid 504. 33
Ἐνεργήματα 263.40
Enthusiastæ 209.27
Enthusiasmi aut sunt simulati aut sunt illusiones Diabolicæ 345.17
Enthusiastarum & Anabaptistarum error 549.25
Enumeratio peccatorum nusquam præcepta 516. 44.
Epicuri argumentum contra prouidentiam 150.12
ἐπιείκεια 270.31
ἐπιείκεια necessaria gubernatori 236.10
Epiphanius 793. 3.814.41
Epiphanius de Origene 18.4
Epiphanius de intellectu scripturæ 621.42
Epiphanius quid nominet θεωρίαν 815.18
ἐπιχαιρεκακία 270.6
Episcopus sit pastor seu doctor 333.12
Episcopi & alij doctores 368.20
Episcopi non habent potestatem constituendi cultus 461.7
Episcopi non habent potestatem condendi traditiones cum opinione necessitatis 186.13
Episcopi sint contenti stipendijs suis 673.42
Episcopatus bonum opus 505.29
Epistola ad Romanos ad quod genus causæ pertinet. 4.7
Epistola ad Romanos quid doceat 36.35
Epistola Gregorij de synodis 404.29
ἑρμηνεία γλωσσῶν 264.39
Error pharisæorum pelagianorum & aliorum de lege 49.26
Error Stenckfeldij 203.36
Error Stenckfeldij abducens homines à uerbo execrandus 592.4
Error de tribus legibus 565.36
Error quorundam de uocabulo carnis & Spiritus 141.29
Error Iudæorum de Messia 306.6

Errores Manichæorum qui iubent dubitare 546 45.
Errores de disciplina 133.16
Errores eorum qui putant opera nostra mereri remissionem peccatorum 540.7
Errores eorum qui oppugnant doctrinam de fide 638. 14
Errores Monachorum de Iustificatione 378.24

Errores in doctrina pœnitentiæ cur taxandi 528.24
Errores catharorum explodendi 244.3
Errores Monachorum 560.1

Eruditi offendebant imbecilliores. 234.37.
Esaias damnat assentitaones. 208.9.
Esaias de redemtore Christo. 560.10.
Esauita Viennensis. 620.40.
Esse sub gratia. 130.1.
Esse sub lege. 16.2.36.
Essentia diuinitatis conspicietur immediate in uita æterna. 201.12.
Esus agni paschalis. 223.13.
Est aliqua uera Ecclesia & est uisibilis. 435.20.
ἐθελοθρησκία. 353.25.
Ethnici aberrantes à uero Deo sibi fingunt idola. 569.39.
Etiam conuersi sentiunt pœnas in hac uita. 373.
Etiam in uera Ecclesia sunt multi infirmi. 401.17.
Euangelium ministerium Spiritus. 321.31.601.22.
Euangelium non est sapientia humana sed reuelatum diuinitus. 332.40.
Euangelium ministerium uitæ. 472.6.
Euangelium non doctrina legis. 318.37.
Euangelium non abolet œconomias & politias. 422.3.
Euangelium cur semper duret. 493.18.
Euangelium quid doceat. 3.15.
Euangelium non dissipat politias. 15.15.231.30.
Euangelium quare dicatur nouum testamentum. 491.3.
Euangelij uox ubiq; docet remissionem peccatorum accipi gratis propter Mediatorem. 78.14.
Euangelium prædicat pœnitentiam. 5.13.
Euangelium non prohibet uindictam legitimam. 30.35.
Euangelium prohibet dubitationem. 138.28.
Euangelium unum. 472.33.
Euangelium potentius lege. 57.20.
εὐδοκεῖν. 69.13.239.45.
Euersio articulorum fidei excutit Spiritum sanctum. 129.24.
εὐλογίαι. 208.16.
εὐλογίαι pontificiorum. 208.19.
Eusebius de intercessore Christo. 607.22.
Eutyches fecit naturarum confusionem in Christo 614.31.
Eum qui non nouit peccatum fecit peccatum. 140.30.
Ex abstractiua fiet intuitiua notitia. 272.39.
Exæquatio gentium & Iudæorum. 173.7.
Excellens ornamentum in homine Sermo sale conditus. 364.8.
Exclusiua gratis quid sit monachis. 94.17.
Exclusiua gratis quare retineatur. 89.17.
Excommunicatio mos Leuitarum. 222.2.
Executio in Ecclesia. 291.33.
Exempla apostatarum. 429.19.
Exemplum Rahel. 250.40.
Exempla inanis ostentationis. 268.40.
Exemplum lapsus & restitutionis Adam. 40.21.
Exemplum benefici hominis erga ministerium & testimonia de beneficentia. 429.35.
Exempla eorum qui benefecerunt docentibus. 205 19.
Exercitia piorum. 522.35.
Exercitiorum finis. 28.
Exordij epistolæ ad Romanos dispositio. 55.29.
Explicatio dicti Esaiæ Gaudens gaudebo in domino. 308.27.
Explicatio phrasis: prouidentiam carnis ne facite. 190.18.
Explicatio dicti. Si quis diligit me &c. 97.29.
Explicatio dicti: Retecta facie gloriam Dei intuentes &c. 127.22.
Explicatio dicti Esaiæ. 10. 163.41.
Explicatio phrasis: Carent gloria Dei. 86.6.
Explicatio dicti: In silentio & spe &c. 115.31.
Explicatio dicti lere: Peruersum est cor &c. 121.10.
Explicatio dicti: Sensus carnis inimicitia est &c.
Externa signa Ecclesiæ. 399.27.(120.40.
Externa species ministrorum & auditorum in Ecclesia similis Aristocratiæ. 400.16.

F.

FAciens & consentiens eadem pœna digni. 5.
Falsa legis distinctio. 472.26. (34.
Falsa est imaginatio hominem fide præparari, sed dilectione iustificari. 370.32.
Falsæ opiniones de Ecclesia 298.29
Falsa interpretatio est: Oportere Episcopum esse sine peccato. 395.29.
Falsa imaginatio iusticiam esse commixtionem Christi cum anima uel corpore. 379.30.
Fides quid 9.33.26.19.41.6.51.29.102.32.115.25.151.14
Fides quid sit Paulo. 91.24.108.36.
Fides exprimitur in uocabulo uiuificationis. 347.
Fides & spes uicini motus. 115.22.(40.
Fides discriminat pœnitentiam piorum & impiorum. 517.42.
Fides ἔλεγχος. 288.38.
Fides est fiducia misericordiæ .490.1.102.40
Fides expectans liberationem corporalem 483.24.
Fides non simulata quid sit. 370.1.
Fides & dubitatio pugnant. 110.13.
Fides quid complectatur. 9.35.
Fides apud Paulum non est tantum notitia. 46.38. 378.1.
Fides est assensio. 274.28.
Fides tripliciter stabilit legem. 96.36.
Fides complectitur omnes articulos fidei. 274.38.
Fides & spes prælucent cæteris uirtutibus. 277.19
Fides formata. 43.9.
Fides dæmonum mutilata. 102.25.
Fides proprie. 274.33.
Fides in diabolis. 596.41.
Fides ex auditu Euangelij. 377.10.
Fides Abrahæ & Gedeonis similes, etsi negotia externa differunt. 60.10
Fides generalis non erigit mentem. 543.30.
Fides & propositum delinquendi non sunt simul 634.16.
Fides secunda pars pœnitentiæ. 546.34
Fides nititur uoce diuina. 793.13.
Fides uiua quid. 704.5.
Fides nitatur obedientia & intercessione Mediatoris. 809.47.
Fides nititur diuino testimonio non authoritate iudicum 403.29 Fides

Fides in petitione Corporalium debet prælucere 176.30.
Fides Abrahæ & omnium ſanctorum eadem. 101. 31.
Fides motus diuinus. 94. 11.
Fides applicat nobis Chriſtum mediatorem. 545. 29.
Fides debet lucere in uſu rerum corporalium. 411. 19.
Fides & Spes cur ſint uirtutes. 275. 18.
Fides & Spes cognati affectus. 12. 6.
Fides pro dono miraculorum. 266. 32.
Fides prophetarum non nitebatur ipſorum donis ſed miſericordia Dei. 457. 35.
Fides intuens mediatorem eſt fiducia miſericordiæ. 457. 21.
Fides facit diſcrimen inter Dauid & Saulē. 442. 33.
Fides antecedit dilectioni. 426. 8.
Fidei cauſa efficiens. 12. 7.
Fidei effectus. 11. 40.
Fidei obiecta. 101. 16.
Fidei certitudo unde petatur. 196. 30.
Fidei uocabulum quid ſignificet proprie & ueriſſimè in doctrina de Iuſtificatione. 51. 21.
Fidei natura credere contra ſpem in ſpem. 110. 4.
Fidem cuſtodire. 637. 20.
Fidem ad contritionem accedere neceſſe eſt. 528. 3. 540. 38.
Fide uiua & efficaci propter Chriſtum iuſtificatur peccator. 704. 3.

Fide accipitur, id eſt, applicatur iuſticia. 48. 17.
Fide iuſtificamur correlatiue intelligatur. 103. 26.
Fide ſua & propria quiſq; iuſtus eſt. 841. 26.
Fide iuſtificari monachis quid ſit. 94. 3.
Fide renouamur. 479. 14.
Fidem & bonam conſcientiam in conuerſis eſſe oportet. 369. 21.
Fidelitas quid complectatur. 394. 37. 420. 42.
Figura mundi, id eſt, geſtus. 234. 4.
Figuræ uerborum à triumpho ſumtæ. 328. 25.
Filius Dei quare nominetur λόγος. 589. 28. 597. 11. 326. 37.
Filius Dei quare nos redemerit. 599. 45.
Filius imago æterni patris. 575. 21.
Filius cur dicatur imago patris. 326. 33. 336. 12.
Filius Dei potens quid ſignificet. 54. 40.
Filius Dei ſemper adeſt Eccleſiæ. 239. 31.
Filius Dei ueſtit nos dupliciter. 190. 33.
Filius Dei uictor eſt ſine auxilio ullius creaturæ. 349. 18.
Filius eſt cauſa finalis creationis & quomodo 338. 16.
Filij Dei appellationes. 587. 36.
Fines omnium actionum duo. 252. 17.
Finis Legis. 77. 8.
Finis hominis. 517. 6.
Fit & in nobis mutatio. 117. 22.
Fit mentio filij cum patre propter omnipotentiam filij & interceſſionem. 334. 8.
Forenſia quædam ordinantur à Paulo. 419. 31.
Forma ſanorum uerborum quid ſignificet. 429. 4.
Forma iudiciorum in Eccleſia. 289. 40.
Formale peccati. 468. 5.
Formula regenerationis. 175. 27.
Formula precationis diſcernens inuocationem Chriſtianam ab Ethnica. 405. 23.
Franciſcus Colonienſis. 467. 43.
Frangitur, id eſt, laceratur, diſtribuitur. 257. 25.
Furores hominum qui non reguntur à Spiritu ſancto. 262. 30.
Fundamentum eſt norma diſcernens utiles quæſtiones ab inutilibus. 423. 2.
Fundameutum eſt retinendum. 218. 25.
Fundamentum à ſtipulis diſcernendum. 197. 19.

G.

GAngræna. 431. 40.
Genera afflictionum. 261. 23.
Genera concionum. 281. 14.
Genus doctrinæ. 288. 16.
Genus humanum cur conditum & redemtum. 629. 4.
Gentes quare ſint receptæ. 27. 31.
Gentes habent legem in cordibus ſcriptam. 6. 2.
Gentes cur ignorarunt Euangelium. 162. 20.
Gerſon. 511. 36.
Geſtus mundi quid. 179. 34.
Geſtus humilitatis uſitati impoſtoribus. 352. 1.
Gloria phraſi Hebraica. 326. 28.
Gloria filij Dei conſpicietur in poſtremo iudicio. 359. 16.
Gloria Eccleſiæ nondum Conſpicitur in hac uita. 357. 42.
Gloria uiuentis perſonæ. 201. 36.
Gloria impletæ legis in muliere peccatrice. 498. 12.
Glorificare Deum quid ſit. 63. 23. 110. 23.
Gloriari ſpe gloriæ Dei. 112. 34.
Gloriatio in Deo. 93. 14.
Gradus conſolationum. 282. 26.
Gradus libertatis Chriſtianæ. 494. 12.
Gradus abuſuum Cænæ Domini. 258. 43.
Græca lectio. 299. 30.
Græcæ cantilenæ in Eccleſia Vuirtzburgenſi. 286. 44.
Gratia quid. 90. 7. 333. 35.
Gratia unde. 13. 7.
Gratia amittitur quando uiolatur lex Dei contra conſcientiam. 664. 36.
Gratia ſuperat peccatum dupliciter. 123. 34.
Gratia uictrix. 124. 7.
Gratia apud Paulum quid ſignificet. 50. 24.
Gratia & ueritas. 455. 41.
Gratias agere quid ſit. 63. 42. 312. 41.
Gratia potentior peccato. 124. 25.
Gratiæ uocabulo & Salis in ſermone quid Paulus intelligat. 364. 25.
Gratiæ nomen quid ſignificet. 13. 10.
Gratiæ uſitata ſignificatio. 55. 5.
Gratiæ uocabulum eſt relatiuum. 138. 10.
Gratiæ effectus. 13. 15.
Gratiam & donum Paulus couiungit. 122. 40.
Gratiam regnare per Iuſticiam quid. 124. 39.

Gratis redemti 136.31
Gratis uenundati estis 131.17
Gratis iustificari est sola fide iustificari 89.37
Gratis excludit nostra non Christi merita 87.43
Gratuita reconciliatio opponenda tentationi de indignitate 173.17
Gregorij Episcopi Alexandrini crudelitas 269.9
Gubernantia carnalem naturam 137.38
Gubernantia interiorem hominem 137.36

H.

HAbere accessum ad Deum 112.32
Habere filium 81.10.97.18
Habere pacem erga Deum 112.8
Habere uerbum in corde 25.38
Hæretici & præstigiatores legunt libros propheticos sine sapientia 361.42
Heraclitus 477.36
Henricus Sutphaniensis interfectus 205.44
Hieronymus 231.1
Hilarius 811.35
Historia Exod. 43. de Moysi facie 320.9
Historia Ecclesiæ antiquissima 287.39
Homo conditus sine peccato cum certis donis 435.39
Homo sine fide aut est Epicureus aut Academicus 110.42
Homo cur dicatur imago Dei 436.3
Homo etiam post conuersionem sola fide iustus 610.15
Homo non est iustus propter externam disciplinam 802.15
Homo interior 137.29
Homo uetus & nouus idem est 127.37
Homines facile decipiuntur simulatione humilitatis 351.41
Homines proprio iudicio conscientiæ intelligunt se dignos morte æterna 68.25
Homines gratis propter mediatorem habent remissionem peccatorum 103.26

Homines de titulo Ecclesiæ semper contenderunt 501.30
Homines non consequuntur remissionem peccatorum dubitante conscientia 485.32
Homines natura non sunt iusti 5.9

Hominum natura semper habet aliquid infirmitatis 790.3
Honor habendus corpori 356.18.421.22
Honor Dei proprius 486.41
Honos ergo magistratus 187.1
Honos quas res complectatur 356.22
Honos quas res homini & humano corpori tribuat 356.26
Hostes ueræ Ecclesiæ Dei sunt qui scientes manifesto sermoni diuino aduersantur 816.4
Hostes Euangelij non possunt esse iudices de doctrina 291.40
Hospitalis 397.12
Hostia pro peccato, peccatum, maledictum, κάθαρμα, piaculum, idem significant 139.42
Hugo 467.35
Humana diffidentia 297.39
Humana ratio quid iudicare possit 25.9
Humana mens in iudicio Dei sine uerbo Dei consistere non potest 34.36
Humanæ interpretationes de Sacramentis 106.1
Humanæ sapientiæ exempla 219.29
Huttenus 237.33
Hyems 468.26
Hypocritæ 303.3

I.

IAcob & Esau cur non pariter eligantur 162.39
Iacobi inuocatio 533.28
Iactare afflatus Enthusiasmos est peculiare genus præstigiarum 352.6
ἰδιοβουλεύοντες 180.41
ἰκθικὸν 471.27
Idolomania Episcoporum huius temporis 531.30
Idola multi defendunt ut hominum fauore crescant 208.6
Ieiunia Iosaphat & regis Niniue 511.9
Ignatij dictum de coniugio 228.36
Ignis Chaldæorum 568.14
Imago Dei in homine 575.3
Imago Dei secundum Augustinum 360.27
Imaginatio de regno politico ab Ecclesia remouenda est 399.30
Immediata uocatio 391.6
Immediata uocatio habet testimonia diuina 391.18
Immodestiæ maior deformitas in muliere 390.1
Imaginatio Pelagij papistarum &c. 181.12
Impedimenta inuocationis 534.33
Imperia sunt templa Dei 777.35
Imperfectio abijceretur 273.15
Impia dogmata late uagantur ut Gangrenæ 431.44
Impij non uidebunt diuinitatem 147.10
Impositio manuum & collatio libri supra caput ritus ordinationis ueteris 393.38
Imposturæ circa externos gestus facilius intelliguntur 344.16
Impij gerentes titulum Ecclesiæ non sunt Ecclesia 401.4
Impietas humani cordis depicta à Moyse 166.20
Imputatio est remissio peccatorum 104.9

Imputatione Iusticiæ discernit Paulus iusticiam fidei ab impletione legis 80.35
Imputatio est gratuita 103.41
Imputata Iusticia sumus iusti 279.30
Imputare Iusticiam 103.35
In articulo fidei. Credo remissionem peccatorum quisq; statuat etiam sibi remitti peccata 457.40
Incarnatio filij Dei 571.33

In cœtu uocatorum ſemper ſunt aliqui electi 399.17
Incoata obedientia placet 145.45.175.7
Incommoda Eccleſiæ Corinthiorum 262.3
Incommoda quæ parit error de ceremonijs 191.43
In conuerſione Adæ quid fiat 117.2
In corde cogitante doctrinam habitat Deus ipſe 329.21
Inculpati 340.14
In credentibus ſunt initia uitæ æternæ ſed tecta 559.9
In Eccleſia debet extare certum & perſpicuum genus doctrinæ 803.11
In Eccleſia poſſunt condi ritus ordinis cauſa ſine opinione cultus & neceſſitatis 354.39
In & poſt conuerſionem perſona iuſta eſt fide propter filium 44.37
Infantes non habent actualia delicta 122.18
Infirmitas in renatis 470.26
Infirmus in fide adiuuandus 34.3
In fundamento nulla eſt ambiguitas 405.10
Inimicitia aduerſus Deum ſua natura peccatum 656.7
Initium ſuperbiæ mendacium ſequitur ſecuritas & audacia 351.5
Initia amentiæ quæ ſint de qua Paulus loquitur 422.37
In inuocatione cogitandum de filio Dei ut de datore bonorum & Mediatore 353.1
In iudicijs Eccleſiaſticis nemo debet obligari ad obedientiam ante ſententiam 403.42
In mentione creationis intelligenda eſt conſeruatio rerum 338.7
In moribus conſideranda eſt lex naturæ 253.19
In Moyſen baptizati 239.19
In Deo non ſunt contradictoriæ uoluntates 160. 29
In Deo patre & filio ſunt amor & lætitia 240.5
In deprauata natura manet aliqua notitia Legis & pars libertatis 437.26
Indignatio Pauli 315.32
In doctrina Eccleſiæ ordimur à dilectione 281. 36
In docendo quæ peſtes fugiendæ ſint 423.12
In non neceſſarijs moderatio ſeruanda eſt 234.45
In omnibus qui conuertuntur neceſſe eſt dolores eſſe 546.24
In omni genere uitæ ſtatuendum an id Deo placeat 414.31
In quibus tentemus Deum 242.30
In renatis manent reliquiæ peccati 440.37
Inſidiari 268.6
In ſola Eccleſia lex manſit integra 99.34
In ſola Eccleſia Dei donatur hominibus remiſsio peccatorum 435.26
Intelligentes & cognoſcunt & ignoſcunt 202.5
Intemperantia accerſit priuatas & publicas calamitates 389.29
Interceſsio 156.41
Interpretatio toti cœtui prodeſt 285.26
Inter confuſiones tamen manebit Eccleſia 407. 29
Inter pœnas corporales libidinum ſunt cæcitas & indolentia 388.16
Interior obedientia in renatis 570.5
In uera humilitate quæ concurrant 351.16
In uera conſolatione fit regeneratio per Spiritum ſanctum 454.38.444.14
In ueris pauoribus non eriguntur mentes niſi agnitione filij 383.10
Inuiſibilia Dei 62.33
Inuocatio Dei 588.1
Inuocatio qualis debeat eſſe 556.27
Inuocatio omnipotentiam teſtatur 830.11
Inuocatio ſanctorum abuſus manifeſtiſsimus 678 10
Inuocatio Eccleſiæ diſcernenda eſt ab Ethnica 381.10
Inuocatio in dubitatione 470.40
Inuocatio propria Eccleſiæ 532.37
Inuocatio teſtimonium eſt quod Chriſtus ſit Deus 335.44
Inuocatio uera quomodo fiat 589.37
In uocabulo iuſtitiæ eſt relatio acceptationis 105. 30
Ioab inquietus 271.14
Iohannis oſtendit modum tributorum 187.19
Iohannes Cræſus affectus ſupplicio 205.46
Ionatæ patientia 271.33
Iouis ſtatua in Creta 166.42
Irenæi dictum 710.37
ἰὼ πόλεμον οὐ ποιῶ 23.36
Itinera Pauli 366.20
κήτημα 224.8
Iubilæus in Eccleſia celebrabitur 553.29
Iudaica politia conſtituta & conſeruata propter Eccleſiam 73.39
Iudæi ſunt populus Dei propter promiſsionem 73.19
Iudæi multis modis antecelluerunt gentibus 4.1
Iudæi quomodo ſint abiecti 22.45
Iudæi quid ſenſerint de Abrahamo 9.17

Iudæorum argumentatio contra apoſtolos 158.4
Iudæorum caſus per ſe non profuit 28.12
Iudæos refutare facile eſt 408.36
Iudæi qua in re non antecelluerunt gentibus 74. 10.
Iudicium Dei ſecundum ueritatem 69.39
Iudicium penes Eccleſiam 291.19
Iudicia in Eccleſia 620.31
Iudicia humana ante & in gubernatione 421. 37.
Iudicia politica & dogmatum in Eccleſia diſſimilia 622.20
Iudicia Eccleſiæ etiamſi non finiunt controuerſias tamen ſunt confeſſio de ueritate 404.40
Iulianus 219.22
Iuramentum eſt copulatiuum 175.22
Ius Sacerdotij 514.11
Ius uocandi & ordinandi miniſtros 505.21
Iuſte diſceditur ab ijs qui defendunt falſam doctrinam 755.23

Iustificare hebraica phrasi 377.26
Iustificari quid sit 87.8.93.38.370.21.428.14
Iustificari fide 112.6
Iustificatio soli fidei tribuenda 485.39
Iustificatio relatiue intelligenda 484.6
Iustificati fide liberati à condemnatione Legis 130.44
Iustificamur fide gratis, & hanc necessario sequitur noua obedientia 386.17
Iustitia 67.40
Iustitia duplex 3.2
Iustificati, id est, reconciliati 118.20
Iustitia politica 3.2
Iustitia Christiana 524.22
Iustitia legis in doctrina legis significat uirtutes in nobis 50.37.165.43.168.9
Iustitia coram Deo 8.17
Iustitia in philosophia quid 485.43
Iustitia fidei nota fuit patribus 84.40
Iustitia est æqualitas erga æquales 420.1
Iustitia intelligitur de toto beneficio Christi 197
Iustitia legis in renatis incoata 474.37(57
Iustitia incoata 618.39
Iustitia particularis 29.12
Iustitia legis in nobis 481.14
Iustitia fidei subinde obscurata 314.5
Iustitia non tantum est acceptatio uerum etiam conuersio 653.9
Iustitia more legis loquendo 443.4
Iustitia fidei quomodo accipiatur 3.23
Iustitia Euangelij 3.14.58.28.66.11.377.37
Iustitia Dei quid 4.10.86.25.91.43
Iustitia carnalis necessaria 523.41
Iustitia fidei ignota mundo 3.32
Iustitia uniuersalis 79.3
Iustitia originalis 665.16
Iustitia Dei complectitur omnia beneficia mediatoris 80.20
Iustitia fidei apud paulum 3.23.83.32
Iustitia rationis 474.17
Iustitia bonæ conscientiæ etsi adest in renatis tamen non est causa iustificationis 47.32
Iustitiæ uetus definitio 577.43
Iusticiam essentialem in filio discerni oportet à iustitia nobis communicata 442.1
Iusticiam qualem uideat humana ratio 3.6
Iustinus 230.45
Iustus in doctrina Pauli 51.2.48.27
Iustus more philosophico 377.33
Iusto non est lex posita 186.2.495.11
Iustis bene debet esse quomodo intelligendum 112.46
Iustis bene est iuxta declarationem Euangelij 143 27.
Iustum quomodo intelligendum 363.13

K.

Κβαρμα & πρόσημα 220.36
κακοζηλία anni Iubilæi apud pontificios 551.39
κακοήθεια 65.29
κακία 65.11
κένωσον 300.43
κόσμιος alienus à leuitate 397.8
κῶμος quid 190. 12
κτῆμα 27.44
κυβερνήσεις 265.12

L.

LAbor docentium & discentium sacrificium est 203.11
Labor non est inanis in domino 301.40
Labores docentium & discentium Deo placent 169.33
Lætitia in Spiritu sancto 198.3
Laico & licet baptizare & absoluere 507.34
Laodicea & Colossæ terræ motu submersæ secundo anno post Pauli mortem 363.29
Lapsus Iudæorum non fuit per se causa uocationis gentium 27.28
Lapsus contra conscientiam 145.13
Lapsus Euæ proprium opus mulierum 410.16
Lapsum primorum parentum quæ mala sint secuta 436.23
Lapsi redeuntes recipiendi 316.17
Latomus Louanienſis 573.39
Latomi impietas 565.39
Latomi error de fide Abraham 101.43
Lectio 281.31
Lectioni miscentur gemitus 209.39
Lectionem sequatur doctrina 415.28
Lectiones recitatæ peregrinis linguis 283.27
Legis & Euangelij uox efficax 318. 28
Legis doctrina non ignota rationi humanæ 29.33
Legis definitio unde sumta 49.4
Legis abrogatio quid 15.42
Legis usus 524.15.566.44.124.2
Legis proprius effectus 17.8
Legis duo officia 13.36
Legis moralis sermo proprius & perspicuus 793. 9.
Legi nemo in hac deprauata natura satisfacit 133. 20
Legem fide stabilire quid sit 98.1
Lege peccatum augetur 123.43.
Leges forenses & ceremonia erant nerui politiæ Israël 371.17
Leges gentium consentientes cum lege naturę adprobantur 184.22
Leges Ceremoniales & forenses collapsæ cum politia 130'21
Legum fines duo 252.31
λειτουργία 594.45
Lex una 472.30
Lex moralis quid 119.4.225.24.596.31
Lex moralis non aboletur in Euangelio 96.9
Lex moralis est eadem 85.32
Lex moralis non est mutabilis aut otiosa 222.14 371.34
Lex moralis testatur opus esse Mediatore 95. 44
Lex diuina quid requirat 49.9
Lex etiam de defectibus loquitur 608.10

Lex est pædagogus in Christum 85.15
Lex naturæ 63.1
Lex non tollit peccatum 139.13
Lex operum 93.19
Lex impletur 140.21
Lex & promissio discernenda 478.28
Lex quomodo sit abrogata 493.36
Lex num sit res mala cum augeat peccatum 134.21
Lex de cælibatu contra ius naturæ 538.10
Lex de cælibatu pugnat cum iure diuino & naturali 749.15
Lex cur sit repetita 566.5
Lex Dei quid sit 49.1
Lex fidei 92.47
Lex est Spiritualis 17.28
Lex patribus etiam abrogata 493.42
Lex moralis seu Decalogus est æterna sapientia Dei 371.9
Lex et Euangelium semper in mundo extiterunt & existent 491.10
Lex Dei: necesse est obedire propter conscientiam 185.14
Lex quare sit lata 7.21.13.31.472.1
Lex Theodosij de diuortijs 232.15
Lex recens de desponsationibus omittenda 229.26
Lex cur semper duret 493.8
Lex iudicium aduersus peccata 301.11
Lex non est lata ut iustificet 6.29
Lex quando fiat 475.12
Lex perfecta conformitas cum Deo 97.11
Lex dijs imperat 492.32
Lex quid conducat 6.13
Lex est bona 17.22
Lex quibus sit abrogata 15.41
Lex auget peccatum 13.47
Lex non auget peccatum per se 17.9
Leuitas 27.8.267.34
Liberatio à lege quomodo intelligatur 130.12
Liberatio hominis est Dei 578.28

Liberationem à lege illustrat integrum Beneficium 446.20
Liberalitas exercenda erga pauperes 302.36
Libertas quid 567.46
Libertas post glorificationem 700.6
Libertas regendi locomotiuam 616.39
Libertas Christiana quid 494.12

Libertas Christiana non tollit dominia rerum 251.20
Libertas post reparationem 699.40
Libertas in natura hominis relíqua 631.1
Libertas hominis ante lapsum 699.26
Libertatis Christianæ 4. gradus 192.25
Libertatis usus 251.14
Libertate uerecunde utendum 496.8
Lingua loqui 280.32
Libidines pugnant cum hominis natura 539.10

Litera 306.35.601.41
Locus Oseæ 4 202.41
λογικὴ λατρεία 30.26
λογικὴ λατρεία opponitur operi operato 178.14
λόγος & εἰκὼν appellationes filij 326.30
λόγος quomodo adsit naturæ humanæ 575.30
λογιζόμεθα quid 93.31
Loquens lingua 281.8
Lunæ cursus 503.34
Lustratio infantum apud Ethnicos 233.13
Lutherus animaduertit fucum anabaptistarum 264.32
Lutherus contra inuocationem Sanctorum 556.44.
λύειν νόμον 99.2
Lystra oppidum Lycaoniæ 366.11
λύτρον 453.6

M.

Machabæorum Encænia 511.15
Magistratus 184.10
Magistratus non debet esse μυσάνθρωπος 33.27
Magistratus officium 187.11
Magis intelligitur pulchritudo uirtutum cum in Deo aspiciuntur 389.7
Magnes 470.16
Magnitudo meriti Christi 88.7
Mahometicæ doctrinæ occasio 172.24
Mahometistarum refutatio 408.42
Maior authoritas uerbi diuini esse debet quam ullius hominis 734.16
Malum bene positum non debet moueri 834.5
Malum pugnans cum lege Dei reliquum est in renatis 447.30
Mali doctores qua arte fucum faciant 34.22
Maluenda pugnantia dicit 545.7
Maluenda delet articulum doctrinæ de fide 543.11
Maluendæ errores 544.16
Maluendæ præstigiæ 543.19
Mandatum diuinum est ut doctrinam Christi discamus 361.32
Mandata Dei omnibus commodis uitæ anteferenda 790.26
Manent etiam in uera Ecclesia multæ infirmitates 401.36
Manichæorum error 623.26
Maozim 536.42
Maran atha 303.16
Maran athan unde 303.29
Maras idolum 303.33
Matrimonium quid 536.9.716.7
Matrimonium omnibus licitum 536.20

Mediator quid 598.15
Mediator significabatur in lege 167.38
Mediator filius Dei umbraculum est quo tegimur 449.15
Mediator Deus & homo 591.4
Mediatoris propria opera 296.3
Mediatoris beneficia 591.42

Medium quo Deus conuertit 582.42

Membra Ecclesiæ quomodo placeant Deo 632.9
Mens Christiana non tantum testimonia naturæ sed patefactiones diuinas aspiciat 435.9
Mensas repleri uomitu quid sit 285.36
Merces debita ministris 204.28
Meritum seu sacrificium 156.34
Meritum Christi singulis applicatur cum fide accipitur 111.20
Messias inuocatur Ergo est Deus 88.42
Ministerium Euangelicum arguit peccata 560. 6.
Ministerium Euangelij adfert æterna bona 307. 32
Ministerium Ecclesiæ catholicæ 504.
Ministerium Euangelij efficax est 318.7
Ministerium ornatur uocabulo sacrificij 202.37
Ministerium cur oporteat conseruari 203.29
Ministerio Euangelij credendum ut uoci de cœlo sonanti 341.30
Minister Euangelij sit castus 396.33
Ministri Ecclesiæ toti seruiant propriæ uocationi 430.32
Ministri quo ad ministerium sunt æquales 220.2
Ministri sint idonei ad docendum 397.25
Ministris debetur uictus & reuerentia 418.25
Militare bonam militiam 610. 22
Miracula 288.1
Miseria hominis qui est sine pœnitentia 64.3
Miseria generis humani 539.34
Misericordia 67.41.270.13
Missa non est sacrificium 603.29
Mitigatio 201.45
Moderatio in omnibus negotijs laude digna 752.1
Modestia 389.35
Modij precium mediocribus annis 204.9
Modus conuersionis & ordo 376.32
Monachi corrumpunt textum Pauli 623.9
Monachi cum in conuersis remouent Mediatorem non plus dicunt quam Plato 45.7
Monachorum doctrina 109.42
Monachorum error de merito & dubitatione 138.2
Monachorum corruptelæ de iustificatione 94.28
Monachorum dubitatio peccatum est 132.4
Monachorum error de nouitate post conuersionem 44.6
Monachorum error de iusticia operum & fide 43. 42.
Monachorum certitudo non in promissione sed qualitatibus propris 428.39
Monetarius 237.21
Moralia, Ceremoniæ, & gradus uitæ politicæ discernantur 233.32
Mors Christi gloria 201.30
Mortificatio quid 126.40
Mortuus iustificatus est 128.4
Mos Ecclesiæ perpetuus in recitatione precum 284.36
Mos Ethnicorum in sacrificijs 234.16
Moyses deducit nos ad patefactum uerbum 166. 35.
Moyses petram percutiens 552.28
Moyses etiam laxauit leges coniugij 226.36
Moysi uelamen amotum 320.34
Mulier regat œconomiam 254.25
Mulier simul copulata Deo 255.22
Mulier gloria uiri 255.38
Mulieres ministræ in Ecclesia quales fuerint 417. 12.
Multi labyrinthi in sunt Stenckfeldij scriptis 583. 45.
Multi titulum Ecclesiæ gerentes possunt errare 401.14
Multi deficiunt ab Euangelio fracti cruce 240.40
Multi errores sunt impliciti doctrinæ aduersariorum de dubitatione 627.42
Mundus contemnens filium Dei 608.39
Mundus ad confusiones perpetuas non est conditus 150.34
Mundi iudicia de Euangelio 56.42
Murmuratio & tentatio differunt. 241.18

N.

NAtura humana in Christo 584.2
Natura rerum gemit 350.4
Natura inter homines requirit εὐταξίαν 505.43
Naturæ prauitas 470.11
Necessitas non est coactio 125.32.638.2
Necessitas debiti 128.32.175.18

Necessaria membra ordinationis 393.34
Necessaria uirtus est sapienter ferre iniurias maledicentiæ 396.20
Necessaria facienda sunt 265.14
Necessaria distinctio de insufficientia & fidelitate 421.4
Necessaria doctrina 221.41
Necessarium est discrimen Legis & Euangelij 53.13
Necessarium est discrimen Legis & Euangelij, iustitiæ æternæ & rerum corporalium 411.1

Neglectio coniugij multis est exitio 677.36
Negligentia in discendo punitur diuinitus 397. 36
Nemo à gratia Christi propter infirmitatem excludendus 704.36
Nemo est par ministerio & tamen necesse est obedire uocationi 420.33
Nemo ex operibus Legis iustificatur 186.3
Nemo circumferens malam conscientiam Deum inuocare potest 683.24
Nemo hominum præter Christum lege Dei satisfacit 438.33
Nerui sapientiæ in uiris politicis 777.11
Nestorij error 614.20
Ne totum genus humanum periret, decretum factum est de mittendo filio 438.42
Nicolaus Papa 510.3
Nicolaus Storck fanaticus 283.9

Nihil habet rationem ſacramenti extra actionem inſtitutam 811. 39.249.20
Nihil faciendum ambigua conſcientia 34.5
Νῆφε καὶ μέμνησο &c. 66.18
Nomen imaginis in filio diſcernit Deum à commentitijs numinibus 336.35
Non eſt μετεμψύχωσις 299.15
Non admittendi ſunt ad miniſterium inexplorati 420.27
Non capiamur ritibus ut pueri 285.16
Non ſatis intelligimus quantæ res ſint ſapientia ueritas &c. 388.41
Non eſt petenda ordinatio ab Epiſcopi retinentibus deprauationes conſuetudinis antiquæ 393.18
Non eſt iniuadendum miniſterium ſine uocatione mediata 392.21
Non furentes ſecuritate Deus ſuſtentat 246.7
Non expectandus uiolentus raptus 162.8
Non eſt peccatum uiolare ceremonias Moyſi & traditiones humanas 328.38
Non attingas non guſtes dicuntur μιμητικῶς 353.7
Non damnatur à Paulo uera philoſophia ſed confuſio doctrinarum 343.10
Non credens Euangelio tentat Deum 242.15
Non fingendæ nouæ opiniones de Deo 780.2
Non renati aliquomodo faciunt externam diſciplinam quæ præſtanda eſt propter 4. cauſas 438.8
Non ſunt in Deo contradictoriæ uoluntates 71.8. 86.45
Non ſolum adulti uerum etiam paruuli baptizandi 714.7
Norma iudiciorum in Eccleſia 290.7.403.3
Norma inchoatæ obedientiæ 630.16
Noſtra opera non ſunt cauſæ uel meritum remiſſionis peccatorum 428.3
Notícia abſtractiua ceſſabit 272.18
Notícia naturalis de Deo, notícia legis 62.40
Notíciæ aliquæ nobiſcum naſcuntur 473.43
Noua obedientia quid 630.21
Noua obedientia neceſſaria 238.42
Noua obedientia cur neceſſaria 632.44.810.20
Noua obedientia fructus ſpiritus ſancti 175.40.
Noua obedientía etſi eſt uoluntaría tamen eſt neceſſaria & debitum 445.5
Noua obedientia non eſt meritum ſed tamen neceſſaria 359.40
Noua obedientia quomodo inchoẽtur & placeat 98.16.446.40
Noua obedientía inter has ſordes quomodo placeat 447.19
Noua odedientia non eſt ἀδιάφορον 238.28
Noua obedientia tertia pars conuerſionis 547. 41.
Noua Ieroſolyma in phrygia 182.12
Nouatianorum error 92.18.518.12
Nouitas ſpiritus 126.12
Nouitas uitæ pars pœnitentiæ 541.4
Nouitas in credentibus non eſt id propter quod perſona placet 341.25
Nouus homo quid 127.18
Nouus homo imago Dei 360.26
Nouum teſtamentum eſt Euangelium 490.36
Nulla res queſtuoſior quam miſſa 677.14
Nulla creatura poteſt condere noua dogmata de Deo aut cultus 402.13
Nulla doctrina cum fontibus pugnans recipienda 785.9
Nullus cultus qui non approbatur uerbo Dei in Eccleſiam inuehendus 746.8
Nullus homo Deo reconciliari poteſt niſi per ſolum Chriſtum 703.29
Nullum ſanctius Eleemoſynæ genus quam iuuare ſtudia pauperum 682.30
Nullum præceptum eſt in ſacris literis quod doceat inuocationem ſanctorum 829.39
Numina fingere ſcelera ſunt pugnantia cum primo præcepto 557.3

O.

OBedientia erga legem 525.11
Obedientia placet coniuncta cum fide 434.27
Obedientia in uocatione uirtus tertij præcepti 180.24
Obedientía in illis quæ ſunt miniſterij 402.20
Obedientía cur debeatur 147.35
Obedientía inchoata & quantumuis languida propter mediatorem placet 449.42
Obedientia cum eſt uoluntaría eſt iuſtícia 128.44
Obedientia erga legem ſequitur promiſsionem 489.17
Obedire non tantum propter iram ſed propter conſcientiam 33.16
Obiectio de obſcuritate doctrinæ 290.13
Obiectio quod Eccleſia ſit ſubiecta crucí 111.41. 143.13
Obiectio de odio impiorum aduerſus ſanctos 198.21
Obiectio de iuſtificatione 266.9
Obiectio Stenckfeldij de uerbo uocali 200.6
Obiectio de dilectione 266.28
Obiectio quod dubitatio ſit naturalis 196.21
Obiectiones quædam 104.40.125.13.131.4.263.11. 272.26.317.35.315.42
Obligatio naturalis ſeu diuina 188.4
Obligatio naturalis perpetua eſt 188.27
Obligatio ciuilis 188.14
Obligatio gentium accepta Deo 203.6
Obſeruatio rituum humanorum non eſt iuſtícia, nec omiſsio peccatum 349.29
Occam 467.38
Occaſio concionis de diſcrimine legis & Euangelij 306.13
Occaſiones diſſidiorum uitandæ in doctrina libertatis 252.8
Occaſio Epiſtolæ ad Corinthios. 217.11
Occulta cordium patefieri quid 287.18
Odium erga Chriſtum cito erumpit 262.43
Offerre regnum patri 296.34
Officium coniugale 229.44

Officia concionatoris 281.29
Officia dilectionis iuxta Decalogum 229.2
Officia gubernationis 236.1
Officia œconomica mulieris sunt uirtutes nouæ obedientiæ 387.1
Officia uirorum & mulierum distincta 294.19
Officia imperiorum sumenda sunt ex Decalogo 381.35
Officia legis 497.35
Officia debita cognatis Deo placent 416.41
Omnis homo mendax 74.27
Omnis lex obligat uel ad obedientiam uel ad pœnam 87.48
Omnes saluandi propter filium Dei electi 161.35
Omnes saluandos in hac uita conuerti necesse est 147.35
Omnes homines sub peccato 75.39
Omnes ætates retinent aliquos nævos 218.29
Omnes homines post lapsum nascuntur filij iræ 703.26
Omnes homines secum adferunt peccatum Originis 668.23
Omnes promissiones corporales propter æternam sunt traditæ 452.34
Opera instituta sine mandato Dei non sunt cultus Dei 743.9.345.10.354.1
Opera Dei ad extra 536.46
Opera non meritoria remissionis peccatorum 481.1
Opera sequentia fidem meritoria 475.22
Opera non sunt iusticia Dei 25.20
Opinio meriti auxit Ceremonias apud omnes gentes 344.26
Oportet hæreses esse necessitate consequentiæ 236.18.
ὀψώνιον 204.32
Oratio sine fide est inane murmur 449.3
Ordo politicus est opus Dei 183.13.611.17
Ordo diuinus ut creatura obediat creatori non tollendus 374.35
Ordo uiuificationis 190.38
Ordo naturæ conueniens retinendus 253.9
Ordo quo fit Iustificatio 339.36
Ordo dicentium publice 291.11
Ordinatio 31.37
Ordinatio cœnæ Dominicæ 256.28
Ordinationes humanæ 342.33
Organa Diaboli turbant ordinem politicum 183.8
Ornamenta Ecclesiæ sponsæ 309.1
Origenis error 81.26.483.42
Origenis error de Euangelio 318.40
Orimasda 249.29
ὁρίζεσθαι uerbum 54.31
Osiander 82.13
Osiander nominat dilectionem ipsum Deum 188.32
Osiander distrahit remissionem & iustificationem 78.35
Osiander refutatur 579.14
Osiandri doctrina 190.40
Osiandri error 578.10
Osiandri error in definitione Iusticiæ 599.15
Osiandri error in uerbis Imputata est ei iusticia 105.5
Osiandri error refutatus à Paulo 81.21
Osiandri corruptela 94.45
Osiandri imaginatio corruptela est non λογομαχία 355.10
Osiandri grandiloquentia obruit doctrinam fidei 354.45
Osiandri argumenta refutata 83.1
Osiandri partitio sacrificiorum 179.16
Osiandri speculationes 340.6
Ostensiones factæ patribus 310.41
Oxyli lex 550.42

P.

PAcis uocabulum 55.8
Papa Ecclesiasticam gubernationem transformat in mundanam 673.15
Papa longissime à fide deficit 537.18
Papatus in Europa 172.24
Papæ impietas contra Deum 576.38.611.6
Papistæ non sunt uera Ecclesia 598.1
Papistæ corrumpunt dictum de impletione afflictionum 327.31
Papistæ particulam Gratis corrumpunt 626.33.
Papistæ doctrinam de fide in inuocatione deleuerunt 534.10
Papistarum errores in doctrina pœnitentiæ 520.3.528.16
Papistarum qui delent fidem refutatio 91.15
Papistarum multiplices errores 594.6
Parentes Timothei 366.17.424.25
Parentes deliri ferendi 781.17
Parisiensium nuptiæ 497.29
Partes pœnitentiæ tres 347.17
Particula gratis quomodo excludat reliquas uirtutes 89.46
Pastoribus debetur obedientia in his quæ sunt ministerij 186.33
Passio filij λύτρον 148.29
Passio filij Dei non confirmat peccatum 126.3
Patefactio Dei 572.43
Patefactio diuinitatis in Baptismo Christi 554.38
Patefactiones ostendunt quæ & qualis sit Ecclesia Dei 596.7
Patefactiones aliæ referendæ sunt ad patefactionem per filium 383.30
Pater & filius spirant spiritum sanctum in corda credentium 444.26
Patientia quid 267.27
Patientia Christiana 114.46.199.45
Patientia Philosophica 114.41.172.15.199.38
Patientia, consolatio, spes coniunguntur 199.36
Patientiæ præluceat doctrina de causis 114.36
Patres semper sub lege 472.43
Patres & deinde alij fide saluantur 190.8.472.38
Patres uiderunt filium Dei 473.4

Paulus detrahit iuſtificationem omnibus uirtutibus 483.14
Paulus exempla Abrahæ illuſtrat doctrinam de Iuſtificatione 45.13
Paulus calamitatibus opponit ſcripturas 200.5
Paulus Ariſtocratiam conſtituit 292.22
Paulus non patrocinatur uotis Monaſticis 417.15.
Paulus non damnat nuptias ſed deſertionem fidei & alia peccata 417.41
Paulus orditur ab electione 154.5
Paulus diſcernit magiſtratus à latrocinio 184.15.
Paulus duas tradit propoſitiones præcipuas 60.44.
Paulus cur in Exordio nomen ſuum ponat 368.6.
Paulus præcipit orare pro imperijs 381.26
Paulus loquitur de uera pœnitentia 347.4
Paulus quatuor in imperijs requirit 382.1
Paulus in Epiſcopo requirit etiam philoſophicas uirtutes in gubernatore neceſſarias 398.5
Pauli benefactores 205.36
Pauli concio de neceſſitate 266.3
Pauli argumentum de prouidentia 150.18
Pauli ſalutationes pingunt Eccleſiam 207.8
Pauli doctrina de iuſtificatione 80.13
Pauli ſententia de imagine Dei in homine 360.37
Pauli doctrina de fide 109.42
Pauli epiſtola de duplici regno docet 32.29
Paulo ius naturæ eſt ius Dei 68.11
Pax apud Paulum quid ſignificet 334.1
Peccatum quid 7.24.308.4.559.37
Peccatum originis quid 119.32.144.22.436.27.466.41.665.26.700.38
Peccatum reuiuiſcit 134.12
Peccatum quieſcit 135.2
Peccatum Originale per Adam in omnem poſteritatem pertranſijt 701.15
Peccatum originale per peccatum diſſoluitur 701.31
Peccatum regnans 129.32
Peccatum & mors uerè deuorata 300.1
Peccatum ſemper eſt quiddam damnatum 445.38.
Peccatum eſt quod non eſt ex fide 450.6
Peccatum in renatis non eſſe reliquum furor eſt dicere 445.21
Peccatum cognoſcere quid 7.22
Peccatum ſine lege non agnoſcitur 655.23
Peccatum non regnet 648.31
Peccatum in Baptiſmo tollitur quod ad reatum attinet 657.7
Peccatum quid ſit diſcitur ex uerbo Dei 437.2
Peccati definitio in Iohanne 119.24.608.9
Peccati definitio in genere 50.4
Peccati definitio unde ſumatur 50.6
Peccati originalis magnitudo 467.24
Peccata mortalia 369.33
Peccata populi in deſerto 240.17
Peccata non imputantur 104.36
Peccata teguntur 104.33
Peccata pugnantia cum prima tabula 63.17
Peccata quomodo remittantur 507.9
Peccata in ſanctis 633.36
Peccata uenialia pugnant cum lege Dei 634.38
Peccata extra proprium corpus 227.30
Peccatores qui non exaudiuntur 155.36
Peccatorum diuerſorum diuerſæ pœnæ 521.13
Pelagius 82.6.471.14
Pelagianorum & Anabaptiſtarum errores damnantur 436.32
Perfectio quid ſignificet 330.18
Perfectam dilectionem aut legis impletionem nemo habet 189.15
Per filium imaginem Dei ſit reſtitutio imaginis Dei in nobis 336.40
Pericles 237.1
περὶ ἁμαρτίας 139.32
Per multos & ex multis perſonis quid differant 313.1
Perperi 268.12
Perpetuitas Eccleſiæ miraculum 288.11
Perpetuitas Eccleſiæ eſt illuſtre teſtimonium præſentiæ Dei & ueritatis doctrinæ 398.21
Perſæ 188.21
Perſona 586.32
Perſonæ diuinitatis 588.9
Perſonarum acceptio quid ſit 331.41
Perſonæ iudices 289.28
Petens uel recipiens onus ſupra uires ſine uocatione peccat 394.24
Petrus Conyza 605.15
Petulans lingua turpiſſimus morbus 811.22
Perſona placet propter filium 177.32
Perſeuerantes in fide ſaluantur 157.32
Phariſaicæ & Pelagianæ opiniones damnantur 455.13
Phariſæus, id eſt, interpres 621.13
Philoſophi fidem & ſpem non ponunt inter uirtutes 277.18
Philoſophi ignorant cauſam malorum 120.34
Photinus negauit in Chriſto duas eſſe naturas 787.19
Pictura triumphi CHRISTI dulcis conſolatio 349.3
Pietas 411.43
Pietas cum αὐταρκεία lucrum 423.23
πίστις 264.16
Plato 477.31
Plato de Philoſophia 209.16
Plenitudo in Chriſto corporaliter 328.3
πληροφωρία 342.15
πληροφορεῖσθαι 196.15
πλήρωμα quid 27.42
Pœnæ Canonicæ 552.6
Pœnæ mitigantur 276.35
Pœnæ propter idola cumulantur 563.25
Pœnæ libidinum præſentes & æternæ 387.35
Pœnæ corporales propter pœnitentiam aut mitigantur aut tolluntur 229.43
Pœnitentia 515.28.517.19
Pœnitentiæ poſt baptiſmum deſcriptio 708.28

Pœni-

Pœnitentiæ partitio uetus 519.22
πολυγαμία recepta 226.30
πολίτευμα noſtrum in cœlis 200.24
Politia Eccleſiæ 504.41
Politia Moyſi quare ad tempus inſtituta 193.8

Pompa circumgeſtationis panis 246.31
πονηρία 65.11
Pontifex errans non conſtituendus iudex 783. 38.
Pontificij fugiendi 619 3
Pontificij duos præcipuè articulos corrumpunt 409.22
Pontificij ſæpe τὸ ῥητὸν corruperunt 815.10
πορνεία 65.9
Poteſtas clauium 506.20
Poteſtas Eccleſiaſtica duplex 508.16
Poteſtate utendum ad aliorum ſalutem 311.31
Præceptum de coercendo corpore 177.38
Præceptum inſigne de ſtudio docendi & diſcendi 329.7
Præceptum de cuſtodienda puritate doctrinæ 422.14
Præcepta Legi Dei neceſſaria ſunt 265.16
Præcepta de ueris cultibus 344.40
Præcipua conſolatio in omni dolore 260.33

Prædictiones præcepta & promiſſiones de cruce 152.25
Præiudicium 419.34
Præmia tribuuntur pijs qui benefaciunt doctoribus 502.3
Præſentia Dei 616.31
Præſentia Dei in Eccleſia 245.22
Præſentia Dei quomodo conſpiciatur 113.42
Præſentia ſpecialis qua Deus eſt in beatis 346.1.7
Præſentia uniuerſalis 345.40
Præſentia in filio quæ eſt unio perſonalis 346.12

Præſtandum in omnibus officijs ut fideles ſimus 396.1
Præſtigiæ de reſurrectione 295.25
Præcatio ante agonem Chriſti 157.10
Prebere membra arma iuſticiæ 331.26
Presbyterum duplex honor 203.22
Primus uſus legis 77.17
Primum diſcrimen miniſterij legis & Euangelij 306.45
Primum præceptum omnibus bonis corporalium anteferendum 194.42
Primi parentes per Chriſtum iuſtificati 566.18

Prior ad Corinthios 304.32
Priuata & publica lectio mandatur à Paulo 414. 41.
φρόνημα 141.23
Proclus 473.30
Præconia de fide in Paulo non hyperbolice accipienda 485.6
Profunditas 157.39
Prohibitio coniugij doctrina dæmoniorum 390. 20.
Pro bono mori 317.35
Pro iuſto mori 117.32
Promiſſio eſt unica 85.35
Promiſſio cur ſit rata 109.23
Promiſſio rata eſt etiamſi multi non credunt 74. 15.
Promiſſio gratiæ eſt uniuerſalis 160.25. 498.27. 383.1
Promiſſio omnibus gentibus offertur 170.8
Promiſſio Euangelij diligenter diſcernenda eſt à Lege 439.3
Promiſſio Euangelij quid 565.1
Promiſſio pendens ex conditione legis incerta 484.33
Promiſſio noui teſtamenti non pendet ex conditione legis 488.29
Promiſsio bonorum corporalium generalis eſt 412.26
Promiſſio bonorum æternorum 412.6
Promiſſio bonorum corporlium intelligenda eſt cum exceptione crucis 412.31
Promiſſio edita eſt deprecante filio 107.40
Promiſsio gratiæ facit diſcrimen inter legem & Ethnicos 107.9
Promiſſiones corporales additæ ſunt bonis operibus propter quinq; cauſas 176.11
Promiſsiones legis utiles & ratæ per Euangelium 489.32
Promiſsionibus corporalibus debet prælucere fides de æternis 101.2
Promulgatio legis 321.29
Prophetans 281.12
Prophetia 264.24.265.1.280.29
Prophetia ſit analoga fidei 180.43
Prophetiæ ceſſabunt 272.10
Prophetis & Apoſtolis non minus credendum quam ipſi Deo concionanti 51.37
Propiciatorium 179.3
Propoſitio de Iuſtificatione 87.6
Propoſitionis confirmatio 99.42
Propoſitiones Eccleſia errat, Eccleſia eſt columna ueritatis ſunt ſynechdoche 400.40
Proprium dilectionis 268.34
Propter Eccleſiam ſeruatur cœlum & terra 337. 15.
προσωπολημψία 70.33.270.21
προσωπολημψία eſt iniuſta 420.7
προσωπογραφία 17.13
Pſeudoprophetæ 586.2
Puræ manus non pollutæ malo propoſito 686.2

Q.

QVæ & ubi ſit Eccleſia 171.2
Quæ membra in omni diſputatione ſint præcipua 11.32
Quæ opera facienda ſint 174.17
Quæ opiniones in traditionibus impiæ 495. 26
Quæ peccata ſint reliqua in ſanctis, quæ excutiant Spiritum ſanctum 445.12

Quæ propria sint ministerij 402.8
(Quæ præsunt) excludit alienos magistratus 182.35
Quærere remedia iniusta est tentare Deum 241.31.
Quæstio 231.10
Quæstio de mulieribus non uelatis 253.1
Quæstio de potestatibus 186.27
Quæstio de dignitate 160.12
Quæstio omnium sanctorum 138.20
Quæstio de particularitate 160.21
Quæstio de legibus 186.10
Quæstiones de noua obedientia 561.42.629.42
Quæstiones de fide & spe 275.9
Quæstiones de Synodis 509.30
Qua in re Iudæi præstent gentibus 6.21
Qualis fuerit ante lapsum coniunctio cum uno capite, quæ sit facta auulsio, & quomodo rursus fiat copulatio 339.18
Qualis sit Ecclesia 171.10
Qualis obedientia sit in renatis 562.43
Qualem conueniat esse Episcopum 395.15
Quando intelligantur uocabula fidei, Gratiæ, Iustificationis &c. 577.35
Quando & per quem detur Spiritus sanctus 97.38.
Quantitas mensis Synodici 498.15
Qua norma iudicandi sint impostores 352.26
Quare Deus differat pœnas 70.2
Quare Deus suos castiget 743.19
Qua re motus Paulus scripserit Epistolam ad Romanos 3.41
Quare mediatorem oportuerit esse Deum & hominem 384.27
Quare libertas in uoluntate sit reliqua 802.6
Quatenus uita æterna sit merces 479.28
Quatenus liceat gloriari 314.21
Quatenus simus liberi à lege 185.30.479.19
Quatenus gentium legibus utendum 33.12
Quatuor modi præsentiæ Dei 345.39
Quatuor causæ propter quas Deus tradidit promissiones corporales 413.3
Quatuor causæ cur Paulus faciat mentionem officij 52.16
Quatuor Episcopi officia 683.41
Quatuor uirtutes necessariæ in gubernatione 270.30.
Quatuor proprietates mediatoris 384.5
Quatuor in iudicijs de doctrina considerandæ 289.16
Quatuor ingentes errores Romani Episcopi 461.1

Quemadmodum differunt peccatum & pœna: Ita differunt Iusticia originalis & dona addita 653.15
Quibus de causis Christus sit summus sacerdos secundum utramq; naturam 456.11
Quibus hominibus præcipuè delectentur potentes 65.28
Quicquid non est ex fide peccatum est 490.5

Quid cogitandum in uera inuocatione 487.5
Quid accidat non glorificantibus Deum 5.19
Qui debeant docere 291.29
Qui falsa dogmata pertinaciter retinent non sunt ciues ueræ Ecclesiæ 799.45
Quinque quæstiones de noua obedientia 446.33.
Qui non tribuant gloriam Deo 63.31
Quomodo Christus nos liberauerit à Lege 450.41
Quomodo Christus impleat quod deest afflictionibus nostris 327.17
Quomodo Christus, quomodo item Spiritus sanctus sit interpellator 153.23
Quomodo liberemur à iudicio legis 567.18.494.33.
Quomodo fiat conuersio & reconciliatio 46.8
Quomodo se probet homo 257.7
Quomodo sciamus nos Deo curæ esse 3.28
Quomodo placeat noua obedientia 174.43
Quomodo iudicatum ualeat in Ecclesia 291.20.
Quomodo exuscitentur dona in renatis 424.42
Quomodo fiat regeneratio 455.3
Quomodo fide efficiantur conscientiæ tranquillæ 440.21
Quomodo simus liberi à Decalogo 491.38

R.

RAptus in tertium Cœlum 310.32
Ratio hortatur ad optima 519.16
Reatus comprehenditur in definitione peccati apud Iohannem 144.33
Recens deprauatio de fide præparante 379.21
Rechabitæ 526.30
Reconciliati possunt labi 239.19.243.39
Reconciliatio non propagatur 123.16
Redemtor 172.41
Refutatio antinomorum 233.38
Refutatio erroris donatistarum 396.24
Refutatio obiectionis de Idolo 250.30
Refutatio erroris Osiandri 78.3
Refutatio aliquot argumentorum 102.21
Refutatio erroris de tribus legibus 85.23
Regnum Christi 502.13.600.32
Regnum patris 295.42
Regnum Dei & Christi idem est sed modus differt 201.3
Regula Euangelium non abolet politias 182.21
Regula Pauli de obedientia 382.27
Regula contra Antinomos 177.24
Regula ex definitione Regni Dei 197.28
Regula contra fanaticos spiritus de ordine politico & alijs 410.2
Regula in omni gubernatione necessaria 220.17.
Regula communis pertinens ad totius uitæ gubernationem in omnibus 413.39
Regulæ de coniugio 228.28
Regulæ duæ de moderando usu libertatis 195.42
Rejcientes scripta Prophetica & Apostolica non sunt Ecclesia 597.42

Reliqui in hac uita etiam resurgent 298.35
Reliquiæ sanctorum non adorandæ 721.24
Remissio peccatorum comprehenditur in uocabulo Iustificationis 442.20
Remissio culpæ à remissione pœnarum huius uitæ discernenda 552.43
Remissio peccatorum & uiuificatio coniunguntur in hac uita 456.33
Remissio peccatorum accipitur propter Christum non propter nostram enumerationem aut confessionem 737.15
Remissionem peccatorum dari gratis propter filium Dei, sola fide, propositio explicata & certa 440.1
Renatus etsi sit templum Dei, tamen placet tantum propter Christum 380.12
Renatus iustus sola fide 618.11
Renatus est amicus Dei propter Mediatorem 666.17
Renati agnoscant semper se placere Deo propter Christum 456.3
Renati in uisibili Ecclesia 636.16
Renati non sunt actu rei 144.40
Renati etiam in hac corruptione naturæ non possunt legi Dei satisfacere 753.22
Renouari mente quid 179.44
Reputatio Iustitiæ pendet ex sola promissione 483.1
Res bonæ in aduersis 114.6
Res extra Spiritum non sunt alienæ 410.10
Retecta facie Cernere gloriam Dei 117.11
Reuelatio 282.48
Reuerentiam cognati sanguinis DEVS sanxit 229.5
Reuerentiæ multi sunt gradus 418.35
Resuscitatio fit immediate per filium 147.9
Ricius Iudaizans 485.11
Ritus discernens cœnam Domini à Prophana 247.24
Ritus Cœnæ Domini non est sacrificium 258.28
Ritus baptizandi campanas ueri Baptismi contumelia est 675.7
Ritus ordinationis Papisticæ 594.38

S.

SAcerdos 512.36
Sacerdotes agunt medicos spirituales 715.28
Sacramentum quid 10.26.624.23
Sacramentum uerbum inuisibile 248.43
Sacramentum non est institutum ad circumgestationem 841.15
Sacramenta sunt sigilla 106.32
Sacramenta illorumq; legitimus usus secundum signum quo Catholica Ecclesia dinoscitur 712.1
Sacramentorum finis 602.32.106.11
Sacrificium quid 178.43.202.29.603.5
Sacrificium propitiatorium unum 513.34
Sacrificij species 179.1
Sacrificia & ceremoniæ Israëliticæ discerneba nt populum illum ab Ethnicinis 350.25
Sacrificium Spiritus 610.40
Sacrificiorum usus 603.13
Sacrificia εὐχαριστικὰ 129.8
Sacrificia Aaron ἀντίτυπα 350.14
Sal, id est, uerbum Dei accommodatum 364. 44.
Salomon de filio Dei 602.3
Salus 190.2
Salutationum exempla in Paulo quid ostendant 365.7
Samosatenus 82.3
Samosatenus de λόγῳ 290.38
Samosatenus corrumpit dictum Iohannis: In principio &c. 242.42
Sanctificatio phrasi Hebræa castitas 387.24
Sanctificatio & uiuificatio sunt opus Dei 379.46.
Sancti non inuocandi 619.25
Sancti, id est, conuersi 340.11
Sancti agnoscant propriam infirmitatem & fide accedant ad Deum 448.18
Sanctificari uirum infidelem quid
Sanctorum infirmitas 609.43
Sapientia carnalis 313.38
Sapientia humana intuetur Mosi faciem uelatam 49.35
Sapientia & uoluntas Dei in uerbo est expressa 437.7
Sapientia Ecclesiæ discernenda à politica & philosophica 56.17
Sapientes offenduntur deformi specie Ecclesiæ 400.26
Satisfactio 517.4
Satisfactio uetus 519.26
Satisfactiones Canonicæ quare institutæ 742.39
Satisfactiones Canonicæ 516.8
Satisfactionum Canonicarum origo 522.4
Satisfactiones publicæ 518.19
Saul uere iustus fuit 244.14
Scandalum unde 194.19
Scandalum Pharisaicum 194.28
Scandalum datum 195.11
Scandalum uitandum in rebus indifferentibus 195.35
Scandali species 194.27
Scelera secuta lapsum Dauidis 195.20
Scientia 282.43
Scholastico rum Theologorum error 469.19
Scholæ bene constitutæ præcipuum ornamentum ciuitatis 685.21
Scholæ non tantum sunt seminaria Ecclesiæ uerumetiam fontes humanitatis 685.14
Scortatio 225.44
Scripta Prophetica & Apostolica certa 621.36
Scriptura non est ambigua 290.21
Scriptura non incerta 502.42
Scurra βωμόλοχος 364.1
Secundus usus legis 77.36
Secundum carnem uiuere 19.4
Secundum spiritum esse 19.10
Secundum discrimen ministerij legis & Euangelij 307.18
Secundi cap. ad Colossenses argumentum 327.37

Securi arcent Deum 245.44
Segregatus quid significet 52.30
Semidiameter horizontis 473.27
Semper est futura aliqua Ecclesia 432.30
Semper sunt aliqui electi & hi sunt in cœtu uocatorum 432.41
Sensus carnis quid 141.18
Sensus carnis mors est 19.14
Sensus Spiritus uita est & pax 19.40
Sensus consolationis est testimonium præsentiæ Spiritus sancti 615.40
Sententia dicti. Lex spiritualis est 135.32
Sententia Pauli cum inquit iustificamur gratis 42.21
Sententiæ multorum sunt confessio 403.23
Sermo Christi habitet in uobis 209.31.357.29
Sermo Propheticus & Apostolicus, id est, Filius Dei sit iudex in Ecclesia 793.18
Seruetus 586.10
Seruitus conscientiæ 225.34
Seruire in nouitate spiritus 133.5
Signa sunt nerui publicorum congressuum 249.10.
Signa cur addita promissioni 249.1
Signa demonstrantia ueram Ecclesiam 159.31
Signa 202.27
Significata uocabuli iustitia duo in politijs 79.1
Significatio clausulæ Amen 284.14
Similitudo de luto 163.31
Similitudo Ceremoniarum humanarum non est necessaria ad unitatem Ecclesiæ 460.5
Similitndo sumta à secundo coniugio 123.10
Similitudo ædificij 289.6
Simplicitas 313.45
Simulata uanitas aut Diabolica illusio 343.1
Sinceritas 223.19
Singulis ostendenda confessio 291.41
Singuli debent membra fieri ueræ Ecclesiæ 159.5.
σκόλοψ Pauli 310.18
Sola fide iustificamur 474.8
Sola fide iustificamur quomodo intelligendum 478.27
Solutio argumenti Adami 40.37
Somnus 189.44
σώφρων modestus 397.2
σωφροσύνη 389.15
σωφροσύνης uocabulum in sermone Apostolico quid significet 427.4
σωταλῶς 417.47
Speculum 273.40
Spei definitio 112.42.115.28.151.18
Spes non confundit 116.24
Spes uitæ æternæ in pœnis retinenda 276.23
Spes quæ regitur promissione diuina certa est 275.36
Spes futuri boni 151.38
Spiritus quid 141.25.306.37.319.9
Spiritus dilectionis erga DEVM & homines 425.40
Spiritus ducit non repugnantes 146.30
Spiritus compunctionis 27.28.170.19
Spiritus gratiæ & precum 301.25
Spiritus intelligentes creati sunt sine lege peccato, sed Diaboli libera uoluntate peccarunt 436.16
Spiritus interpellat pro nobis 153.17
Spiritus modestiæ 426.22
Spiritus potens 425.23
Spiritus sanctus datur in cogitatione promissionis 153.12
Spiritus sanctus quomodo detur 142.24
Spiritus sanctus commune donum omnium sanctorum 262.22
Spiritus sanctus ciet in corde motus congruentes Legi Dei. 444.36
Spiritus sanctus in specie columbæ 571.28
Spiritus sanctus cur detur 319.25
Spiritus sanctus non est in his qui non retinent fundamentum fidei 802.31
Spiritus sanctus est ὑφισάμενον 614.40
Spiritus sanctus quomodo detur 802.22
Spiritus sanctus non est in his qui delinquunt contra conscientiam 755.9
Spiritus sancti testimonium in nobis 288.30
Status medius inter tyrannidem & democratiam in Ecclesia necessarius 509.1
Status monasteriorum in Germania 831.15
Staphili impietas 613.29
Stenckfeldius 343.21
Stenckfeldius abducit homines à publico ministerio 608.44
Stenckfeldius ridet efficaciam uerbi 199.25
Stenckfeldij sententia de ministerio Euangelii 582.35
Stenckfeldij error 169.22.583.37
Stenckfeldij impietas 623.39
Stenckfeldiani 605.23
Stephanus 261.10
Sterilitas sub claudio Imperatore 204.4
Stipulæ pontificiorum 218.39
στρνιᾶμ 418.11
Stoica ἀπάθεια falsa 499.15
Stoica necessitas 585.40
Stoicorum errores 66.28.508.2
στόργαὶ 66.21
Studium & precatio præmuniunt nos aduersus corruptelas doctrinæ 208.40
Sub gratia esse 15.4
Sub peccato esse 75.42
Summa primi & secundi capitis ad Corinthios 217.33
Summa doctrinæ de iustificatione expositæ exemplis Noam & Dauid 40.18
Summa quarti capitis Epistolæ prioris ad Timotheum 406.30
Summa Euangelij recitatur à Paulo 376.24
Summa Propheticæ & Apostolicæ scripturæ 599.5
Summa primi capitis ad Colossenses 326.19
Summa doctrinæ Christianæ 615.1
Superbia quid sit 268.16.351.1
Superbia cardinalis Eboracensis 268.31
Suspicio 269.44

Symbola contra præstigiatores tradita sunt 815.35
Symboli recitatio credo Ecclesiam. &c. testatur præceptum Dei esse, quærendam esse ueram Ecclesiam 593.32
συμπάθεια intellectus & sensus 512.22
σωφρονοῦντες 69.3
Synodus Bononiensis 568.42
Synodi generales possunt errare 735.41
Synonima quæ pariter significant rem tollendam ex rerum natura uel piaculum 221

T.

TAntum in uera Ecclesia uerus Deus agnoscitur & inuocatur 405.7
Tecelius impurus 238.34
τέλος 33.39
Tempora Apostolorum qualia fuerint 224.13
Tempora uicina Apostolis etiam habuerunt turpissimas sectas 432.9
Tentare Deum 241.22
Tentatio Diabolica 244.26.
Tentatio humana 244.38
Tentatio de dignitate 549.11.624.11
θεοσυγῆς 65.35
Tertullianus de pœnitentia 515.31
Terræ forma 511.28
Tertius usus legis 77.45
Tertium caput ad Colossenses quid contineat 329. 3.357.16
Testamentum quid 257.37
Testamentum uetus 258.9
Testamentum nouum 258.14
Testimonium Spiritus sancti in singulorum cordibus 408.28
Testimonium firmissimum fidem esse fiduciam Rom.4. 47.16
Testimonia Ecclesiæ audienda 290.31
Testimonia probantia esse prouidentiam 62.22
Testimonia ueteris Ecclesiæ de Missa & baptismo infantum 291.20
Testimonia uetera de nomine Redemtoris 453.39
Testimonia de duratione Ecclesiæ 458.30
Testimonia scripturæ quod sola fide iustificemur 484.17
Testimonia de efficacia Euangelij 318.12
Testimonia quæ ostendunt Ecclesiæ doctrinam solam esse ueram contra reliquas professiones in genere humano 407.38
Testimonia antiquitatis quomodo sint accipienda 45.43
Testimonia quod filius sit natura Deus 337.39
Testimonia quæ adfirmant ordinem politicum esse opus Dei 183.20
Testimonia quod Deus per ministerium Euangelij sit efficax 392.6
Testimonia præcipientia de ordine doctrinæ 362.6
Testimonia Spiritus sancti 263.20
Thammerus 208.30.573.37
Thammerus transformat Euangelium in Ethnicas allegorias 808.5
Thammeri rabies 605.18
Theologi intempestiuè Philosophantes 477.45
Thomas Monetarius 283.18
Thomæ & Osiandri interpretationes uocabuli Iustificari 443.19
Threni & dominationes gubernationem significant in cœlo & in terra 337.34
Timor filialis 45.14
Timor seruilis 425.12
Tota diuinitas conterit caput serpentis immediate per Mediatorem 296.28
Tota lex significabat Christum 95.30
Trachea an potus causa facta 498.17
Traditiones humanæ non sunt cultus Dei 495 40
Traditiones humanas hypocritæ retinent neglectis præceptis diuinis 197.14
Traditiones humanæ in Ecclesia quatenus probandæ 510.21
Traditiones humanæ cur & quomodo habeant Spiritum sapientiæ 354.6
Traditionum & Decalogi opera 511.33
Tres admonitiones de Ecclesia 161.6
Tres personæ intuendæ cum cogitamus de Iustificatione 142.30
Tres uiri in Babylone 180.7
Tres usus legis 77.15
Tres uirtutes theologicæ 274.19
Tria in iustificatione comprehenduntur 625.3
Tria genera operum in homines 191.39
Tria membra Paulinæ disputationis præcipua 43 25
Triplex finis cœne Dominicæ 736.5
Triplex usus legis in renatis 347.12
Triplex iusticia 474.11
Triumuiratus Romani Constantinopolitani & Alexandrini Episcopi 354.15
Tulit uasa iræ 163.11
Typus de Moysi facie uelata 320.25
Tyranni hærent in pœnis 185.17
Tyrannis inimica Ecclesiæ 684.44

V.

VAticinium de ruina Ecclesiæ gentium 172.19
Vaticinium probans non esse abiectos Iudæos 28.23
Vaticinia de regnis quibus respondet euentus 408.18
Velum quomodo aboleatur per Christum 320.40
Venundatus sub peccatum 136.28
Vera doctrina de iusticia fidei post conuersionem 44.22
Vera Ecclesia superatur multitudine & splendore ab altera parte dominante 401.27
Vera doctrina quomodo sit obruta 562.8
Vera inuocatio 598.19
Vera Dei inuocatio non impedienda 686.40
Verbum ὀρθοτομεῖν complectitur diligentiam rectè docendi 431.28
Verbum iustificandi quomodo intelligendum 578.36

Verbum πτύφωτ 422.23
Verbum habitandi 329.18
Verbum ἀναζωπορῆμ 424.35
Verbum ἀπωταξάμην 316.37
Verbum δριαμβέυω 317.5
Verbum ἐπιγνώσομαι 274.4
Verbum ſperandi 201.19
Verbum exundat 164.31
Verbo uocali adeſt λόγ filius Dei 168.1
Veritas 223.17
Veritas quam gentes in iniuſticia detinent quæ ſit 62.12
Veri fructus pœnitentiæ 744.11
Veri & æterni cultus Dei 178.7
Verum ſignificatum uocabuli iuſtificari apud Paulum 443.26
Verus Deus quis 559.10
Veteres quare Miſſam nominent Sacrificium 829. 9.
Vetus teſtamentum lex eſt 490.34
Vetus & nouus homo Paulo quid ſignificet 360. 14
Vetus homo quid 127.7
Via quid ſignificet 362.30
Vicium hærens in natura 467.1
Vicia ſcurrilitatis & inſulſitatis 363.42
Vicia oppoſita modeſtiæ 389.40
Vuicelius 473.8
Victus debetur Euangelij miniſtris 235.32
Videre per ſpeculum 273.36
Videre facie ad faciem 274.1
Vigiliæ 189.46
Vinculum caritatis & pacis tertia nota Eccleſiæ 717.20
Vindicta opus Dei 31.19
Vindicta quibus prohibita 32.36
Violare traditiones humanas extra caſam ſcandali non eſt peccatum mortale 461.10
Vir prior muliere 255.4
Virtutes in litigatore ſancto 223.39
Vita æterna eſt donum Dei propter Chriſtum 131.33
Vita uia, ueritas &c. effectiue intelligenda ſunt 441.37
Vitioſa conſuetudo non eſt Ius 798.35
Vitulus imitatione Aegyptiorum factus 241.2
Viua hoſtia 178.1
Viuere ſine lege 17.16.134.4
Viuificatio quid 126.42
Viuificationem Paulus tribuit reſurrectioni Chriſti 348.1
Vna eſt lex moralis & una promiſſio remiſſionis peccatorum 54.7
Vna lex moralis æterna, quæ eſt iudicium Dei aduerſus peccatum 439.13
Vnica mors filij Dei eſt ſatisfactio quæ meruit remiſsionem culpæ 742.24
Vnicus filius Dei deprecator & redemtor 439. 24.
Vniuerſalis particula opponenda imaginationi particularitatis 58.12
Vniuerſalia ſunt & mandatum de conuerſione & promiſſio 375.16
Vnitas Eccleſiæ qua in re conſiſtat 745.7
Vnum genus negantium aperte articulum aliquem fidei 409.7
Vnus Deus quis 235.24
Vnus mediator conſtitutus 746.4
Vnusquisq; ſe ad ueram Eccleſiam tanquam membrum adiungat 459.1
Vocabulum corporaliter ſignificat perſonaliter 345.35
Vocabulum perfectio 361.22
Vocabulum ſapientiæ quid moneat 329.33
Vocabulum προσωποληψία ex Hebræo ſumtum eſt 331.33
Vocabulum Iuſtificatio quid complectatur 443. 37
Vocabula remiſsionis peccatorum & reconciliationis perſpicuè à Paulo coniunguntur 441.5
Vocabula debiti & neceſſitatis quid ſignificent 445.25
Vocatio duplex 391.5
Vocatio per homines facta placet Deo 394.41
Vocatio in noſtris Eccleſijs quomodo fiat 392.36
Vocatio mediata quæ ſit per homines 391.36
Vocationum in Eccleſia diſſimilitudo 52.40
Voluntas hominis captiua ſatanæ 524.1
Voluptas non eſt finis hominis 487.31
Votum contra mandatum Dei factum eſt irritum 749.30
Vota monaſtica ſunt idolatrica 417.19
Vox Euangelij propria 377.23
Vox Euangelij 4. offert 370.14
Vſus creaturarum ſit ſanctus per uerbum Dei 410.34
Vſus liber τῶν ἀδιαφόρων 496.23
Vſus uocabuli benedicere 247.3
Vſus uocabuli perfectus 330.36
Vtraq; concio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum eſt uniuerſalis 86.21.332.24
Vtraq; propoſitio eſt uera Fide ſumus iuſti, & in iuſto noua obedientia eſt neceſſaria 386.31

Z.

Zelus cum errore coniunctus 165.3

FINIS.

DISPOSITIO ORATIONIS, IN EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS,

PHILIPPI MELANTHONIS.

CLARISSIMO VIRO D. HERMANNO, COMITI NOVÆ AQVILÆ, DOMINO SVO, PHILIPPVS MELANTHON S.

QVIDAM IN LECTIONE HOC AGVNT VNVM, VT INSIGNES sententias excerpant, non hoc student, vt totam causam quamcunq; legunt, animo complectantur. Verùm, vt in statua disiecta, neq; de totius operis pulcritudine, neq; de partium symmetria iudicari potest, ita nullius autoris sententiam rectè perspiciet, si quis non cognouerit totum autorem. Et sæpè fit, vt fragmenta à reliquo auulsa corpore, deprauentur, nec accipiantur iuxta autorum voluntatem. Prodest igitur in vnaquaq; re disputationes integras animo complecti atq; tenere. Cùm autem Epistola ad Romanos præcipuum doctrinæ Christianæ locum tractet, ac veluti methodum vniuersæ scripturæ contineat, non satis est, vnum atque alterum ex illa versiculum decerpere. Tota legenda est, & considerandum, quomodo omnes inter se partes, omnia membra cohæreant, atque consentiant, & venanda certa, perpetua, & simplex sententia Apostoli, vt bonæ mentes de maximis rebus certò doceantur. Ad eam rem conducet ordinem orationis nosse, & argumentorum locos, quasi notas, vt agnosci possint. Ego igitur in hac Epistola totius seriem disputationis breuiter ostendi. Quos ad causam aditus faciat Paulus, vbi proponat, quomodo confirmet propositionem, locos etiam argumentorum propemodum digito indicaui, admonui vbi in causa commoretur, vbi paulisper à causa discedat. Hæc nisi viderit Lector non poterit adsequi certam autoris sententiam. Ac desiderari iure diligentia, non tantùm in recentioribus, sed etiam in veteribus potest, qui cùm in enarratione huius Epistolæ non attenderint orationis dispositionem, alicubi tanquam via lapsi, à voluntate autoris aberrarunt. Sed me fortasse nonnulli ridebunt, quòd orationem Pauli, ad vulgaria dicendi præcepta exigam. Verùm res loquitur ipsa, non sine certa ratione disputasse Apostolum. Nam, vt fuerit illiteratus, tamen omnes sani atq; ingenioſi homines in dicendo rationem aliquam adhibent, vt auditorem ordine de re doceant, & ne quid temerè admisceant alienum à causa. Concendant saltem communem sensum Paulo, si qui triuialem doctrinam adimunt. Nam vt maximè defuerit ei illa pars artis, quæ continet Elocutionem, tamen inuentionem ac dispositionem, quæ non tam doctrinæ, quàm mediocris cuiusdam prudentiæ sunt, concedi ei necesse est. Tametsi quædam etiam notæ liberalis doctrinæ in oratione Pauli comparent, quæ indicant eum has artes, quibus puerilis ætas instituitur ad benè dicendum, degustasse: verbis enim vtitur & figuris multis græcam doctrinam redolentibus, nec sine arte ratiocinatur. Nam & definit prudenter, & diligenter quærit causas, & fontes earum rerum, quas tractat, & videt ea quæ obsunt, & singulari artificio alias tollit, alias mitigat. Est & hoc ab arte sumtum, quòd argumentis addit epilogos, non ociosos, sed affectuum plenos, ac vehementiores illos motus, quos vocant πάθη, tempestiuè miscet lenioribus affectibus, qui vocantur ἤθη, in quibus mirificè valet. Ego igitur non modo inuentionis & dispositionis laudem

ei concedo, sed quandam etiam Elocutionis partem tribuo. Nam in verbis quoddam pondus est, & elegantia quædam, verùm aspergit interdum hebraismos, qui reliquis luminibus verborum officiunt. Ad hæc deest compositio, quàm sic vocant, hoc est ratio texendarum periodorum, quæ quia ad absoluenda membra sententiarum & argumentorum conducit, multum momenti solet ad perspicuitatem orationis afferre. At sæpè longius iusto fluit oratio Pauli, quia non est astricta periodis. Interdum argumentum, velut puncto designat, duobus aut tribus tantùm verbis, ita relinquitur imperfecta, & quasi mutila sententia. Talis solet esse sermo eorum qui compositionem negligunt, præsertim si breuitatem ament, vt est cernere in Salustij orationibus. Videmus autem Paulum penè Thucydideo more, breui exili, & confragoso genere orationis vti, quæ quidem plus aliquanto lucis haberet in tanta breuitate, si acceßisset aliqua compositionis cura. Sed faciam finem.

Tibi autem generosè comes hanc fœturam dedicaui, vt à me pignus aliquod meæ in te obseruantiæ haberes. Vale.

Spiræ Anno.

M. D. XXIX.

ARGVMENTVM EPI-
STOLAE PAVLI AD ROMANOS.

VALDE PRODEST IN VNIVERSÆ SCRIPTVRÆ LECTIONE

obſeruare, quòd duplex ſit iuſticia. Altera eſt politica, ſic enim docendi cauſa uocabimus, cùm opera bona, ſeu ciuilia, ratio humana efficit. Nec uidet aliam iuſticiam ullam humana ratio. Itaq; iudicat eiuſmodi opera ſufficere coram Deo ad iuſtificationem. Nec cultum Dei alium ullum exiſtimat, niſi opera illa ciuilia præſtare, non furari, non occidere, non mentiri, non mœchari, obtemperare magiſtratibus, moderari uoluptates. Et talibus operibus ſtatuit placari iram Dei. Interea non uidet immunditiem cordis humani, quod uacat metu Dei, fiducia erga Deum, & habet concupiſcentiam & omnis generis malos affectus. Semper igitur diſſenſio fuit p̃ꝫ cum mundo. P̃j aliam quandam iuſticiam præter illam hypocriſin operum docent. Mundus contrà ita defendit hypocriſin operum, ut doceat illa opera placare iram Dei, & iuſtificare coram Deo. At Euangelium longè aliam iuſticiam oſtendit, quę uocatur iuſticia fidei. Nam Euangelium docet Chriſtum filium Dei pro nobis datum eſſe, & iuſticiam coram Deo eſſe, credere quòd peccata noſtra propter Chriſtum nobis condonentur, ſeu quòd propter Chriſtum recipiamur in gratiam patris. Interea arguit noſtra peccata, & non tantùm externa delicta, ſed etiam immunditiem cordis damnat. Oſtendit humanum cor uacuum eſſe metu Dei, uacuum fiducia erga Deum. Oſtendit turpitudinem concupiſcentiæ flagrantis in membris noſtris. Itaq; negat nos poſſe placare iram Dei hypocriſi noſtrorum operum, & aliam iuſticiam prorſus arcanã, & incognitam mundo nobis monſtrat uidelicet eam, quam Paulus uocat iuſticiam fidei. Atq; hæc ita concipitur. Cùm uerbo arguuntur peccata, & perterrefiũt corda noſtra, ſi in his terroribus crediderimus nobis ignoſci peccata, & in gratiã patris nos recipi propter Chriſtũ, iuxta Euangeliũ. Ea fides erigit & conſolatur perterrefactas mẽtes. Ea fides eſt uerè iuſticia coram Deo. Ea fides placat iram Dei. Nulla noſtra opera placare poſſunt. Et cùm fidem concepimus, iam uerè ſcimus Deo nos curæ eſſe, nos à Deo defendi, audemus inuocare Denm, & petere & expectare auxilium. Nec ſine certamine contingit hæc fides. In omni uita dimicare nos oportet cum incredulitate noſtra, & hæſitantem conſcientiam uerbo & fide erigere. Hæc res prorſus eſt ignota mundo, qui nullam iuſticiam uidet, niſi politicam, quare maxima pars hominum hanc doctrinam irridet ac damnat non intellectam. Et homines philoſophi, ſi qui uolunt uideri non abhorrere à Chriſtiana pietate, tamen ſomniant Euangelium nihil docere aliud, niſi politicam iuſticiam, ſicut Ariſtotelis ethica docent, aut Cato, aut Phocylides. Hi ſententias ſcripturæ de iuſticia fidei, uariè cauillantur & eludunt. At ſancti uiri norunt territis mentibus nullam eſſe propoſitam firmam conſolationem, niſi in fide. Opera noſtra non poſſunt conſcientiam reddere tranquillam, Sicut teſtatur Dauid: Non ingredieris in iudicium cum ſeruo tuo. Cùm itaq; tanta ſit diſſenſio rationi humanæ cum Euangelio, Paulus ſcripſit epiſtolam ad Romanos, in qua hanc controuerſiam complexus eſt, ut de loco præcipuo Chriſtianæ doctrinæ non tantùm Romanos, ſed omnes Eccleſias doceret. Nam niſi hoc loco cognito, non poteſt intelligi, cur uenerit Chriſtus. Voluit igitur Paulus tanquam methodum Euangelij proponere. Quantum autem conducat in omni

doctrina methodum tenere,non ignorant homines mediocriter literati. Tota doctrina Christiana uersatur circa hunc locum, quomodo coram Deo iustificemur,seu quid sit iusticia Christiana. Hęc definitio caput & summa est uniuersæ doctrinæ Christianæ, quare hanc definitionem patefaciendam & illustrandam suscepit. Hæc satis sit hoc loco de consilio Pauli, & de argumento Epistolæ dixisse.

Propriè pertinet hæc Epistola ad genus didacticum, quia finis eius est,ut doceat nos,quid sit iusticia coram Deo. Potest tamen ad Iudiciale genus referri quia hoc quoq; ad docendum accommodatum est. Status Epistolæ finitiuus est. Nam iusticia Dei definitur hoc modo. Iusticia Dei est credere,quòd propter Christum recipiamur in gratiam patris,sine nostris meritis, &c. Vocat autem sua phrasi iusticiam Dei hanc, qua Deus reputat nos iustos, seu qua nos sumus iusti coram Deo,opponitur enim carnali seu humanæ iusticiæ,quæ sic appellatur ab efficiente causa, qua caro se iustificat, aut iustam efficit.

Et quia optimum interpretandi genus est οἰκονομίαν orationis ostendere, seriem omnium locorum, propositionum & argumentorum annotauimus, ut genuina sententia Pauli cerni possit, & intelligi quomodo consentiant inter se singula membra disputationis. Nam conscientiæ ita muniendæ sunt, ut certò sciant sententiam scripturæ de tantis rebus, ut firma & certa præsidia habeant, ad quæ in tentationibus se recipiant.

LOCI EXORDII.

EXordium continet locos, quibus beneuolentia de more captatur.

BENEVOLENTIA.

IN priore affectus est, coniunctus cùm præconio Romanorum. Ago gratias Deo, quòd creditis. Posteriore loco, officium defert illis. Cupiebam ad uos proficisci,ut uos docerem, sed sum impeditus. Et subiectum est legans epiphonema ex generali sententia ex officio Apostoli ductum : Græces & Barbaris sapientibus & insipientibus debitor sum. Nam boni Episcopi pro uiribus iuxta omnes discere cupientes,adiuuare debent, & attemperare se captui discentium. Aliter tractandi sint imbecilles,aliter isti quos apparet esse firmiores.

ATTENTIO.

EST & additus locus attentionis ab Euangelij dignitate. Non pudet me Euangelij,tametsi mundus oderit, aut aspernetur. Quam sententiam confirmatio seu αἰτιολογία sequitur, quia Euangelium est potentia Dei, id est, per Euangelium Deus est efficax, mouet corda ad credendum, & eam fidem imputat pro iusticia. Et addita est eius rationis comprobatio ex definitione Euangelij, nam Euangelium docet iusticiam, quæ coram Deo iustificat. Dialectici caput artis esse docent, rectè definire, ac definitionem diligenter inculcare discenti. Hîc igitur meminerit lector quid Euangelium sit, quid in summa contineat,quis proprius, ac præcipuus Euangelij locus sit. Ita facilè intelligi poterit,quomodo à lege,quomodo à Philosophia differat. Nam Euangelium patefacit iusticiam fidei, quòd coram Deo iusti habeantur, qui credunt se propter Christum in gratiam recipi. Lex aliam quadam iusticiam docet,Philosophia ciuilitatem morum tradit, procul igitur ab Euangelio distant. Quanquam autem infrà ponatur propositio,& totius disputationis status aliquantò pluribus uerbis

uerbis demonſtretur, tamen & hîc exordio ſummam diſputationis, uelut proponens, breuibus uerbis inſeruit, quòd Euangelium patefaciat iuſticiam, nempe quòd credere in Chriſtum, iuſtificet & pacificet corda.

PROPOSITIO.

FIdes eſt iuſticia. Additum eſt Prophetæ teſtimonium, Iuſtus ex fide uiuet.

PROPOSITIONIS EXPOLITIO, ET REPETITIO.

QVia pluribus uerbis principalem propoſitionem, quam modò leuiter attigit, explicabit, ideo præponitur quædam propoſitio, per quam gradum ad principalem facit. Eſt autem uelut ex contrario ſumta. Homines natura non ſunt iuſti, nec poſſunt operibus ſuis iuſtificari. Huic deinde opponit principalẽ propoſitionem: Fide iuſtificantur homines. Priorem his uerbis proponit. Euangelium arguit omnes homines quòd ſint impij, ſeu contemtores Dei & peccatores, Nam Euangelium prædicat pœnitentiam, quare ſtatim initiò arguit peccata.

Huic generali propoſitioni eſt ſubiecta Rhetorica diſtributio, quæ partitur propoſitionem in membra. Gentes accuſantur & Iudęi. Hæc membra ordine tractantur, Gentes non glorificauerunt Deum. Amplificat ab effectibus, nam impietatis fructus poſtea per congeriem recenſentur, qui non glorificant Deum traduntur in reprobum ſenſum, ut ruant in uaria peccata, fiant mœchi, homicidæ, fures.

CAPVT SECVNDVM.

OBiter hoc loco inferitur occupatio, quare Paulus diſcedere ab inſtituta propoſitione uidetur. Diligenter autem conſideret lector, ubi Paulus ad propoſitum redeat, ut perpetuum ordinem diſputationis obſeruet. Et tanquam diſimulans egreſſiones, in quas nõnunquam pauliſper expaciatur Apoſtolus, meminerit principalia diſputationis membra, & det operã, ut illa rectè connectat & coagmentet. Eſt autem occupationis ſententia. Quomodo arguis omnes homines, cùm multi apud Gentes honeſtè uixerint, ut Socrates, Ariſtides, Cato, Pomponius Atticus, Iudęi etiam legis opera faciunt. Videtur igitur iniuſta Euangelij uox, quòd omnes ſint peccatores, quòd ſine Euangelio nemo ſit iuſtificatus. Paulus reſpondet, eos qui honeſta opera fecerunt, tamen fuiſſe hypocritas. Euangelium autem arguit, non tantùm externa delicta, ſed multò magis impura corda. Et ſumta eſt occaſio occupationis ex illa ſententia, reos eſſe non tantùm qui faciunt, ſed qui etiamſi non faciant, tamen conſentiunt, id eſt, in corde impuros adfectus habent.

Noſtris temporibus quidam ſimiliter diſputant aduerſus eos, qui fidei iuſticiam defendunt. Negant omnes homines natura ſub peccato eſſe, & contendunt quòd bonis operibus iuſtificari queant. Hi tantùm externam & ciuilem iuſticiam requirunt. At Euangelium oſtendit corda eſſe impia, ſine fide, ſine timore Dei, propterea aliam quandam iuſticiam patefacit Euangelium.

Huic obiurgationi, addita eſt adhortatio, qua etiam hypocritas uocat ad pœnitentiam. Et ſicut in locis ſuaſorijs utimur comminationibus, ita Paulus adiecit comminationem. Incredulis ira &c. Et à perſonis amplificatio accedit, Iudæos & Gentes pariter iudicari, quia qui ſine lege peccant, ſine lege pereunt, qui in lege peccant, per legem iudicabuntur.

Sequitur correctio,cùm antè dixisset,Gentes sine lege peccare,corrigit & interpretatur id dictum,Gentes habere legem in cordibus scriptam. Et definit eam legem,conscientiæ iudicium esse,quæ uel excusat uel accusat opera. Hic locus planissimè docet,quid sit lex naturæ,quam sic uocant in scholis.Est enim iudicium illud naturale mentis, quod uel probat uel improbat opera.

ECCE AVTEM TV IVDÆVS.

REdit ad institutam distributionem, & alterum membrum absoluit, quòd Iudæi sint impij, tametsi opera legis faciant. Et amplificat hoc membrum per congeriem multorum uitiorum,& per antitheses, in quibus significat illos foris facere legis opera, & tamen corda immunda habere.

CAPVT TERTIVM.

HIc uerò magna difficilisq; quæstio exoritur. Nam cùm pariter condemnet Iudæos ac gentes, necesse est quærere, quid conducat lex, cur Iudæi populus Dei uocentur,Si lex non iustificat,quare lata est?Si Iudæi non præstant gentibus, quare uocantur populus Dei? Nihil'ne inter Iudæos ac gentes interest? Inseritur igitur paucis uerbis hæc quæstio. Ad quàm bifariam respondet. Et quod mireris,uidentur responsiones inter se pugnare. Primùm ait,Iudæos multum præstare gentibus. Deinde uelut retractans proximam sententiam inquit, Iudæi nihil præstant gentibus.

Sed intelligemus has sententias non pugnare inter se,si considerauerimus ubi præstent Iudæi, ubi non præstent. Excellunt inquit,quod ad promissiones attinet. Nam est aliquid habere uerbum,ac promissiones ad eos pertinere. Cæterùm nihil excellunt Iudæi,quod ad meritum attinet.Non enim iustificantur suo cultu,aut operibus legis.Nondum tamen satis explicat hanc quæstionem, cur lata sit lex, Tantùm obiter & in transcursu attingit, & significat Iudæos à gentibus separatos esse,non ut isto cultu mererentur iusticiã, sed quia oportuit existere certum aliquem populum,in quo promissiones de Christo reuelarentur,in quo testimonia de uerbo Dei manifesta & certa extarent,infrà Cap.5.& cap. 7. latius exponet, quòd lex non sit lata,ut iustificet.

Obiter etiam quæstiones aliæ quædam inseruntur. Si promissiones pertinent ad Iudæos,cur tam pauci crediderunt? Hanc quæstionem infrà in cap.9. repetit.Nunc uelut intempestiuam omittit ac properat ad principalem propositionem,ne uideatur oblitus instituti sui.Ac sanè prudentia est uidere quomodo paulisper euagatus redeat ad propositum.

Hîc ergo recurrit ad membra distributionis,& ut in Epilogo seu conclusione fieri debet, coniungit utrumq; membrum, Omnes homines tùm Iudæi, tùm gentes sunt sub peccato,id est, sunt rei mortis æternæ, habent uerè peccatum,contemtum Dei,& concupiscentiam. Nec possumus à peccato,aut æterna morte liberari nostris operibus,aut lege.Addit testimonia ex Psalmo & aliunde.Et in fine est addita propositionis interpretatio quædam, ut intelligamus non tantùm apertè flagitiosos accusari,sed etiam illos ipsos,qui bonis operibus conantur mereri iustificationem. Ideo inquit: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Hanc sententiam in primis oportet meminisse, quia nonnulli hunc Pauli locum ciuiliter interpretari conantur, & disputant Paulum non hoc uelle, quòd omnes homines natura sint sub peccato, sed tantùm accusare illos,quorum mores apertè mali sunt. Et quia magna huiusmodi multitudo est,

est,aiunt eum Synecdoche uti, & omnes arguere, cùm interim aliqui boni sint, quorum mores non possint reprehendi, ut Pomponius Atticus, Aristides, hos contendunt naturæ uiribus & operibus iustificari.Sed Paulus hanc calumniam refutat, ac ne quis Synecdochen comminisci posset,exceptionem disertè repudiat, & illam hominum partem reuocat ad uniuersalem propositionem: Omnes sunt sub peccato.Et quò clarior esset res, non de personis loquitur, sed de re,quæ exceptionem uidetur parere. Ex operibus legis,inquit,nemo iustificatur. Non poterat magis propriè loqui Apostolus.Et in tanta proprietate sermonis, tamen quærunt isti quod cauillentur. Hoc ipsum, inquit, quod excipis ego complector,ego accuso,ego damno.Itaq; contra Pauli sententiam hoc loco Synecdochen confingunt.Sed error inde oritur, quòd somniant in Pomponio Attico & similibus non esse peccatum. Et iusticiam Dei uocant tantùm ciuiles mores,non etiam requirunt noticiam Dei,fidem seu fiduciam erga Deum,breuiter operibus secundæ tabulæ contenti sunt, primæ tabulæ οὐδὲις λόγος. Non sentiunt peccata esse in Attico,ignorationem Dei, diffidere Deo, uacare metu Dei,confidere propria prudentia &c.

Accedit breuissima occupatio de usu legis. Necesse est enim lectori non stulto in mentem uenire hanc quæstionem.Quòd si legis opera non iustificant, cur igitur lata est lex? uidetur extremè absurdum,legem ferre,si legis opera non iustificant.Paulus respondet & nouam ac inauditam mundo sententiam ponit. Lex lata est,ut per eam cognoscatur peccatum,ut arguat peccatum,non ut aboleat. Porrò cognoscere peccatum est uerè terreri conspectu peccati. Nondum enim nôrunt peccatum,qui non expauescunt, Nondum enim apud se uerè sentiunt, quòd Deus offensus irascatur. At peccatum est, quòd offendit Deum, & cui Deus succenset. Sed de usu legis infrà copiosè docebit lectorem.

STATVS TOTIVS EPISTOLÆ.

NVnc demum peruenit ad principalem propositionem,quæ est huius totius epistolæ status. Vt autem Architectus totam ædificij formam in animo inclusã habet,& uidet quomodo omnes inter se partes consentiant. Ita nos in legendis grauibus disputationibus, omnium propositionum atq; argumentorum seriem oportet animo complecti. In primis autem meminisse statum necesse est, qui continet negotij summam, ad quem omnia argumenta tanquam ad caput referuntur.Et quemadmodum illi,qui iaculantur ad certum scopum dirigunt telum,ita omnis animi cogitatio ad statum,uelut ad scopum dirigenda est.Proinde in hac Epistola in primis obseruandus est hic locus, hæc principalis est totius causæ propositio,hæc definitio est Christianæ iusticiæ, quòd iusticia sit credere,quòd propter Christum in gratiam patris recipiamur, quòd Christus sit redemtor & propiciatorium,quòd propter eum gratis,sine nostris meritis iustificemur,si credamus.

Propositio aliquantò pluribus uerbis uestita est.Accedunt enim circumstantiæ.Hæc iusticia quæ patefit in Euangelio, olim & à Prophetis prædicata est,Item ex contrario. Christus apparuit sine lege.

Est & hæc particula inter insignes huius Epistolæ sententias magnopere obseruanda, quòd SINE Lege reuelata sit iusticia Dei. Docet autem non ue-

nisse Christū,ut legem ferret,ut per nostra opera mereremur iusticiam: Sed ue nisse,ut gratis sine nostris meritis credentes iustificaret. Memini scholasticos anxiè quærere,quas leges præter decalogum antea reuelatum,Christus tulerit. Atqui nulla noua lex quærenda est. Hîc manifestè Paulus separat ab Euangelio legem,ac docet Christum adferre iusticiam gratis sine nostris meritis,Christum non esse legislatorem,sed redemtorem. Lex per Moisen data est, per Christum donatur remissio peccatorum & spiritus sanctus. Addita est circumstantia etiam,ad quos pertineat iusticia reuelata in Euangelio. Ait enim in omnes,& super omnes credentes, & repetit primam propositionem, omnes peccauerunt, & omnes sunt uacui gloria Dei, id est,noticia Dei,fiducia erga Deum. Sumsit ornamentum etiam ex typis. Christus est propositus,ut sit propiciatorium, sed per fidem, quasi dicat, Christum esse uerum illud propiciatorium, per quod patet aditus ad patrem. Sicut apud propiciatorium in tabernaculo promiserat Deus,se auditurum esse uota & preces pontificis: Sed cesso omnes propositionis circumstantias recitare. Non enim scribo commentarium. Cæterùm meminerit lector propositionis summam, & eam dialectico more comprehendat. Iusticia coram Deo est,credere quòd propter Christum donetur nobis sine nostris meritis iusticia, & remissio peccatorum. Atq; hæc definitio est iusticiæ Christianæ. Sic enim docendi causa uocabimus,cùm Paulus uocet iusticiam Dei,scilicet,qua nos coram Deo iusti sumus,seu qua nos Deus reputat iustos. Clarius hæc intelligentur cùm definietur etiam humana iusticia seu ciuilis iusticia,quæ colligitur nostris uiribus & operibus, & cùm fiet comparatio definitionum. Quantæ autem consolationes in hoc loco territis conscientijs propositæ sint, nulla uox humana pro dignitate explicare potest. Etiamsi desint opera,tamen credamus nos propter Christum à patre in gratiam recipi gratis. Nam hæc iusticia sine lege patefit,Blasphemia est in Christum,& propiciatorij prophanatio,non accipere consolationem,non erigi,oblata per Christum iusticia,sed desperare,quia desint nobis opera bona. Est & blasphemia eligere opera hac spe & opinione,ut per ea iustificemur. In hanc sententiam sequitur amplificatio,Excluſa est gloriatio.

Sumta est autem amplificatio propositionis ex finali causa. Si opera legis iustificarent,finis operum esset mereri gratiam. Esset & fiducia nostri seu gloriatio finis. Nunc cessante causa,ut aiūt,cessat effectus, Operibus nostris adimitur iustificatio. Ergo adimitur nobis fiducia nostri, & gloriatio. Non ideo magis meretur iustificari Ioannes quàm Magdalena, quia Ioannes continenter uixit. Atq; hîc obiter repetitur propositio: Arbitramur hominem iustificari fide, & excludit contrarium, sine operibus legis. Ad hunc modum detrahit fiduciam nostris operibus,& satisfactionibus. Sequeretur enim fiducia nostri, tanquam finis,opera si iustificarent.

Breuis occupatio addita est: Num abolemus legem? Nam omnibus sanis hominibus,cùm audiunt non mereri nos operibus iusticiam, non magis Ioannem mereri iusticiã, quàm Magdalenã: necesse est in mentẽ uenire, quòd liceat turpiter uiuere, quòd lex ita aboleatur, ut peccandi licentia concedatur. Paulus breuiter respondet ad hanc obiectionem, nam infrà eadem quęstio copiosè tractabitur. Imò inquit non abolemus legem, sed perficimus, quia lex requirit à nobis iusticiam coram Deo. At qui in Christum credit, iam est iustus coram

Deo,

Deo,habet ergo legis finem, tametsi peccatum adhuc in carne hæreat. Et tamen idem uerè iam agnoscit Deum,uerè sentit Deum nobis adesse, seruare ac defendere credentes. Hæc primæ tabulæ impletio est. Item concipit omnis generis bonos affectus,ita secundæ tabulæ obedit, datur enim Spiritus sanctus,qui nouos motus in animis,& noua opera parit.

CONFIRMATIO. CAPVT IIII.

IN omni disputatione propositionem sequi debet confirmatio, in qua exponuntur argumenta, quæ propositioni fidem faciunt. Et hanc docentium consuetudinem Paulus secutus est. Sic igitur hoc caput legi debet,ut non diuellatur à propositione: Semper enim oportet propositionem ob oculos uersari, ut dialectica consuetudine cum argumentis coniungatur,eaq; claudat. Nam Paulus breui genere orationis usus est,quare uix unquam reperias apud eum integrum Syllogismum,habet crebra & densa enthymemata, quæ à lectore parum attento non statim cerni possunt, nisi dialectico more distinguantur & explicentur.

Est autem exorsus confirmationem à quadam occupatione,ut uiam sibi sterneret ad Abrahæ exemplum. Iudæi enim sentiebant Abraham circumcisione & alijs bonis operibus meritum esse iusticiam. Nam cùm circumcisio nominatur, totus cultus intelligi debet,& in his etiam opera moralia. Itaque neutiquam obscuris uerbis affirmat, Abraham non habuisse laudem coram Deo propter iusticiam carnis,id est,propter honesta opera,quæ natura suis uiribus efficit. Coram hominibus iustificat ciuilis iusticia,non coram Deo.

Primum argumentum ab exemplo ductum est,Abraham pater est populi Dei,in quo forma iustificationis proposita est:porrò Abraham fide iustificatus est,Igitur & cæteri fide iustificantur,non operibus. Et accedit testimonium ex Genesi:Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iusticiam. Definitionem colligit ex uerbis scripturæ. Nam in sacris literis plurimum ualent testimonia scripturæ. Nec de uoluntate Dei iudicari potest,nisi ex uerbo Dei. Ideo conuenit allegari scripturam & per eam ostendi, quòd Deus pronunciet fidem esse iusticiam nostram, quæ ipsi placeat. Quidam βέβηλοι cauillantur hunc locum, & disputant Paulum abuti Geneſis testimonio,quia detorqueat ad fidem in Christum,cùm illic non fiat Christi mentio,sed posteritatis. Sed illi calumniatores nihil intelligunt fidem esse,nisi historiæ noticiam. At scriptura uocat fidem,quæ credit Deum esse placatum,propicium,quæ confidit auxilio Dei,quę audet expectare & poscere auxilium à Deo. Talis erat Abrahæ fides. Et semper ista fides complectitur Christi noticiã, quòd pater nos recipiat in gratiam, non propter nostra merita,sed propter Christum. Et nôrat Ahraham promissum semen esse,in quo benediceretur gentibus. Itaq; cùm laudatur fides Patrũ quam in corporalibus bonis exercuerunt,tamen semper coniungi debet fiducia gratię ac misericordię Dei. Quomodo enim possunt corporalia bona à Deo expectare isti,qui non sentiunt se habere Deum propicium ac placatum. Nôrant autem patres omnes se recipi in gratiam à Deo propter promissum Christum, Sciebant non placari iram Dei nostris meritis aut operibus. Quoties igitur hîc fidei nomen usurpatur,intelligi debet,non tantùm historiæ noticia quòd Christus passus sit,sed etiam causę cognitio,cur sit passus Christus. Nam id quoq; ad historiam pertinet. Nôrunt dæmones etiam & impij homines Christum passum esse, sed non credunt sibi Patrem propter Christum placatum esse,se diligi ac defendi à Deo. Sed redeo ad Pauli argumentationem.

Postquam

Postquam recensuit uerba Geneſis,incipit urgere Emphaſin uocis,imputare,& definit imputationem esse gratuitam. Ita ex illo loco Geneſis noua argumenta nascuntur,dum eum interpretatur,& amplificat.Quòd autem imputatio sit gratuita, ostendit ex Psalmo. Erit igitur secundum argumentum ex Psalmo ductum.

Iustificatio est remissio peccatorum:

Ergo iustificatio non contingit ex nostris operibus.

Item iustificatio est, non imputari peccata, Ergo iustificatio non est ex nostris operibus.

Consequentiæ ratio est, quia necesse est omnia opera eiusmodi esse, quæ pro peccatis imputari possent, siquidem nihil est aliud iustificatio, quàm non imputari peccata.Etiamsi bona opera habeat quispiam, tamen ita iustus erit,si non imputetur peccatum,iuxta Dauidis definitionem.Ergo illa ipsa bona opera sunt eiusmodi,ut pro peccatis imputari possint.Mira huius argumenti subtilitas est,& ad consolandas & erigendas territas mentes magnopere conducit, intelligere hanc iustificationis definitionem, quòd iustificatio propriè sit remissio peccatorum. Nec intelligi ista possunt, nisi in ueris pauoribus & uera pœnitentia,ubi facile est sentire,quomodo nullum opus nostrum sustentet nos & consoletur aduersus iudicium Dei.

Tertium argumentum sumtum est ex ordine causæ & effectus.Abraham iustificatus est ante circumcisionem, Ergo circumcisio non iustificat.Nam causa prior est effectu.

Et ut cogitationi lectoris tacitæ satisfaciat,addit quis sit usus circumcisionis.Est signum, inquit, iusticiæ fidei. Hinc discimus, quis sit usus sacramentorum.Sicut uerbo fides concipitur,ita signis erigitur & confirmatur. Vt præclarè Augustinus ait. Sacramentum est uerbum uisibile, docens eundem usum esse uerbi & Sacramenti.

Quartum argumentum ductum est ex causarum natura. Iusticia est promissa Abrahæ,sine lege. Nam lex postea est:Ergo lex non iustificat. Verùm hoc argumentum non pertractatur hîc,sed in Galatis.

Quintum argumentum est ex causa finali.

Frustra promittitur iusticia, si nos ipsi possumus eam efficere,

Sed est promissa à Deo,

Ergo nos non possumus efficere iusticiam.

Sextum argumentum ex natura relatiuorum ductum est:

Omnis promissio fide accipitur,

Iusticia est promissa,

Ergo iusticia est fide accipienda.

Hoc argumentum diligenter obseruandum est ad tractandas promissiones in uniuersa scriptura,ut ubiq; sciamus fidem requiri,ubi promissiones dantur. Et sciamus fidem non in opera nostra, sed in uerbum & ueritatem Dei collocandam esse. Adparet etiam ex hoc loco Paulum uocare fidem,non tantùm historiæ noticiam,sed multò magis fidem quæ assentitur promissioni Dei. Augustinus hunc locum alicubi dextrè tractauit, & rectè perspexit Apostoli sententiam.

Septimum argumentum ex contrarijs effectibus sumtum est.

Lex iram parit.

Non

Non igitur parit gratiam.

Antecedens declarari per Soriten poteſt, quem Paulus inſtituit,ſed non abſoluit.

Lex cum uiolatur accuſat & perturbat conſcientiam.

Perturbata conſcientia fugit ac timet iudicium Dei.

Odit igitur Deum.Paulus ſuo more tantùm antecedens Enthymematis poſuit.Lex iram efficit,conſequens non addit.Plus autem lucis haberet oratio, ſi non interdum relinquerentur huiuſmodi mutila argumenta, & pendentia. Quare boni artifices compoſitionem & periodos adhibent, ad abſoluenda argumenta.Porrò ſententia horum uerborum eſt.Lex iram efficit,id eſt terrores conſcientiæ,deſperationem, & odium Dei. Hinc facilè intelligi poteſt, quòd lex non iuſtificet,ſiquidem deſperationem & odium Dei, non pacem conſcientiæ,& amorem Dei gignit.

Concluſio confirmationis eſt.Ideò ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio.Hîc obiter lectori in memoriam redigit ſextum argumentum, promiſſionem non futuram firmam,ſi conſcientia debeat ad opera reſpicere. Semper enim ambiget conſcientia an habeat propicium Deum.Semper enim dubitabit,utrum hæc opera,quæ effecit, ſufficiant, ſi tamen opera aliqua effecerit,in quibus nihil uidet uitij.Proinde non habebit conſcientia firmam conſolationem aduerſus deſperationem, niſi nuda promiſſione Dei ſuſtentet ſe. At hoc abſurdum eſt, cùm Deus promiſerit,non confidere ueritate Dei magis, quàm noſtris operibus. Has ſententias breuiſſimè complexus eſt Paulus,cùm inquit, ut ſit firma promiſſio.

Poſt concluſionem amplificat inſtitutum exemplum Abrahę, ex quo propemodum omnia argumenta nata ſunt.Et fidem Abrahæ grauiſſimo encomio ornat, ut in hac imagine oſtendat, quomodo fides uerſetur circa res poſitas extra conſpectum rationis, & ſuprà naturam.

Poſtremo exemplum ad nos accommodat,iuxta artis præcepta,inquiens noſtra cauſa hæc ſcripta eſſe de Abraham, & formam iuſtificationis in illo oſtenſam eſſe.

CAPVT QVINTVM EPILOGVS.

IN omni diſputatione præcipua membra ſunt,Propoſitio, & confirmatio. In quę lectorem ſemper oportet oculos atq; animum defigere.Quare ad reliquas partes contemplandas,ita properent oculi, ut tamen ad ſuperiora membra ſæpè reſpiciant.Eſt autem Epilogus mira arte factus.Primum repetitur propoſitio, Poſtea amplificatur ab effectibus fidei. Efficit enim fides tranquillitatem conſcientiæ,& erigit in omnibus pauoribus & afflictionibus.Tertio addita eſt conſolatio.

Propoſitionis repetitio eſt. Iuſtificati ex fide.

Effectus fidei,pax eſt erga Deum, ſeu gaudium conſcientiæ.Ideò ſequitur, Pacem habemus erga Deum per Dominum uoſtrum Ieſum Chriſtum. Pergit effectus commemorare,hæc fides ſuſtentat & conſolatur nos in afflictionibus. Et hic facit rhetoricam gradationem,ſeu ut græci uocant κλίμακα, ut clarius cerni poſſit,ubi fides exercenda ſit.

κλίμαξ.

Tribulatio patientiam.

Patientia probationem.

Probatio

Probatio ſpem efficit.

Spes autem non confundit.

In prioribus gradibus ponit cauſam cur Deus adfligat, ſcilicet, non ut perdat, ſed ut occaſionem habeamus exercendæ fidei, & ut in his duretur & confirmetur fides, ſeu ſpes. Nihil enim opus eſt fidem à ſpe ſubtiliter diuellere, ſunt enim cognati affectus.

Addit cauſam efficientem fidei, nam Spiritus ſanctus effuſus in ſanctos efficit fidem, ut ſentiant ſe à Deo diligi.

Deinde conſolatio ſequitur, ab amplificatione amoris Dei erga nos ſumta. Nam deſperabundę conſcientiæ dubitant de amore Dei erga nos. Has erigit Paulus, amplificatione amoris Dei. Et ſunt Enthymemata ex maiore ducta. Si recepti ſumus in gratiam, cùm adhuc peccatores eſſemus, quantò magis iuſtificati nunc ſeruabimur? Hoc enthymema repetitur. Et ſunt inſertæ amplificationes ex genere mortis. Nemo cùm debet, libenter moritur. At Chriſtus mortuus eſt pro nobis, quibus nihil debebat.

Hactenus quæſtio, Quid ſit iuſticia Chriſtiana, agitata eſt, & abſoluta contentio, quam ſic uocant rhetores. Nam confirmatio, quæ eſt in contentione præcipua pars, pertractata eſt, & additus Epilogus, qui clauderet diſputationē Nunc ueluti nouum librum inſtituet, nam finita contentione, incipit ſimplices uoces explicare, quæ in hac controuerſia præcipuæ ſunt. Eſtq; hæc, ut Ariſtotelico more dicam, ἀνάλυσις μεθοδική. Suprà poſuit propoſitionem, omnes eſſe ſub peccato. Nunc diſſoluit membra propoſitionis, & docet unde ſit peccatum & qui ſint effectus peccati. Docet item, qui ſint legis effectus. Item quid ſit gratia. Atq; hi ſunt præcipui loci doctrinæ Chriſtianæ, quos qui non tenet, non poteſt intelligere uel quid ſit Euangelium, uel cur apparuerit Chriſtus. Diligenter igitur meminerit lector, ſuperiorem Epiſtolæ partem fuiſſe quandam contentionem. Hanc uerò quæ ſequitur, pertinere ad eam Dialecticæ partem, quæ ſimplices uoces definit, ac ueluti nouum librum eſſe, qui tamen aliquid lucis afferet contentioni ſuprà abſolutæ.

COMPARATIO PECCATI, LEGIS & Gratiæ.

Hic incipit de cauſa peccati dicere: Propterea ſicut per unum hominem &c. Et ordine has ſententias tradit.

Cauſa peccati.

Peccatum per Adam propagatum eſt in omnes poſteros.

Effectus peccati.

Per peccatum mors peruaſit ad omnes homines.

αἰτιολογία.

Quia omnes peccauerunt.

Circumſtantia quàm diu.

Etiam cùm lex data eſſet, tamen manſerunt peccatum & mors in mundo, nec aboleuit lex peccatum & mortem.

Circumſtantia, ad quos.

Mors ſæuit in illos etiam, qui non admiſerunt actualia peccata, ut uocamus.

Hic locus teſtatur omnes homines naſci cum peccato. Id nunc uocant peccatum

catum originis,Paulus non addidit cognomẽ,tametsi de peccato originis haud dubiè loquitur. Sed aptè eodem nomine peccatum originis & fructus complectitur. Postea sancti uiri coacti sunt discernere appellationes,peccati originalis & actualis, cùm impij Pelagiani nomen peccati detorquerent tantùm ad actualia flagitia, non ad naturæ morbum, sicut nostra ætate quidam prophani doctores philosophantur.

Vnde Gratia.

Gratia, & donum per gratiam, per unum Iesum Christum exuberat in multos.

Nomen gratia significat remissionem peccatorum,seu ut grammaticè exponam,fauorem. Donum per gratiam significat Spiritum sanctum, qui effunditur in corda eorum,quibus peccata remittuntur,qui sanctificat & uiuificat & nouam creaturam gignit. Quoties gratiæ mentio fit,hæc duo complectitur scriptura,remissionem peccatorum,& donationem Spiritus sancti, ut infrà,rursus in octauo capite clarè dicetur. Errant igitur qui disputant aliquos in gratia esse tametsi Spiritum sanctum non habeant.

Comparatio peccati & gratiæ.

Longè uberior est gratia, quàm peccatum, quia gratia abolet multa peccata, tùm originale tùm actualia, quantumuis atrocia. Et tametsi peccatum hæreat in sanctis,tamen uincit gratiæ magnitudo,ne peccatum regnet, & occîdat eos, magna consolatio in hoc loco posita est. Nam cùm uberior sit gratia, quàm peccatum,sentire debemus,nulla tam atrocia esse peccata, quæ non superet amplitudo gratiæ.

Effectus gratiæ.

Gratia non modò peccatum abolet,sed etiam mortem. Si unius Adæ delictomors regnauit,multò magis regnabunt in uita per unum Iesum Christũ illi, qui exuberantem gratiam & donum iusticiæ accipiunt. Obserua in particula, multò magis περισσοτερον gratiæ, quòd superet peccati uim & magnitudinem.

De Lege.

Cur lata est lex? nam ratio humana iudicat leges ideò ferri,ut prohibeant peccata. Sed Paulus longè aliter pronunciat de lege: Per legem abundauit peccatum. Hanc sententiam aliquanto post declarabit in 7. capite. Et quomodo ualde absurda uidetur,nunc statim mitigat ea quæ obijci possunt,quę tamen,ut facilius intelligantur,nos antea breuiter de legis officio dicemus.

Legis duo sunt officia: Primum est cohercere impios. Vult enim Deus politica iusticia contineri malos,ne noceant, De hoc effectu legis loquitur Paulus ad Timotheum,ubi ait,legem iniustis positam esse. Neq; uerò hæc disciplina est iusticia coram Deo, sed tantùm ad politiam ac magistratus pertinet. Et omnes leges latæ ab hominibus, ab his qui tenent respublicas scriptæ etiam à philosophis,tantùm de hac externa disciplina intelligi debent,quæ quidem est necessaria,tametsi non est iusticia coram Deo. Nec Paulus sic intelligi debet,cùm ait, lege augeri peccatum, quasi nolit coherceri foris impios & carnales, aut sentiat incitari homines, ut plura delicta foris admittant.

Alterum officium legis est ostendere peccatum, & terrere conscientias. Hoc cùm fit,corda naturaliter irascuntur iudicio Dei,& concipiunt odium Dei Sic lex auget peccatum,ut infrà exponet Paulus. Negat itaq; disciplinam externam esse iusticiam, & docet legem ut plurimum efficiat, tantùm terrere con-

 scientias,

scientias,& occidere.Sicut ad Corinthos scribit, Aculeus mortis peccatum est, potentia uerò peccati,lex.Hinc quæstiones illæ oriuntur in cap. sexto.

DIGRESSIO. CAPVT VI.

CVm sententia iam posita de lege & operibus ualde absurda uideatur, reclamat humana ratio.Si nihil prosunt bona opera ad iustificationem,indulgebimus igitur genio, & peccabimus.Satis erit credere in Christum. Ita tandem fiet multò locupletior gratia, quia si pergimus peccare, plura peccata abolebit. Prorsus eadem obijciuntur & nunc istis, qui defendunt iusticiam fidei. Prudenter enim uidit Paulus,quomodo abhorreat hæc doctrina à iudicio rationis. Quidam prophani homines Paulum adeo putant crassum fuisse,ut non uiderit se parum consentanea rationi dicere, & miras hyperbolas comminiscuntur, ut medeantur eius orationi, ne dissentiat ab humano iudicio. Ille uerò & uidit se aliena à iudicio rationis tradere, & ne quis suspicari posset, has sententias ei λεληθότως & parum animaduertenti excidere, agitat argumentum rationis,& prolixè rhetoricatur, & non tantùm illius seculi, sed omnium temporum calumnijs respondet.

Prima occupatio.

Obiectio. Si bona opera non merentur iustificationem,pergamus igitur peccare.

Responsio sumitur ex duobus locis. Ex causa finali, & ex causa efficiente.

Ex causa finali,fit inuersio. Imò ideo iustificati estis, ut bene operemini. Vt si quis hoc modo argumentetur. Labor non prodest ægroto,Ergo etiam curatus nihil agam. Respondendum erit per inuersionem ex causa finali. Imò ideo curatus es,ut deinceps labores.

Statim subijcit causam efficientem, ubi quoniam est Antithesis, ideo duo membra sunt sententię. Ego duobus syllogismis includam totam Pauli sententiã.

Syllogismus negatiuus.

Mortua natura non est efficax:

Vetus natura in uobis est mortua. Nam uetus homo crucifixus est cum Christo:

Ergo uetus natura in uobis non debet esse efficax.

Syllogismus affirmatiuus.

Noua natura debet habere nouos fructus:

Vos non tantùm mortui estis, sed etiam uiuificati cum Christo, ut in noua uita ambuletis:

Ergo debetis nouos fructus afferre & benè operari.

Epilogus est,Non ergo regnet peccatum.Continet autem adhortationem, miscentur enim disputationibus interdum loci suasorij. Propositio est Epilogi, Non regnet peccatum &c.

Αἰτιολογία addita est à possibili,seu facili, quia peccatum non dominabitur uobis.Ergo potestis iam benè operari.Antecedentis sententia est. Habetis iam conscientias certas de Dei beneuolentia:Certò scitis Deum uobis adesse,uos adiuuare.Non absterret uos peccatum, quia condonatum est. Ad hæc non habet uires, ut ad mala opera rapiat eos,qui à Spiritu sancto gubernantur. Fortior est Christus,quàm peccatum.

Paulus

Paulus probat hoc antecedens his uerbis. Non estis sub lege, sed sub gratia, Ergo peccatum non dominabitur uobis. Consequentiæ ratio esset obscura, si tantùm diceret, non estis sub lege. Nunc quia addit: Sed sub gratia, facilis est intellectu: Nam sub gratia esse, est habere Deum placatum, defensorem, adiutorem. Is non sinet nos à peccato uinci.

Secunda occupatio.

Et tamen, quia excidit ei noua uox & absurda in speciem: Non estis sub lege, ideo paulisper in ea mollienda commoratur, priusquàm à digressione ad institutum redeat. Omnes sapientes uiri, omnes qui tenẽt respublicas, omnes sani homines magno consensu iudicant humanum genus interire oportere, nisi legibus contineretur. Itaq; hæc tribunitia uox: Non estis sub lege, uidetur indigna esse bono uiro, & seditiosa & prorsus intolerabilis. Paulus egregiè satisfaciet lectori. Sed ego quoq; obiter duxi lectorem monendum esse, Paulum hîc loqui de lege, quatenus ea conamur mereri iusticiam coram Deo. De politia nihil hîc dicit, quam infrà amplissimis laudibus ornauit. Nam Euangelium nullo modo dissipat politias, sed maximè munit eas, & præcipit ciuiles ordinationes religiosè seruare. Tantùm hoc docet, non iustificari nos illa ciuili iusticia coram Deo. Sed uenio ad Pauli responsionem.

Quid ais Paule? Si non sumus sub lege, ergo licentiam das peccandi? Sic enim mundus intelligit legis abrogationem. Hoc loco Dialecticus requirit definitionem, quid sit legis abrogatio, utrum sit concedere licentiam peccandi. Paulus negat concedi licentiam peccandi. Sed addit confutationem obiectionis sumtam non ex definitione, uerùm ex circumstantia: Quibus sit abrogata lex. Priuilegia enim non ad omnes pertinent, sed ad certas personas. Ita libertas pertinet non ad impios, sed ad iustos. Interea uoluntas Dei est, ut impij coerceantur, & sint lege tanquam carcere septi.

Ex circumstantia, Quibus.

Vnusquisq; obtemperat illi, cuius est seruus:
Vos estis serui iusticiæ:
Ergo debetis iusticiæ obtemperare.
Minorem confirmat ex natura oppositorum.
Vos desiistis esse serui peccati:

Ergo estis serui iusticiæ. Vt si quis argumentetur. Tenebræ pulsæ sunt, ergo lux est. Reliqua oratio in hoc capite est minoris expolitio. Nam multis uerbis declarat, quomodo fuerint serui peccati, quales fuerint peccati fructus, quæ pœnæ peccatum sequantur. Item quales nunc parere fructus debeãt, postquam agnouerunt Christum. Est autem insita quædam correctio: Humanum dico Videt enim Paulus desiderari definitionem, quid sit legis abrogatio: Videt se tantùm suasorio argumento uti, cùm longior disputatio requiratur. Sed ut temperet se ad captum lectoris, consultò fugit subtiliorem disputationem. Et tamẽ interim in hoc suasorio argumento urget hoc, quòd solis iustificatis lex sit abrogata. Et subindicat, quid sit legis abrogatio. Non est enim concedere peccandi licentiam, sed habere iusticiam, remissionem peccatorum, habere conscientiam coram Deo pacatam & tranquillam, unde fit, ne absterriti Deum fugiant &

oderint, sed diligant & ab eo expectent omnia bona, & ei cupidè obtemperent. Contrà esse sub lege, est à lege coerceri, accusari & condemnari: Odit autem iudicium & pœnam caro, ergo & Deum odit. Itaq; Paulo idem est, esse sub lege, esse in carne, esse seruum peccati.

Sed initiò Capitis septimi clarius tractabitur circumstantia, Quibus. Nam superius argumentum magis ad suasorios locos pertinet. Hoc quod sequitur, magis dialecticum est.

CAPVT VII.

QVI primi distinxerũt capita, magis secuti sunt numerũ uersuum, quàm materias. Sed lectori uidendum est, ne res cohærentes imprudens diuellat. Initium huius capitis ad proximam digressionem pertinet, & continet alteram responsionem, qua satisfit obiectioni, de licentia peccandi. Si non sumus sub lege, Ergo conceditur licentia peccandi. Confutatio suprà instituta est, nunc additur altera ratio.

Tantùm mortui desierunt esse sub lege:

Ergo ita uobis abrogata est lex, si estis mortificati in Christo.

Antecedens declarat exemplo quodam. Est autem hoc antecedens, Lex dominatur uiuis. Exemplum. Mulier alligata est marito, tantisper dum uiuit maritus.

Et quia in exemplo duæ sunt partes, duo fiunt Enthymemata. Sicut mulier si mortuo maritò priore, nupserit alteri, iure manet apud posteriorẽ. Ita uos exemti seruituti priori & redacti in potestatem Christi, iure apud Christum manetis. Augustinus ualde sudat hîc in accommodãda similitudine ad causam, sed facilè est uidere, quomodo conueniat. Seruitutis comparatio est. Sicut mulier uno marito alligata est, sic nos naturæ peccatrici dum uiuit alligati sumus. Si mulier mortuo marito alteri nupserit, posteriori erit alligata. Ita uult Paulus ostendere nos exemtos à priore seruitute, Christo alligatos esse. Neq; uerò necesse est in similitudine omnes partes ad unguem congruere.

Paulus utriusq; Enthymematis consequens complectitur, sic inquiens. Itaq; fratres & uos mortificati estis legi per corpus Christi, hoc ad primum antecedens pertinet. Ad secundum pertinet, ut sitis alterius &c. Deinde repetit eadem consequentia, sed cum amplificatione, sumta ex causa, quid lex efficiat in carne uiua. Quo loco significat lectori, quid sit legis abrogatio, seu quid sit non esse sub lege. Viuentibus in carne opus est lege, ut coerceantur. Sed tamen in ijsdem lex exuscitat affectus peccatorum, odium Dei, & desperationem. Vbi ergo peccatrix natura est mortificata, quorsum opus est lege, quæ uel coerceat, uel accuset? Est ergo esse sub lege, coerceri à lege, condemnari, & incitari ad odium Dei & desperationem. Et legis abrogatio est non concedere licentiam peccandi, sed liberare à damnatione & auferre odium Dei, ac auferre desperationem. Id fit, cùm donatur remissio peccatorum. Illa uerò contingit carne mortificata in Christo, & fit mortificatio, cum cognito peccato perterrefiunt animi, qui cùm apprehendant remissionem peccatorum per fidem, iterum concipiunt consolationem, & Spiritum sanctum, qui nouam uitam gignit. Et hic est digressionis finis.

DE LEGIS EFFECTV.

Quid igitur dicemus? Est ne lex peccatum? Hîc redit Paulus ad institu-

tam

tam methodum,seu ad comparationem iustitutam suprà in quinto Capite. Et meminerit lector tanquam dissimulata digressione,hunc locum de legis effectu coniungendum esse cum illa methodo.

Et ut fieret illustrior ac conspectior locus,cœpit ab interrogatione.Est ne lex peccatum? quasi dicat,suprà dictum est, peccatum augeri lege, Item modò dixi, quòd lex exuscitet affectus peccatorum. Videtur igitur lex malum quiddam esse.Respondet,negans legem malam esse.Et subijcit,quis sit proprius effectus legis, uidelicet ostendere peccatum.

Deinde addit Rhetoricam translationem,quòd lex non augeat peccatum per sese. Transfertur enim culpa à lege, in naturæ nostræ uitium, & in ipsum peccatum. Cùm enim lex ostendit peccatum, natura irata iudicio Dei,incipit irasci Deo & desperare.

Instituit autem προσωπογραφίαν,Erat enim opus proponere personam,in qua ostenderet effectus legis & peccati.Itaq; suum exemplum proponit,& narrationem quandam texit,in qua cerni potest,quid efficiat lex.

Ego uiuebam aliquando sine lege, id est, ego eram securus hypocrita, Somniabam me legem egregiè perficere.

Postea uenit lex, tunc enim est uerè lex, cùm non in parietibus scrpta est, sed cùm accusat, cùm terret.

Hîc peccatum reuixit, id est, ut uidi me damnari à lege, hîc cœpit natura irasci iudicio Dei &c.

Conclusio translationis.Lex est bona,sed peccati & uitiatæ naturæ culpa est,quòd non iustificat,tantùm terret,& confundit,& incitat ad desperandum. Et hoc ideo fit,ut conspici peccati turpitudo ac magnitudo possit, ut uideamus, nobis alia iusticia opus esse, quàm legis iusticia.

Occupatio. Quomodo auget lex peccatum,cùm coerceat,cùm multi legi obtemperantes honestè uiuant. Tempestiua occupatio est, & ad hanc disputationem rectè intelligendam ualde necessaria.Lex inquit spiritualis est,id est,lex Dei non est politica tantùm,sicut somniant homines,sed requirit affectus,& iudicat affectus.Politicæ leges foris coercent, & his satisfit, cùm ciuiliter uiuitur, cùm honesta opera in speciem fiunt.Sed legi Dei non satisfit per externa opera. Lex enim requirit noticiam Dei,timorẽ Dei,fiduciam erga Deum,corda casta, amantia proximi.Non satisfacit legi Dei Pomponius Atticus, aut Pharisæus ille in Luca, tametsi legis opera diligenter perficiant. Corda enim sunt uacua metu Dei,fiducia erga Deum,amore Dei & similibus affectibus.

Origenes ridiculè exponit.Lex est spiritualis,id est, allegorica, cùm Paulus suprà ex Decalogo posuerit exemplum.Non concupisces. Mihi uidetur ualde conducere ad perspicuitatem,si per collationem exponatur. Lex est spiritualis,id est, non est tantùm politica, Spiritus enim significat affectus, seu motus spirituales,qui ad Deum feruntur.Sed Origines & eius amatores cùm audiunt legis mentionem fieri,nihil intelligunt,nisi politica.Cùm disputãt,Vtrum possibile sit naturæ uiribus legem facere,tantùm somniant quæri de furto,de cæde, de adulterio.Primæ tabulæ nunquam uenit in mentem.Sed lector Christianus sciat,Paulum non disputare hîc de politia. Alia res agitur, uidelicet de iusticia coram Deo. De prima tabula præcipua est quæstio, & de motibus cordis erga Deum.Pudeat homines,qui Christiani dici uolunt,sic obliuisci Decalogi,ut cùm de iusticia Dei disputant,nihil requirant,nisi secundam tabulam,&

politica opera. Hæc dixi, ut diligentius obseruet lector, quid Paulus uocet legem, & cur dicat esse Spiritualem. Neq; nos nunc Origenis interpretationes primi refellimus, sed maximi uiri in Ecclesia ueteri damnauerunt eius scripta. Sic enim scribit de eo Epiphanius: καὶ ὅτε μὲν οὖν προσομιλίας, καὶ διὰ τῶν προοιμίων εἰς ἤθη τε καὶ εἰς φύσεις ζώων τε καὶ τῶν ἄλλων ἔρκται, μέσος φερόμενος, πολλάκις χαρίεντα διηγήσατο, ὅτε δὲ εἰς δόγματα ἐδογμάτισε, καὶ περὶ πίστεως καὶ μείζονος θεωρίας, τῶν πάντων ἀποπώτατα τῶν πρὸ αὐτοῦ, ἢ μετ' αὐτὸν εὑρίσκεται.

Ego autem sum carnalis uenundatus sub peccatum, id est, mancipium, seu captiuus peccati. Hæc est collatio nostræ naturæ cum lege. Lex est Spiritualis, requirit motus Spirituales, noticiam Dei, fiduciam erga Deum, obedientiam, patientiam in afflictionibus. At natura nostra carnalis est, carnalia tantùm intelligens, tantùm appetens carnalia, contemnens Deum, odio habens iudicium Dei, quærens præsidia uitæ carnalia, collocans fiduciam in proprijs uiribus, iustitia, sapientia, in opibus.

In reliqua parte narrationis describit Paulus, quomodo etiamnum decertet cùm peccato. Vult enim ostendere, quòd peccatum ita hæreat in natura carnali, ut nec renati semel uniuersum exuant.

DE GRATIA ET EFFECTV GRATIÆ. CAPVT VIII.

HActenus de legis effectu dixit, & ostendit, quòd lex non iustificet, tantùm perterrefaciat conscientias, & pariat odium Dei, & desperationem. Item ostendit quomodo peccatum hæreat in natura. Nunc de gratiæ ui loquitur.

Propositio: Nulla condemnatio his, qui in Christo Iesu, non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum. Dixi suprà gratiam duo complecti, remissionem peccatorum, seu fauorem Dei, & donationem Spiritus sancti. Hîc igitur coniungit hæc duo Paulus. Primùm ait, non esse condemnationem. Non dicit, non est peccatum, significat enim adesse peccatum in sanctis, sed remitti propter fidem in Christum. Secundo, Id peccatum etiam uinci Spiritu sancto, qui donatur credentibus.

Sequitur seu ratio, seu expolitio propositionis, de effectu Spiritus sancti.

Quia lex Spiritus uitæ in Christo Iesu liberat me à lege peccati & mortis, id est, gubernatio Spiritus sancti, qui uiuificat, qui fide in Christum concipitur non sinit dominari peccatum & mortem, Tametsi adsint peccatum & mors, tamen non dominantur, Peccatum non potest adigere ad desperationem, mors non potest absorbere, quia Spiritus sanctus, qui fide in Christum concipitur, sustentat, consolatur, & uiuificat in illis terroribus. In uocabulo legis hîc μετάληψις est, Significat enim non scripturam aliquam, sed gubernationem, addit enim, lex Spiritus uitæ, id est, gubernatio, quæ fit per Spiritum uiuificantem.

Αἰτιολογία ex contrario.

Cùm lex fieri non posset propter carnis imbecillitatem, Deus misit filium suum, qui satisfaceret pro peccato, ut iustificatio legis impleretur in nobis, & daretur Spiritus sanctus.

Amplifi-

AMPLIFICATIO PER CONTENTIONEM SEV ANtitheſin naturalium virium, & efficaciæ Spiritus ſancti.

Prima Antitheſis.

QVI ſecundum carnem ſunt, carnalia ſapiunt, amant, quærunt carnalem ſapientiam, iuſticiam, tranquillitatem, uoluptates, opes. Confidunt rebus carnalibus, humana prudentia, iuſticia, uiribus, opibus. Tres enim gradus ſunt rerum, quas expetit caro. Primus eſt rerum honeſtarum, ſapientiæ & iuſticiæ humanæ. Secundus eſt rerum utilium, gloriæ, opum, potentiæ & tranquillitatis. Tertius eſt uoluptatum.

Qui ſecundum Spiritum ſunt, ſapiunt Spiritualia, id eſt, nôrunt uoluntatem Dei, confidunt Deo, gaudent obtemperare uoluntati Dei in cruce &c. Spiritus enim ſignificat Spiritum ſanctum, qui effunditur in eos qui credunt. Et Spiritualia ſignificant non ea, quæ ratio efficit, ſed nouos motus, in quibus apprehenditur Deus, qui cùm ſit Spiritus, Spiritu cernitur. Caro ſignificat totam hominis naturam, rationem cùm ſenſu & appetitu, λόγον & ὁρμὴν. Et prorſus à Paulo diſſentiunt, qui ſomniant Spiritum ſignificare rationem, & ex Euangelio philoſophiam quandam humanam faciunt, nihil præter rationis opera requirentes. Multa ſunt argumenta in hoc capite, quę confirmant quòd Spiritus non ſignificet rationem. Nam Paulus aliquantò pòſt ait: Vos in carne non eſtis, ſed in Spiritu, ſiquidem Spiritus Dei habitat in uobis. Item, ſi quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt Chriſti, Ergo qui Spiritum Chriſti non habet, etiamſi ratione utitur, etiamſi philoſophiam ſequitur, nondum tamen iuſtus eſt coram Deo. Necꝫ uerò Spiritus Chriſti ſignificat rationem noſtram, ſed Spiritum ſanctum, infrà enim teſtatur ſe loqui de Spiritu, quem accipiunt ſancti. Sed non eſt huius loci perſequi hanc diſputationem, tantùm monere lectorem uolui, ut prophana gloſſemata repudiet. Nam hoc totum caput Pauli ſceleſtè contaminatum eſt ab Origene & aliis, qui tanquam iurati in uerba Origenis ὑπῆσαν τῆς φιλοσοφίας αὐτοῦ: ſed horum intempeſtiua philoſophia, dum tribuunt iuſtificationem uiribus rationis, inde oritur, quòd nihil requiri putant in homine, niſi ciuilia opera. Et hæc uident aliquo modo in poteſtate rationis eſſe. Sic obliuiſcuntur primæ tabulæ, quæ de timore Dei, & fiducia in Deum & aliis Spiritualibus affectibus præcipit. At Paulus de tota lege, & de iuſticia coram Deo, non de politia loquitur. Iam Philoſophia ipſa clamitat, quòd ratio nihil poſſit de Dei uoluntate ſtatuere, quòd non poſſit confidere, niſi rebus præſentibus &c. Sed redeo ad Paulinam Antitheſin.

Secunda Antitheſis.

Senſus carnis mors eſt, de noticia & appetitu intellige, quamuis bona noticia rationalis de moribus, quamuis bona opera ratione effecta, ſunt mors, non ſuſtentant, non uiuificant in iudicio Dei.

Senſus Spiritus, uita eſt & pax, intellige de noticia & affectibus. Verè noſſe Deum, uerè confidere Deo, uiuificat, & reddit pacatam conſcientiam, & eſt uita æterna, ut Chriſtus ait: Hæc eſt uita æterna, ut noſcant te Deum uerum & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum.

Ratio Antitheſis.

Senſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum, qui legi Dei non ſubditur, necꝫ enim poteſt legi Dei ſubiici. Manifeſta ſententia eſt, quòd naturales homines uires non poſſint legem Dei facere. Hîc iterum admoneo lectorem primæ

tabulę,ad quam ſi reſpexerimus,facilè intelligi poterit hoc quod ait Paulus,ſenſum carnis inimiciciam eſſe aduerſus Deum. Ratio enim nihil ſtatuit de uoluntate Dei,non timet Deum, non confidit Deo, ſed confidit rebus præſentibus, humana ſapientia,humana iuſticia, opibus,uiribus.

Apoſtrophe ad Lectores.

Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt, uos autem non eſtis in carne, ſed ſpiritu,ſiquidem Spiritus Dei habitat in uobis. Tantùm mutata perſona repetit Antitheſin,& declarat ſe ſpiritum uocare, non aliquam rationis partem, ſed Spiritum ſanctum, qui natura Deus eſt, donatum credentibus, ut gignat noticiam Dei in eis,gignat nouos motus, & nouam uitam. Et uocat nunc Spiritum Dei,nunc Spiritum Chriſti,ut ſignificet & Chriſtum natura Deum eſſe, quia largitur Spiritum ſanctum.Eſt autem hæc perſonæ mutatio quædam peroratiõnis, quæ mox ſequitur, παρασκευή.

PERORATIO SEV CONCLVSIO.

ERgo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem uiuamus. Hic finis eſt Methodi, in qua explicauit peccati, legis & gratiæ effectus. Nunc poſtquam lectorem de præcipuis locis doctrinæ Chriſtianæ docuit,addit peroratiõnem, ſed ex ſuaſorio genere ſumtam. Semper enim primùm docendus eſt auditor,quid res ſit.Poſtea incitandus eſt,ut doctrinam ad uſum transferat:Eſt autem hæc peroratio initiò adhortoria, deinde conſolatoria.

Propoſitio.

Debitores ſumus non carni.

Ratio ducitur à præmio & pœna: Pertinent autem præmia & pœnæ in ſuaſoriȷs cauſis ad locũ utilitatis. Dialecticus ad finalem cauſam accommodat: Si quis hîc cauilletur,benefaciendum eſſe,non metu pœnæ, ſed propter uoluntatem Dei,huic nihil reſpondebo,niſi has argutias in tàm graui cauſa,intempeſtiuas eſſe.Sancti in pœnis iram Dei cernunt,In præmiȷs gratiam.

Secunda ratio ſumta eſt ex cauſa efficiente, & poteſt in ſuaſoriȷs ad locum à poſſibili referri.

Spiritu ſancto mortificate actiones carnis, quia Spiritus ſanctus eſt uobis datus,ut ab eo gubernemini.Paulus ponit maiorem & minorem,concluſionem non addit,quam prudens lector facilè poteſt attexere. Properat enim Paulus ad conſolationem, ut uidebimus.

Filȷ̃ Dei aguntur Spiritu ſancto,

Vos eſtis facti filȷ̃ Dei,accepto Spiritu ſancto,

Ergo oportebit & uos agi ac gubernari à Spiritu ſancto.

Hypocritæ ratione coercent aliquo modo cupiditates craſſiores,& quandam ſimulationem ciuilium officiorum præſtant. At Spiritus ſanctus iugulat contemtum Dei,fiduciam rerum præſentium & ſimiles peſtes.

Conſolatio.

Minori attexit κλίμακα ſeu gradationem, qua peruenit ad conſolationem.

Si ſumus filȷ̃, ſumus etiam hæredes.

Si ſumus hæredes Dei,ſumus cohæredes Chriſti.

Si ſumus cohæredes Chriſti, ergo ſimiliter pati conuenit, ut ſimiliter glorificemur.

Eſt itaq́ hæc propoſitio in conſolatione:Si unà patimur: Si non eſſet illigata propoſitio argumento, forma eſſet magis puerilis: Oportet nos unà pati cum Chriſto.

I. Ra-

I. Ratio ducitur à præmijs, quia ampliſſima præmia contingent. Et amplificat præmia collatione. Nullo modo reſpondent præſentes afflictiones magnitudini præmiorum & gloriæ, quæ reuelabitur tunc cùm redierit Chriſtus ad renouandam totam rerum uniuerſitatem. Ex hæc circumſtantia temporis naſcitur ei noua ratio.

II. Ratio, ab exemplo uniuerſitatis rerum ſumitur. Tota creatura expectat renouationem, interea nobiſcum patitur: Ergo & nos non grauemur expectare redemtionem: Eſt autem grauiſſimum πάθος, quòd naturæ rerum tribuit rei maximæ ſenſum, quem humana ratio nullo modo comprehendit. Significat enim ideo dolere rerum naturam, quia interea Diabolus & impij abutuntur mundo. Et ſubindicat futurum, ut hoc abuſu liberetur natura rerum. Vide igitur quomodo diuerſa argumenta ex eadem re ducant ratio & Spiritus ſanctus. Epicurei ſic ratiocinantur: Impij benè habent, Ergo Deus non curat humana: Paulus contrà raciocinatur. Non eſt poſſibile, hanc totam rerum naturam ad abuſum conditam eſſe. Impij nunc abutuntur mundo, Ergo neceſſe liberato mundo, impios dare pœnas.

III. Ab exemplo Apoſtolorum: Nos qui accepimus primitias Spiritus ſancti, angimur, & cum mundo, cum deſperatione & Diabolo decertamus: Ergo nec uos abijcite ſpem, in afflictionibus aut tentationibus.

IIII. A definitione ſpei. Ducitur autem ex cauſa formali, hoc eſt, ex modo ſaluationis, & Syllogiſmus integer eſt. Spes eſt earum rerum, quæ non uidentur, Vos eſtis ſpe ſaluí facti, Ergo expectare conuenit promiſſa bona. Fortaſſe ſentit conſcientia peccatum, diffidentiam & alia mala. Sciat igitur adhuc expectandam eſſe perfectam iuſticiam, & alia bona.

V. Ab auxilio Spiritus ſancti, in ſuaſorijs cauſis refertur ad locum à poſſibili. Spiritus ſanctus adiuuat infirmos, ergo non ſinet uos ſuccumbere, etiamſi caro ægrè ferat afflictiones, ægrè pendeat ab auxilio Dei, malit habere præſentia auxilia &c. tamen Spiritus ſanctus facit, ut obtemperemus uoluntati Dei, & ab eo expectemus liberationem. Eſt & hoc grauiſſimum πάθος: Interpellat gemitibus inenarrabilibus.

VI. A uoluntate Dei. Sumitur autem ab obiecto, ſeu cauſa efficiente. Et eſt argumentum maximè proprium huic negotio, quia cauſa pauoris ac deſperationis eſt, quòd uidetur Deus iraſci ac deſerere. Hîc igitur contraria cauſa, contrarium obiectum proponitur. Concluſio primo loco ponitur, afflictiones ad bonum cooperantur. Sequitur ratio ex uoluntate Dei.

Quos uocauit Deus, hos uult ſimiles fieri imaginis filij ſui:
Filius eſt per crucem glorificatus:
Ergo & uos per crucem glorificabit. Voluntatem patris in imagine filij oſtendit. Et poſtea addit amplificationem bonæ uoluntatis Dei ex multis ſignis collectam, quæ ut motum haberet aliquem, crebras interrogationes addit. Plenus enim locus eſt ardentiſſimis affectibus, quibus intuens in imaginem Chriſti & magnitudinem miſericordię, commotus eſt animus Pauli.

Quid dicemus ad hæc? ἀδύνατον eſt, id eſt, nihil poſſumus dicere quod efficacius conſoletur. Quid dicemus amplius, quid præterea requiremus? quàm ipſius

ipsius beneuolentiam & amorem erga nos? Amat nos, Signum, quia dedit filium pro nobis omnibus.

Amplificatio, Omnia cum illo donauit, uictoriam aduersus Diabolum, peccatum & mortem.

Sequuntur reliqua signa. Deus iustificat nos, Christus sedet ad dextram Dei & pro nobis interpellat. Conclusio: Ergo uincemus in afflictionibus, quia Deus diligit nos. Nam amor Dei erga nos maior est, quàm ut sinat nos succumbere aut perire. Gradus sunt in interrogationibus, ut sonus orationis esset plenior: quis contra nos, quis accusabit, quis condemnabit, quis separabit nos ab amore Dei erga nos?

Quæ tandem oratoria uirtus deest in hoc loco, argumenta sumta sunt ex propriis locis. Est enim singularis prudentię, uidere qui sint in causa loci proprij & qui perfectissimè docent auditorem, quosq; maximè requirit auditor. Sunt autem definitionum & causarum loci maximè proprij. Obiecta sunt causæ affectuum, & cient motus animi, quare hîc copiosè tractat argumentum ab obiecto sumtum. Causa pauoris & diffidentiæ est, in animis hominum, obiectum, quòd uoluntas Dei proponitur nobis abalienata. Paulus contrà docet, non esse abalienatam, afflictiones non esse iræ signa, sed magis gratiæ.

Auget terrores & hoc obiectum: nihil nisi peccatum & mortem sentimus. Nondum sentiuntur iusticia, uita æterna. Paulus respondet per concessionem ex modo saluationis, ut doceat hos terrores, & peccati sensum, non excutere iusticiam & salutem. Spe enim saluati sumus.

Leuant terrores & auxilia, item commemoratio de exitu & præmijs. Nam hoc modo in suasorijs à facili & utili argumentamur. Vidit igitur Paulus, quid maximè prodesset in causa, & hæc egregijs figuris ornauit, proposuit exemplum naturæ rerum, addidit amplificationes, ubi maximè oportuit. Nam tota res in eo posita est, ut proponatur nobis uoluntas Dei non alienata, ut possimus uerè statuere, quòd diligamur à Deo, quòd curet nos, quòd non abiecerit nos, ideo amorem Dei erga nos multis uerbis amplificat.

FINIS METHODI.

CAPVT IX.

POterat desinere Paulus. Absoluit eam totam iustificationis doctrinam & pertractauit eos locos, in quibus est Euangelij summa, quosq; in primis tenere nos oportet. Sed quia hîc quæstio oritur de Electione, uoluit hanc quoq; attingere: queritur enim, si nostra opera nihil merentur, cur eligit Deos alios, alios non eligit. Et hanc quæstionem maximè agitabant tunc Iudæi, ut qui cultum Dei habebant, qui gloriabantur se mereri iusticiam.

Itaq; disputabant promissiones de Christo non esse impletas, quia non contigisset ipsis salus & Spiritus sanctus, qui cultum Dei habebant, qui iusticiam mereri uidebantur.

Paulus igitur à querela orditur, & deplorat Iudæorum defectionem. Postea docet, nostra merita non esse causam electionis.

Querela est. Veritatem dico &c. Vehementer doleo quòd Iudæi pereunt, ac optarim meo interitu eos redimere. Hîc statim subijcit correctionem, Non quòd exciderit sermo Dei, id est, non sic sunt abiecti Iudæi, ut nulli queant seruari, ut promissiones factæ illi populo irritæ sint. Imò firmissimæ sunt promissi-

promissiones,quare non dubium est,quin ad hunc populum pertineat salus.

Deinde sequitur Propositio principalis huius disputationis.Non omnes qui sunt ex Israël sunt Israël,neq; omnes sunt filij, ideo quia sunt Abrahę semen. Sed in Isaac uocabitur tibi semen, hoc est, filij carnis non sunt filij Dei, sed filij promissionis reputantur in semen. Hæc est propositio, sed implicata primæ probationi,quemadmodum fieri solet. Infrà autem aliquoties in conclusionibus & epilogis repetitur propositio.Conclusio enim nihil est,nisi repetitio status.Est autem hęc sententia propositionis:Filij Dei fiunt electione,non natura, aut meritis nostris.

DE PRÆDESTINATIONE.

VT autem appareat hanc perpetuam esse scripturæ sententiam, ducit argumenta inde usq; à prima electione, ubi Abrahæ posteritas à reliquis gentibus seperata est. Et est primum argumentum, Scriptura inquit, in Isaac uocabitur semen.Ergo filij Dei tantùm sunt,qui à Deo eliguntur.Si natura aut merita facerent filios Dei,quid opus esset promissionibus? Cùm igitur promissio efficiat,ut aliqui fiant filij,ergo non est res nostrarum uirium. Aut si est penes naturam fieri filios,quare Isaac eligitur,Chaldæi, Aegyptij aut alij non eliguntur,qui non minus ciuiliter uiuebant iuxta naturam,quàm Abraham,Isaac? Vt si quis raticionetur,cur nos ad Euangelium uocauit,non uocauit Alexandrum Macedonem,Augustum, Socratem, Pomponium Atticum, qui certè non minus ciuiliter uiuebant quàm nos. Hîc necesse est causam reijcere in uoluntatem Dei.

II. Argumentum. Iacob electus est, Esau repudiatur, priusquam aliquid boni aut mali fecissent.Hinc Paulus conclusionem effecit, quæ manifestè negat merita nostra causam electionis esse. Ergo opera non erant causa, sed uoluntas uocantis.Non addam hîc quomodo cauillentur ista nonnulli.Tantùm hoc meminerit lector, si opera secutura in uita erant causa electionis, non licuit dicere Paulo, non ex operibus.

OCCVPATIO.

Vidit Paulus hanc de electione sententiam abhorrere à iudicio rationis, ideo argumentum à ratione sumtum obijcit,quo nihil opus erat, si Paulus sensisset merita nostra causam electionis esse.Dicat enim aliquis,Si Dauid & Saul iuxta nihil merentur, iniquus igitur est Deus, qui hunc eligit,illum non eligit. Non uidetur hæc inæqualitas & προσωποληψία in optimam naturam Dei cadere. Si merita omnium paria sunt,cur non sunt paria præmia aut pares pœnæ? Iudicem maximè decet æqualitas,sic enim inquiunt Græci, ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ.

Paulus mitigat hanc obiectionem hoc modo.

Deus non reddit paria paribus:

Igitur uidetur esse iniustitia.

In hoc argumento maior distinguenda erit.Iustitia est reddere paria,cùm debitum soluitur.Nam in donando nihil opus est paria dare paribus.

Minor non cohæret cũ maiore,maior enim loquitur de debito.Minor loquitur de beneficijs, quæ gratis donantur, Deus non reddit paria, scilicet,quia quibusdam donat salutem.Tunc accusari iustitia posset,si Deus deberet hoc beneficium omnibus,sed quia non debet, non est iniustitia, quòd aliquos liberat, misericordia magis est, ut si princeps eximat pœnæ aliquos condemnatos,

clementia

clementia erit. Interim non est iniustus, si reliquos similiter condemnatos, non eximat pœnæ.

Diluit igitur Paulus obiectionem per translationem, eligere est misericordiæ, non est debitum. Igitur accusari iusticia non potest. Et citat locum Exodi, ut ostendat gratis donatum beneficium esse, electionem non debitum: Miserebor &c.

Addit Epilogum, in quo ponit principalem propositionem huius disputationis. Nam in Epilogis repetuntur propositiones, imò interdum initiò dissimulata propositio, primum in conclusione clarè ponitur, Id hîc factum est. Igitur non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Non nos meremur eligi uoluntate aut cursu, hoc est, operibus nostris, sed beneficium est misericordiæ Dei gratis donatum.

Citat aliud testimonium, quo probat non esse nostrarum uirium, mereri salutem. In hoc excitaui te &c. consequens est, Ergo cuius uult miseretur, & quem uult indurat, id est, non est nostrarum uirium iustificatio, sed misericordiæ Dei, cùm non miseretur Deus, perseuerant in impietate homines.

SECVNDA OCCVPATIO.

Iterum inserit obiectionem, uidetur enim extremè absurdum, dicere, quòd non sit nostrarum uirium iustificatio. Si nos non possumus iustificari, nisi contingat misericordia. Et misericordiam Deus non impertit omnibus, Cur igitur accusat nos Deus? Inclemens est, qui impossibilia exigit, qui punit homines cùm uideatur culpa abesse, quia non possunt benefacere.

Nihil respondet ad hanc obiectionem, sed repudiat eam ueluti indignam, hanc figuram uocant ἀποδίωξιν, cùm argumento difficili nolumus respondere, &, ut uideamur consultò præterire, reijcimus tanquam intempestiuum, aut indignum. Ita hîc Paulus significat indignam esse obiectionem, ait nos non debere expostulare cum Deo, quia Deo liceat uti creaturis pro arbitrio. Addit de luto & figulo similitudinem, ut fiat clarior ratio repudiatæ obiectionis, uidelicet quòd nihil debeat nobis Deus, quare non debeamus eum accusare, & tanquam in ius uocare.

Est in hoc loco ἀνανταπόδοτον, quia non uidetur absoluta constructio. Si Deus uolens ostendere iram, tolerauit uasa &c. Circumductio ita erit integra, si repetatur ex superiore, non est tuum reprehendere eius consilium.

Hîc incipit recitare testimonia de uocatione gentium, & de defectione Iudæorum. Suprà enim dixi Iudæos disputasse, quòd ad ipsos pertinerent promissiones, non ad gentes, quòd ipsi cultu suo mererentur gratiam. Sed hoc scandalum multò etiam magis mouit imbecilles, quòd tam pauci ex Iudæis crediderunt. Itaq; disputabant hunc non esse Christum, quem prædicabant Apostoli, quia promissiones de Christo ad uniuersum populum, aut certè ad maximam populi partem peruenturæ essent. Nunc paucos tantùm & quidem infimos homines gloriari se adeptos esse tam magnifica promissa. Non uidebatur respondere hic euentus tantis promissionibus, quas ad uniuersum populum pertinentes, paucos tanquam per seditionem inuadere existimabant. Colligit igitur Paulus testimonia de uocatione gentium, & de defectione Iudæorum & obiter meritis rursus detrahit honorem.

CAPVT X.

Suprà

SVprà cœpit de reiectione Iudæorum dicere, in hoc loco consumet & duo sequentia capita, nihil igitur noui hîc instituit, sed pergit dicere de Iudæorum defectione,& aliquantò pòst testimonia plura recitabit.Sed non potest uir sanctus tantæ calamitatis meminisse,seu iræ Dei tantæ,sine acerbissimo dolore animi,ideo addit affectus,causam etiam erroris ostendit Iudæis,ut hac sublata, aliquos ad Christum pertrahat.

Initio εὐδοκία est,seu affectus, ego optimè uolo Iudæis,& pro eis oro.

Causam erroris tollit, putant iusticiam coram Deo esse opera sua. Neq; sanè potest aliter humana ratio iudicare, quàm quòd opera nostra & quidem à Deo mandata,reddant Deum placatum.

Obiter hoc loco inseritur collatio iusticiæ legis,& iusticiæ fidei. Et sumta est collatio ex definitionibus. Nam cùm dixisset Iudæos nimiùm tribuere iusticiæ legis, profuit addere definitiones iusticiæ legis & iusticiæ fidei.

Iusticiam legis definit ex uerbis Leuitici: Qui fecerit ea, uiuet in eis.Iusticiam fidei definit ex uerbis Deuteronomij : Iusticia fidei, est habere uerbum in corde & ore,uerbum inquam quod prædicamus de Christo.

Alij aliter tractant hanc collationem. Ego collationis statum positum esse iudico in his membris,Facere,& Verbum habere in corde.Hæc mẽbra definitionum opponi inter se arbitror. Vult enim insignem differentiam earum proponere,& disertè docere,quòd opera non sint iusticia Dei, ut errorem Iudæorum clarè reprehendere intelligatur. Iusticia legis est facere, id est,externa opera ratione imitante legem efficere. At iusticia fidei est,Habere uerbum in corde & ore,quasi dicat: Vos somniatis iusticiam Dei esse opera uestra, Nos uerò longè aliam iusticiam tradimus, Non enim iustificant opera nostra corã Deo. Alia quædam iusticia est,qua coram Deo iustificamur,nempè,credere in Christum,hunc quisquis apprehendit,is habet finem legis,id est,summam legis,hoc est, est iustus coram Deo, satisfecit Deo.

Elegantur autem ornauit definitionem ex contrario. Iusticia est, non dicere in corde,quis ascendet in cœlum,aut quis descendet in abyssum? hæ figuræ continent rationes humanas, & depingunt cor incredulum. Nam ratio argumentatur hoc modo:non possum ascendere in cœlum & coràm uidere uoluntatem Dei,ergo non credam me Deo curę esse,non assentiar Deum nos respicere, Deum nobis hoc modoplacari iuxta uerbum.Nec descendi in abyssum,hoc est, non uidi quomodo mortui degant, quomodo redire ad uitam possint. Igitur non assentiar quenquam reuiuiscere posse,aut à morte liberari.Ratio enim ducit argumenta ex his,quæ sensu comprehendit. Hæc impietas cordis hæret in omnibus hominibus natura.

Opponit igitur contrarium,habere uerbum in corde, id est,uerè assentiri, quòd hoc uerbum,quod prædicant Apostoli,uerum sit,quòd propter Christũ recipiamur in gratiam patris,quòd propter Christum contingat iusticia, uita, propter Christum uerè simus Deo curę,quòd defendamur à Deo & seruemur.

Epiphonema, corde creditur ad iusticiam, & ore fit confessio ad salutem. Repetitur autem effectus fidei,scilicet,quòd fides iustificet,non opera. Et additur testimonium ex Propheta: Omnis qui crediderit non pudefiet. Citatur & aliud testimonium: Omnis qui inuocauerit nomen Domini,saluus erit.

Suo more annectit gradationem, qua declarat modum iustificationis, & fidei causam,seu quomodo fides concipiatur,Dialectici tradunt soriten uersari

in cauſis & effectibus. Eſt autem ſorites gradationi affinis. Ideo Paulus, cùm uellet oſtendere fidei cauſam, inſtituit gradationem hoc modo.

Nemo inuocat, niſi credat:

Nemo credit, niſi audiuerit uerbum:

Non poteſt audiri uerbum, niſi prædicetur.

Non poteſt prædicari uerbum, niſi mittantur à Deo qui prædicent. Et recitat teſtimonium, in quo Propheta prædixit futurum eſſe, ut mittantur, qui nouum uerbum ſpargant in mundum, in quo annuncientur gratia & pax, non ira. Nam lex antea iram Dei oſtendit. Hîc de alio uerbo uaticinatur Propheta, quod prædicat remiſſionem peccatorum, & gratis offert iuſticiam credentibus. Docet autem fidem ſic contingere, ſi audiamus uerbum Dei, & quidam humana uoce prædicatum. Eſt igitur cauſa efficiens fidei uerbum, quo impellit & mouet Deus corda ad credendum. Sine uerbo non contingit Spiritus ſanctus. Et ut miniſterium uerbi Dei commendaret, addidit miſſionem quoq;.

Multas ac magnas utilitates decerpere pius lector ex hoc capite poteſt. Suprà ualde clara ponitur definitio fidei, in qua cerni poteſt, quid ſit fides. Natura enim & uis fidei, ualde clarè depingitur, cùm dubitationes illæ mentis impiæ reprehenduntur. Quis aſcendit in cœlum? Qua uia patet reditus mortuis ad uitam? Eſt enim fides, quæ certò ſtatuit de uoluntate Dei, Deo nos curæ eſſe, Deum nobis ignoſcere iuxta hoc uerbum, tegi & defendi & ſeruari nos à Deo. Item ſeparat iuſticiam fidei à iuſticia legis, & ſoli fidei tribuit iuſtificationem, alteri generi clarè adimit.

Deinde gradatio de modo iuſtificationis, ſeu de fidei cauſa magnopere obſeruanda eſt contra fanaticos homines, qui contemnunt miniſterium uerbi, qui omiſſo uerbo, nouas illuminationes requirunt, qui ſuis ſpeculationibus conantur Deum comprehendere, qui ſomniant Spiritum ſanctum concipi aut operari in nobis per noſtras ſpeculationes, ſine uerbo Dei, qui ſomniant Spiritum ſanctum concipi per præparationes certorum operum. Tales hæretici fuerunt olim ἐνθουσιασταὶ, & alij multi. Et noſtris temporibus ſunt Anabaptiſtæ, & alij qui miniſterium uerbi contemnunt, & ſomniant Spiritum ſanctum dari ſine uerbo Dei. Itaq; publicè prodeſt hic locus ad retinendum miniſterium uerbi Dei.

Prodeſt & priuatim in tentationibus piorum. Nam ægrè pendet mens à ſolo uerbo, & requirit alias conſolationes, illuminationes, non audet ſe tantùm uerbo ſuſtentare. Vt igitur ſciamus non eſſe alias conſolationes requirendas, iubet nos ad uerbum reſpicere, ac ſentire, quòd haud dubiè hæc ſit Dei uoluntas iuuandi nos, quæ in uerbo oſtenditur. Et ne requireretur alia illuminatio, teſtatur ſe loqui de uerbo prædicato humana uoce, de corporali uerbo, quod legitur, quod perſonat in auribus. Ideo diſertè ait Moſes, uerbum quod eſt in ore tuo. Et Paulus, uerbum quod prædicamus. Item, coniungit auditum, prædicationem, & miſſionem. Et propheta pedes laudat, ut teſtetur ſe laudare uerbum prædicatum uoce iſtorum, qui mittuntur à Deo. Hos pedes contaminant & conſpuunt iſti, qui negant Verbum & Sacramenta prodeſſe ad conſolandas & confirmandas conſcientias. Sed hæc fortaſſe conuenit in commentario tractare, non in hoc opere, fuit tamen obiter admonendus lector, ne res tantas hoc loco poſitas negligenter præteriret.

Poſtea redit ad Iudæorum defectionem, cùm ait: Sed non omnes obediunt Euangelio, & addit teſtimonia, quæ uaticinantur de Iudæorum ruina. Nam

cùm

cùm offendat imbecilles paucitas credentium, opus est aduersus id scandalum opponere scripturas,ut iudico Dei id accidere sciant.

CAPVT XI.

COrrectio est,in qua mitigat ea, quæ de ruina Iudæorum dicta sunt,& consolatur,ne desperent,ac putent omnes abiectos esse.

Propositio. Non abiecit Deus populum suum.

I. Ratio ab exemplo proprio. Ego sum Israëlita, & tamen credidi, Ergo non est abiectus populus.

I. Ex sententia Eliæ ducta. Sicut Eliæ temporibus reliquiæ electæ erant, hoc est,exigua pars populi:Sic & hoc tempore reliquiæ eripientur ac saluabuntur,hoc est, exigua & infima pars populi.

Addit autem amplificationem de causa electionis, quòd merita nostra nõ sint electionis causa.Et fecit Paulus Enthymema prorsus rhetoricum.Sic maximè uocant argumentationem,quæ constat ex disiunctiuis.Si contingit iustificatio meritis,non est gratia.Si contingit per gratiam,non potest contingere meritis. Sed est gratia, Ergo non possumus mereri. Concludit igitur electos consequi iustificationem. Amplificat Antithesi,Cæteri autem sunt cæci facti, habent Spiritum compunctionis,id est,iratum & exacerbatum animum.Oderunt Euangelium, quia arbitrantur Euangelio dissipari ipsorum politiam,indignè ferunt ab Euangelio iusticiam & sapientiam eorum damnari, sicut nunc acerbè oderunt nos isti, qui sibi sapientiæ & sanctitatis opinionem detrahi putant.

Propositio repetitur. Num ita lapsi sunt, ut tota gens sit peritura? Non. Et additur ratio ex causa finali.

Lapsi sunt aliqua ex parte, ut reciperentur gentes,ad prouocandos Iudæos:

Ergo non sunt ideo lapsi, ut hæc tota gens abiiceretur.

Antecedens argumenti callidè inuertitur,ut hinc alia ratio colligatur,quę ostendat Iudæos non esse abiectos.

Lapsus Iudæorum non fuit per se causa,cur uocarentur gentes.Sed magis incolumitas Iudæorum fuit per se causa uocationis gentium: Ergo Iudæi non sunt abiecti.Antecedens probatur ex causa finali uocationis gentium.

Gentes receptæ sunt,ut prouocent Iudæos ad credendum Christo. Ergo restant Iudei uenturi ad Christum.Quid enim opus esset prouocare,si totus populus abiectus esset? Ita ex uerbo prouocandi,quod est in testimonio Mosi, ratiocinatur reliquos esse electos in populo Iudæorum.Sed ut inuersio melius intelligi possit,abscribam exemplum.

Inopia non est causa laboris.

Spes uictus magis est causa laboris.

Dialecticus enim non resistit in priuatione, sed quærit ultimam causam, quam conuenit certam rem esse.

Sic lapsus Iudæorum non coëgit ut gentes reciperentur.

Sed incolumitas Iudæorum coëgit,ut gentes reciperentur,quòd uidelicet reliqui erant in hoc populo electi. Vocat igitur πλήρωμα incolumitatem populi, qui eatenus est incolumis adhuc,quatenus reliquos habet electos quocunq; tempore. Vocat ἥττημα quatenus habet damnandos.

Addit ἀποστροφὴν ad gentes. Vobis dico &c. Hîc proximum argumentum amplificat suo exemplo. Ego etiam,inquit,hoc magis laboro,ut gentes ad Christum pertraham, ut prouocem & meo & gentium exemplo Iudæos. Nam cùm uidebant Iudæi Euangelium inter gentes efficax esse,cogebantur agnoscere,hũc esse Christum, quem Apostoli prædicabant, præsertim cùm de Christo etiam extarent prophetiæ,quòd gentes ei adhæsuræ essent.Et repetit inuersionem,sumprà incoatam.Si abiectio eorum esset reconciliatio mundi, id perinde esset,ac si uita ex morte sumeretur. Nam εἰρωνικῶς absurditatẽ uult significare,quasi dicat, Absurdum esset sentire,quòd abiectio Iudæorum profuisset.Id perinde esset,ac si quis diceret, mortem prodesse. Nos utemur nostro exemplo. Absurdum est dicere, inopiam prodesse, magis conuenit ut dicamus, spem rei benè gerendæ prodesse. Ita Iudæorum casus non profuit per se.Alia causa quærenda est, quæ profuerit,uidelicet uoluntas seruandæ gentis.

IIII. Argumentum,ex promissionibus ad gentem pertinentibus.Primitiæ sunt sanctæ,Igitur & massa sancta est.Radix est sancta,Igitur & rami sunt sancti,id est,promissio patribus facta est, Igitur ad eorum posteritatem pertinet.

Sequitur adhortatio ad gentes,ne contemnant Iudæos, nêue putent gentes prælatas esse,quia meliores fuerint Iudæis, aut arrogent sibi aliquam meriti laudem.

Propositio habet Antithesin.Ne sis superbus,sed time. Ratio ex maiore, Si non pepercit Deus Iudæis, qui erant peculiaris populus Dei, multò minus tibi parcet, si abieceris timorem ipsius.

Inserit obiter uaticinium, quo probat non esse abiectos Iudæos, quia sint reliqui in eo populo electi, qui subinde sint credituri in Christum,dum Euangelium inter gentes prædicatur. Et confirmat Esaiæ testimonio, quòd reliqui sint electi. Christus delebit peccata Iacob, Ergo necesse est aliquos posteros Iacob conuerti ad Christum.

Conclusio.

Iudæi sunt inimici,quod ad præsentem statum attinet,ut per eam occasionem gentes uocentur. At sunt amici secundum electionem.

Ratio,quia dona Dei & promissiones Dei non mutantur. At Iudæi habent promissiones,habent igitur & electos.

Epiphonema. Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur. In hoc Epiphonemate colligit pares esse causas Iudęorum & gentium, ut utrisq; adimat gloriam meriti.Cæterùm uberrima consolatio proponitur in hac sententia.Cùm cernimus peccatum,interpretamur signum iræ ac damnationis esse. Dauid cùm considerat adulterium suum, iudicat se lapsum esse, quia sit abiectus à Deo.At Paulus mutat hanc peccati significationem.Peccatum admonet misericordiæ.Ideo lapsus est Dauid,non quia abiectus erat,sed ut gloria misericordiæ Dei fieret illustrior,nêue tribueret honorem meritis. Propemodum habet similem usum hæc sententia,ut illa: Viuo ego,nolo mortem peccatoris, Vbi iureiurando testatur Deus,se uelle ignoscere.Necesse est autem,ut Deo & quidem iuranti,credamus. Ita in hac sententia promittitur omnibus misericordia.Et ne quem absterreret peccatum,significat hoc ad gloriam misericordiæ pertinere,non ad iram,quòd sub peccatum concluſi sumus, si tamen Christo credimus.

Postremo

Postremò adiecta est exclamatio, seu potius admiratio. Nam Apostolus miratur Dei consilium, quòd exiguam partem hominum, quòd hos qui non præstant ingenijs aut sapientia ad Euangelium uocat. Vetat autem scrutari causas, & iubet cedere sapientiæ Dei, ac detrahit honorem meritis.

Hactenus doctrina de iustificatione tradita est & agitata propositio, quòd iustificemur fide, non operibus nostris. Meminerit autem lector hunc esse præcipuum Euangelij locum, sine quo intelligi non potest, cur uenerit Christus. Venit enim non ut legem ferret, ut certis operibus iusticiam mereremur, sed ut donaret gratis iusticiam & Spiritum sanctum credentibus. Et Euangelium propriè uocari debet, hæc de iustificatione doctrina, & prudenter à lege discerni. Et quia hic locus nusquam perinde illustratus, ut in hac Epistola, danda est opera, ut eam nobis quàm familiarissimam faciamus. Porrò ut architectus totius formam ædificij in animo complecti solet, ita nos totius scripti tanquam Ideam quandam in animum includere debemus, ut Apostoli sententiam penitus perspiciamus. Ad eam rem multum conducet in tam longa disputatione nosse seriem omnium partium ac sententiarum, quare spero hãc meam operam studiosis iuuenibus profuturam esse. Semper autem in hanc Epistolam intueri nos oportet, Semper oportet habere positam ob oculos hanc sententiam, quòd fide in Christum iustificemur coram patre. Non enim poterit conscientia pacata esse, nisi teneat hanc sententiam. Quoties orabimus, primùm in hanc Epistolam intuendum est, ut erigamus nos ac sciamus nos exaudiri, si credimus in Christum non propter merita nostra. Nam nisi huc respicimus, absterrent nos peccata nostra, ut neq; petere neq; expectare quidquam à Deo audeamus. Olim ita legebatur hæc Epistola, ut illa tam longa disputatio superior nihil ad nostra tempora pertinere putaretur, Sed dicebatur esse scripta propter rixas illorum temporũ de Iudæorum ceremonijs. Nos uerò sciamus, ut Euangelium ad omnes ætates pertinet, ita hanc Epistolam ad omnes ætates pertinere, quæ præcipuum Euangelij locum explicat. Est autem hic mos Paulo, ut initiò tradat doctrinam iustificationis, quæ contigit per fidem. Postea subijciat præcepta de moribus. Quanquam enim non iustificant opera, tamen quoniã in corpore degimus, sine operibus hæc uita transigi non potest, & fides debet se exercere ut ostendere in cruce & bonis operibus. Sequitur igitur tanquam nouus liber, continens legem magis, quàm Euangelium: Et quia legis doctrina non ignota est humanæ rationi, Ideo multæ sententiæ reperiuntur in Hesiodo, Phocylide & alijs, similes his quæ sunt apud Paulum. Neq; ideo putãdum est nihil interesse inter Christi doctrinam, & philosophiam. Legem enim seu præcepta de moribus potest philosophia aliqua ex parte tradere. At Euangelium prorsus non nouit humana ratio, quòd gratis coram Deo iustificemur, cùm credimus nos in gratiam à patre propter Christum recipi. Quid autem efficiat lex, suprà dictum est. Et tamen Apostoli cùm tradunt præcepta de moribus, longè aliter tradunt, quàm philosophi. Multas enim sententias aspergunt de uoluntate Dei, & de Christi beneficijs. Ad hæc docent in his insidijs Diaboli, non posse nos mores regere, nisi Spiritu Christi gubernemur & fide resistamus diabolo.

CAPVT XII.

SVperiorem Epistolę partem collocauimus in genere iudiciali, uersatur enim in docendo. Sequentia capita, quæ sunt uelut appendix illius disputationis, pertinent ad genus suasorium, quia continent præcepta de moribus. Nec opus

est hîc subtiliter quærere rationem dispositionis. Non enim perinde cohærent membra,ut in disputatione,sed singula præcepta,nouæ propositiones sunt, aut si quis hoc mauult, noui libri. Et tamen si quis in tanto aceruo, methodum aliquam aut rationem tenere cupit,ut in pauca capita conferre, & ordine complecti omnia præcepta possit, is habet Pauli exemplum,qui contrahit omnia in secundam tabulam decalogi. Nam doctrina fidei,in qua superior Epistolæ pars consumitur,pertinet ad primam tabulam. Neq; sanè methodus de moribus ulla magis exacta concipi potest,quàm decalogus est.

Nos tamen etiam partiemur præcepta,iuxta uitæ genera. Vt enim alia est priuata uita, alia publica, seu ut philosophi appellant politica, ita duplicia hîc præcepta sunt. In duodecimo capite recitat præcepta magis ad priuatam uitam pertinentia. Sequens caput ad politicam uitam pertinet, docet enim nos de magistratu. Caput 14. de scandalis admonet,ne offendamus libertate nostra imbecilles fratres. In reliquis duobus capitibus pollicetur,ut fit in epistolis, officium suum Romanis,& adscribit salutationes.

Propositio generalis est complectens crucem & bona opera. Præbete corpora uestra hostiam Deo,& cultum rationalem &c. Hîc uides aliter tradi præcepta à Philosophis, aliter ab Apostolis. Nam Paulus inferens amplificationem propositioni,fidem etiam requirit. Significat enim opera & afflictiones debere hostias esse. Non sunt autem hostiæ apud impios. Sed apud hos qui credunt Deo placere afflictiones nostras,& opera, quia Christi membra sumus, & gubernari à Deo,tùm afflictiones nostras,tùm opera. Et λογικὴ λατρεία opponitur non modò pecuinis uictimis, sed etiam omnibus humanis exercitijs & operibus,quæ sunt sine timore Dei,& sine fiducia. Nam λογικὸν non significat hominem,ut in scholis hominem describunt, animal rationale,sed significat cogitantem, ut sit λογικὴ λατρεία,in qua cogitatur, seu cernitur, seu apprehenditur Deus per uerbum. ἄλογος latria, cùm corda non sentiunt timorem Dei, non erigunter fide,non nôrunt Deum, etiamsi egregia opera præstent conatu rationis, cùm interim dubitent,an respiciat nos Deus,an exaudiat &c.

Deinde recenset præcepta, in quibus non sine magna causa primo loco posuit,ut suæ quisq; uocationi seruiat, & nihil sine uerbo Dei doceat, nihil suscipiat sine mandato Dei.

Postea commemorantur uaria officia caritatis, & ad extremum prohibet uindictam. Vbi meminerit lector,priuatam uindictam prohiberi. Nam Euangelium non prohibet uindictam legitimam,quæ à magistratibus exercetur,sed approbat eam,& amplissimis laudibus ornat,ut ostendet proximum caput.

CAPVT XIII.

PRopositio. Vnusquisq; obediat suo magistratui. Rationes addit ductas ex dignitate magistratus, & ex pœna quæ ulciscitur contemtum magistratus. Hîc rursus apparet Paulum aliter tradere præcepta de moribus,quàm tradunt Philosophi. Docet enim nos de uoluntate Dei, quòd πολιτεία sit ordinatio diuina,sicut uices temporum, hyems,æstas, dies,nox & hi perpetui cursus ac motus siderum,à Deo, & conditi sunt, & conseruantur. Ita ordinauit Deus & conseruat πολιτείαν in mundo,magistratus,& leges.

Multi fuerunt fanatici homines etiam nostris temporibus, qui contenderunt non licere Christiano gerere magistratum, quia Euangelium sæpè prohibeat

beat uindictam. Itaq; magistratum senserunt latrocinium ac iniustam uim esse. Aduersus hanc impiam ac seditiosam opinionem munit nos Paulus, ac docet magistratum, esse ordinationem diuinam, seu opus Dei bonum, quare fit, ut hi qui gerunt magistratum, tractent officium licitum & honestum.

Nemo uerbis consequi potest quantas afferat utilitates, tùm magistratibus, tùm subditis hæc doctrina. Nam magistratus bona conscientia suum officium facere possunt, cùm sciunt, suum uitæ genus, suam procurationem Deo placere. Et audent à Deo expectare ac petere auxilium, quoniam ipsius gerunt uicem, ut defendat & gubernet suos ministros. Nulli exercitus, nullæ arces, magis munire principes in tot periculis & insidijs diaboli queunt, quàm hæc fiducia auxilij diuini. Deinde nulla ratio efficacius mouet animos hominum, ut magistratui pareant, quàm si sciant Dei ministrum esse, & uenerandum esse, ut alias res sacras, & hanc obedientiã non hominibus, sed Deo præstari. Vt sacris ceremonijs honorem habemus, quia uerbo Dei nobis commendatæ sunt, & certa beneficia Dei nobis per eas exhibentur, Ita magistratui habent honorem piæ mentes, quia uerbo Dei commendatus est, & agnoscunt beneficia Dei, ius, & tranquillitatem per illos nobis contingere.

Ad hæc intelligunt non posse humana ui magistratum opprimi, quia sciunt eum à Deo defendi. Et quia pœna seu uindicta opus Dei est, nihil dubitant quin seditiosi pœnas daturi sint, etiam si uires magistratui ad puniendum deesse uideantur. Ad hunc modum alit reuerentiam erga magistratus & leges hæc Pauli doctrina. Quid simile in Platonis republi: legitur? Paulus docet leges & magistratus ordinationem Dei esse. Plato damnat præsentem reipublicæ formam, fingit nouam πολιτείαν, & nihil congruentem ad rationis humanæ iudicium, dicit conuicia regibus, tanquam scurra.

Et extant quorundam libri scripti his proximis annis, ubi falsò irridentur principes, sæpè etiam uitæ genus taxatur, tanquam pugnans cum Euangelio. Et natura mouentur omnes homines, cùm uitia principum considerant, cùm regnorum mutationes intuentur, ut suspicentur humana uiolentia sine consilio Dei imperia & constitui & retineri. Aduersus huiusmodi scandala opponenduse st hic Pauli locus, ut assuefaciat nos, ut ex animo magistratus uereamur, & magnifaciamus. Et optarim hos qui docent Euangelium, hunc locum diligenter & sedulò tractare, & illustrare. Cæterùm quòd uindicta alicubi prohibetur, id tantùm de uindicta priuata intelligi debet. Nam hîc disertè excipiuntur magistratus, uindicta appellatur diuina, quam exercent magistratus, ut sciamus uerè opus Dei esse, administrationem politicam.

Est & emphasis in uoce, ordinatæ sunt. Nam ordinatio significat formam imperij, hoc est, leges, iudicia, pœnas, contractus: proinde adprobat non tantùm magistratus, sed leges etiam, & totam formam reipublicæ, scilicet, coniugia, rerum diuisionem, contractus, iudicia. Hæc omnia complectitur, ut sciamus nos ciuilibus rebus bona conscientia uti posse, sicut utendum est uictu, uestitu, aëre, luce. Neq; sanè minus ad uitam corporalem existimemus necessarias esse ciuiles ordinationes, leges, contractus, iudicia, magistratus, quàm uictus est, aut aër quem haurmus. Quare non cum magistratibus, sed cum tota natura humana bellum gerunt Anabaptistæ & alij, qui publicas leges uituperant, qui dam-

nant iudicia,qui somniant pietatẽ, & quàm procliuè sit hîc errare. Quare duximonendum esse lectorem,ut hoc loco muniat pectus aduersus fanaticas opiniones,quas serit Diabolus,& ut Euangelium reddat inuisum,& ut excitatis seditionibus dissipet Ecclesias & respublicas.

Doctrina Christiana hoc nomine fuit inuisa magnis uiris,inter Ethnicos, quòd uindicta prohibita iudicabant magistratus & iudicia è repub.tolli,impunitatem improbis & facinorosis concedi,& uincula pacis & ciuilis societatis rescindi. Ad hæc putabant in Euangelio Platonicam quandam communicationem facultatum præcipi,quæ prorsus à natura humani generis abhorret.

Hîc nostri laborant in confutando. Nonnulli respondent hæc præcepta ad perfectos pertinere,ne uindictam exerceant,ut communicent facultates, fingunt circulos,alios imperfectorum,alios perfectorum,sed hæc non satisfacinnt aduersarijs. Et donec hæret in Ecclesia opinio, quòd perfectio sit in huiusmodi operibus,nunquàm deest materia tumultuum.Exoriuntur enim fanatici homines,qui improbant magistratuum officium,qui damnant ciuilem uitæ consuetudinem. Tales opiniones sparsæ in imperitos,multorum conscientias perturbant, & maximos motus cient.

Quare utile est hos errores radicitus ex animis hominum euellere. Id ita fiet,si rectè doceantur homines de iusticia fidei, quòd perfectio non sit in externis uitæ obseruationibus,sed in timore,ac fide, quòd liceat in externa consuetudine uitę uti omnibus ciuilibus rebus,sicut uictu,aëre,& similibus rebus naturalibus,quòd Christus iusticiam æternam tradat,quæ contingit per fidem. Interea non aboleat ciuilia officia,sed maximè probet & requirat ea,& uelit nos religiosè seruire politicis ordinationibus. Cùm cognouerint homines,quid sit regnum Christi, & quid intersit inter regnum Christi, & regnum mundi seu πολιτείαν, & quòd Euangelium seueríssimè præcipiat, ut honos habeatur potestati,ut ex animo & cum timore Dei obtemperemus, ea res plurimum ad retinendam publicam pacem, & dignitatem magistratuum profuerit. Porrò hæc Epistola Pauli copiosè nos de utroq; regno docet, quid sit regnum Christi, & quid de politia sentiendum sit. Ac possit aliquis hoc modo partiri Epistolam, quòd in priore parte doceat nos de regno Christi, in posteriore doceat de politia.Olim uterq; locus in doctrina Monachorum iacuit obrutus plusquam Cimmerijs tenebris.Nunc Dei beneficio iterum patefacti & illustrati sunt.

Quorsum autem pertineant sentẽtiæ de uindicta,sępè aliâs diximus.Maximè enim ad confirmandos magistratus ualent.Toties idem repetit Christus, ut discant discipuli non esse uiolandos magistratus. Prohibet enim illis uindictam,qui non sunt in magistratu,quiq; somniabant nouum regnum mundi.Sicut adhuc Iudæi sperant se imperio orbis terrarum potituros esse.Hunc errorẽ uoluit Christus eximere discipulis,quare toties uetat ulcisci. Sed de his sentẽtijs alibi diximus. Itaq; cùm magistratum, cùm fasces, cùm imperij signa intueris, cùm audis leges recitare,cùm uides exerceri iudicium,aut lege homines inter se contrahere,memineris hæc esse Dei ordinationem,quam nisi à Deo conseruaretur,non posset consistere aduersus diaboli sæuitiã,qui cùm sit homicida,assiduè incitat improbos ad perturbandam hanc pulcerrimam harmoniam humani generis. Itaq; agas gratias Deo, qui ut perpetuum solis cursum, ita πολιτείαν ordi-

ordinauit, & ores ut tranquillitatem retineat, & gubernet animos principum, ut rectè & feliciter imperent. Si quid est uitij in principibus, nos accusemus, qui cum Deo simus ingrati, & contemto magistratu hoc beneficium corrumpamus, non sumus digni quibus contigerint utiliores principes. Nam quod Poëta inquit, Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui, uerè dictum est: sed illud est uerius, principes sæpè affligi propter nostra peccata.

Verùm dicat aliquis. Cùm probat Paulus gentiũ politias, utetur ne Christianus etiam Milesiorum aut Sybaritarum legibus, de prostituendis nouis nuptis &c. Vidit Paulus hoc obijci posse, propterea etiam addidit de officio magistratus, & de legibus, quales esse debeant. Debent autem bonum opus honore afficere, & punire flagitia. Quæ uerò sint bona opera, lex naturæ iudicat: Ergo concedit Paulus, ut gentium legibus utamur, quæ sunt consentaneæ rationi. Confusio ordinationis diuinæ est, probare manifestam turpitudinem.

Sed non est huius instituti explicare singulas particulas textus, sunt enim uberrimæ. Conclusio apud Paulũ est. Ideo necesse est obedire, non tantùm propter iram, sed propter conscientiam, hoc est, ut breuiter dicam, si potes effugere latronem, nihil peccas, sed etiam si possis effugere pœnam magistratus, tamen non debes detrectare imperium, hoc est quod ait, non propter iram tantùm, sed propter conscientiam. Et quidem ait, necesse est obedire. Sicut autem magistratibus, ita & legibus suis singuli pareant. Romanis legibus pareant isti, quorum magistratus Romano iure utitur. Saxonicis legibus pareant isti, quorum magistratus Saxonico iure utitur. Vnusquisq; utatur sui magistratus legibus in contrahendis rebus. Theologi superstitiosè disputant, qui contractus sint probandi, cùm ea res ad Theologorum iudicium non pertineat, sed ad magistratus cognitionem. Licet uti contractibus omnibus, quos magistratus approbat, seu quos leges approbant, sicut uti licet alijs politicis ordinationibus. Et ut magistratus non debet esse μισάνθρωπος, sed multa concedere temporibus, & leges ad æquitatem flectere, ita in iudicandis contractibus, non est quærendum ἀκριβοδίκαιον, & alligandæ conscientiæ ad unam aliquam exactissimam formam. Ac ualdè prodest ad conscientias consolandas tenere hanc generalem regulam, quòd ut alijs politicis ordinationibus licet uti Christiano, ita in contractibus satis est recepta iura seu iudicium magistratus sequi. Hoc docere theologus debet, quẽadmodum docere debet, quòd ægrotis liceat uti medicina, quòd debeant honorem habere corpori. Illud ad theologum non pertinet, quæ pharmaca danda sint laborantibus febri, aut pleuritide. Nam hæ artes subiectæ sunt iudicio rationis, & habẽt certos artifices, non docentur in Euangelio. Sic negotia πολιτικὰ subiecta sunt iudicio rationis, & quidem magistratus, non docentur in Euangelio. Apud Strabonem uideo φόρον appellari certum reditum ex possessionibus, qui penditur magistratibus, τέλος autem uectigal, seu tributum superindictum, ac uidetur Paulus ordinaria & extraordinaria onera uoluisse complecti.

Epilogus præceptorum.

Contrahit præcepta in decalogum, & decalogi secundam tabulam in præceptum de dilectione proximi. Diliges proximum &c. Addit adhortationi argumentum ex debito sumtum à noua reuelatione uerbi, quam luci comparat. Ex ea metaphora ducit argumentum. Ea sunt agenda in quæ luce decent.

CAPVT

CAPVT XIIII.

HOrtatur tolerare imbecilles in fide, & eos paulatim erigere, ut fiant firmiores. Hortatur & infirmiores, ne temerè iudicent de firmioribus. Propositio. Infirmum in fide adiuuate, ne relinquatur in fide ambiguus. Ad expositionem propositionis pertinet: Vnusquisq; in sua sententia certus sit, id est, nihil faciendum ambigua conscientia. Nam cùm dubitas, utrum Deo placeat id quod suscipis, & suscipis tamen, id certè est contemnere Deum. In eandem sententiam in fine addit γνώμην. Omne quòd non est ex fide, peccatum est.

CAPVT XV.

INitiò conclusionem proximæ adhortationis continet. Addit rationem ab exemplo, sicut Christus tulit nostra errata, sic nos fratrum imbecillitatem feramus. Amplificatio. Quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut spem habeamus per consolationem scripturarum. Consultò uidetur in fine adiecisse hanc sententiam, ut admoneret nos de dignitate ministerij uerbi, ut sciremus non esse alias illuminationes requirendas, sed hoc uerbo, quod scriptum extat, erigendas mentes & consolandas esse. Verè igitur ad nos pertinere statuamus huiusmodi promissiones in scriptura: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te &c.

Additus est & epilogus, qui colligit Euangelium ad Iudæos ac gentes pertinere. Fuit enim & hæc controuersiæ pars, ut suprà apparet, utrum Euangelium pertineat ad hos, qui legem non obseruant. Et citantur hîc testimonia de uocatione gentium. Deinceps ascribit quædam de officio suo, monet etiam, ne recipiant doctrinam repugnantem huic suæ doctrinæ. Et indicat, qua arte mali doctores fucum faciant, nempe per χρηστολογίας & εὐλογίας. Græci uocant χρηστολογίας blandos sermones, ut sunt benignè pollicentium, & assentatorum: εὔλογα uocant probabilia, quæ non temerè dicuntur, sed habent rationes in speciem uerisimiles sicut solet impia doctrina rationis argumenta plausibilia colligere.

Ita geminis artibus fallunt impij doctores, assentantur cupiditatibus populi, ut olim monachi pollicebantur diuitias cultoribus Annæ, promittebant cœlum induentibus cucullum, & nunc Anabaptistæ mira specie humilitatis se commendant uulgò, damnant omnes magistratus, omnia publica iura, omnem doctrinam. Hæc cùm natura uulgus oderit, magnum momentum adferunt ad impellendos animos. Sed altera pars imponit etiam prudentioribus, quòd afferunt eruditè cogitata, quæ non abhorrent à iudicio rationis, ut cùm docent, quòd opera nostra satisfaciant pro peccatis, quòd iusticia Dei nihil sit nisi hæc ciuilium operum simulatio. Hæc defendũtur argumentis in ratione natis, sed nos sequamur Pauli admonitionem, & nulla dogmata recipiamus contra scripturam. Nam in iudicio Dei non potest humana mens consistere sine uerbo Dei. Christus exuscitet corda nostra, ut uerè agnoscamus ipsum, & dissipatas Ecclesias redigat in concordiam piam & perpetuam.

AMEN.

AD

AD IONAM.

Visa obscura prius multis oratio Pauli est,
Omnis vbi series vnus aceruus erat.
Singula sed postquam sunt ordine membra retexta,
Dispositæ clarum res modò lumen habent.
Commendatus erit tibi Iona diserte libellus,
Est breue, sed magni grande laboris opus.

τέλος.

EPISTOLÆ PAVLI
SCRIPTAE AD ROMANOS, ENARRATIO EDITA A PHILIPPO MELANTHONE.
ANNO M. D. LVI.

EPIGRAMMA.

DOctrinam ex Pauli sumas scaturigine lector,
Sed liber ad fontes hic tibi monstrat iter.
Sic λόγος æternus misit Pater, vt sua dicta
Nobis ambiguos non velit esse sonos.
Ergo velim propriè cœlestia dicta referre,
Nec cœnum inspersum fontibus esse velim.
At mentes hominum caligo abducit, vt extra
Rectam discedant lapsæ aliquando viam.
Sed tamen errantes reuocat censura piorum,
Et monitis paret mens pietatis amans.
Iudicijs igitur lectorem posco moneri,
Censuræ candor si modò iunctus erit.
In Christo semper nos vna Ecclesia simus,
Vna fides iungat pectora & vnus amor.
Vult Deus esse vnum sibi nos iunctosq; tuetur,
Distractis rabies mutua vtrinq; nocet.
Iunxisti vt massam tibi nostram Christe Redemtor,
Æterno sic nos fœdere iunge tibi.

CLARIS.

CLARISSIMO VIRO SAPI-
ENTIA ET VIRTVTE PRÆSTANTI VLRICO
MORDISIN LIPSENSI, DOCTORI IVRIS, CONSILIARIO INCLYTI
Ducis Saxoniæ Augusti Electoris &c. Philippus Melanthon S. D.

ETSI MVLTI IN TANTIS CONFVSIONIBVS GENERIS HVmani variè disputant de Deo & prouidentia, superbè etiam rident nos, qui & esse Ecclesiam Dei credimus, & colligi eam voce Euangelij adfirmamus, & libros Propheticos & Apostolicos legimus, tamen nos hoc pulcerrimum mundi opificium, & generis humani admirandam naturam, mentem, noticias numerorum & ordinis, & sapientiam discernentem honesta & turpia, & vindicem scelerum in corde horribilem cruciatum, & libertatem in regendis membris externis, nequaquam iudicamus casu ex Democriti atomis oriri: Sed opponimus prophanis iudicijs nostram confessionem de Deo, & quidem sic de Deo, & de filio Mediatore sentire nos certò adfirmamus, sicut se in Ecclesia sua inde vsq; ab initio generis humani Deus in ea doctrina, quæ in Propheticis & Apostolicis libris comprehensa est, & in Symbolis repetita, patefecit. Et scimus velle Deum aliquam esse partem generis humani, quæ de ipso inter homines testimonium dicat, cui sese in tota æternitate communicaturus est. In ea parte, videlicet, in vera Ecclesia Dei, nos esse adseueramus, qui sine corruptelis doctrinam in Propheticis & Apostolicis scriptis & in Symbolis traditam, piè amplectimur, vt ostendit confessio Ecclesiarum nostrarum, quæ extat. Nec abducimur ab hac sententia, etiamsi Epicurei aut alij athei nos derident. Et Mahometicis furijs ingens & crudele regnum palàm contra filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum constitutum est, Et Papæ dominatio & Monachorum superstitio excogitârunt Idola, quæ regni & quæstus causa, horribili Tyrannide defendunt. Etsi tanta multitudo generis humani terribilis opibus, imperijs, exercitibus, armis, contemnit fontes doctrinæ diuinæ, tamen filius Dei semper aliquem cœtum & colligit & seruat, à quo rectè agnoscatur Deus. In quem cœtum cùm Dei beneficio vocati simus, legimus scripta Prophetica & Apostolica, & discimus ibi vocem diuinam, qua se Deus immensa bonitate inde vsq; ab initio generis humani patefecit.

Cúmq; ad docentium munus pertineat, hæc ipsa scripta proponere iunioribus, & vtcunq; ordinem partium, & quasi ædificij formam ostendere, & phrasin ac vocabulorum natiuas significationes ostendere, sæpè & ego meo loco Epistolam Pauli ad Romanos auditoribus proposui, quia notum est, eam continere præcipuam partem sapientiæ, quæ est Ecclesiæ propria. Hæc Epistola ostendit & illustrat maximè discrimen Legis & Euangelij, id est, promissionem, quæ de omnibus beneficijs filij Dei, de reconciliatione gratuita, & de restitutione iusticiæ & vitæ æternæ concionatur. Docet rectè agnoscere Messiam, quem Pharisæi putabant occupaturum esse imperium mundi, velut Cyrus aut Alexander occupauerat, & partiturum prouincias. Discernit iusticiam humanam ab ea iusticia, qua homo coram Deo iustus reputatur agnitione & fiducia filij Dei, & qua fit templum Dei, & hæres æternæ salutis. Docet quæ sit vera Dei inuocatio, quid peccatum, quæ prima causa ingentium ærumnarum generis humani, quæ vera consolatio. Deinde quæ sit vera Ecclesia Dei, Illa ne quæ superbit titulo propter successionem ordinariam, an quæ custos est veræ doctrinæ, & templum filij Dei. Deinde quid sit Politicus

ticus ordo, & quòd Deus sit custos politici ordinis, & quòd diuino vinculo conscientiæ sint alligatæ politico ordini.

Harum maximarum rerum doctrina, etsi sparsa est per omnium Prophetarum & Apostolorum conciones, tamen in hac Epistola à Paulo vt ab artifice exposita est integra collatis membris, & quasi σωματοποιηθεῖσα, ordine vsitato in disputationibus artium. Cùm autem harum rerum doctrina maximè necessaria sit Ecclesiæ, manifestum est hanc Epistolam oportere familiarissimè notam esse omnibus, quæ quidem lumen est aliorum scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, & methodi vice esse potest ad alias lectiones illustrandas.

Cùm autem nos oporteat discipulos esse vocis diuinæ, quid agit fidelis lector alijs eam proponens? Monstrabit ordine membra, & iubebit singula quasi euoluta aspicere, & rursus concinnè contexere, & totam ædificium mente contemplari, & in verbis retinere natiuam significationem iuxta phrasin vsitatam Prophetis & Apostolis, cumq; iam cognouerit quid Paulus dicat, nam ab ipso discet quid velit, non affinget peregrinas imaginationes, intuebitur mente vniuersum corpus doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, in quo cùm intelliget consensum esse perpetuum cum hac Pauli doctrina, nihil dubitabit hanc esse sententiam Pauli, quam ipsius oratio & continua partium series gignit, Adferet etiam lector mentem non prophanam, non amantem Sophistices, non furentem ambitione & odio, sed timentem Deum, amantem veritatis, quærentem veras consolationes in conuersione & volentem Deum rectè inuocare, dolentem etiam propter Ecclesiæ vulnera, quæ magis magisq; lacerantur & odio & Sophistica, sæpè etiam lectioni miscentem gemitus, & petentem vt à Deo doceatur, vt Propheta inquit, Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam et iustificationes tuas doce me. Talis si erit lector, vt dixi, reget eius mentem Deus & hac voce doctrinæ & luce sua, ne deerret à vera sententia. Ac de me non multa dicam, hoc ago vt membrorum ordinem ostendam, & moneã, ne abijciatur natiua significatio verborum, & iubeo ab ipso Paulo sententiam peti, non gigno aliud genus doctrinæ, Et iudico congruere totam enarrationem nostram cum confessione Ecclesiarum nostrarum, à qua non discedo. Fons est enim confessionis Ecclesiarum nostrarum Pauli doctrina. Fateor autem totam hanc enarrationem tenuiorem esse amplitudine sapientiæ Dei concionantis voce Apostolica. Sed tamen aliena à Paulo aut pugnantia dicere nequaquam volui.

Scio multos disputare, in enarratione huius Epistolæ esse quæstionem περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας. Et discedunt Tomas, Asotus & similes, à sermonis proprietate, & quærunt peregrinam sententiam, & mutilant, & corrumpunt Paulum, dicunt, Fide sumus iusti, scilicet formata. Sine operibus, scilicet ceremonialibus. Et sunt plures corruptelæ, de quibus in ipsa enarratione dicetur. Apertè reijcio illas peregrinas interpretationes, siue sint Origenis, siue Thomæ, siue Osiandri synecdochæ. Fateor me ab his hostibus natiuæ sententiæ Pauli dissentire, Et iudico nostras Ecclesias τὸ ῥητὸν non Sophisticè, sed rectè retinere, & esse Pauli discipulas, ac sequi natiuam sententiam, quam verborum proprietas & phrasis gignit. Et hæc sententia cum toto corpore Propheticarũ & Apostolicarum concionũ congruit, quam retinuit & Augustinus, etsi & ipse & alij quidam, quia in loquendo negligentiores fuerunt, interdum suis enarrationibus miscẽt ἀκυρολογίας. Nouus interpres Staphylus nunc minitatur nostris Ecclesijs atrociter, & iactitat se fore adsertorem interpretationis veterũ, qui cùm sua mysteria proferet, iudicabit Ecclesia, vt Paulus tuquit. Et ego me ipsum & hanc enarrationem Epistolæ Pauli, & cætera mea scripta subijcio iudicio piorum &

eruditorum virorum in Ecclesijs nostris, quarum opto æternum consensum esse, qua in re miror impetus quorundam, qui cùm foris vndiq; cincti simus hostilibus exercitibus & magnis et diuersis, tamen priuatis adfectibus domestica bella quærunt, alij alia. Hinc nos Pontificij scriptores instructi ingenijs, eloquentia, & autoritate oppugnant, Polus in Anglia, Osius in Polonia, Canisius in Austria, Roardus in Belgico, Gropperus Cardinalis in Vbijs. Et quotidie inuitantur opibus Pontificijs alij, vt ad florentem fortunam se adiungant. Illinc inferunt nobis bella fanatici homines, inimici ministerij publici, Anabaptistæ, & multi errones & lucifugæ spargentes contagia Seruetica. Et Stenkefeldius Centimanus est, habet milites passim, qui ipsius nomine non solùm scripta spargunt, sed etiam seditiones mouent, iactitant adflatus, & abducunt homines à publico ministerio, & à lectione & cogitatione doctrinæ. Ac nunc quoq; aduersus me editis aliquot pagellis nomine Stenkefeldij, repetitur ille κοκκυσμὸς, gratissima cantilena fanaticis hominibus: Non cogitatione scriptæ doctrinæ Deum communicare se hominum mentibus, sed sine medio. At toties iubent nos Propheticæ & Apostolicæ sententiæ in omnibus doloribus, in testimonijs scriptæ doctrinæ voluntatem Dei considerare, sicut in Psalmo dicitur: Lucerna pedibus meis Verbum tuum. Nec ego ignoro, quomodo hæc dicta eludant. Sed nunc omitto disputationem.

Illud opto, vt singuli cogitemus, quæ & vbi sit Ecclesia Dei, & cùm nostros cœtus verè esse Ecclesiam Dei sciamus, coniunctionem nostram omnibus pijs officijs tueamur. Etsi autem ingenti dolore adficior, intuens tantas dissipationes, tamen cùm inter tales fluctus in genere humano veræ Ecclesiæ cymbam semper vehi sciamus, cuius gubernator est filius Dei, etiamsi remigum & ἐπιβατῶν aliqua dissimilitudo est, in ea naui maneo, & filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum oro, vt hanc cymbam seruet. Tui autem nominis mentionem feci in huius lucubrationis editione, quia cùm te ad consilia gubernationis Deus vocauerit, considerare te decet, quale doctrinæ genus tot gentium hominibus in Academia proponatur. Benè vale.

ARGVMENTVM EPISTOLAE.

DEVS VVLT AGNOSCI FILIVM MEDIATOREM, NEC VVLT aliter liberare homines à peccato & à morte æterna, nisi in inuocatione Filij, sicut in secundo Psalm: dicit: Osculamini Filiũ, Beati omnes, qui confidunt in eo. Et patris uox, sonans de cœlo hæc est: Hic est filius meus dilectus, Hunc audite. Et filius inquit: Nemo uenit ad patrem, nisi per filium. Item. Hæc est uita æterna, ut agnoscant te Deum uerum, & quem misisti, Iesum esse Christum.

Vt filius Dei agnoscatur necesse est intelligi beneficia filij & peccatum & doctrinam, quæ filij est propria.

Necesse est igitur, in Ecclesia rectè conspici beneficia filij Dei propria, id est, remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti, iusticiæ, & uitæ æternæ. Et ut filius Dei rectè agnoscatur, necesse est econtrà intelligi, quale malum sit Peccatum, & cerni discrimen inter Philosophiam, Legem & Euangelium, inter iusticiam fidei, & iusticiam operum, quæ est qualiscunq; diligentia humana, faciendi Legem. Necesse est etiam scire, qualis cœtus sit Ecclesia Dei in hac uita.

Doctrina Ecclesiæ propria est extra humana iudicia.

Harum maximarum rerum cognitio, sapientia est Ecclesiæ propria, patefacta in promissionibus & uoce Euangelij, inde usq; ab initio, à promulgata prima promissione ad primos parentes, & sæpè deinde repetita. Cùm enim hæc doctrina sit extra iudicia humana, subinde homines amittunt ueram lucem de Mediatore, & de iusticia fidei, & delabuntur ad opiniones humanas, quæ imaginantur, nostram disciplinam remissionem peccatorum, & homines tali disciplina iustos esse, id est, acceptos Deo, & hæredes uitæ æternæ, & obliuiscuntur Mediatorem.

Ita magna pars in Israël semper sensit, & postremò Pharisæi palàm magna contentione docuerunt, homines mereri remissionem peccatorum, & iustos esse illa disciplina, & diligentia faciendæ Legis. Deinde finxerunt, Messiam uenturum esse, ut politicum imperium in hac mortali uita iustius & tranquillius constitueret.

Prophetæ & pij doctores in Ecclesia semper taxárunt errores Pharisaicos.

Sed hos errores subinde taxauit Deus, missis Prophetis & pijs Doctoribus, misso filio & Apostolis. Vagantur autem similes errores in genere humano omnibus temporibus. Sic fingebant Ethnici, qui non uolebant uideri athei, se mereri suis sacrificijs remissionem peccatorum, & esse iustos disciplina. Sic longo tempore Sacrificuli & Monachi docuerunt se mereri remissionem peccatorum sacrificio Missæ & alijs operibus, & tali disciplina iustos esse.

Hos errores refutari in Ecclesia semper necessarium est, & contrà illustrari doctrinam de filio Dei, & eius beneficijs. Hæc fiunt summa perspicuitate in Epistola Pauli ad Romanos. Quia cùm Pharisæi & multi alij tunc accerrimè defenderent suos errores de iusticia Legis, & non agnoscerent filium Dei, & iusticiam fidei, necesse fuit opponi perspicuam refutationem. Nec tamen tantùm ad illud tempus hæc Epistola accommodanda est, sed semper necesse est, rectè agnosci filium Dei, & intelligi iusticiam fidei, & discrimen legis & Euangelij.

Concionatur ergo hæc Epistola Ecclesiæ, usq; ad extremum iudicium, sicut res eædem antea à Prophetis traditæ sunt, in quibus extant seueriſſimæ

conciones contra illas Pharisaicas tenebras, & multi propter has reprehensiones à Sacerdotibus & Pharisæis interfecti sunt. Imò Paulus, cùm quidem affirmet, se doctrinam accepisse reuelante filio Dei, ut ad Galatas expressè inquit, Tamen citat testimonia Prophetarum, ut ostendat, unam perpetuam uocē Euangelij in Ecclesia esse, de beneficijs filij Dei, de modo reconciliationis, de iustitia, de ueris cultibus, de uera Ecclesia, & de iudicio Dei.

Antithesis doctrinæ Euangelicæ & pharisaicæ in epistola ad Rom.

Sed hæc Epistola Pauli eò magis perspicua est, quia continet expressam antithesin contrariarum sententiarum, & ordine disputat, ut facit artifex, ac propemodum Methodus est doctrinæ, quæ Ecclesiæ propria est, quia principales materias tam accuratè exponit, beneficia Mediatoris, discrimen legis & Euangelij, discrimen iusticiæ fidei, & iusticiæ operum, doctrinam de uera Ecclesia, & de ueris cultibus.

Necesse est igitur, hanc Epistolam familiarissimè notam esse omnibus, & summa uigilantia adhibenda est, ut eius sententia retineatur incorrupta. Sed antequam de corruptelis dicam, prius recitabo summam doctrinæ de iustificatione, ut postea collatio magis perspicua sit.

Summa doctrinæ in scriptis Propheticis & Apostolicis traditæ, de Iustificatione coram Deo.

Summa doctrinæ de iustificatione exposita exemplis Adam & Dauid.

PRincipiò recitabo duo exempla, quæ ideo semper in conspectu sint, non solùm quia totam hanc doctrinam illustrant, sed etiam, ut nos ipsos de pœnitentia, & de uera consolatione commonefaciant.

Exemplum lapsus & restitutionis Adam.

Cùm Adam post lapsum à Deo arguitur, horribiliter expauescit, quia cùm Deus ipse sua uoce accusat creaturam, non existimemus, ociosum esse colloquium, sed Deus est ignis consumens, ut scriptum est. Iacet igitur Adam prostratus coram Deo, nihil nisi legem sciens, ex qua rectè raciocinatur, se perpetuò damnatum esse. Sic enim cogitat: Iusticia Dei immutabilis est, punire & abijcere inobedientes. Ego non obtemperaui, & fui horribiliter ingratus Deo, cùm adeo dilexerit hanc naturam, ut in eam transfuderit sua summa dona, & fecerit eam imaginem suam: Ego & destruxi hoc opus Dei, & abieci tanta dona, & excussi habitantem in me Deum: Ergo necesse est, me uicissim abijci.

In hoc iudicio ac uero agone, nulla talis in Adam cogitatio erat, se posse mereri remissionem peccatorum, ac posse tollere peccatum, sed uerè sentiebat iram Dei, & se displicere Deo, & uerè sentiebat, se nullius creaturæ ope iuuari posse, & argumentum ex lege sumtum uerum erat, nec potuisset ab ulla creatura solui.

Sed filius Dei fit deprecator, & pœnam in sese transfert mirabili & inenarrabili consilio. Verissimum est enim, iusticiam Dei immutabilem esse, ac Deum uerè & horribiliter irasci peccatis. Ego peccaui, Ergo puniar. Hîc respondet filius Dei: Vel Adam punietur, uel alius me deprecante, scilicet, ego ipse assumta natura humana, cuius pœna erit æquiualens precium pro genere humano, persoluam.

De hac admiranda deliberatione, sapientiam, iusticiam & misericordiam Dei considerabimus in uita æterna. Nec nostræ pœnæ in hac uita sunt precium placans iram Dei, sed tantùm sunt signa & commonefactiones, ut cogitemus, Deum uerè irasci peccatis. Itaq; Adam ignarus adhuc promissionis, & audiens accusationem diuinam, luctatur cùm morte & nihil usquam auxilij uidet.

uidet. Etsi autem antea trepidare cœperat, foliis fici tegens partem corporis, tamen nondum in tanto dolore fuerat, nondum sic senserat iram Dei, Postea uerò loquente Deo agnoscit istis foliis fici non tegi peccata. Tandem uerò audit consolationem, cùm promissio, ex arcano consilio Dei prolata, promulgatur, quæ affirmat, semen mulieris uenturum esse, quo rursus tollendum sit peccatum.

Recipi igitur se Adam intelligit, & erigitur fide huius promissionis, & propter hoc semen statuit, se iam placere Deo, etiamsi longè deformior erat, quàm fuerat ante lapsum. Hac itaq; fide accipit remissionem peccatorum, & deinde iustus est coram Deo, accedit ad Deum, inuocat, & uiuificatur per filium Dei Spiritu sancto, audita promissione, incipit rursus obedire, ita, ne contra conscientiam faciat.

Hæc imago conuersionis Adæ, & quomodo audita promissione erigatur fide, & sit iustus, id est, acceptus Deo, & postea rursus incipiat obedire, semper sit in conspectu, quia eodem modo fiunt conuersio & consolatio in cæteris. Sed doctrina de fide illustrior est in primo exemplo, in quo necesse est fuisse horribiles dolores, & quia magnitudinem lapsus magis intellexit Adam, qui sciebat, qualis fuerat, & quia insanabile malum esse cogitabat, cùm promissio nondum edita esset, & quia reiectionem dæmonum nôrat. Sed nos nimis ociosis animis illam tantam historiam legimus, in qua tám multa concurrunt, quorum alia iram Dei ingentem, alia immensam magnitudinem misericordiæ ostendunt. Quòd enim recipit Deus homines lapsos, cùm iustitia eius sit immutabilis, & quòd sic recipit, ut filius fiat uictima, hæc miranda consilia longè superant omnium creaturarum sapientiam. Et tamen uult Deus ut suam iusticiam & misericordiam aliquo modo in hac uita consideremus, ut accendantur in nobis uerus timor, uera fides, iuuocatio, gratitudo, dilectio, & cæteræ uirtutes.

Alterum exemplum sit conuersio Dauidis post lapsum, in qua etiam conspiciuntur hi duo motus, ingens pauor, & deinde consolatio. Nam cùm à Propheta Nathan arguitur, de rapta coniuge alterius, & de nece Mariti, existunt in Dauide horrendi pauores, quales sæpè describit: Non est pax ossibus meis à conspectu peccatorum meorum &c. Agnoscit iram Dei aduersus peccatum, dolet propterea, quòd offendit Deum, metuit se abiici à Deo, sicut antè uiderat horribiliter abiici Saulem. Deniq; metuit æternas & præsentes pœnas, nec iam colligere merita potest, uidet iræ Dei non posse opponi suas uirtutes, aut priora facta, & extingueretur magnitudine doloris, nisi accederet consolatio: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum. Hac audita absolutione rursus accenditur in eo fides, qua apprehendens absolutionem, incipit intueri misericordiam Dei, & cogitat iam cæteras promissiones, & in Mediatore acquiescit, ac agnoscit homines recipi per immensam misericordiam propter summum Sacerdotem, interpellantem pro nobis, quem ipse nominat Sacerdotem secundum ordinem Melchizedech. Hunc scit esse Mediatorem & placatorem. Statuit igitur, se quoq; propter eum recipi, & scit hunc cultum & hunc honorem Deo præstandum esse, ut promissioni credat, nec accuset Deum mendacij, nec deficiat à Deo, nec contemnat Mediatorem.

Exemplum conuersionis Dauid.

In hęc Exempla et similia intuentes facilius intelligemus doctrinam de Iustificatione, præsertim si non erit tantùm frigida ociosi animi cogitatio, sed

si nos quoq; seriò expaueſcimus recordatione noſtrorum delictorum, & quæ-rimus conſolationem.

Doctrina Euangelij propria.

Sciamus igitur, hanc eſſe doctrinam Euangelij, de qua Paulus in hac Epiſtola concionatur. Arguit peccatum, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus ſanctus arguet Mundum de peccato, & proponit conſolationem, uidelicet, promiſſionem de remiſſione peccatorum, & reconciliatione donãda propter filium Dei, & affirmat eos, qui in illis pauoribus credunt, ſibi remitti peccata propter filium Mediatorem, gratis, uerè recipi, & accipere remiſſionem peccatorum, & ſimul cum remiſſione peccatorum datur Spiritus ſanctus, qui adiuuat luctantem conſcientiam, & ſuſtentantem ſe fide, & ſimul accendit cæteras uirtutes, ſcilicet inuocationem Dei, & confirmat uoluntatem, ut ſe ſubijciat Deo, habeat timorem Dei, dilectionem & bonum propoſitum, ſicut clarè dicitur ad Gala. 3. Vt promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem. Hæc uoluntas Dei, de reconciliatione propter filium, non eſt nota hominibus naturali luce, ſicut Lex, ſed immenſa bonitate intercedente filio, patefacta eſt uoce Dei initiò in promiſſionibus, & poſtea illuſtrata per Prophetas, per ipſum Filium, & Apoſtolos.

Sententia Pauli cùm inquit, Iuſtificamur fide gratis.

Quanquam autem perſpicuè tradita eſt hæc doctrina in Prophetis & Apoſtolis, tamen ſubinde in Mundo uariè obſcurata eſt. Monendi ſunt igitur iuniores, ut natiuam Euangelij ſententiam retineant. Certiſſimum eſt, Paulum hoc uelle, FIDE iuſtificamur gratis, id eſt, propter filium Dei, & non propter noſtram dignitatem, aut ulla noſtra merita accipimus remiſſionem peccatorum, & reconciliationem, & imputationem iuſticiæ, cùm credimus Euangelio, & fide ſtatuimus, hæc beneficia nobis propter filium Dei dari, & quidem credit hæc fides omnibus articulis fidei, & refert cæteros ad hunc ipſum articulum: Remiſſionem peccatorum, de quo articulo non tantùm in genere credendum eſt, quibuſdam alijs remitti, ſicut & dæmones credunt, ſed reuera Tibi ipſi credas donari remiſſionem peccatorum. Cùm hac fide erigimur, ſimul, ut dixi, filius Dei uiuificat credentem, & donat Spiritum ſanctum, & nos accipimus remiſſionem peccatorum, & ſumus iuſti, id eſt, accepti Deo ad uitam æternam propter mediatorem, etiamſi ſunt in nobis adhuc reliquiæ peccati, & magna infirmitas.

Hanc eſſe planam & natiuam ſententiam Pauli non dubium eſt, ut poſtea copioſius declarabimus. Ac retinemus nos in hac interpretatione proprietatem uerborum Pauli, & auditores ſumus Pauli, non affingimus alia ſignificata ſermoni Paulino, & hanc noſtram interpretationem natiuam & ueram eſſe apparet, collatis omnibus membris Paulinæ diſputationis, Item, collatis Prophetarum & Chriſti concionibus, Item, collato teſtimonio Eccleſiæ catholicæ Dei, id eſt, omnium hominum, qui intelligunt exercitia pœnitentiæ, & inuocationis & didicerunt acquieſcendum eſſe fide in filio Dei. Tales ſemper fuerunt ſunt & erunt multi in Eccleſia, in quibus lucet uera Euangelij ſententia. Et quanquam ſcriptores interdum impropriè loquuti ſunt, tamen conguere cum hac ſententia multos uidemus, ut Auguſtinum, Proſperum, Ambroſium, Baſilium, Bernardum, Taulerum, & alios. Adeoq; non contemnimus Eccleſiæ iudicium ac teſtimonium, ut ad pias mentes toto orbe terrarum, intelligentes exercitia pœnitentiæ, prouocemus.

Etſi

Etsi autem in corruptelis huius dicti, Fide iustificamur, alij aliter loquuti sunt, tamen eadem est causa erroris omnibus, & eandem sententiam falsam omnes extruunt. Omnes intelligunt fide tantùm significari noticiam historiæ, & iustum intelligunt Philosophicè, habentem ipsas uirtutes, ut cùm dicimus, aqua calefacta est, id est, calor transfusus est in aquam. Hoc modo cùm de uocabulis errent, affingunt deinde alienas interpretationes, quæ tamen omnes in summa hoc uolunt, in hac propositione synecdochen esse, fide iustificamur, id est, fide & cæteris uirtutibus iustificamur, seu fide præparamur, ut postea alijs uirtutibus iusti simus. Monachi sic loquuti sunt, fide formata, scilicet, dilectione iusti sumus, quod sic intellexerunt, propter dilectionem iusti sumus. Alij sic interpretati sunt, fide, id est, operibus à Deo mandatis, iusti sumus, non operibus traditionum humanarum. Alij hoc modo deprauant, fide, id est, interiore cultu, non externis operibus iusti sumus.

Eadem causa erroris omnibus qui corruperunt sententiam Pauli.

Hæ interpretationes omnes hoc uolunt: homo est iustus, id est, Deo acceptus ad uitam æternam propter proprias uirtutes & opera. Et hoc alij enarrant absurdius, alij quædam absurda omittunt. Monachi dicunt, homines mereri remissionem peccatorum suis uirtutibus & operibus, dicunt iustos satisfacere Legi, ut Maluenda inquit, ideo hominem dici iustum, quia Deo persoluat debitum. Et addunt amplius: Cùm nemo sciat, quando satis operum habeat, iubent semper dubitare an sis in gratia, & hanc dubitationem dicunt piam esse. Ita prorsus remouent fidem, & delent uocem Euangelij, & consolationem, quam Deus immensa bonitate patefecit, & uult in Ecclesia extare.

Alienæ interpretationes Pauli quid uelint.

Nunc uideant studiosi, an hæ interpretationes congruant cum integra disputatione Pauli. Item an congruant cum perpetua sententia Prophetica & Apostolica. Manifestum est autem, hæc tria membra præcipua esse Paulinæ disputationis. Primùm perspicuè & sine ulla ambiguitate affirmat, homines non satisfacere legi Dei, nec lege iustos esse, sed omnes reos & sub peccato esse, ut Capite 3. perspicuè dicitur, Vt omne os obturetur, & totus Mundus reus sit coram Deo. Conclusit omnes sub peccatum, ut Omnium misereatur.

Tria membra Paulinæ disputationis præcipua. I.

Secundò affirmat, recipi homines propter Mediatorem, gratis, & uult intelligi, propter hanc ipsam causam missum esse Messiam, ut sit placator, & tollat peccatum & mortem, non ut imperia Mundi constituat, sicut somniabant Pharisæi. II.

Tertiò affirmat, oportere fide accipi reconciliationem, & fide statuendum esse, non receptos esse, & placere Deo propter Mediatorem, nec manendum esse in dubitatione. III.

Iam cùm manifestum sit, hæc tria membra à Paulo tradita esse, constat interpretationes pugnantes cum his tribus membris falsas esse. Nec difficilis est refutatio, tenentibus hæc fundamenta, quæ recensui. Quia particula Gratis expressè tollit nostra merita, & deducit nos ad merita filij Dei, & uult Deus agnosci filium, & hunc ei honorem tribui, ut fateamur, esse Propiciatorem & Mediatorem. Quare manifestum est, errare Monachos, cùm docent, homines suis operibus aut uirtutibus mereri remissionem peccatorum. Errant etiam, cùm fidem intelligunt tantùm noticiam historiæ, & iubent homines semper manere in Dubitatione, quia Paulus manifestè inquit, Oportet promissionem Fide accipi. Loquitur igitur de fide, qua & cæteros articulos

Monachorum error de iustitia operum & de fide.

fide amplectimur, & assentimur promissioni, & statuimus, promissum beneficium NOBIS exhiberi, cum qua fide est fiducia acquiescens in misericordia promissa propter filium, seu acquiescens in filio, accedens ad Deum, inuocans & clamans Abba Pater &c. Item, qui manet in dubitatione, non statuit sibi Mediatorem esse filium Dei. Non igitur tribuit ei debitum honorem.

Monachorum error de nouitate post conuersionem.

Sed altera quæstio hîc agitatur, postquam homo conuersus est, & iam accensa est in eo nouitas Spiritualis, seu, ut alij loquuntur, dilectio, dicunt eum iustum esse post conuersionem hac nouitate seu dilectione, id est, personam acceptam esse Deo & hæredem uitæ æternæ propter dilectionem, & hæc cumulârunt antea Monachi, dixerunt hanc nouitatem esse meritum uitæ æternæ de condigno, id est, precium propter quod debeatur uita æterna, & declamitant non esse extenuandum donum Dei in conuersis, cùm ideo fiat conuersio, ut homo ex iniusto fiat iustus, & cùm dilectio sit iusticia, uociferantur absurdum esse negare hominem propter eam iustum esse, cùm tamen propter albedinem paries dicatur albus, & huc accommodant multa dicta. Qui facit iusticiã iustus est. Item, Non auditores legis, sed factores iusti sunt: Item, Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei &c.

Cùm autem necesse sit teneri simplicem ueritatem Euangelij, & Mediatori semper tribui debitum honorem, & retineri conscientiæ firmam consolationem, & rectè gubernari corda in omni inuocatione, docendi sunt conuersi, quomodo de iusticia fidei etiam post conuersionem sentiendum sit. Vera doctrina est & perpetuus Ecclesiæ consensus per Prophetas & Apostolos traditus, etiam post conuersionem statuendum esse, iustam esse personam, id est, acceptam Deo ad uitam æternam, propter Mediatorem, sola fide, per misericordiam, non propter propriam dignitatem uirtutum, qualitatum aut operum &c.

Vera doctrina de iusticia fidei post conuersionem.

Etsi enim sunt incoatæ uirtutes, tamen simul adhuc multæ sordes hærent in conuerso, nec filius Dei postea desinit esse Mediator. Ideo statuendum est, fide nos propter ipsum placere, non propter nostram dignitatem, Semper manet Mediator uelut Vmbraculum, amplectens nos, & tegens nostras sordes, & propter ipsum nos certò recipit æternus Pater. Huc pertinent hæc dicta: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, 1. Ioh. 1. Si dicimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos decipimus &c. Et 1. Corinth. 4. Nil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Et Exod. 34. Coram te innocens non est innocens. Item 1. Corint. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur.

In & post conuersionem persona iusta est fide propter filium.

Semper igitur uera est hæc propositio: In conuersione & post conuersionem in hac uita fide propter filium Dei persona est iusta, id est, accepta Deo per misericordiam, non propter propriam dignitatem, Sola fide. Et tamen æterna & immota ueritas est, quòd oportet in conuerso incoatam esse dilectionem, & in uoluntate bonum propositum esse, & nouæ obedientiæ initia, iuxta illud: Qui non diligit, manet in morte. Et tamen supra hæc omnia collocandus est Mediator, hunc fide apprehendi oportet, & hæc fides præluceat in omni inuocatione.

Semper autem obstrepit inuocanti propria indignitas: Quid petis, quid expectas à Deo, cùm sis indignus, meritus pœnam, & adhuc circumferas tecum

cum multum sordium? Contra hanc cogitationem quotidiè hæc doctrina exercenda est, scias uocem Euangelij æternam & immotam esse, ut conuersus ad Deum statuas te propter filium certò recipi, & exaudiri per misericordiam, gratis, non propter propriam dignitatem, sicut & Daniel orat: Exaudi nos Domine, non propter iusticiam nostram, sed per misericordiam propter Dominum. Hanc consolationem necessariam esse omnes pij intelligunt.

Sed aduersarij fingentes conuersum iustum esse propter nouam dilectionem, remouent Mediatorem, nec plus ei tribuunt, quàm quod nobis initia illarum qualitatum meruit, seu quòd sit causa illius mutationis in nobis, postea eũ sepeliunt, & de eius intercessione, & de imputatione iusticiæ nullum uerbum dicunt. Quia uerò homo intuens suas qualitates multum sordium inuenit, non solùm consolationem ueram & fidem in inuocatione extinguunt, sed etiam dubitare iubent. *Monachi cùm in conuersis remouent mediatorem, non plus dicunt quàm Plato.*

Nec plus dicunt de iusticia, quàm quantum Plato dixit, tunc esse excellentem seu heroicam uirtutem, quando pectora non tantùm diligentia humana reguntur, sed etiam diuino Motu seu afflatu accenduntur. Id uerè dicitur, & consideratio est naturæ & operis diuini conueniens Philosophiæ, sed nondum satis est conscientiæ quærenti an Deo placeat, & uox Euangelij plus addit, dicit conuersum recipi propter filium Dei, & donari Spiritu sancto, & quanquam iam in eo initia sunt nouarum uirtutum, tamen dicit personã deinceps etiam placere, & imputatione iustam esse propter Mediatorem fide, non propter propriam munditiem, cùm hæreant adhuc in nobis reliquiæ peccati, Et hac fide accedendum esse ad Deum, quòd propter Mediatorem recepti simus.

Hæc ut illustret Paulus, citat primum dictum in Genesi de fide, & proponit Exemplum insigne ipsum Abraham. Simul enim & hoc uult ostendere, doctrinam de fide, quæ tunc uoce Euangelij renouabatur, non nouam esse, sed perpetuum ueræ Ecclesiæ consensum esse. Ideo ab illo primo dicto ordiritur. Quanquam igitur multæ excellentes uirtutes sunt in Abraham, tamen dicit, Imputari ei iusticiam, id est, certõ eum recipi, & placere per misericordiam, cùm fide acquieuit in promissione, non propter suas uirtutes. Et hanc sententiam declarat pluribus uerbis, & nominatim inquit, Fides ei imputatur ad iusticiam, ut sciamus fidem non tantùm noticiam esse, quæ sit præparatio ad iusticiam, sed esse hoc ipsum, quo acquiescentes in promissione recipimur & uiuificamur, iuxta illud: Quòd autem nunc uiuo, in fide filij Dei uiuo. *Paulus exemplo Abrahæ illustrat doctrinam de iusticia fidei in renatis.*

Ex hac recitatione & argumentum Pauli intelligitur, & certò iudicari potest, quæ sit natiua sententia, & fontes apparent, unde sumi possunt firma argumenta ad refutandas corruptelas, seu Origenicas seu recentes. Nos sermonem Pauli sequimur incorruptum, agnoscimus nos discipulos diuinæ uocis esse debere, ac τὸ ῥητὸν dextrè & piè retinere, non afferre Paulum διάνοιαν in Philosophia natam, quæ pugnat cum Paulo, & seriem disputationis eius corrumpit. Vt autem suprà dixi, nostræ interpretationi non deesse testimonia: Ita nunc repeto eam commonefactionem, etiamsi Ambrosius, Augustinus, Bernhardus, alibi magis, alibi minus propriè loquuntur, quia multi sunt & fuerunt negligentes in dicendo, tamen satis intelli- *Testimonia antiquitatis quomodo sint accipienda.*

telligi potest, collatis eorum dictis, perpetuam eorum sententiam congruere cum nostra interpretatione. Deinde & perspicuum & grauissimum testimonium est Ecclesiæ, uidelicet, experientia omnium piorum & peritorum. Qui intelligunt exercitia pœnitentiæ & inuocationis, hi fatentur, acquiescendum esse in Mediatore.

Quomodo fiat conuersio & reconciliatio.

Vt igitur de pœnitentia notissima est doctrina, Iureiurando Deus affirmat, se uelle, ut conuertamur & uiuamus. Ita hîc discamus, & quomodo fiat conuersio, & quomodo fiat reconciliatio, & exempla, quæ suprà recitaui, Adæ & Dauidis, sæpè intueamur. Non fit conuersio, donec manet homo securus, & retinens propositum faciendi contra legem Dei, uiuit in contemtu iudicij diuini. Expressa est enim sententia: Manifesta sunt opera carnis, adulterium &c. propter hæc uenit ira Dei super inobedientes. Ideò necessaria est contritio. Id est, oportet existere in nostris cordibus pauores, propter iram Dei aduersus peccatum, & dolendum est, nos peccasse, id est, Deum à nobis offensum esse.

In his pauoribus & doloribus cùm petis remissionem, & uerè credis, Tibi remitti peccatum, & Te recipi propter filium Dei, gratis, non propter tuam dignitatem aut merita, & hac fide & consolatione cor pauidum sustentas, certò remittuntur tibi peccata, & Deus te recipit in gratiam, & simul dat Spiritum sanctum, qui accipitur in hac ipsa consolatione, cùm cogitatione promissionis fidem exuscitamus. Et concurrunt hæ causæ, Verbum Dei, & Spiritus sanctus in cogitatione uerbi Dei, adiuuans mentem & uoluntatem. Item, Mens & Voluntas. Et dato Spiritu sancto fides magis magisq; accenditur, & uincit pauores, & clamat Abba pater, inuocat Deum, & agnita misericordia iam subijcit nos Deo. Ita incoantur dilectio Dei, & bonum propositum. Et Spiritus sanctus accendit motus conuenientes uoluntati diuinæ, quæ expressa est in Lege Dei. Ideo dictum est: Dabo Legem meam in corda eorum &c. Ita semper necessariò coniuncta est cum remissione peccatorum & reconciliatione nouitas Spiritualis. Et fides est illa ipsa res, quæ est initium nouitatis, & qua uiuificamur ad uitam æternam, iuxta illud: Iustus fide sua uiuet.

Argumenta aduersariorum contra doctrinam de iustificatione.

Argumentorum quorundam explicatio.

PRorsus impossibile est, sola noticia hominem iustum esse:
Fides est tantùm noticia,
Ergo impossibile est, hominem sola fide iustum esse.

1. *Fides apud Paulum non est tantùm noticia.*

Hac imaginatione mouentur præcipuè multi non indocti, ut ualdè abhorreant ab hac propositione, Fide iustificamur, sed uerissima & firmissima responsio est, negandam esse Minorem. Nam in hac propositione apud Paulum, fide iustificati pacem habemus, & in dictis similibus, fides nequaquam significat tantùm noticiam, qualis est in Diabolis, quæ noticia auget pauores, fugam & consternationem. Ideo enim metus iudicij & pœnarum atrocior & maior est in Dæmonibus, quia magis intelligunt magnitudinem & atrocitatem suorum scelerum aduersus Deum & aduersus filium Dei, & magis nôrunt magnitudinem iræ Dei, & certius statuunt, Deum iudicem esse, Sed fides, de qua Paulus loquitur, prorsus contrarios effectus habet, sanat pauores & adducit nos ad Deum adiunctos Mediatori, quia non est tantùm noticia historię, sed est assensus, quo amplecteris promissiones, ita ut nominatim Tibi peccatum

tum remitti,& te recipi ſtatuas, & cum hoc aſſenſu neceſſariò ſimul eſt fiducia acquieſcens in Mediatore,quæ eſt in uoluntate,& læta accedit ad Deum ducente Mediatore, & inuocat. De hac fide loqui Paulum manifeſtiſſimum eſt,quia inquit,iuſtificati fide pacem habemus. Et Ephe. 3. Per quem audemus accedere confidenter per fidem eius. Inde hanc fidei definitionem ſumemus.

Fidei definitio

Fides eſt aſſenſus, quo omni uerbo Dei nobis tradito, ac promiſſioni reconciliationis aſſentimur,& eſt fiducia acquieſcens in Mediatore,clamans,Abba Pater.

Differentia fidei & ſpei.

Differt autem fides ſeu fiducia à ſpe,quia ſpes eſt expectatio futuræ liberationis, At fides accipit præſens beneficium,ſcilicet,remiſſionem peccatorum in præſentia,& reconciliationem ac imputationem iuſticiæ.

Teſtimonium firmiſſimum fidem eſſe fiduciam, Rom. 4.

Scimus autem Monachos faſcinatos ſuis imaginationibus furenter reſpere hanc interpretationem, ſed dolendum eſt, Eccleſiam quaſi linguæ ſuæ obliuiſcam eſſe, cùm de uocabulo fidei tanta ſint certamina. Perſpicuum & firmiſſimum eſt teſtimonium Pauli Rom. 4. Fidem eſſe fiduciam,qua accipimus promiſſionem. Poſtquam autem de uera ſignificatione uocabuli dictum eſt, deinde & hoc monendi ſunt ſtudioſi. Hoc argumentum oritur ex imaginatione Philoſophica ſeu legali,quòd iuſti ſimus propter noſtram qualitatem.Ideo quærit,ubi ſit illa qualitas. Toties autem iam dictum eſt, in hac propoſitione, Fide ſumus iuſti,non hoc dici, nos propter noſtram qualitatem iuſtos eſſe, ſed propter Mediatorem, & hunc fide apprehendi oportet, & iuſtificatio ſignificat remiſſionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iuſticiæ, id eſt, acceptationem ad uitam æternam,cum qua acceptatione coniuncta eſt donatio Spiritus ſancti.

Secundum Argumentum. II.

QVI non diligit,manet in morte:
Igitur non ſola fide ſumus iuſti.

Antecedens ſimpliciter ut ſonat ueriſſimum eſt. Nam hæc omnia oportet in conuerſo eſſe,contritionem,fidem,dilectionem, bonum propoſitum,obedientiam, quæ eſt iuſticia bonæ conſcientiæ.

Iuſticia bonæ conſcientiæ etſi adeſt in renatis, tamen non eſt cauſa iuſtificationis.

Sed in argumento conſequentia neganda eſt. Non enim ſequ... ...ticia bonæ conſcientiæ eſt ſimul, Ergo propter eam perſona eſt iuſta, id eſt, accepta in iudicio Dei,ſicut clariſſimè inquit Paulus: Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum. Bona res eſt,ſeu uirtus dare Eleemoſynas. Sed perſona,in qua adhuc multum eſt ſordium,non propter tales uirtutes in iudicio Dei accepta eſt, ſed per miſericordiam propter Mediatorem, ut dicitur: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo &c.Item, qui gloriatur, in Domino glorietur. Et tamen manet dicti illius immota ueritas:Qui non diligit,manet in morte,quia ſimul eſſe neceſſe eſt multas uirtutes.

Tertium Argumentum. III.

Dilectio eſt iuſticia,
Ergo dilectione ſumus iuſti.

VAlet conſequentia ex loco coniugatorum. Vt cùm dicimus: Albedo eſt color. Ergo paries albus albedine eſt coloratus.

Valet conſequentia in coniugatis,ſi nulla ſit ambiguitas, ut ſi hîc iuſticia intelligatur uirtus,uera eſt propoſitio hæc dilectio eſt iuſticia, id eſt, pulcra & excellens uirtus. Ergo dilectione ſumus iuſti, id eſt, habentes hanc uirtutem.

Sed

Sed aliud est loqui de iusticia Personæ, aliud de iusticia operum seu uirtutum. Iusticia personæ est imputatio iusticiæ seu acceptatio in iudicio Dei, quæ fit propter mediatorem sola fide. At iusticia operum uirtutes sunt in nobis, & bona opera, quæ sunt quidem res ualdè bonæ, sed aliud est, propter quod persona placet, quæ nondum satisfacit Legi Dei, & adhuc multas sordes & infirmitates circumfert. Hoc discrimine de iusticia personæ & operum considerato, multum lucis accedit uniuersæ huic doctrinæ. Iam rursus consideres hæc coniugata. Dilectio est iusticia, id est, uirtus, Ergo dilectione sumus iusti, hîc si iusti significet personam acceptam esse coram Deo, non ualebit consequentia propter ambiguitatem, ut si dicas, Amor patriæ est iusticia, Ergo Cicero propter amorem patriæ est iustus coram Deo. Manifestum est hîc non ualere consequentiam propter ambiguitatem.

IIII. *Quartum Argumentum.*

Medium quo non est terminus ad quem,
Fides est medium quo accipimus remissionem peccatorum:
Igitur Fides non est iusticia, sed res qua accipimus eam.

Fide accipitur id est, applicatur iusticia.

COncedo totum proprijssimè loquendo, quia uerum est, fide accipi, id est, applicari nobis iusticiam, id est, imputationem iusticiæ, quia non sumus iusti & accepti propter nostras qualitates, sed propter filium Dei Mediatorem, quem tamen necesse est fide intueri & apprehendere. Deinde hæc ipsa fides initium est uirtutum omnium, quæ in nobis accenduntur, & quas esse in conuersis oportet.

V. *Quintum Argumentum.*

Iustificari est ex iniusto iustum fieri:
Efficimur iusti, id est, mutati iam in nobis fide, spe, & dilectione:
Ergo non sola fide.

Iustus proprie apud Paulum significat non mutatum, sed reconciliatum

PRimùm ad maiorem, ut descriptio uocabuli propria teneatur. Ambiguitas est in maiore, iustificari est ex iniusto instum fieri, Hæc intelligunt aduersarij tantùm hoc modo, iustum, id est, alium, indutum nouis qualitatibus. Id non satis est, sed intelligi oportet iustum, id est, reconciliatum Deo facta remissione peccatorum, & acceptum Deo. Deinde uerò addendum est, indutum nouis qualitatibus. Hæc uocabuli interpretatio diligenter consideranda est, ut ad hanc speciosam cauillationem dextrè responderi possit: Iam uocabuli interpretatione constituta respondeatur ad maiorem. Maior est uera de mutatione in nobis. Sed non est uera de remissione peccatorum, & acceptatione personæ, Verum est, multas uirtutes simul accendi oportere, sed tamen persona iusta est, id est, habens remissionem peccatorum, & accepta Deo, fide, propter Mediatorem, non propter proprias uirtutes. His explicationibus consideratis aliæ similes præstigiæ etiam facilè iudicari & refutari possunt, & alibi multarū obiectionum explicationes tradidi. Cæterùm ad intellectū & controuersiæ huius & Epistolæ Paulinæ, necesse est rectè & uerè cognosci discrimen Legis & Euangelij. Item proprias & ueras significationes uocabulorum iustificationis, Gratiæ, Fidei, &c. & phrasis Prophetica & Apostolica sine corruptelis intelligenda est.

Enarratio aliquot Vocabulorum.

Lex

LEX Dei est doctrina consentiens cum æterna & immota norma mentis diuinæ, præcipiens quales nos esse, & quæ facere & omittere oporteat, & damnans omnes, qui non præstant integram obedientiam legi Dei. Hæc definitio sumta est ex his uerbis Moisi: Maledictus, qui non manet in omnibus, quæ scripta sunt in Lege. *Lex Dei quid sit.*

Ac necesse est in Ecclesia extare & retineri hoc discrimen. Humano iudicio existimatur satisfactum esse Legi diuinæ, & alijs, quando externa obedientia præstatur.

Sed iudicium Dei & Legis diuinæ aliud est, uidelicet, ut ordo non solùm in externis factis, sed etiã in tota hominis natura congruat cum mente & uoluntate diuina. Quia homo ita conditus est, ut sit imago Dei, & Lex insita est mẽtibus humanis, ut ordo in tota natura hominis congrueret cum ordine mentis diuinæ. Quia uerò post lapsum non congruit natura hominis cum illa æterna norma in mente diuina, Deus uerè irascitur huic deprauatione interiori, non tantùm externis delictis, sed etiam interiori deprauationi. Quanquam autem Lex antea insita fuit mentibus, tamen Deus expressa uoce eam promulgauit, quia in mentibus humanis post lapsum cœpit obscurior esse. Voluit igitur Deus eam renouare, & edidit illustria testimonia, ut sciamus noticiã mentibus insitam lumen esse à Deo traditum, & quatenus mentes humanæ cum iudicio Dei congruant. Item ut extet iudicium Dei aduersus peccata interiora & exteriora. Nam ipsa uox Legis expressè testatur, postulari integram obedientiam. Sicut uerba dicunt, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus uiribus. Item, Non concupiscas. Hunc intellectum Legis necesse est in Ecclesia conseruari. Ideo & Matth. 5. hæc interpretatio proponitur, ut sit doctrina pœnitentiæ, & agnito peccato quæratur Mediator. *Lex diuina requirit ordinem in toto homine congruentem cum mente uoluntatediuina.* *Cur Deus legem repetiuerit.*

Sicut autem Pharisæi olim tantùm disciplinam externam satisfacere legi Dei imaginabantur, & postea multos errores affingebant, hac disciplina homines mereri remissionem peccatorum, Item, iustos esse hac disciplina coram Deo & de Mediatore prorsus silentium erat. Ita sæpè in Ecclesia similes errores latè uagati sunt, sic Pelagiani & recentes scriptores, Thomas, Scotus & similes finxerunt, homines Legi Dei satisfacere hac disciplina, & mereri remissionem peccatorum, & iustos esse coram Deo hac disciplina. Hæ impiæ imaginationes & Legem & beneficia filij Dei obscurauerunt. Hæc initiò monere de intellectu Legis necesse est, sicut & Paulus 2. Corinth. 3. discernit Pharisaicum intellectum Legis à uero intellectu. Sapientia humana intuetur faciem Moisi uelatam, id est, externam disciplinam existimat esse Legis impletionem. Sed quando iudicantur corda in uera pœnitentia per Euangelicum Ministerium, aliquo modo retegitur facies Moisi, & cognoscitur iudicium Dei aduersus peccata, significatum radijs sparsis ex facie Moisi. *Error Pharisæorum, Pelagianorum & aliorum de lege.*

De peccato.

PEccati nomine Paulus sæpè utitur pro tota radice & malis fructibus, sed docendi causa rectè & utiliter tradita est distinctio peccati Originalis & Actualis. Ac prorsus in Ecclesia necesse est scire, peccatum non tantùm significare uitiosas actiones, ut grammaticis uidetur sonare uocabulum, seu ut de uitiosis actionibus aut habitibus loquuntur Philosophi, aut leges politicæ, sed Ebræa phrasis nominat Peccatum malum quodcunq; pugnans cum Legi Dei, & reum coram Deo. Complectitur ergo non tantùm uitiosas actiones, sed etiam radi- *Peccatum nomen apud Paulum.*

radicem, ſcilicet, malum originale, cuius deſcriptio infrà recitanda erit. Nunc generalis definitio, conueniens & originali & actuali peccato, conſtitui talis poteſt.

Peccati definitio in genere.

PEccatum eſt defectus, uel inclinatio, uel actio, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, & commerens æternas pœnas, niſi facta ſit remiſſio propter filium Dei. Sumitur autem & hæc definitio ex dicto Moiſi: Maledictus qui non manet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Lege. Poſtea autem copioſius explicabitur diſtinctio peccati Originalis & Actualis. Nunc enim hæc breuis admonitio recitatur, ne iuniores politico more tantùm putent externa delicta nominari peccata, ſed ut ſciant, magna interiora mala eſſe, dubitare, an curet Deus humana, an uerè iraſcatur omnium peccatis, an uerè recipiat omnes agentes pœnitentiam. Item, eſſe ſine timore Dei, ſine fide, & ſine fiducia, ſine dilectione Dei, ſine inuocatione, fingere ſecundas & aduerſas res accidere, uel in aduerſis iraſci Deo, & fugere eum. Item, corde contumacem eſſe aduerſus legem Dei, & ardere multis flammis errantium cupiditatum.

Hæc magna confuſio malorum in homine agnoſcenda & deploranda eſt, & ſciendum, multò plura mala peccati nomine comprehendi in Eccleſia, quàm in Philoſophia aut Politica doctrina. Monachi uerò & hoc uocabulum corruperunt, quia negant, malum originale in renatis eſſe malum pugnans cum Lege Dei &c.

De Gratia.

NOmen Gratiæ ualdè obſcuratum eſt, cùm Monachi tantùm uſurpârunt pro habitu infuſo, & hinc tenebræ ſequutæ ſunt in uniuerſa doctrina de Gratia, Iuſticia, & Fide. Sciendum eſt igitur, GRATIAM ſignificare gratuitam miſericordiam, ſeu remiſſionem peccatorum, & acceptationem, donatam propter filium, cùm qua tamen coniuncta eſt donatio Spiritus ſancti, accendentis nouam lucem, & nouas uirtutes in corde hominis, cui remittũtur peccata. Vtitur Paulus duabus appellationibus, ut diſcernat hæc duo: gratuitam acceptationem, & nouas uirtutes in nobis accenſas. Rom. 5. Multò magis gratia Dei, & donum per gratiam, per Ieſum Chriſtum in multos exuberant. Sic cùm dicitur: Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia, non ſatis eſt ſic intelligi, gubernamini habitu infuſo, ſed neceſſe eſt, prius hanc dulciſſimam conſolationem tenere, eſtis ſub gratia, id eſt, habetis remiſſionem peccatorum, & accepti eſtis Deo propter Mediatorem, gratis, etiamſi adhuc in uobis reliquiæ ſunt peccati, magna infirmitas, & multum ſordium.

Gratia apud Paulum quid ſignificet.

De Iuſtificatione.

Iuſticia legis in doctrina legis ſignificat uirtutes in nobis.

IVſticia, cùm de Legis Iuſticia loquimur, ſignificat uirtutes in nobis, & Iuſtus idem quod habens illas uirtutes. Hæc cùm Philoſophica & legalia ſint, Thomas & ſimiles tantùm hoc modo intellexerunt hęc uocabula de qualitatibus, & uerbum Iuſtificare interpretati ſunt, infundere uirtutes, ut ſi dicerent, calefacere ſignificat infundere calorem.

Etſi autem neceſſe eſt nouas uirtutes in nobis accendi, ut ſæpè iam dictum eſt, tamen phraſis in his appellationibus alia eſt. Nam Euangelium aliter de iuſticia loquitur, quàm Lex aut Philoſophia. Cùm tua mens angitur, an ſis iuſtus, non hoc principaliter quæritur, quæ ſint in corde qualitates. Imo uerò cernis etiam, magnam eſſe immunditiem cordis, Sed hoc quæritur, an ſis acceptus

Deo

Deo,an Deus te receperit,an remiserit tibi peccata.Est igitur principalis significatio uocabuli Iustus in hac quæstione, acceptus Deo ad uitam æternam. Inde & uerbum iustificare significat absoluere à peccatis, & iustum, id est, acceptum reputare seu pronunciare,sicut plerunq; in forensi sermone etiamsi loquuti sunt Ebræi, ut si dicerent, populus Romanus iustificauit Scipionem accusatum à Tribuno,id est, pronunciauit iustum.

Iustus in doctrina Pauli significat acceptum Deo.

Cùm igitur quæritur,an fide iustificemur, non hoc quæritur,an sola fides in corde sit, sed an receperit nos Deus, an remiserit peccata, an simus accepti propter filium Dei,non propter qualitates nostras. Et tamen cùm accensa est fides, qua agnoscimus filium Dei, & promissionem amplectimur, necesse est multas uirtutes simul esse. Nam fiducia acquiescens in Deo, & erigens corda in ueris pauoribus,nequaquam est sine dilectione,sine inuocatione,sine timore,& est motus clamans,ut Paulus inquit,Abba Pater.

Postea, cùm de Operibus dicitur,quis sit usus uerborum, iustus & iustificari, non rudis grammaticæ facilè iudicabit, ut cùm dicitur: Non auditores Legis, sed factores iustificantur, id est, pronunciantur habentes illam legis iusticiam.

De uocabulo Fidei.

ETsi pertinacissimè & sine ullo fine contendunt aduersarij, fide tantùm significari noticiam, tamen certa & immota ueritas est, in hoc dicto: Iustus fide sua uiuet: Item, fide iustificamur & similibus, nomine Fidei complecti & noticiam omnium articulorum fidei, & fiduciam acquiescentem in promissione, quæ & ipsa comprehenditur in articulis Symboli, scilicet, credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam æternam. Necesse est enim priores articulos ad hæc beneficia referre. Et Paulus Rom. 4. manifestè affirmat,se de ea fide loqui,quæ promissionem amplectitur. Hæc autem est fiducia, qua acquiescit mens in filio Dei,statuens non tantùm alijs quibusdam,sed Tibi ipsi remitti peccata.

Fidei uocabulum quid significet proprie & uerissimè in doctrina de iustificatione.

Teneatur ergo docendi causa hæc definitio: Fides est assensus,quo uerbo Dei nobis tradito,atq; ita promissioni reconciliationis etiam assentimur: & est fiducia,acquiescens in filio Dei,iuxta promissionem.

CAPVT I.

Paulus seruus Christi uocatus Apostolus.

EPigrapha, ut fit in Epistolis, præposita est. Et propter magnas causas inserta est mentio officij & doctrinæ. Necesse est in Ecclesia discerni uocationes seu doctores. Ac sicut Deo ipsi, sua uoce concionanti in Paradiso, uel ad Abraham,aut Moisen, & sicut ipsi filio Dei sua uoce concionanti,credi necesse est, & illa ipsa uox diuina rata, firma & immutabilis est: Sic Prophetis & Apostolis credi necesse est, quia non gignunt ipsi nouum genus doctrinæ, sed accipiunt certa mandata à Deo,hæc sonant,& addit testimonia Deus,quòd non errent,sicut Moises subinde repetit hoc exordium: Locutus est Dominus Deus &c. Sic igitur audiendi sunt, sicut uox Dei sonans de cœlo,& confirmata illustribus testimonijs. Et necesse est,eis omnes homines assentiri, & nulli creaturæ licet eorum doctrinam mutare.

Epigraphes declaratio.

Deinde uerò à Prophetis & Apostolis alij Doctores accipere uocem debent, & hanc unam sonare, & hanc cùm sonant,rectè docent. Sed multi ab hac

uoce discedunt,& alia de suo affingentes errant. Sciendum est igitur,Episcopis uel doctoribus alijs, præter Deum, Prophetas & Apostolos, non necessariò credendum esse, nisi quatenus illam ipsam uocem Dei, Prophetarum & Apostolorum recitant.

Prophetæ definitio. Ac eruditè teneantur discrimina. Propheta in populo Israël, est persona immediatè à Deo uocata ad docendum & illustrandum Euangelium, habens testimonium, quòd non erret,& missa ad gubernanda aliqua politica consilia, ut Moises,Samuel,Elias,Elisæus,Esaias,Ieremias &c.

Apostoli definitio. Apostolus est persona, immediatè à Deo uocata,ad docendum Euangelium,habens testimonium quòd non erret, neq; tamen missa est, ut regat consilia gubernationis politicæ. Habet autem uocationem uniuersalem, ut quocunq; loco docere possit.

Episcopi definitio. Episcopus est persona, uocata per homines, ad docendum Euangelium, in loco certo, quæ non habet testimonium, quòd non erret: sed errare & labi potest,cùm uidelicet à uoce Prophetica & Apostolica discedit.

4. Causæ cur Paulus faciat mentionem officij. Hoc discrimine considerato, intelligimus multas causas esse, cur mentio fiat officij. Primùm sciri necesse est, non uagari Paulum suo priuato consilio, sed à Deo uocatum missum esse. Secundò circumferre eum doctrinam, non ab ipso excogitatam, sed commendatam ei diuinitus, quæ quidem est admirandum decretum diuinitatis, de liberatione generis humani à peccato & à morte per filium. Tertiò,ut sciamus,nihil erroris admixtum esse huic doctrinæ. Quartò,ut ei credatur, tanquam uoci Dei, de cœlo sonanti,& acquiescat fides in eius concionibus,& certò statuat, hanc esse uoluntatem immotam Dei, quam proponit. Hæc considerare necesse est, & ad consolationem nostram, & ad prohibendam horribilem audaciam mutandæ doctrinæ. Quia Deus immensa misericordia decretum illud suum patefecit,quod nulli creaturæ mutare licet.

Segregatus in Euangelium Dei.

Segregatus quid significet IN descriptione officij iam recitat, quodnam sit Officium, scilicet, munus docendi Euangelij, quod deinde definit,ut discernat à Lege. Primùm autem obseruetur uocabulum,Segregatus,quod significat, delectum esse cum quadam segregatione ad diuinum usum, non communem reliquæ multitudini, sicut & de uictimis dicitur, segregari eas, id est, eligi ad hunc usum, ut Deo mactentur. Sic & in Numeris capite 8. dicitur, Leuitas segregari à reliqua multitudine ad diuinos usus. Et imago insignis proponitur in uictimis. Ministri Euangelij sunt similes uictimis,& præcipua uictima est summus sacerdos,filius Dei. Significat igitur metaphora, Apostolos non ad imperium, non ad opes, non ad delicias uocari, sed ad ingentia pericula & certamina, ut Psalmo 43. inquit: Propter te mortificamur tota die, & sicut oues occisionis æstimati sumus.

Vocationum in Ecclesia dissimilitudo. Hîc necesse est cogitari collationem. Vocationes Moisi, Iosuæ, Samuelis, Eliæ, Elisæi, quàm glorioſæ fuerunt? Hi manifestis testimonijs Dei Imperia constituerunt & rexerunt. Hæc res gloriosa est hominum iudicijs, quia beneficia præsentia incurrunt in oculos. Sed species in uocatione Apostolica longè dissimilis est. Vagantur ut errones miseri, sine certis hospitijs, interficiuntur crudelissimis supplicijs. Etsi autem dissimilis species est, tamen Deus & ipsos testimonijs ornat,ut certi simus de doctrina. Hîc autem dulcissima consolatio,

quam

quam tradit in 2 ad Corinth. sæpè & diligenter cogitetur. Cùm magna fuerit gloria ueteris testamenti in Eductione ex Aegypto, in promulgatione Legis, in defensione perpetua illius Politiæ, confidite & Ecclesiæ Deum adfuturum esse, & eam inter calamitates defensurum, & postea ingenti gloria ornaturum esse. Hæc collatio ad nos consolandos sæpè cogitanda est, ut confirmemus hanc sententiam in mentibus nostris, quòd filius Dei uerè adsit Ecclesiæ, sicut dicit. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Erit igitur semper Ministerium Euangelij, erunt alicubi aliqui cœtus, & aliqua doctrinæ hospitia etiam inuitis portis Inferorum. Hac spe petamus & expectemus Ecclesiæ defensionem, & non abijciamus doctrinæ studia &c. Aggregemus nos ad eum cœtum, in quo sonat uox Euangelij.

In Euangelium Dei.

PRæcipuè in Ecclesia extare necesse est illustre discrimen Legis & Euangelij. Nisi enim in uniuersa doctrina præluceat hoc discrimen, sequuntur magnæ tenebræ, & pernicioſi errores. Et quia alibi copioſè de hoc discrimine dicitur, imò hæc ipsa Epistola ad Romanos præcipuè monstrat discrimen, hîc breuiter monendus est lector. Sciant autem iuniores, præcipuè dici de lege Morali, quam usitatè uocamus Decalogum. Nascitur nobiscum aliqua legis moralis noticia, ut numerorum. Et considerēt hîc iuniores doctrinam usitatam de principijs. *Necessarium est discrimen legis & Euangelij.*

Euangelium uerò doctrina est, nequaquam naturæ hominum, aut ulli creaturæ nota, sine reuelatione diuina, quia decretum est arcani consilij diuinitatis, de filio deprecante pro genere humano, de mittēdo filio, ut fieret uictima, de annuncianda gratuita remissione propter filium, de donanda iusticia, & uita æterna &c. Hoc decretum neq; Angeli, neq; homines nosse poterant, nisi Deo ipso promulgante. Sit igitur hæc definitio. *Euangelij definitio.*

Euangelium est prædicatio pœnitentiæ, & promissio, cuius noticia non nascitur cum hominibus, sed ex arcano consilio æterni Patris, immensa bonitate, prolata & patefacta est, in qua promittit Deus propter filium, gratis, remissionem peccatorum, reconciliationem, Spiritum sanctum, iusticiam & uitam æternam, credentibus in filium.

Hæc definitio sumitur & ex hac ipsa epigrapha, & deinceps ex perspicuis membris præcipuæ disputationis in hac Epistola. Vt infrà Capite 3. cùm dicitur. Nunc sine lege manifestata est iusticia Dei. Item, Gratis iustificamur fide, propter filium &c. Et quia infrà res eædem repetendæ erunt, nunc satis sit iuniores monuisse, ut semper in conspectu habeant discrimen legis & Euangelij, ne delabatur posteritas in pernicioſum errorem eorum, qui finxerunt, tres esse leges: Naturalem, Mosaicam, & Euangelicam, & obruerunt doctrinam de gratuita remissione, & de multis articulis Euangelij.

Quod antea promisit per Prophetas in scripturis sanctis.

OCcurrit obiectioni: Sine ulla dubitatione uerum est, articulum doctrinæ in Ecclesia principalem, oportere omnibus temporibus notum esse: Tu adfers nouam doctrinam: Non est igitur necessaria Ecclesiæ. *Doctrina de iustificatione hominis statim initio patefacta Ecclesiæ.*

Huic argumento statim hîc in uestibulo respondet Paulus, & constanter asseuerat, hanc doctrinam, de remissione peccatorum, de iusticia & uita æterna, donanda

donanda propter filium, nequaquam nouam esse, sed statim initiò Ecclesiæ patefactam esse promissionem à Deo, & deinceps uoce Prophetarum illustribus testimonijs diuinis propagatam esse. Et quidem deducit nos ad ipsa scripta Prophetica. Ad hæc alligata est Ecclesia, sicut aliâs dicitur, Ecclesiam extructam esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum &c.

Vna est lex moralis & una promißio remißionis peccatorum.

Hîc rursus admonendi sunt iuniores, de discrimine Legis & Euangelij. Vna est lex moralis, & æterna omnium temporum, cui nullo tempore hæc corrupta hominum natura satisfacere potuit, neq; satisfacere potest. Quare Patres & Prophetæ non habebant remissionem peccatorum, neq; erant iusti coram Deo, id est, accepti ad uitam æternam, propter Legem, sed propter Mediatorem fide. Vna est enim & promissio remissionis peccatorum & uitæ æternæ omnium temporum, edita initiò his uerbis: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, & deinde magis magisq; illustrata uoce Prophetarum. Quare uno & eodem modo omnes sancti ab initiò accipiunt remissionem peccatorum & uitam æternam fide, id est, fiducia Mediatoris, quem promissio monstrat, iuxta illud: Huic omnes Prophetæ perhibent testimonium, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, Omnes qui credunt in eum.

De filio suo, qui natus est ex semine Dauid, secundum carnem. Et qui declaratus est, esse filius Dei potens, id est, omnipotens.

Duæ naturæ in Christo.

HIC Paulus concionatur de duabus naturis in Messia. De natura humana, quam assumsit filius coæternus patri λόγος ex semine Dauid, id est, ex uirgine Maria. De natura diuina autem addit: Qui declaratus est, esse filius Dei. Refutat enim uulgatissimum errorum Iudæorum, qui & tunc impiè cogitabant & adhuc ita clamitant, in Messia tantùm humanam naturam fore. Paulus contrà nominat Messiam filium Dei, secundum naturam potentem, seu omnipotentem & uiuificatricem. Et est usus insigni uerbo, ὁρισθέντος, quod significat, certò cognitum esse, Quasi dicat, de filio, qui natus est ex semine Dauid secundum carnem, & quem certò cognitum est, esse filium Dei omnipotentem. Nam ὁρίζεσθαι significat, certissimè definiri, sine ulla dubitatione comprehendi & cognosci: quam uocem utcunq; reddit recentior uersio: Qui declaratus est. Antiqua uersio prorsus obscurauit: Qui prædestinatus est, & præbuit occasionem alienis disputationibus. Est igitur uera interpretatio: quem certissimè cognitum est, esse filium Dei. Loquitur enim Paulus, non de prædestinatione in mente diuina, sed de certissima manifestatione filij Dei in toto genere humano. Conuincimur enim, hunc Messiam esse omnipotentem, quia & resurrexit à mortuis, & resuscitauit mortuos &c.

ὁρίζεσθαι uerbum.

In Potentia.

Filius Dei potens quid significet.

IUniores diligenter considerent phrasin: Quia declaratus est, esse filius Dei in Potentia, id est, potens. Opponitur autem hæc particula priori. Natus ex semine Dauid, secundum carnem, id est, secundum naturam humanam, obnoxiam morti, sine peccato &c. Reliqua opponuntur delirijs Iudæorum, qui expectabant Messiam potentem armis, uictorijs, opulentia, imperijs mundi. At Paulus inquit, potentem esse secundum Spiritum sanctificantem, id est, quia dat Spiritum sanctum, & aufert peccatum & mortem, & reddit iusticiam, & uitam æternam. Hæc autem omnia propria sunt diuinæ potentiæ. Est igitur filius natura omnipotens. Sic ait cognitum esse per ipsius resurrectio-

rectionem, & per omnia miracula, per resuscitationem mortuorum, & alia, & per donationem Spiritus sancti, qui de eo illustribus miraculis testificatus est.

Gratia & pax.

GRatia usitatè significat relatiuè remissionem peccatorum gratuitam, & reconciliationem seu acceptationem gratuitam propter filium Dei, cùm qua coniuncta est uiuificatio per filium, & donatio Spiritus sancti. *Gratiæ usitata significatio.*

Pax Ebraico more prorsus usurpatur sicut apud nos salus. Significat autem ipsam donationem Spiritus sancti, & effectus multos, scilicet, pacem conscientiæ, fidem, spem, inuocationem, auxilium diuinum in gubernatione, & successus in uocatione, & in omnibus uitæ partibus. *Pacis uocabulum.*

A Deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

VSitatè coniungit Patrem, & dominum nostrum Iesum Christum. Primùm ut moneat, filium quoq; natura Deum esse, à quo petenda & accipienda sint hæc bona. Secundò, ut moneat, dari hæc bona propter filium, iuxta illud: Quidquid petieritis Patrem in nomine Meo, faciam. Tertiò, ut moneat, sic oportere agnosci Deum, ut sit directa mens & compellatio ad hunc uerum Deum, qui se patefecit misso filio, iuxta illud: Nemo potest uenire ad Patrem, nisi per filium. Cogitemus autem inenarrabilem bonitatem Dei, qui cùm essentia Dei sit inuisibilis, semper aliquod testimonium suo uerbo addidit, quo discerneretur uerus Deus à commentitijs numinibus. Sed præcipuum testimonium est, quòd filium misit, quem assumta humana natura, mente intueri nos oportet, & fide statuere, ueram essentiam diuinam conditricem cœli & terræ, & hominum, & aliarum creaturarum, esse Patrem huius Domini nostri Iesu Christi, & hunc filium Iesum Christum, & Spiritum sanctum, procedentem ab æterno patre & filio. Et in inuocatione patefactiones cogitandæ sunt, qualis facta est in Baptismo Christi. *Cur Paulus coniungat patrem & filium in precatione.*

EXORDIVM.

ANtequam instituit disputationem, usitato more in orationibus, exordium præponit, cuius prima propositio est Gratulatio, sicut usitatissimum est, à gratulationibus & à precationibus ordiri. Et gratulationem sequitur alia uicina propositio, uidelicet: Et ipse ad uos proficisci sæpè constitui, ut uos docerem & confirmarem. Deinde sequitur Aduersatiua. Sed sum impeditus &c. Quarò sequitur ἀπιολογία, sumta ex proprio officio. Quia debitor sum sapientibus & insipientibus. Quintò, Occupatio, qua occurrit tectæ obiectioni: Etiamsi scio professionem Euangelij & despectam & inuisam esse sapientibus mundi, tamen me non pudet huius doctrinæ. Ibi addit asseuerationem contrariam iudicijs mundi, & affirmat, sic colligi æternam Ecclesiam Deo per ministerium Euangelij, & addit propositionem principalem Epistolæ: Iustus fide sua uiuet. *Exordij in Epistola ad Romanos dispositio.*

Cui seruio in Spiritu meo.

DIscernit cultus Leuiticos ab interiore cultu, & à prædicatione Euangelij & confessione, sicut & Christus inquit Iohan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate, id est, motu cordis accenso per Spiritum sanctum, & in ueritate, id est, uera agnitione Dei, & fiducia filij, iuxta uerbum à Deo traditum, sicut & alibi dicitur: Pater sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. Significat enim, non esse sanctificationem in alijs *Discrimen cultuum leuiticorum & interiorum.*

Sectis & opinionibus, sed oportere agnosci Euangelium, & teneri incorruptum. Nominat igitur & hîc cultum Dei, docere, discere & confiteri Euangelium, sicut infrà inquit: Sacrifico Euangelium. Hæc dicta affirmant, Deo placere laborem docendi & discendi. Et quanquam magna sunt pericula docentium & discentium, tamen non abijciamus hæc studia, fracti terroribus, sed statuamus, Deum nobis adfuturum esse, nec labores nostros irritos fore, & Deum seruaturum esse aliquos cœtus, ipsum inuocantes, qui sint custodes doctrinæ. Huc pertinent multa testimonia. Psalm: 1. Folia eius non defluent. Et Iohan. 15. In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copiosum feratis, & sitis mei discipuli. Item Esaiæ 51. Posui uerba mea in ore tuo, & manu mea protegam te, ut plantes cœlos. Hæ consolationes sæpè cogitandæ sunt, ne studia doctrinæ abijciamus.

Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.

HAEc uox impijs & ignorantibus quid sit Euangelium, arrogantissima esse uidetur, qui cogitabant magnam impudentiam esse, hunc erronem promittere sapientiam, quæ fuerit ignota sapientissimis hominibus, qui ante multa secula Respublicas constituerunt. Sed nos in Ecclesia scimus, promissionem de redemtione, & restitutione generis humani, discernendam esse à sapientia Politica & Philosophica. Ac nisi Deus ipse promissionem patefecisset, nulla eam creatura scire posset. Primùm autem ipsius Dei uoce tradita est promissio, de filio, & sæpè postea, cùm uel obliuione deleta esset, uel erroribus obscurata, rursus immensa bonitate Dei nouis reuelationibus illustrata est per Patres, Prophetas, filium Dei, Apostolos, & pios Doctores. Et quidem uult Deus exaudiri eam à toto genere humano, & agnosci filium à toto genere humano, iuxta illud: Hunc audite. Ideo Paulus hîc omnes homines complectitur, ait se Omnibus concionari, sapientibus & insipientibus, quia non adfert Politicam aut Philosophicam sapientiam, sed promissionem prolatam ex arcano sinu Dei, quam uult Deus exaudiri à toto genere humano.

Sapientia Ecclesiæ discernenda à Politica & Philosophica.

Vtrique autem hîc de officio suo cogitent, Doctores & discipuli, utrique sunt debitores. Doctores, ut doceant, Auditores uerò, ut audiant & discant. Huc pertinent plurima dicta, quæ præcipiunt doctoribus, ut fideliter doceant, & tueantur puritatem doctrinæ incorruptam, ut consulant firmis & infirmis &c. Item alia mandata, quæ cæteris præcipiunt, ut audiant & discant Euangelium, iuxta illud: Hunc audite. Item: Primùm quærite regnum Dei. Item. Qui non audierit, ego ultor ero. Item: Et nunc Reges intelligite, Osculamini filium, ne quando irascatur. Item, Qui non diligit Dominum Iesum Christum, sit Anathema, Maran atha, id est, Dominus uenit.

Non enim pudet me Euangelij.

LOCVS est attentionis, & respondet iudicijs hostium. Et est ἀπολογία, sumta ex uera dignitate & efficacia Euangelij. Vt autem hæc breuis asseueratio, Non pudet me Euangelij, intelligatur, consideranda sunt iudicia, quorum acerbitas tunc magis conspicitur, quando motis controuersijs uoluntates hominum patefiunt. Sapientes profani summum bonum esse ducunt, tranquillitatem Politicam. Hanc cùm nolunt turbari ulla nouitate, acerbissimè oderunt nouam doctrinam de Deo, tanquam facem seditionum & horribi-

Mundi iudicia de Euangelio.

horribilium discordiarum, & tolli curant doctores & auditores, tanquam seditiosos, & hostes patriæ. Deinde alij non profani, sed fascinati superstitione, ardent multò truculentioribus odijs, quia plures causas habere se existimant, ut dimicent, sicut ipsi loquuntur, de gloria Dei, de unitate Ecclesiæ, & de pace politica. Accusant enim pios doctores in reprehensione uitiosorum cultuum, quòd impediant, quò minus Deo debiti honores tribuantur. Deinde querun-tur, distrahi Ecclesiam, & turbari pacem. Ac de lege Moisi difficilior disputatio tunc erat, quia summum scelus uidebatur abolere cultus à Deo institutos. Sicut & nunc multi summum scelus esse uociferantur, non facere oblationem in missa. Ideo execrantur dissentientes tanquam hæreticos, Schismaticos & seditiosos, & existimant, Deo gratum officium esse, interficere nos, tanquam pestes generis humani, seu tanquam καθάρματα καὶ ἀλάσορας.

Aduersus hæc acerbissima iudicia magno robore fidei inquit Paulus: Non pudet me Euangelij, Sic & Esaiæ 51. dicitur: Non timete probra hominum. Quantum autem sit onus, sustinere tam uirulenta iudicia, & tantam odiorum acerbitatem, experientia ostendit, estq; difficile ita confirmare animos, ne fracti talibus iudicijs, calumnijs, odijs, terroribus, supplicijs, abijciant Euangelij professionem.

Potentia enim Dei est ad salutem omni credenti.

EX fontibus principalis doctrinæ sumitur ratio, de dignitate & efficacia Euangelij, quasi dicat, Non est inanis fabula Euangelium, ut profani homines iudicant. Imò etiam potentius est, quàm Lex, quia est illa uox, per quam Deus uerè est efficax in genere humano, colligit sibi æternam Ecclesiam, uerè tollit peccatum & mortem, dat Spiritum sanctum, reddit nobis iusticiam, & uitam æternam. Hæc summa bona nec per humanam sapientiam, nec per legem dantur, sed per hanc Euangelij uocem. *Euangelium potentius lege.*

Meminerimus autem, in hoc dicto testimonium proponi, de efficacia ministerij Euangelij. Cùm oculi non cernant Deum, quærit mens, quid sit, & ubi sit Deus, quem alloqui & inuocare uult, & quomodo sit discernendus uerus Deus à commentitijs numinibus, quæ sit uoluntas eius, an & cur exaudiat. De his quæstionibus omnibus respondet hoc dictum: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, id est, Deus alligauit se ad uocem Euangelij, sic uult agnosci, hunc uerè Deum esse, qui se patefecit misso filio, & tradidit promissionem in Euangelio propositam. Hac cogitatione uult discerni à commentitijs numinibus, uult agnosci uoluntatem suam, cur uelit exaudire, & cogitata promissione uult te credere & acquiescere, ac si uideres, & audires ipsum Deum te consolantem. Et cùm sic credimus, uerè Deus efficax est in nobis. *Efficacia ministerij descripta in dicto Pauli, Euangelium est potentia Dei.*

Hæc efficacia Ministerij describitur in multis dictis. Rom. 1. Euangelium est potentia Dei, id est, instrumentum, per quod Deus est efficax ad salutem in credentibus. Non est ociosa uox, aut inanis sonitus, sed instrumentum Dei, cùm assentimur, & fide accipimus. Item, Romanos 10. dicitur, Fides ex auditu est. Et 2. Corinth. 3. Euangelium est ministerium Spiritus. Et Galatas 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Matth. 10. Qui uos audit me audit. Ephe. 4. Vt perficiantur sancti, ad ædificationem corporis Christi. Rom. 15. Vt per consolationem scripturarum spem habeamus. *Deus est efficax per ministerium.*

Hæc

Hæc dicta omnia teſtantur, Deum efficacem eſſe, cùm Euangelium cogitamus, & ei aſſentimur. Nec enim ita intelligatur hæc efficacia, ut ſi de calefactione loqueremur: Ignis eſt efficax in ſtramine, etiamſi ſtramen nihil agit. Sic Manichæi, Enthuſiaſtæ, Anabaptiſtæ ſomniabant, fieri illuminationes in mente prorſus ocioſa, & cogitabant, tunc demum ſe uelle credere, cùm prius ſentirent in ſe illud nouum lumen. Hæ imaginationes explodendæ ſunt, Et ſciendum eſt, oportere nos audire Euangelium, cogitare, & aſſenſu amplecti, & repugnare dubitationi. Hoc cûm facimus, ſimul Spiritus ſanctus eſt efficax in ipſa conſolatione, & in hac lucta. Hæc in experientia & quotidiana inuocatione diſcenda ſunt.

Omni credenti.

Vniuerſalis particula opponenda imaginationi particularitatis.

EST & particula uniuerſalis conſideranda, Omni credenti. Ac infrà ſæpè de hac uniuerſali dicendum erit, ne turbetur fides hac humana imaginatione, quæ Deo tribuit προσωποληψίαν: Deus alios quoſdam recipit, Te non recipit. Huic imaginationi particularitatis opponendum eſt dictum uniuerſale, quod ſæpè repetit Paulus. Includamus igitur nos quoq; in uniuerſalem promiſſionem, & pertinere eam ad nos quoq; ſtatuamus, ut Deo laudem Veritatis tribuamus, & teneamus dicta uniuerſalia multa in promtu: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos.

Iuſticia enim Dei reuelatur in eo.

ANtea, ut in loco attentionis, mentionem fecit dignitatis & efficaciæ Euangelij. Hîc idem membrum illuſtrat, & nominatim dicit, quomodo proſit Euangelium ad ſalutem, quia patefacit mirandum decretum Dei de iuſtificatione hominis, hoc eſt, de liberatione à peccato, & de donatione iuſticiæ & uitæ æternæ. Atq; ita in fine Exordij recitat propoſitionem huius Epiſtolæ, & (ut ita dicam) Statum totius cauſæ, quam exponet, & ſimul diſcernit legem & Euangelium, & iuſticiam legis, à iuſticia Fidei.

Iuſticia Dei in Paulo quid ſignificet.

Vt autem phraſis dextrè intelligatur, monendi ſunt iuniores, Iuſticiam Dei hoc loco, & ſæpè aliâs dici, non qua ipſe iuſtus eſt, ut dicimus, iuſtícia Iudícis puniri latronem, ſed qua Deus nos pronunciat eſſe iuſtos, & quam Deus donat nobis per fidem, cùm propter filium nos recipit, & pronunciat nos iuſtos id eſt, abſolutos ſeu liberatos à peccato, & receptos in gratiam, & ſanctificat nos Spiritu ſancto ad uitam æternam.

Emphaſis uerbi reuelatiui.

Nec ſine ſingulari cauſa uſus eſt uerbo Reuelandi, quaſi dicat: in Euangelio arcanum decretum Dei patefit, quòd uidelicet uelit genus humanum immenſa miſericordia propter filium deprecatorem gratis recipere, ac mittere Filium, ut fiat uictima, & tollere peccatum & mortem, ac reddere iuſticiam & uitam æternam Omnibus, qui uerè credent, ſe propter filium gratis recipi. Hoc decretum nulla creatura cernere poterat, ſed ipſius Dei uoce patefactum & promulgatum eſt, & alia uox eſt, quàm uox Legis de iuſticia. Nam iuſticia legis eſt, facere Legem, ſeu, ut Philoſophi dicunt, iuſticia uniuerſalis eſt obedientia noſtra iuxta omnes Leges. Hæc definitio deſcribit Legis iuſticiam, quæ neq; adfert remiſſionem peccatorum, neq; tollit peccatum aut mortem. Ideo Paulus dicit, aliam iuſticiam in promiſſionibus ſeu uoce Euangelij proponi, ſicut & infrà inquit: Nunc iuſticia Dei manifeſtata eſt, ſine

Lege.

lege. Hæc iuſticia, id eſt, remiſſio peccatorum propter filium gratuita, & acceptatio coram Deo, cum qua coniuncta eſt donatio Spiritus ſancti, & hæreditas uitæ æternæ, datur non propter Legem aut Legis iuſticiam &c.

Ex fide in fidem.

SImus contenti uulgari enarratione: fide imperfecta in ardentiorem & firmiorem. Quia in inuocatione & quotidianis periculis fiat aſſenſio firmior, & magis ſtatuamus, nos Deo curæ eſſe, nos receptos eſſe, nos exaudiri & protegi à Deo, ſtatuamus firmius Deum uerè ſibi colligere æternam Eccleſiam uoce Euangelij, & nos uerè membra eſſe illius æternæ Eccleſiæ, & nobis adeſſe Deum, etiamſi horribilibus ærumnis premimur.

Alij interpretantur: Ex fide Patrum ante reſurrectionem Chriſti, in fidem Sanctorum poſt reſurrectionem, quia tota Eccleſia omnibus temporibus, inde uſq; ab Adam, eodem modo iuſtificatur & ſaluatur, ſcilicet, fiducia Mediatoris, non propter impletionem Legis. Et tamen hoc diſcrimen conſiderandum eſt. Illi uenturum Meſſiam agnoſcebant, Nos exhibitum eſſe ſcimus.

Addit propoſitioni de iuſticia fidei teſtimonium ex Abacuc, quod & alibi citat, ac perſpicuè in Galatis, opponit iuſticiæ legis, inquiens: Quòd autem lege nemo iuſtificetur, manifeſtum eſt, quia Iuſtus fide uiuit. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, uiuet in eis &c. In hanc antitheſi Paulus diſertè inquit, neminem lege iuſtificari. Sic igitur ſentit, credentem fide iuſtum, id eſt, acceptum Deo eſſe, & uiuificari. Et hæc ipſa ἀντίθεσις in Paulo refutat calumnioſas interpretationes, excogitatas contra Pauli ſententiam, qualis hæc eſt: Iuſtus ſicut operibus poſtea placet, cū accedit fides, id eſt, profeſſio doctrinæ. Hæc corruptela pugnat cum ipſo Paulo, quia præfatur, nemo Lege iuſtificatur. Sed hîc neceſſe eſt conſtitui, quid ſignificet uocabulum, Fides, de quo ſuprà, & alibi ſæpè dictum eſt, Non enim tantùm noticiam, ſeu profeſſionem doctrinæ ſignificat, ſed fiduciam, qua promiſſionem accipimus & acquieſcimus in miſericordia Dei, quæ in promiſſione oſtenſa eſt. Et ſic intelligi fidem in ipſa narratione Abacuc manifeſtum eſt. Loquitur enim de expectatione Meſſiæ, & liberationis per Meſſiam. Hoc igitur ſentit: Iuſtus fide, id eſt, fiducia miſericordiæ propter Meſſiam promiſſæ, non opprimetur deſperatione, non ruet in æternum exitium, ſed ſuſtentabitur hac uera conſolatione, nec fallet eum expectatio, ſed Deus credentem ſeruabit.

Antitheſis iuſticiæ legis & fidei.

Falſa Papiſtarum interpretatio.

Hîc rurſus aſtuti quidam nouos tumultus excitant, clamant Paulum aliena dicta ad ſuam cauſam detorquere. Abrahæ promittitur poſteritas, inquiunt, Sicut Gedeoni uictoria. Quid hæc ad remiſſionem peccatorum, ſeu ad iuſticiam? De hac ſpecioſa reprehenſione neceſſe eſt pias mentes rectè erudiri. Ac primùm ſciant omnes pij, ſemper in fide, quanquam corporalia beneficia petuntur, oportere prælucere fidem, quæ accipit remiſſionem peccatorum, & reconciliationem, ſeu imputationem iuſticiæ. Dauid non poteſt petere uel expectare uictoriam, donec mens exiſtimat iraſci Deum, & trepida ac fugitans non audet expectare auxilium. Neceſſe eſt igitur præcedere fiduciam miſericordiæ, & quidem promiſſiones corporales omnes propter principalem promiſſionem de Meſſia & datæ ſunt & ualent, quia propter mediatorem intercedentem pro nobis dantur omnia bona. Ac patres uniuerſaliter omnes promiſſiones ad primam illam & præcipuam referebant. Petebant & expectabant neceſſaria omnia propter Meſſiam, propter quem & populum

Fidei petenti bona corporalia ſemper præluceat fides accipiens remiſſionem peccatorum.

pulum & Ecclesiam Dei se esse sciebant. Ita in precatione Dominica expressè copulatæ sunt petitiones corporalium & Spiritualium beneficiorum. Cùm petimus panem, mox conscientia obstrepit: Cur petis, cùm sis indignus? Addita est igitur expressa petitio: Remitte nobis debita nostra &c. Semper igitur præluceat hæc fides, statuens de remissione peccatorum, & in quotidiana inuocatione hæc necessaria doctrina exerceatur. Vult Deus sic coli petitione, spe & expectatione Spiritualium & corporalium bonorum, & quidem uult in petitione corporalium simul lucere fidem, quæ statuit de remissione peccatorum. De hoc cultu pugnabant Prophetæ cum Hypocritis.

Fides Abrahæ & Gedeonis similes, etsi negotia externa differunt.

Etsi autem differunt negotia externa Abrahæ & Gedeonis, Dauidis præliantis, & mulieris parturientis: tamen fides similis est. Et principale obiectum fidei semper est Deus, qui in promissione patefecit uoluntatem suam. Vterq; accedit ad Deum accipiens reconciliationem propter promissum mediatorem. Deinde uerò petit & expectat auxilium in suo corporali dolore. Sic in Epistola ad Ebræos multa exempla de fide coaceruantur, ubi etsi dissimilia sunt externa negocia, fides tamen eandem principalem promissionem, ut dictum est, intuetur. Quare non imaginandum est, Paulum aliena dicta citare, quasi Dauid non crediderit de reconciliatione, sed tantùm de uictoria. Hæc admonitio necessaria magis perspicua erit, si eam cogitabimus in quotidiana inuocatione.

Cæterùm & hoc uerum est, dicta quæ citat Paulus, nominatim de Messia loqui. Abacuc manifestè concionatur de uenturo liberatore, & Abraham nôrat promissionem antea datam patribus, & audit hæc dicta, quæ reconciliationem significant: Benedicam tibi. Item: Ero protector tuus, scilicet propter Mediatorem, de quo postea expressè dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Reuelatur ira Dei super omnem impietatem.

Eadem semper fuit uox Euangelij in Ecclesia.

VNA & eadem uox est Euangelij omnibus temporibus, inde usq; à prima concione in Paradiso facta, cùm arguerentur & reciperentur primi parentes. Semper uox Euangelij arguit peccatum, & postea addit consolationem, uidelicet, promissionem reconciliationis gratuitæ propter Mediatorem. Sic in Paradiso ipse filius Dei concionatur. Sic Prophetæ, sic Baptista, sic filius Dei clamitat: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Sic Apostolis Dominus præcipit docere: Prædicate pœnitentiam in nomine meo, & remissionem peccatorum. Ac discentibus prodest hæc consideratio. Magis enim fit perspicua doctrina, cùm intelligimus, semper eandem uocem rectè docentes in Ecclesia sonare.

Vt igitur in Paradiso primùm arguitur peccatum, & ut Esaias ordìtur à grandi & terribili exordio: Audite cœlum & terra, Væ genti peccatrici, dereliquerunt Dominum, blasphemârunt sanctum Israël &c. Ita hîc narratio incoatur à tristissima condemnatione: Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem. Initiò igitur arguit peccatum, ut fit in prædicatione pœnitentiæ. Postea addit consolationem.

Et quia Paulus disputationem instituit, tradet duas propositiones, in hac narratione præcipuas, quarum prior hæc est: Deus in ministerio Euangelij omnibus temporibus arguit omnes homines, in hac naturæ infirmitate, & affirmat

firmat omnes sub peccato esse, id est, reos peccati & æternæ pœnæ, nec posse liberari à peccato, & ab æterna ira per propriam iusticiam seu legem.

In hac propositione commoratur per duo capita, quæ nobis ita magis perspicua erit, si nobisipsis doctrinam de pœnitentia seu conuersione proponemus, si irã Dei aduersus nostra peccata cogitabimus, si excussa tetra securitate uerè expauescemus cogitatione iudicij & iræ Dei, quam quidem declarat horribilibus pœnis, uagantibus per totum genus humanum. Declarat & uoce Ministerij, ut & Dominus inquit: Spiritus sanctus arguet Mundum de peccato. Sed maxima pars hominum secura & furens indulget sibi, excusso metu iudicij & iræ diuinæ: Ideo hæ tristes conciones diuinæ præteruolant aures, & quanquam non sunt obscuræ, tamen eò uidentur frigidiores, quia pectora nostra non adficiuntur sensu iræ Dei. Possunt autem sine longa enarratione propriè & rectè intelligi ab omnibus pijs, qui nôrunt exercitia pœnitentiæ.

Hæc ideò dixi, ut iuniores considerent, quare sic incoata sit narratio à prædicatione pœnitentiæ, & quò tendat Paulus. Postea enim addit alteram propositionem seu consolationem: Certò accipimus remissionem peccatorum & reconciliationem, & reputamur iusti, propter filium Dei, gratis, fide. Ad hanc secundam propositionem in tertio Capite perueniet, quæ principalis status est disputationis in hanc Epistola, ut suo loco copiosius dicemus.

II. Propositio: recipimur gratis fide propter Christum

Super omnem impietatem, ueritatem in iniusticia detinentium.

DEst, Omnes homines arguuntur in hac corruptione naturæ. Etsi enim norunt Legem Dei, tamen noticiam in iniusticia captiuam detinent, id est, non obtemperant ei. Breue dictum est, sed atrocissimam accusationem continet, & duas partes in homine pingit: Noticias ueras, quæ sunt sapientia, congruens cum sapientia Dei, uidelicet, Legis noticia. Deinde uerò hanc ipsam diuinam sapientiam inquit oppressam esse horribili contumacia naturæ humanę, id est, etiamsi lucent in parte cognoscente noticiæ Legis, & quidem diuinitus insitæ, quæ affirmant, quòd sit Deus, quòd sit iudicaturus, & docens qualis sit, uidelicet sapiens, bonus, uerax, iustus, castus: tamen in cordibus talis est auersio à Deo, ut non uerè timeant, non uerè diligant Deum, non uerè confidant ei, non uerè inuocent, Imò plerunq; manifestis furoribus hunc iudicem contemnant.

Hæc ut fiant planiora, hîc recordanda est puerilis doctrina, quæ discernit Noticias ab appetitionibus, & uidendum, quæ potentiæ sint domicilia noticiæ, unde sint hæ noticiæ, & quales, Et cur in natura humana reliquæ sint, Vbi sit contumacia naturæ. Sciant igitur iuniores, Legis noticiam diuinitus insitam esse mentibus humanis in creatione, sicut numerorum noticia nobis insita est, estq; in parte cognoscente, cum qua ante lapsum congruebat Voluntas & Cor. Sed hæc harmonia in lapsu turbata est, nec iam ardent Voluntas & Cor dilectione Dei. Et tamen uoluit Deus reliquam esse noticiam, ut extet in natura testimonium de Deo, & ut agnoscamus peccatum, & ut fateamur, nos iustè à Deo puniri. Postremò etiam, ut hac noticia regatur disciplina.

Discrimen uirium in homine & earum confusio.

Cogitetur etiam, quàm horribilis miseria sit naturæ humanæ, hæc turbatio pulcerrimi ordinis, cùm iam uoluntas & cor expulso Deo rectore, contemnunt conditorem, & ut infrà dicitur, cùm iam sensus carnis inimicicia sit aduersus Deum. Nec potest tristioribus aut atrocioribus uerbis magnitudo peccati in natura hominis describi, quàm hoc ipso Paulino dicto.

Hîc etiam recordanda est doctrina Ecclesiæ, quæ discernit, qualis libertas uoluntatis in homine reliqua sit, qualis amissa sit. Vt enim disciplina regi possit, Deus hanc libertatem uoluit reliquam esse, ut Locomotiua obtemperet imperio uoluntatis. Sed actiones bonæ erga Deum in corde, nõ fiunt sine conuersione ad filium Dei, & sine auxilio Spiritus sancti. Hæc doctrina alibi copiosius traditur, quæ cùm ad hanc enarrationem necessaria sit, hîc cogitatione repetenda est.

Quatenus enim Deus cognosci potest, notus est Deus.

EXpositio est propositionis antea recitatæ, qua generaliter arguuntur omnes homines, quòd ueritatem in iniusticia detineant, id est, non obtemperent Legi Dei. Addit igitur, quæ sit illa Veritas, quam sic nominauit. Est noticia, inquit, de Deo, & cæteræ noticiæ, quæ uocantur Leges Naturales, quæ omnes sunt testimonium de Deo, & docent, quales sit Deus, & quòd iudicaturus sit. Quia autem & gentes & Iudæos accusat, facit mentionem Legis naturæ, seu noticiæ naturalis de Deo. Vbi iuniores monendi sunt, nos quidem in Ecclesia, ut confirmemus assensionem nostram, intueri debere ordine omnes historias, in quibus se patefecit Deus, ut miracula facta in exitu ex Aegypto, resuscitationes mortuorũ, & alia, & in horũ cogitatione simul hoc cõplecti, hũc ipsum uerè Deũ esse cõditorẽ, qui se ibi patefecit, & Deo pro his testimonijs gratias agamus.

Veritas quam in iniusticia gentes detinent, quæ sit.

Has patefactiones cùm considerauimus, deinde prodest etiam cogitare de noticia naturali, & quærere testimonia in natura, quorum aliqua ualdè illustria sunt, & conuincunt humanas mentes, ut statuant, hunc mundum non extitisse casu, cùm intuentur pulcerrimum ordinem corporum cœli, & Elementorum Item ordinem in noticijs numerorum, & alijs, ac præsertim in discrimine honestorum & turpium, Quod nullum esse posset, si non à tali natura orti essemus, quæ ipsa intelligat hoc discrimen. Item, in conseruatione specierum. Item, in politica societate, & regularibus pœnis atrocium delictorum. Hæc omnia collecta confirmant nos de prouidentia. Sed dolendum est, tantam caliginem esse mentis humanæ, ut tamen assensio ualdè languida sit, & facilè excutiatur. Ideo Deus addidit alias manifestas patefactiones & miracula. Horum cogitationem adiungamus ad hæc Physica.

Inuisibilia Dei.

Nunc ad uerba textus redeo. Syntaxis hæc est: Inuisibilia Dei, uidelicet æterna potentia, & diuinitas eius, conspiciuntur ab opificio mundi, animaduersa ex operibus, id est, ex ordine & arte operum. Cùm autem nominat diuinitatem, intelligit talem essentiam, uidelicet æternam, conditricem rerum, omnipotentem, sapientem, ueracem, iustam, bonam, beneficam, castam, liberam, discernentem rectè facta & scelera, & punientem delicta. Talem essentiam uult intelligi, cùm nominat diuinitatem.

Noticia naturalis de Deo noticia legis.

Ac meminerimus hoc loco, noticiam naturalem de Deo, esse Legis noticiam, & non promissionem Euangelicam, de gratuita remissione propter filium. Nam hæc promissio nequaquam insita est in creatione mentibus humanis, sed postea noua & singulari patefactione promulgata est, & à lege discernenda est, ut sæpè dictum est.

Fit autem hîc mentio Legis naturæ, de qua cogitantes totam complectamur, id est, sciamus simul dici & esse Deum, & quòd coli uelit obseruatione discriminis honestorum & turpium. Hîc etiam repetant iuniores doctrinam Philosophicam de principijs, ut perspicuam definitionem Legis naturæ teneant.

Lex

Lex naturæ est noticia principiorum practicorum,& conclusionum, quæ inde necessaria consequentia extruuntur,insita mentibus hominũ à Deo, & congruens cum æterna norma mentis diuinæ, ut ostendat, & esse Deum, & qualis sit, & quòd præcipiat seruari discrimen honestorum & turpium, & quòd iudicaturus sit, ac puniturus eos qui non seruant.

Addidit autem Paulus disertè: Deus eis manifestauit,id est,duplex lumen inditum est humanis mentibus. Noticia simplex, quòd sit Deus, & ratiocinatio,quærens testimonia in ordine creaturarum.

Vt sint inexcusabiles.

HIC sciendum est, propter quas causas Deus in homine uoluerit reliquam esse Legis noticiam, quarum prima est, ut extet testimonium de Deo in nobis. Secunda, ut accuset & damnet peccata. Tertia, ut regat disciplinam. Postea renatis etiam opus est cognitione Decalogi, ut sciant, qui cultus Deo placeant. *Causæ cur Deus noticiam legis uoluerit esse reliquam in homine.*

Non glorificauerunt.

PRimùm accusat impietatem. Et complectenda sunt hîc omnia peccata,pugnantia cum prima Tabula, quorum catalogus sumatur ex enarratione Decalogi. Et diligentissimè cogitemus doctrinam de prima tabula, quomodo uelit agnosci & inuocari Deus: Quid differat inuocatio ethnica ab inuocatione uera. Quid sit Timor, quid Fides, quid fiducia accedens ad Deum in inuocatione,quid Spes,qui sint ueri cultus, quomodo fieri possint,& quomodo placeant. Hæc omnia necesse est complecti, ut intelligatur, quid sit glorificare Deum. Est enim glorificare,tribuere ei gloriam,id est,agnoscere & fateri,quòd uerè sit Deus, sapiens,uerax,bonus,iustus, castus, liber, omnipotens, conditor mundi,non ociosus,puniens impios,& exaudiens ac iuuans eos, qui ad Mediatorem confugiunt. Et cùm sic de Deo sentimus, ad glorificationem pertinet, timere eum, credere ei, diligere eum, inuocare eum, & obedire ei in cultibus, quos præcepit. *Peccata pugnantia cum prima tabula.* *Glorificare Deumquid sit.*

Discamus autem singuli in exercitijs timoris Dei, & inuocationis, quid sit hæc glorificatio. Ac fiunt hæ descriptiones illustriores considerata antithesi. Non tribuunt Deo gloriam ἄθεοι. Nec cultores Idolorum, qui fingunt horribili audacia turbam Deorum. Nec qui inuocant homines mortuos. Nec qui aliud fingunt esse Deum,quã sicut se patefecit,ut Mahometistæ & Iudæi impij,& Hęretici. Nec qui manent in perpetua dubitatione. Nec qui impia securitate ruunt in scelera contra conscientiam. Nec qui inuocant sine agnitione Mediatoris,& sine uera fide. Nec qui excogitant cultus contra mandatum Dei. Nec qui contemnunt aut persequuntur Euangelium. Denicę ut antè dixi, catalogus sumatur ex enarratione Decalogi. Iam cogita,in toto genere humano,quam horribiliter grassentur multiplices furores contra primam Tabulam. Agnoscamus & infirmitates nostras, quia Timor & Fides, & aliæ uirtutes, multò sunt languidiores,quàm esse debebant &c. *Qui non tribuant gloriam Deo.*

Gratias agere est pars glorificationis, uidelicet agnoscere, quòd non sit ociosus Deus, sed uerè nos curet,exaudiat, iuuet rectè inuocantes,& hanc bonitatem celebrare, & nos Deo reuerenter subijcere & eum diligere. *Gratias agere quid sit.*

Tradidit eos Deus.

DIxi primam accusationem fuisse peccatorum,quę pugnant cum prima Tabula. Deinde sequitur accusatio scelerum contra secundam tabulam.

Quia quando corda non reguntur à Deo, ſequuntur etiam tetra delicta contra ſecundam Tabulam, ſicut hîc Paulus ſignificat, cœcitatem pœnam eſſe impietatis, Et expreſſè inquit Paulus ad Epheſios ſecundo, Diabolum efficacem eſſe in impijs. Et de Iuda dicitur: Intrauit in eum Satanas, Item: Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt. Item, Lucæ 11. Ingreſſi habitant ibi. Hæ horrendæ conciones oſtendunt, quanta ſit miſeria hominis, qui eſt ſine pœnitentia, & ſine inuocatione Dei, Hic & ſua infirmitate ruit in uaria delicta externa, & à Diabolo impellitur, ut multa moueat pernicioſa multis. Vt quanquam fuit magnum ingenium, magna ſapientia & uirtus in Saule, Pericle, Alcibiade, Catone, Iulio, Bruto & alijs innumerabilibus: tamen & manifeſta ſcelera multa uolentes perpetrârunt, & impulſi à Diabolis tetros furores de Deo, & de actionibus uitæ humanæ adprobauerunt, & mouerunt negotia, exitioſa ſibi & alijs. Saul urebatur gloria Dauidis. Huic adfectui dum indulget uolens & ſua ſponte, accedit Diabolus, qui has flammas auget, retinet Saulem in cogitationibus uenenatis, incitat calumniatores, qui fabellas ad Regem adferunt, Ardentem iam ira & odio incitat, ut interficiat Sacerdotes.

Talia exempla conſiderentur, & cum illis dictis, quæ recitaui, conferantur, uidelicet cùm hac triſti deſcriptione Iudæ: Satanas intrauit in eum. Nec deſunt exempla ullis temporibus. Sæpè frater à fratre interficitur. Sæpè mater necat infantem, quem recenti partu edidit. Hi tetri euentus à Diabolo oriuntur, qui ſecuros homines, & ſine inuocatione Dei uiuentes, opprimit. Expaueſcamus igitur, & dictum filij Dei meminerimus: Orate, ne intretis in tentationem. Petamus à Spiritu ſancto propter Chriſtum gubernari mentes, uoluntates & corda noſtra, accendi in nobis ueram de Deo lucem, timorem, fidem, & alias uirtutes, ſicut clamat Propheta: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritũ rectum innoua in uiſceribus meis &c. Et ſit in conſpectu promiſſio: Quantò magis pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus. Item, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Cauſæ malarum actionum propriæ.

Diximus autem, cauſas malarum actionum efficaces & propriè dictas, eſſe Voluntatem delinquentium, & Diabolorum, ut de Saule dictum eſt. Ideo de phraſi hoc loco moneri iuniores neceſſe eſt: Tradidit eos in deſideria cordium, id eſt, permiſit eos ruere ſua uoluntate, aut impulſos à Diabolo. Nam hæc ſignificatio permiſſionis uſitatiſſima eſt in uerbis Ebræorum. Vt in precatione Dominica, Ne inducas nos in tentationem, id eſt, non ſinas nos opprimi tentatione. Et in Pſalmo centeſimo quarto: Mutauit corda eorum, ut odiſſent populum eius, id eſt, mutari permiſit. Deus enim non fuit cauſa odij in Pharaone aduerſus Iſraëlitas. Hæc ſimplex & uera grammatica interpretatio Labyrinthos multarum quæſtionum tollit. Eſtq; tenenda ueriſſima ſententia, quæ extat apud Hoſeam: Ex te perditio tua, Tantùm in me auxilium tuum. Nec uult, nec adprobat, nec efficit peccatum Deus. Hæc uera ſententia firmiſſimè retinenda eſt.

Enarratio uocabulorum ſequentium.

ACeruus eſt uocabulorum, quæ ſignificant peccata, & multa congeſſit Paulus, ut lectorem commonefaciat, quales furores in genere humano graſſentur. Et hæc tabella ferè ſpeculum eſt uitæ impiorum. In alijs autem alia uitia & ſcelera magis conſpiciuntur. Sciant autem iuniores, optimam enumerationem

tionem uirtutum iuxta ordinem præceptorum decalogi instituí posse. Ad eundem modum perspicuè distribuí possunt species uiciorum. Et eruditos decet nosse distributiones seu species uirtutum ac uiciorum, de quibus & in Ethnicis suo loco dictum est.

ἀδικία. Ἀδικία, Iniusticia, significat uniuersalem iniusticiam, ut in Philosophia loquimur, id est, inobedientiam uiolantem omnes leges. Vt Catilina est ἄδικος, id est, nec Deum metuit, nec curat humana officia, interficit ciues, est incestus, rapax, seditiosus.

πορνεία. Πορνεία, Scortatio, & complectitur omnes contaminationes pugnantes cum sexto præcepto.

πονηρία καὶ κακία. Πονηρία, prauitas, & significat plus, quàm κακία. Nam κακία, etiam generale nomen est uicij, & significat peccata commissionis & omissionis, negligentiæ & petulantiæ. At πονηρία significat cupiditatem nocendi, & petulantiam. Vt Antonius est κακὸς, helluo, ebriosus, negligens. At Domitianus est πονηρὸς, cupidus nocendi, cui hoc ipsum uoluptati est, alijs etiam gratis nocere.

πλεονεξία. Πλεονεξία, significat auariciam, & complectitur omnia uicia & scelera pugnantia cum præcepto septimo: Non furtum facies. Iam cogita, quàm uariæ fraudes, & uaria sint iniusta aucupia lucri in toto genere humano, furta, rapinæ usuræ, stellionatus, mendicitates, concussiones, impostura, & huiusmodi alia.

κακοήθεια. Κακοήθεια, maleuolentia, pugnat cum præcepto quinto & octauo, id est, opposita est lusticiæ, Candori & Veritati. Vt, Tiberius est plenus ueneni & maleuolentiæ, κακόηθες μὴ καθαρὸν. Hæc enim inter se Plutarchus opponit. Coniunctum uicium est maleuolentiæ Obtrectatio, hæc patefacit maleuolentiam, arte deprauans rectè facta, & certè non malo studio facta. Vt, Scipionem optimè meritum de patria allatrabant Lentulus, Cato & alij, sola maleuolentia. Extant uersiculi Menandri, in quibus describuntur gradus quidam hominum, quibus præcipuè delectantur potentes.

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πρόσῳ δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα
ὁ Συκοφάντης, ὁ κακοήθης ἔῤῥιπται λέγει.

Primum locum tribuit Adsentatori. Nam hîc dulcissimus est, Proximus est delator, seu susurro, qui init gratiam perferendis fabellis, ac instruendis calumnijs: Tertium locum habet κακοήθης, qui nouit alludere ad Domini adfectus, bono studio facta secùs interpretari, odia incendere.

θεοστυγεῖς. Θεοστυγεῖς siue actiuè siue passiuè accipitur, significat palàm contumelioso aduersus Deum, quales sunt ἄθεοι omnibus temporibus multi, qui ne quidem dissimulant suos furores, sicut Mezentius apud Virgilium, Sennacherib & Rapsaces in historia Esaiæ. Antiochus in historia Maccabæorum, Et similes Tyranni plurimi, qui apertè profitentur, se esse hostes Dei.

ἐφευρετὰς κακῶν. Ἐφευρετὰς κακῶν nominat inuentores nouorum scelerum, & nouos autores malorum exemplorum, ut Lamech primus discessit à uera coniugij institutione, & simul plures uxores habuit, & hunc uiciosum morem in mundum inuexit, contra ordinem initio à Deo institutum. Tales sunt, qui in aulis excogitant nouos prætextus iniustarum expilationum, aut qui fingunt causas occupandi aliena. Item Mercatores, qui nouas imposturas excogitant, mutant iusta precia Monetæ, inueniunt noua usurarum incrementa, & nouos prætextus.

Denicp̃ latè patet hoc malum, multæ nouæ fraudes, & multæ præstigiæ excogitantur ad excusanda scelera in multis uitæ negotijs.

ἄσυνετοι. Ασυνετοι, furiosi, qui cœci contra iudicium communis sensus ruunt præcipites in omnia scelera, & sibi ipsis manifesta amentia accersunt exitium, ut Catilina, Thomas Monetarius, qui furens mouit seditionem in Turingia, & multitudinem, quæ temerario concursu confluxerat, arma capere iussit ad delendos uicinos Principes, ad diripiendas locupletum facultates. Item, Nebulo Monasterienſis in Vuestualia, qui se nominabat Regem templi Dei. Hanc amentiam sæpè dicunt Prophetæ pœnam esse impietatis, ut Esaiæ 19. Miscuit inter eos Spiritum uertiginis, uidelicet, tanquam infundens in poculum. Sic Pharao, Saul & alij innumerabiles manifesto furore se & alios perdiderunt. Ac utruncp̃ talibus deest: Bona conscientia, & moderatum consilium.

ἀσυνθετοι. Ασυνθετοι non seruantes pacta in promissionibus honestis, contractibus aut fœderibus, & aut sine ulla excusatione fallentes, aut Sophisticè eludentes promissa. Vt Thraces pacti triginta dierum indutias noctu populabantur agros, quia dierum non noctium indutias pacti essent. Ac adeo crebra sunt perfidiæ exempla, ut dictum Virgilij omnibus in ore sit: Nusquam tuta fides. Item: Quos credis fidos, effuge, tutus eris. Et illud Epicharmi: νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα φρενῶν.

ἄστοργοι. στοργαὶ. Αστοργοι, qui naturales adfectus erga parentes, sobolem, fratres, aut benè meritos exuunt. Nam στοργαὶ sunt boni adfectus, quia Deus ita condidit corda, præsertim in hominibus, ut mirabili quodam naturali incendio ament cognatos tanquam suæ naturæ partem. Imò in matre ubera pectori addita sunt, propter has causas: Primùm: ut lac melius coquatur calore cordis. Deinde, ut à corde etiam Spiritus & amor transfundatur in fœtum, & mutuus amor perpetuò flagret inter parentes & natos. Nam in bestijs extinguitur memoria parentum & sobolis.

De Stoicorum erroribus. Ac discant in hoc loco studiosi, fugiendum & explodendum esse Stoicorum errorem, qui omnes adfectus tolli uolunt ex natura. Manifestè enim reclamat Lex diuina, quæ dicit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Item, diligas proximum, sicut te ipsum. Et quidem in æterno patre uerum & ardentem amorem esse erga filium, ipsius uox testatur, cùm inquit: Hic est filius meus dilectus, quo delector: Et in Deo erga nos homines uerus amor est, ut scriptum est: Sic Deus dilexit mundum &c. In filio Mediatore magnum esse incendium amoris erga nos certissimum est. Suntcp̃ impressæ στοργαὶ hominum naturæ, ut sint commonefactiones de amore æterni Patris erga Filium, & erga nos.

Vult igitur Deus, esse in nobis adfectus congruentes suæ Legi. Et sunt aliqui boni adfectus in naturis non monstrosis, qui etiamsi propter communem naturæ deprauationem aliquid habent contagij, tamen Deus eos adprobat, & uult eos rectè gubernari. Vult ut maritus amet coniugem, parentes ament natos, frater fratrem, adfectus beneficio benefactorem, uult homines talibus uinculis inter se coniunctos & consociatos esse. Vt enim dici solet, Bonum natura sui conseruatiuum & congregatiuum & communicatiuum esse, ita Deus & uerè amans est congregationis, & communicationis beneficiorum. Vult homines inter se multis uinculis copulatos esse, coniugio, amore erga natos, tanquam erga partem propriæ naturæ, cura educandi natos, communicatione beneficiorum, intellectu iusticiæ, quæ pro beneficijs iubet uicissim beneficia

ficia reddere. Et his uinculis & hac communicatione uult conseruari naturam. Ita causa conspicitur, cur impressæ sint hominibus σοργαί. Estq; tota hæc sapientia de bonitate Dei comprehensa in hoc dulcissimo dicto: Deus est dilectio, & qui in dilectione manet, in Deo manet, & Deus in eo. Et uicina sunt hæc dicta: Deus est bonus, &, Deus est dilectio, id est, uerè diligens suam effigiem, naturam intelligentem. Nam hoc posterius dictum magis ad naturas intelligentes congruit.

Iam cogita, cùm σοργαὶ sint uerè opera Dei, & referant Dei bonitatem, & sint res in natura ordinatæ, quàm dira deprauatio sit in Diabolis, qui abiecerunt σοργὰς, & in multis hominibus, qui hoc naturali amore & uinculo consociationis extincto, bellum gerunt cum Deo & cum natura generis humani. Talis est Cain, tales sunt Atreus & Thyestes, Talis est Medea, quæ filios suos interficit.

Cùm autem natura in homine, nondum prorsus furioso, tamen aliqua ex parte naturales inclinationes sentiat, non dubium est à Diabolis impelli Cain & similes, qui extincta naturali beneuolentia, sæuitiam in cognatos & naturæ suæ partem exercere possunt. Et de talibus quoq; uerum est dictum: Satanas intrauit in corda eorum. Considerantes igitur, quàm dira & tetra sint hæc scelera, & unde oriantur, magna cura Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem φιλόσοργον generis humani, oremus, ut propter filium, quem ardenti beneuolentia diligit, corda nostra Spiritu suo sancto custodiat & regat, ac depellat à nobis insidiatores Diabolos, hostes suos. Primis etiam initijs ac scintillis talium odiorum sapienter repugnemus ipsi, ne Diabolus inuitetur.

Multa grassantur scelera huius generis inter homines, priuatim & publicè, alia magis, alia minus atrocia, ut magis est ἄσοργον Cain, quàm Esau. Sunt etiam ἄσοργοι homines seditiosi, qui Ecclesiam aut patriam sine necessarijs causis turbant, quia causæ sunt ingentium dolorum, & mortis multorum bonorum hominum, senum, matronarum, puerorum. Et semel motis Rebuspublicis, non facilè postea pax, disciplina, Leges, Religio restitui possunt.

ἄσπονδοι. Ἄσπονδοι sunt implacabiles, sicut Saul nullo officio placari potuit, ut deponeret iniustum odium, quo ardebat aduersus Dauidem, bene de patria & de ipso meritum. Hæc pertinacia odiorum in hominibus liuidis & sæuis non rara est.

ἀνελεήμονες. Ἀνελεήμονες, immisericordes, hæc appellatio plura comprehendit, quàm crudelitas. Crudelis est, qui lædit alium atrociter, sine causa iusta, aut pœna maiore adficit, quàm pro modo delicti. Vt crudelis erat Augusti hospes, qui seruum obijcere Murenis uoluit, quia fregerat poculum Crystallinum. Sed immisericors est non solùm crudelis, sed etiam qui cùm probabilis ratio est, non mitigat iustam asperitatem.

Iustitia. Misericordia. Nam iustitia est, neminem lædere sine causa. Est & in pœnis seruare Aequalitatem, Misericordia uerò primùm iusta est, non lædit insontes. Deinde probabili ratione etiam iustam pœnam mitigat. Ita Deus misericors est, & ut Psalmus inquit, non accendit totam iram suam.

Hanc grammaticam enarrationem quarundam uocum addidi, ut iuniores adsuefiant ad diligentiam in considerandaproprietate uerborum & in di-

ſtribuendis uirtutibus & uicijs. Intueantur autem, ut ſæpè aliâs dixi, Decalogum.

Scientes ius Dei.

HIC addit regulam de legibus Naturalibus ſeu Noticijs naturalibus, quæ nominantur IVS NATVRAE. Vt enim in hac accuſatione conuincat homines, proponit eis naturales illas noticias. Hæ inquit, accuſant uos, quas quidem ideo in hominum natura Deus non uoluit prorſus extingui, ut eſſent teſtimonia de Deo, & de iudicio Dei, & certò ſciremus, hac uoce naturæ commonefacti, Deum uerè & horribiliter iraſci omnibus facientibus contra has noticias, diuinitus nobis inſitas.

Paulo Ius naturæ eſt ius Dei.

Conſiderent autem iuniores Pauli ſermonem. Has noticias, quas uocamus Leges naturæ ſeu Ius naturæ, expreſſè hîc nominat Ius Dei. Sciamus igitur, quòd ueriſſimum eſt, Leges naturæ eſſe Ius diuinum, Eſt enim lux à Deo in mentibus noſtris condita, Et ueriſſimè congruit cum Decalogo, & alijs dictis in lege Moiſi, in quibus repetitum eſt Ius naturæ. Sunt enim grauiſſimæ cauſæ, propter quas Deus, expreſſa uoce hanc ipſam Legem antea in creatione mentibus inſitam, repetiuit, & teſtimonia illuſtria addidit, & ſcribi eam iuſſit. Nam poſt naturæ humanæ deprauationem in mentibus eſt caligo, & multum dubitationum. Et paulatim mala exempla augebant caliginem. Sed de his materijs alibi ſæpè dixi. Et diſcant iuniores, quid uerè ſit Lex naturæ, & teneant Regulam à ueteribus traditam: Violatio iuris naturæ eſt peccatum mortale, ſicut uiolatio Iuris diuini.

Quòd talia facientes digni morte ſint.

MIra profectò ſententia eſt, quòd ait, homines naturaliter intelligere, dignos morte eſſe omnes, qui uiolant Leges naturæ. Sed Paulus non loquitur de politica gubernatione, quæ tantùm externa facta punit: Verùm de iudicio proprio in cuiuſq; conſcientia, intuente Deum. Ac multò altius introſpicit mentes hominum, quàm uel Epicurei, uel Hypocritæ, qui ſecuri & ebrij uoluptatibus, non ſunt experti ueros pauores conſcientiæ. Non iudicat Saul, ſe morte dignum eſſe, cùm contra mandatum Samuelis parcit Regi captiuo. Sed tunc agnoſcit conſcientia, quodlibet peccatum morte dignum eſſe, cùm intuetur Deum, & ſentit iram Dei, & reputat, quantum malum ſit neglectio Dei, uel contumacia aduerſus Deum. In hoc iudicio uident mentes, peccatum eſſe non tantùm deformitatem diſſentientem ab harmonia naturæ, ſed quiddam reum, & damnatum coram Deo, & hanc ſontem naturam propter contemtum Dei dignam eſſe horrendis pœnis & deſtructione. Adam cùm guſtaret pomum contra mandatum, exiſtimabat, id factum nõ magni momenti eſſe. Nondum hos horrendos terrores conſcientiæ expertus erat, qui hanc miſeram naturam opprimunt morte. Poſtea uerò obiurgatus à Deo, agnouit peccatum eſſe neglectionem ſeu contemtum Dei, ſenſit iraſci Deum, expauit, & extinctus eſſet magnitudine doloris, niſi diuina promiſſione ex morte reuocatus eſſet. Lex inquit Paulus, eſt potentia peccati. Ita Lex naturæ in mentibus hominum iudicat & damnat peccatum. Et in ueris pauoribus oſtendit, Deum iraſci omnibus peccatis, externis & interioribus.

Homines proprio iudicio conſcientiæ intelligunt ſe dignos morte æterna.

De hoc uero iudicio propriæ conſcientiæ loquitur hîc Paulus, ac damnat non ſolùm externa delicta, ſed etiam uniuerſam immunditiem interiorem, auerſio-

auersionem à Deo, dubitationes de Deo, cœcam securitatem, & contemtum Dei, & omnes prauas inclinationes, & errantes cupiditates. Ideo accusat non solùm facientes, sed etiam, ut hîc nominat, συνευδοκοῦντας, id est, qui in sua natura similia uitia cernunt, & ab eis non abhorrent, nec dolent, cùm titillantur his suis uicijs. Erumpunt autem alij adfectus in alijs. Atticus non est incestus, non fecit cædem manibus, sed tamen dubitat, an Deus curet humana, an puniat, an exaudiat homines, gaudet sibi eximi metum iudicij diuini Academicis disputationibus, quærit suam tranquillitatem sine agnitione Dei, & sentit ipse, se habere multos motus aberrantes à Lege naturæ. συνευδοκοῦν-τες.

Nominat enim Paulus hîc συνευδοκοῦντας, non ut in foro dicimus, consentientes, qui manifestè adiuuant aut defendunt aliorum scelera: Sed eos, qui in sua natura titillantur similibus inclinationibus, etiamsi eas non proferunt. Nam εὐδοκεῖν generaliter est, beneuolo animo esse erga aliquid, ut εὐδοκῶ ξένῳ, id est, est beneuolo animo ergo hospitem, non est aliena uoluntate. εὐδοκῶ λεγομένοις, recipit dicta. Atticus συνευδοκῶ φιλοσόφοις καταγελῶσι τῶν πιστευόντων, εἶναι τιμωρίας τινὰς ἀνθρώπων μετὰ θάνατον. Ex talibus exemplis uerbi significatio satis intelligi potest. εὐδοκεῖν.

CAPVT II.

IN secundi Capitis initio addit conclusionem, propriè pertinentem ad hanc accusationem interiorum uiciorum. Ergo & tu, qui iudicas, id est, qui quamquam non facis externa scelera, sed tamen in mente & corde similem habes immunditiem, reus es coram Deo.

Syllogismus integer est. In fine prioris capitis recitatur Maior: Digni morte sunt omnes, cùm externa scelera facientes, tùm uerò alij, qui falsas opiniones de Deo in mente circumferunt, & habent uiciosas inclinationes in corde plurimas. Sequitur Minor in secundo capite: Tu qui iudicas alterum, facis eadem, id est, qui regis honestè externas actiones, & iudicas eos tantùm displicere Deo, qui externis delictis polluti sunt, nec damnas teipsum, sed iudicas te iustum esse coram Deo propter externas actiones honestas, facis tamen eadem, id est, habes similia uicia in mente & corde: Dubitas an Deus curet humana, an puniat, an exaudiat homines, habes & alias errantes cupiditates. Hæc est sententia huius dicti: Eadem facis, scilicet interioribus animi motibus. Quia notissimum est principales causas actionum esse mentem, uoluntatem & Cor. Accedit igitur conclusio: Ergo, cùm eadem facias, inexcusabilis es quisquis iudicas, id est, alios damnas, externis delictis contaminatos, Te non damnas, qui similem habes interiorem prauitatem.

Estq; hæc conclusio accusatio omnium, qui se propter ciuiles mores arbitrantur iustos esse coram Deo, cùm sciant, mentes plenas esse dubitationum & errorum, & corda multis uiciosis cupiditatibus ardere.

Addit autem Paulus confirmationem: Iudicium Dei secundum ueritatem est, id est, iudicat non solùm externam umbram actionum, sed Mentes & fontem actionum. Si in mentibus non lucet uera de Deo sententia, si uoluntates auersæ sunt à Deo, & sese plus amant, quàm Deum, certè non obtemperant legi Dei, quæ inquit: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde &c. *Iudicium Dei secundum ueritatem.*

Existimas autem ô homo.

In-

INtertexit breuem adhortationem, qua omnes uocat ad pœnitentiam, ac docet, quare Deus differat pœnas, uidelicet, ut ſpacium nobis concedat ad conuerſionem. Singuli, in quocunq; lapſu, rei fiunt mortis æternæ, & iuſtè poſſent à Deo interfici: Sed immenſa bonitas Dei, quia non uult totum genus humanum perire, concedit ſpacium miſeris, ut in uiam redeant, iuxta illud: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris &c. Huc pertinet parabola de ficu, Lucæ 13. Dolendum eſt autem, tam tetram prauitatem eſſe humanæ naturæ, ut hæc ipſa mora, pro qua gratias agere debebat, confirmet multiplicem impietatem. Leuius enim curant homines iudicium Dei, propterea quòd pœnæ differuntur, etſi hęc ipſa mora ualde breuis eſt. Inſuper igitur ſcelera ſceleribus adduntur. Hanc pernicioſam ſecuritatem Paulus breui quidem dicto, ſed tamē atrocibus uerbis accuſat, Dicit homines contemnere bonitatem & tolerantiam Dei. Item, ſibi cumulare iram.

Dilatio pœnarum confirmat impietatem.

Reddet vnicuiq; iuxta opera ſua.

RElinquamus omnes præſtigias ſophiſmatum, & agnoſcamus phraſin legis. Reddet unicuiq; iuxta opera ſua, id eſt, iniuſtos afficiet pœna, iuſtis dabit bona. De iniuſtis manifeſtum eſt, deberi pœnas pro ipſorum factis, & propter ipſorum facta. De iuſtis ex Euangelio ſciendum eſt, quomodo ſint iuſti. Et cùm fidem oporteat eſſe in nobis, ſicut Euangelium docet, hæc ipſa mentio fidei, quæ nititur non noſtra dignitate, ſed miſericordia promiſſa propter Mediatorem, oſtendit, dari uitam æternam propter filium Dei. Et tamen quia fides uirtus eſt in nobis, lex ſuo more tanquam de noſtra uirtute loquitur.

Reddet ſecundum opera.

Non eſt enim acceptio perſonarum apud Deum.

VT hoc loco ad Romanos inquit Paulus: Non eſt acceptio Perſonarum apud Deum: Ita & in Actis capite 10. ſcriptum eſt: Non eſt Perſonæ acceptor Deus. Et alibi ſæpè repetitur hoc dictum, Vt Eſaiæ 42. de Meſſia: Non accipite Perſonam &c. Significat autem generaliter, non accipere Perſonam, facere iudicium de re, ſine diſcrimine accidentium, quæ à re aliena ſunt. Vt Torquatus de ſola re iudicat condemnans filium, nec obruit rem propter cognationem.

Vſitatè deſcribitur acceptio Perſonarū: Eſt dare ęqualia inæqualibus, uel inæqualia æqualibus. Oritur autem ſententia, prohibens προσωποληψίαν, ex fontibus iuſticiæ. Iuſticia eſt æqualitas, ſed ordinata ſecundum menſuram aliquam. Vt Iudex tunc eſt iuſtus, cùm æqualiter menſuram ſeruat, punit ſontes, & defendit innocentes, nec diſcedit à menſura propter alia accidentia in hominibus. Et contra hanc menſuram facere, inæqualitas eſt, quæ eſt iniuſta & Tyrannis.

προσωποληψία.

Ideo cùm dicitur: Apud Deum non eſt acceptio Perſonarum, tribuitur ei laus iuſticiæ & æqualitatis, cuius hæc menſura eſt. Vniuerſaliter irascitur Deus peccato in homine, & Vniuerſaliter accipit omnes ad Mediatorem confugientes. Hanc menſuram ſuo ſapientiſſimo & iuſtiſſimo conſilio ſanxit, & uult immotam eſſe. Ac fingere, quòd non ſeruet hanc æqualitatem, eſt tribuere ei προσωποληψίαν. Ideo & Paulus inquit: Deus uult omnes homines ſaluos fieri, id eſt, æqualis eſt omnibus, iuxta menſuram quam inſtituit. Et quod ad ipſius uoluntatem attinet, uult OMNES homines ſaluos

uos facere, sed multi sua culpa oblatum beneficium non accipiunt &c.

Hæc est magna & necessaria consolatio, quia in omnium hominum mentibus magna est trepidatio, propter hanc imaginationem, quę fingit in Deo inæqualitatem. Sæpè clamant homines: Etiamsi Deus aliquos recipit, tamen tu non es in illo numero, nec scriptus in illis tabulis fatalibus. Tam potens dominus non posset abijcere quos uellet?

Opponenda est autem uox promissionum, in qua Deus uult agnosci suam uoluntatem. Et promissio est uniuersalis. Nec sunt in Deo contradictoriæ uoluntates, quia Deus est uerax. Ideo necesse est nos obedire promissioni, & firma fide statuere, uerè hanc esse uoluntatem Dei, quam ostendit in promissione, & uerè Deum æqualem esse omnibus, iuxta mensuram, quam sua uoce instituit. Hæc dixi breuiter, ut iuniores hoc dictum maiore cura obseruent, & ad timorem alendum, & ad consolationem suam accommodent. Non, ut moueantur Sophistica certamina, sed discamus intueri uoluntatem Dei patefactam, in ea acquiescere, & ei reuerenter gratias agere pro immenso beneficio donatæ promissionis &c.

Non sunt in Deo contradictoriæ uoluntates.

Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.

HIC necesse est intelligi hoc dictum, Sine scripta lege aut promulgata: Quia postea expresè addit correctionem: Imò & Gentes habuerunt legem, hoc est, noticiam naturalem, discernentem honesta & turpia. Ait enim, sibijpsis sunt Lex, & est in eis conscientia accusans & excusans. Ergo est in eis naturalis noticia, discernens honesta & turpia, quæ re ipsa est Lex Dei, congruens cum Decalogo.

Hîc rursus obseruent studiosi describi & approbari Legem naturæ, & rectè discant, quę sit Lex naturæ, ut suprà, & alibi sępè dedemõstrationibus practicis dixi. Et hæc insignis descriptio est, quòd uidelicet ait, noticiam esse accusantem & excusantem. Significat enim lucem diuinam, quam Deus ideo transfudit in humanas mentes, ut ipse agnoscatur, & peccatum in nobis arguatur. Sicut homicidæ sentiunt horribiles pauores, etiam cùm sunt in tuto, & nullos Magistratus metuunt.

Describitur & approbatur lex naturæ.

Augustinus hoc loco de multis membris nimis anxiè disputat. Respondet ijs, qui contra iusticiam fidei citant dictum: Factores Legis iustificantur. Sed propria & perspicua responsio est, hæc descriptio est iusticiæ Legis, quæ nihil impedit alia dicta de iusticia fidei. Quia uerum est, iusticiam Legis esse, facere Legem, non tantùm audire. Nam hoc loco Paulus hoc propriè agit, iusticiam non esse noticiam seu professionem, ut multi homines sibi blandientes imaginantur, sed esse obedientiam in Voluntate. Hoc generale dictum de iusticia Legis, prorsus nihil impedit ea, quæ postea dicuntur de iusticia fidei. Adsit tantùm in interpretatione dexteritas, non corrumpantur rectè dicta.

Augustini interpretatio.

Descriptio iusticiæ legis non impedit dicta de iusticia fidei.

Postea disputat Augustinus, An Gentes Legem fecerint, & an natura fecerint? Paulus tantùm hoc ratiocinari uult, in gentibus esse noticiam Legis, quod inde ratiocinatur, quia multi tantum fecerint iudicio naturali, quantum Iudæi lege scripta: Et dijudicari in conscientijs honesta & turpia. Hoc sequitur, si tantum disciplina & externa facta considerentur. Scipio non attigit sponsam alterius, quia sciebat adulterium turpe esse, & à Deo puniri. Fecit

cit igitur opus legis, Et Paulus non dicit, Gentes Legem feciſſe, ſed ea quæ ſunt Legis, id eſt, aliqua legis opera.

Et uocabulum natura hîc ſignificat idem quod naturali noticia, monſtrante diſcrimen honeſtorum & turpium. Hæc eſt ſimplex & natiua ſententia, quam Lector amplectatur reiectis corruptelis, quas finxit Pelagius & cæteri.

Et quod inquit Paulus, Opus ſcriptum in cordibus, ſignificat has noticias naturales dona eſſe attributa naturæ, & nobiſcum naſcentia, ſicut noticiæ numerorum naturæ attributæ ſunt, & nobiſcum naſcuntur.

Ecce tu, qui Iudæus nominaris.

ANtea Gentes accuſauit, nunc accuſat Iudæos, ut perueniat ad hãc exæquationem: Omnes homines in hac deprauatione naturæ ſub peccato eſſe, nec Lege liberari à peccato & ab ira Dei, ut infrà dicitur: Concluſit Omnes ſub peccatum. Sic autem accipiatur hæc obiurgatio, ut intelligas, non tantùm externa delicta accuſari, ſed etiam hypocriſin, & fiduciam proprię iuſticię, qualis erat arrogantia in Iudæis, propter titulum & profeſſionem. Et loquitur Paulus de Iudæis, quatenus erant ſine uera agnitione Meſſiæ, qui etiamſi excellebant diſciplina, tamen fateri cogebantur, ſe habere corda uitioſa, nec Lege, uel ceremoniis, uel ſacrificijs eos morbos tolli.

Addit autem & reprehenſionem uaniſſimæ perſuaſionis, qua fingebant, ſe propter titulum ſeu profeſſionem & ceremonias iuſtos eſſe. Et regulam tradit, Valere externas ceremonias ita, ſi corda congruant cum Lege Dei. Circumciſio prodeſt, ſi Legem obſerues. Hîc obſeruandum eſt, ſemper in mundo uagari has falſas perſuaſiones de Ceremonijs, Vel quòd mereantur remiſſionem peccatorum, Vel quòd ſint cultus, & Deo placeant, etiam ſine iuſticia cordis, & ut uulgò dicitur, ex opere operato, Sicut de oblatione in Miſſa impudenter ſcripſerunt Monachi. Omnibus igitur ætatibus in Eccleſia aliqui taxauerunt hunc errorem, ut Pſalmo 50. Non in ſacrificijs tuis arguam te. Et Ieremiæ 7: Non præcepi eis de holocauſtis, ſed hoc uerbum præcepi: Audite uocem meam, & ero uobis Deus.

Ceremoniæ ualent ſi congruant cum lege Dei.

Dictum eſt autem aliâs ſæpè, quo ordine placeant Ceremoniæ, & pinxi nauim, & in naui librum, & ſupra librum ſtare Calicem, id eſt, Primùm audienda eſt promiſſio de filio Dei, & fide ſtatuendum, te recipi propter eum. Hæc fides incoat nouam obedientiam, in corde dilectionem, ſpem, inuocationem, & alias uirtutes.

Deinde accedunt Ceremoniæ, ut ſigna, quæ de promiſſione nos commonefaciant, Vel exercitia externi miniſterij, inuocationis, gratiarum actionis &c. ut alibi copioſius dictum eſt.

Ceremoniæ accedunt ad promiſſionem ut ſigna.

Sed hinc aſperrima certamina ſemper in Eccleſia & fuerunt & erunt. Hypocritæ furenter iraſcuntur, cùm detrahitur Ceremonijs opinio meriti. Vt Iudæi uociferabantur: Si non ſumus iuſti Lege, cur data eſt Lex? Huic quæſtioni mox reſpondet Paulus, & neceſſaria eſt explicatio, Quia omnibus temporibus hæc quæſtio agitatur: Si noſtra diligentia non meretur remiſſionem peccatorum, cur Diſciplina flagitatur? Item: Si non ſumus iuſti propter noſtras uirtutes, cur non conceditur licentia cupiditatibus? Ideo initiò tertij Capitis mouet hanc quæſtionem Paulus: Quid igitur habet Iudæus, quo antecellat? Quare

Lex

Lex data est? Quare Politia Moisi constituta est? Quare dicimur populus Dei, si non sumus iusti hac obseruatione? De his quæstionibus necesse est in Ecclesia extare ueram & perspicuam doctrinam, & illa tetra deliramenta reiici, quæ finxerunt tres Leges: Primam Naturæ, Secundam Moisi, Tertiam Euangelicam, & quolibet tempore homines suæ Legis obseruatione iustos fuisse. Aduersus hos pernicioſos errores sciendum, ut sæpè dicitur, Vnam esse æternam legem Moralem, quæ accusat peccatum in omnibus, omni tempore: Nec Patres fuisse iustos Lege, sed fide Mediatoris, quem ex promissione agnoscebant.

CAPVT III.

Qua igitur re antecellit Iudæus?

OBiter inserta est quæstio. Et occasio diligenter obseruanda est, quam recitaui. Inde enim oritur hæc quæstio. Cùm Iudæi non mereantur remissionem, nec sint iusti Lege, cur data est Lex? & qua re antecellunt Gentibus, unde potius ipsi sint populus Dei, quàm Gentes.

De hac quæstione dupliciter respondet. Retinet enim suam propositionem, quòd Iudæi non mereantur remissionem peccatorum, nec sint iusti Lege. Sed causas alias narrat, cur pulcerrima illa Politia constituta sit, & unde sit Israël populus Dei. Ac primùm ait, posteros Abrahæ esse populus Dei, quia promissio ipsis tradita est, & certò ad eos pertinet. Sunt igitur populus Dei propter promissionem, & non propter legem. Ac præcipuum beneficium est, promissio Messiæ, non politia seu Legis promulgatio. Sed tamen & postea ingens beneficium fuit ipsa Politiæ constitutio, quæ seruiuit promissioni, quia uoluit Deus certum locum, certam nationem & familiam esse, in qua se patefaceret, ubi promissiones ederet & repeteret, & ostenderet promissionis testimonia, ubi publicus aliquis cœtus esset inuocans uerum Deum, & testificans de uero Deo, ubi Messias nasceretur, conspiceretur, doceret, ederet testimonia doctrinę, fieret uictima, resuscitaretnr ex mortuis, ubi conspicerentur testimonia resurrectionis. Harum maximarum rerum Deus certam sedem, & notos ac fide dignos testes esse uoluit.

Iudæi sunt Populus Dei propter promißionem.

Hæc est principalis causa, cur Politia illa constituta sit, & multa beneficia concurrunt. Ibi exempla plurima præsentiæ Dei, iræ & misericordiæ conspecta sunt. Ibi multæ mirandæ defensiones & liberationes factæ sunt. Quàm glorioſa fuit continua Prophetarum successio, Samuelis, Dauidis, Eliæ, Elisæi, Esaiæ, Ieremiæ, Danielis, & sequentium? Gratissimum & hoc fuit bonis mentibus, certam esse Ecclesiæ sedem, certam & perpetuam scholam ueræ doctrinæ. Quàm gratum nunc bonis mentibus esset, scire ad posteros diu hæc oppida mansura esse, & hîc Ecclesiæ & doctrinæ sedem mansuram esse? Has res esse maximas omnes sani intelligunt.

Anni sunt ab exitu ex Aegypto usq; ad resurrectionem Christi 1545. Tam diu in eodem uestigio mansisse Ecclesiam & doctrinæ sedem, fuit ingẽs bonum. Propter has causas intelligebant seniores politiam Mosaicam constitutam esse. Nam ut certus esset populus, discerni eum politicis uinculis & ritibus ab alijs gentibus oportuit. Et in ritibus elegantia exercitia, & signa quæ essent typi promissionis addita sunt. Itaq; Paulus in prima promissione longè antefert Iudæos Gentibus. Dicit, eos ampliſſimis beneficijs præ alijs ornatos fuisse, quæ iam breuissimè recitauimus.

Politia Iudaica constituta & conseruata propter Ecclesiam.

Iudæi multis modis antecelluerunt gentibus.

Et sunt insignia uerborum pondera. Dicit, multum & omnibus modis antecellere, quia ueríssimum est, magnam fuisse amplitudinem beneficiorum, de quibus dixi, quorum præcipuum ipse hîc esse inquit, Quòd huic familiæ, id est, posteris Abrahæ, tradita est promissio Messiæ. Vbi etiam insigni uerbo usus est, Promissiones sunt commendatæ eis, seu creditæ, id est, ipsi facti sunt custodes promissionum. Et fuit ingens prærogatiua, sonare in hac familia promissionem. Et semper ibi aliqua sunt uera membra æternæ Ecclesiæ, ubi uox promissionis sonat, sicut aliâs sæpè dicitur, In cœtu uocatorum semper aliquos esse electos.

Sed statim adiungenda est & altera responsio. Non antecelluerunt Iudæi, quod ad meritum attinet, id est, nec merebantur remissionem peccatorum, nec erant iusti Lege coram Deo, sed illi, qui Deo reconciliati sunt, fide propter promissam Messiam recepti sunt, & fide iusti erant.

Quid enim, etiamsi aliqui non crediderunt.

Promissio rata est, etsi multi non credunt.

INserit & alias quæstiones, ut fit in difficilibus controuersijs. Cùm dixisset, promissionem gratiæ traditam esse Abrahæ & eius posteris, quærit, an rata sit, cùm tam multi sint & fuerint impij, qui eam aspernati sunt? Respondet, promissionem ratam esse, etiamsi plurimi non credunt.

Consideres autem, hîc necessariam consolationem nobis proponi, contra uulgarem tentationem, quæ ualdè oppugnat fidem hoc argumento: Cùm alij tam multi pereant, num te putes à Deo præ tam multis recipi? His exemplis Paulus opponit promissionem Dei, & immotum argumentum, quòd Deus sit uerax. Statuamus igitur certissimè ratam esse promissionem omnibus credentibus, ut infrà dicitur. Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio.

Citantur autem hîc dicta ex Psalmis, ut antithesis augeat perspicuitatem. Deus est uerax, omnis autem homo mendax. Seruat enim Deus promissa, etiam indignis, propter suam ueritatem & bonitatem. Omnis homo mendax, id est, uel prorsus dubitans, uel multis dubitationibus conflictans, nec ualdè timens, nec firmiter credens Deo. Nam & in sanctis horum uitiorum reliquiæ manent.

Vt tu iustificeris, & uincas cùm iudicaris.

Dicta de confessione nostræ indignitatis.

ADdit aliud testimonium, quod detrahit nobis dignitatem seu gloriam iusticię & meritorum. Continet autem hic uersus & doctrinam necessariam de confessione nostrę indignitatis, & dulcissimam consolationem. Tibi tantùm sum peccator, seu quiddam reum & dignum pœna, quod fateor, ut tu iustus pronuncieris, cùm punis, Et uincas cùm iudicaris, id est, cùm te Hypocritæ iudicant, Sicut ferè omnes homines in calamitatibus cogitant, Deum uel iniustum uel crudelem esse, & hanc imbecillem naturam nimis magnis ærumnis onerare. Multi etiam fremunt, cùm sint benemeriti, ut Saul, Vel causas iustiores defenderint, ut Cato, & tamen se opprimi calamitatibus, sicut Pompeius, Cato, Brutus, de prouidentia quæsti sunt.

Sed Daniel clamitat: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei nostræ. Et Iob inquit: Verè scio, quòd non iustificetur homo comparatus Deo &c. Etiamsi occiderit me, in eo sperabo. Veruntamen uias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Saluator meus, nec ueniet in conspectum eius omnis hypocrita, id est, qui uult accedere sua iusticia. Et Imperator Mauricius inquit: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Cùm

Cùm igitur inquit Dauid: Vt uincas cùm iudicaris, intuetur hypocritas accusantes Deum iniusticiæ uel crudelitatis, & ostendit, Ecclesiæ confessionem Deo tribuere laudem Iusticiæ, & propterea obedientiam aliquo modo uoluntariam in pœnis præstare, iuxta illud: Humiliamini sub potenti manu Dei: Item: Orate sine ira, & sine hæsitatione.

Hæc de doctrina confessionis in hoc uersu primùm considerandæ sunt. Postea discatur & consolatio. Fatemur nos indignos & reos esse, & recipi tamen propter promissionem. Ita Deo laudem Veritatis tribuimus, quam Hypocritæ non tribuunt ei, sed cogitant se negligi, quia non satis meritorum afferunt. Tu uerò scias accedendum esse ad Deum fiducia Mediatoris, iuxta promissionem. Etiamsi affers magna peccata, & magnam immunditiem, exuberat tamen gratia supra delictum, & uincit Deus uerax, qui promisit, se recepturum nos gratis propter Mediatorem. Vtraq; sententia de confessione & consolatione fit illustris in ueris doloribus, & uera pœnitentia.

Si autem iniusticia nostra commendat iusticiam Dei, quid dicemus?

SEquuntur aliæ obiectiones, quarum hæc est sententia: Cùm audiunt homines, nostra opera, & hanc qualemcunq; diligentiam regendi mores, non mereri remissionem peccatorum, sed gratis remitti peccata, nec solùm frugalem, sed etiam filium prodigum recipi, obijciunt hæc absurda: Si hic magnus & grauis labor regendi mores non meretur remissionem, laxemus potius frenos cupiditatibus, præsertim si gloria misericordiæ fit illustrior. Quia polluti magnis peccatis recipiuntur, ut ostendit receptio filij prodigi. Hæc profana obiectio non tunc solùm opponebatur doctrinæ de Gratia, sed omnibus temporibus hæc argumenta turbant humanam rationem. Et dolendum est, bonos etiam fieri negligentiores in seipsis frenandis, cùm opinio meriti detracta est illi diligentiæ.

Recipimur gratis ut deleatur peccatum, non ut confirmetur.

Cùm autem hæ profanæ obiectiones tantùm sint calumniæ, & pij sciant, non propterea concedi licentiam peccandi, abrumpit Paulus has quæstiones, opposita breui & tristi obiurgatione: Quorum condemnatio iusta est, uidelicet eorum, qui talibus calumnijs immensam misericordiam Dei obscurant &c. Infrà autem cap. 6. respondebit ad hanc obiectionem. Interea satis est sciri, non concedi licentiam peccandi, sed Deum uerè & horribiliter irasci peccatis. Ideo autem recipi nos gratis, ut deleatur peccatum, non ut confirmetur. Hæc infrà copiosius exponentur. Nunc redit Paulus ad principale institutum.

Quid igitur præcellit.

ALtera & principalis responsio negatiua est, Iudæi non merentur remissionem peccatorum suis operibus, nec sunt iusti coram Deo, nec placent Deo propter sua opera. Et additur uniuersalis propositio, collecta ex duabus præcedentibus: Omnes homines in hac naturæ deprauatione secundum naturam sunt sub peccato, id est, sunt rei iræ Dei & pœnæ æternæ, & ita captiui, ut non possint ab eo liberari propris meritis, seu obseruatione Legis. Cognoscenda est enim phrasis: Sub peccato esse, est captiuum peccati esse. Ac loquitur de omnibus, excepto Domino nostro Iesu Christo. De alijs omnibus loquitur, ac de Sanctis etiam, quatenus natura eorum consideratur, nec intelliguntur per misericordiam reconciliati.

Omnes homines sub peccato.

Sub peccato esse.

Semper autem hęc exæquatio nos admoneat, accusari superbos & perterrefieri. Econtrà uerò consolationem proponi perterrefactis, quia conspicitur

amplitudo misericordiæ, cùm affirmat hæc concio, uerè recipi nos gratis, propter Mediatorem, quanquam indigni simus, & polluti peccatis.

Confirmat autem propositionem citatis testimonijs, in quibus accusantur non tantùm externa delicta, sed etiam interiora. Non est intelligens nec requirens Deum, id est, corda in hac prauitate naturæ plena sunt caliginis & dubitationum de Deo, Quid sit, Quomodo uelit agnosci? An curet, An exaudiat nos? Non uerè timent iram & iudicium, sunt plena diffidentiæ, quærunt præsidia humana sine ordine, sese amant plus quàm Deum &c.

Innumerabiles homines horribili audacia ludum ingeniorum esse putant, gignere suas quasdam opiniones de Deo, ut aliud fingebant Stoici, aliud Idolatræ, aliud Hæretici. Deniq; semper fuit, est & erit horribilis cõfusio opinionum de Deo. Has tenebras in natura hominum sæpè & iustissimè accusat uox diuina, de quibus & hæc dicta concionantur, in quibus magna est uerborum atrocitas: Linguis suis dolosè agebant, Venenum aspidum sub labijs eorum.

Diligentissimè autem obseruandum est, quòd repetit Vniuersalem propositionem, insigni figura & uerborum emphasi, ut omne os obturetur, & reus sit totus mundus Deo. Hanc uniuersalem propositionẽ infigamus animis, & ut nos ipsos reos esse agnoscamus, & ut opponamus eam Pelagianis & Monachis, & similibus, fingentibus, hominem mereri remissionem suis operibus, aut iustũ esse propriis meritis. Agnoscamus etiam, uerè uoluntatem Dei esse, ut nos propter Mediatorem recipi credamus, quanquam sumus indigni & polluti peccatis. Hac nos consolatione sustentemus, & hanc fidem in uera pœnitentia & inuocatione exerceamus.

Propterea quòd ex operibus Legis non iustificatur omnis caro.

MAnifesta asseueratio est, opera legis non mereri remissionem peccatorum, nec propter ea homines iustos esse coram Deo, id est, acceptos ad uitam æternam. Eluserunt autem hoc dictum alij aliter. Multi dixerunt, Paulum loqui tantùm de Ceremonijs, non de moralibus operibus. Nemo iustificabitur ex operibus legis, scilicet, ceremonialibus. Sed hæc elusio falsa est, quia Paulus de omnibus partibus legis loquitur, ut infrà sumit exemplum ex lege morali: Non concupisces. Imò legi morali minimè satisfaciunt homines.

Elusio dicti Paulini detrahentis iusticiam operibus legis.

Alij sic eludunt, dicunt synecdochen esse, quæ accusat plurimos, non omnes. Pauci sunt, inquiunt, quia pauci obtemperant Legi. Interea tamen aliqui iusti sunt, ut Pomponius Atticus, Fabius, Scipio, quia Legi obtemperant. Hanc synecdochen perspicuè refutat ipse Paulus, quia disertè non solùm Personas accusat, sed ipsis operibus detrahit iusticiam, Quasi dicat: de his ipsis loquor, qui faciunt opera legis, hos nego iustos esse propter hæc opera.

Colligantur ergo toties repetitæ sententiæ, quæ idem expressè affirmant, nõ mereri homines remissionem peccatorum propriis operibus, nec iustos esse propter hanc qualemcunq; Legis obseruationem coram Deo, & constanter reijciantur Pelagij & Monachorum falsæ opiniones, quæ doctrinam Ecclesiæ corruperunt, & finxerũt homines mereri remissionẽ peccatorum, & iustos esse hac disciplina, seu qualicunq; legis impletione, quam efficere homines possunt.

Disertè autem addit Paulus hæc uerba: CORAM DEO, ut moneat se de iudicio DEI loqui, non de humano iudicio. Non tollitur ira Dei nostris operibus, nec meretur remissionem peccatorum hæc nostra iusticia, nec satisfa-

cit

cit Legi Dei, ſicut & Pſalmus inquit: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

Per legem enim agnitio Peccati.

OCcupatio eſt breuiter inſerta de uſu Legis, de quo poſtea cap: 7. copioſè dicet. Poterat enim quæri: Si non prodeſt Lex ad iuſticiam, cur data eſt? Certè legumlatores ideo proponunt leges, ut Ciues faciant meliores, & eos qui obediunt, nominant iuſtos, id eſt, approbant.

Huic quæſtioni reſpondet: Imò, inquit, Lex diuina extat, ut ſit teſtimonium iudicij Dei, monſtrans quæ ſint peccata in genere humano. Hæc ſapientia diſſimilis eſt politicæ ſapientiæ, quia uerum eſt in Imperijs condi leges, non ſolùm ut monſtrent peccata, ſed ut tollant, uidelicet externa ſcelera. Sed Lex diuina prohibet interiorem immunditiem. Hanc iudicat & accuſat coram Deo, nõ tollit. Ideo hæc Paulina dicta nequaquam miſcenda ſunt Politicæ ſapientiæ. Longè alia res hîc agitur, ſcilicet, An ira Dei noſtris operibus, ſeu lege tollatur. *Finis legis.*

Sciendum eſt autem tres eſſe Legis uſus, quos uſitatè ſic diſcernimus ad commonefaciendos iuniores. *Tres uſus legis.*

Primus uſus eſt Politicus ſeu pædagogicus, qui eſt noticia Legis, regens ſeu metu ſeu qualicunq; adſuefactione externa membra, ut actiones externæ non pugnent cum lege: ut quia cogitat ciuis præceptum, Non occîdes, & metuit pœnam, hac cogitatione ciet neruos, ut manus reprimant, ne interficiant inimicum, etiamſi odit. Hanc diſciplinam ſeu locomotiuæ gubernationem neceſſariam eſſe etiam in non renatis, ſæpè dicimus, & humana uoluntas aliquo modo libertatem habet ciendi neruos, ut moueant aut reprimant membra, ut hæc in doctrina Phyſica copioſè declarantur. Achilles poteſt imperare neruis, ut manus recondant gladium in uaginam. Et hæc diſciplina eſt cogitatio in mente & cerebro, quæ neruis imperat, ut externa membra ſic cieant. Nec eſt iuſticia cordis, nec eſt impletio legis, ſed litera, uidelicet, cogitatio quaſi picta in cerebro, ſic regens externa membra. Clarè autem adfirmamus, hanc diſciplinam nec mereri reniſſionem peccatorum, nec iuſticiam coram Deo eſſe. Ideo autem dicimus eſſe neceſſariam: quia neceſſe eſt Deo obedire, qui & hanc diſciplinam omnibus præcipit: Deinde neceſſaria eſt ad uitandas pœnas corporales in hac uita. Sed de hoc uſu Paulus in hac Epiſtola non loquitur, Alibi hunc uſum indicat, cùm ait, Lex eſt bona legitimè utenti. Et ſunt hæc alibi ſæpè copioſius declarata. *Primus.*

Secundus uſus eſt, Iudicium Spirituale, de quo inquit Paulus, Lex Spiritualis eſt, id eſt, iudicium Spirituale, quo Deus oſtendit iram aduerſus peccatum, iudicat & perterrefacit corda, de quo uſu dicitur, Lex iram efficit. Item, Aculeus mortis peccatum eſt, Potentia peccati lex eſt. Hic uſus aliquo modo diſcitur in uera conuerſione & contritione, ut cùm Dauid inquit: Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Item Ezechias, Sicut Leo, contriuit omnia oſſa mea. De hoc uſu & hîc ait Paulus: Per legem cognitio peccati, & infrà Capite ſeptimo hæc prolixè declarat. Nec ſunt confundendæ ſententiæ de hoc Spirituali iudicio, cum Politica ſapientia, quæ habet ſuas metas, quas etiam rectè cognoſci oportet. *Secundus uſus legis.*

Tertius uſus eſt in renatis docere & teſtificari, qualis ſit ipſe Deus, uidelicet, Sapiens, uerax, beneficus, iuſtus, æqualis, caſtus, poſtulans conformitatem in nobis, & quales cultus, quæ opera ipſi placeant. Quomodo autem placeat *Tertius uſus legis.*

incoata obedientia propter Mediatorem in credentibus, postea dicetur.

Nunc verò sine Lege iusticia Dei manifestata est.

Refutatio erroris Osiandri.

VT postea planior sit enarratio, Primùm refutabo Osiandri errorem. Osiander intelligit iusticiam Dei ipsum Deum habitantem in renato, & mouentem eum, ut iusta faciat. Ita re ipsa docet hominem nouitate & operibus iustum esse. Sed pro effectu nominat causam, ipsum Deum. Etsi autem multa miscet, & quædam uelut consultò ambiguis inuolucris obscurat, & sua quadam grandiloquentia, in qua multa sunt δόγματα ῥημ. ἄτωρ, tonat: Summa tamen dogmatis eius, & status, & ut ita dicam, arx est, hominem esse nouitate & operibus iustum, sicut & Papistæ contendunt.

Primùm autem consideres, quid mali sit in ista imaginatione. In ueris doloribus & sensu iræ Dei, quærit homo, non qualis in ipso nouitas sit, imò cernit suam immunditiem, & molem peccati, iuxta dictum: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Hîc docet ubiq; uox Euangelij, primùm oportere accipi remissionem peccatorum & reconciliationem fide propter Mediatorem, gratis, non propter nostram dignitatem, & sic oportere homines accedere ad Deum fiducia Mediatoris. Et sint in conspectu illustria testimonia, ut Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius &c. Et Daniel, Non in iusticia nostra.

Vox Euangelij ubiq; docet remißionem peccatorum accipi gratis propter Mediatorem.

Ephe. 3. Per quem audemus accedere confidenter per fidem in ipsum.

1. Iohan. 1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.

Rom. 5. Iustificati sanguine eius.

Item, Reconciliati per mortem eius.

Psalm. 6. Eripe animam meam, & saluum me fac propter misericordiam tuam.

Psalm. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Dixi confitebor &c.

Hæc & similia dicta ostendunt nos in hac uita afferre ad Deum peccata, & uelle Deum, ut certò statuamus, nos propter filium Mediatorem recipi & placere Deo, non propter propriam dignitatem aut nouitatem. Sic accedunt ad Deum omnes Prophetæ quorum dicta intuens, certus eris, te non errare, sic accedentem ad Deum.

Osiander distrahit remissionem & iustificationem.

Hanc doctrinam & consolationem obruit Osiander, negans hominem iustum esse fide propter Mediatorem, Sed contendens hominem iustum esse propter Deum inhabitantem, seu, ut ipse loquitur, iusticiam essentialem, quæ efficit nos iusta facere. Præterea, si fingit, ut loquitur, Neronem habere remissionem, sed ideo damnatum esse, quia non habet iusticiam essentialem, horribilis impietas est. Nam distractio remissionis & iustificationis manifestè pugnat cum scriptura, iuxta dictum: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.

Hanc præmonitionem de Osiandri errore cogitantes, postea facilius intelligemus uocabula. Cùm igitur Paulus hîc dicit, Sine Lege iusticia Dei manifestata est, intelligit iusticiam promissam propter mediatorem, qua nos Deus recipit, & iustos pronunciat propter filium. Simul autem credentes per filium uiuificat, & à morte æterna liberat, & nititur fides obedientia Mediatoris, non inhabitatione, seu iusticia essentiali, efficiente nos iusta facere: Imo obedientia Mediatoris in infinitum anteferenda est actionibus, quæ fiunt in renato.

Manife-

Manifestum est in politicis sermonibus uocabulum iusticiæ habere has duas significationes. *Significata uocabuli iusticia duo in politijs.*

Aliâs significat iusticiam uniuersalem, quæ est obedientia erga omnes leges, seu congruentia cum omnibus legibus, quæ sunt radij sapientiæ Dei discernentis recta & non recta, Vt cùm Aristides nominatur iustus, intelligitur uir nullius criminis reus, sed obediens omnibus legibus in externa disciplina. Sic usitatè dicitur de iusticia uniuersali: *Iusticia uniuersalis.*

Iusticia in sese virtutes continet omnes.

Et apud Horatium: Iustum & tenacem propositi uirum, Non uultus instantis Tyranni Mente quatit solida, Si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.

Aliâs significat iusticiam particularem, quę est æqualitatem in contractibus seruare, ut Mecœnas in emtionibus iustus est, etiamsi in uoluptatibus non seruat modum. *Iusticia particularis.*

Hæ sunt significationes Legi conuenientes, quare & Prophetæ, & Apostoli, cùm legis more de operibus loquuntur, incurrunt in has significationes: ut Psalmus de uniuersali loquitur: Feci iudicium & iusticiam, Et Ioannes: Qui facit iusticiam iustus est. Interdum de particulari iusticia dicitur, ut Psalmo. 7. Iudica me Domine secundum Iusticiam meam, scilicet particularem, hoc est, secundum hanc causam iustam, in qua Saul me falsò criminatur, quòd sim seditiosus, & uelim eum ex regno excutere, Tu sis testis, me non habere hanc iniusticiam.

Aliud est loqui de iusticia personæ coram Deo, id est, de acceptatione personæ, Sed Persona fide iusta seu accepta, postea dicitur habere bonam conscientiam, & petere à Deo auxilium & defensionem in causa bona. Hîc intelligi potest, quantum referat uocabulum iusticiæ ibi rectè intelligi de particulari iusticia. Genesis 30. Cras respondebit mihi iusticia mea, scilicet, particularis, quòd iustè mercedem postulem. Matth. 3. Decet nos implere omnem iusticiam, scilicet particularem suæ cuiusq; uocationis, me meam, te tuam. *Iusticia personæ coram Deo.*

Est & illa legalis definitio, complectens uniuersalem & particularem iusticiam: δικαιοσύνη ἕξις κοινωνία θεῷ μεῖ' ἰσότητος. Prior pars loquitur de nouitate, qua Deus lucet in renatis, & accendit fidem, timorem, & alias uirtutes. Secunda pars loquitur de operibus secundæ tabulæ, quę concionatur de æqualitate erga proximum, ut dicitur, Diligas proximum tuum sicut te ipsum. Item, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Sed intelligatur æqualitas ordinata lege Dei, iuxta hæc dicta: Non mœchaberis, Non furtum facies. *Definitio iusticiæ apud Clementem legalis.*

Sed cogita Dauidem, qui cùm obiurgatur à Nathan, sentiens iram Dei, & uidens ingentem molem peccatorum, adulterij, homicidij, & horribilium scandalorum, fugit Deum, & luctatur cum morte. Hîc non disputat, quas uirtutes habeat, & uidet se non habere iusticiam essentialem. De hoc agone loquitur Paulus inquiens: Omnes peccauerunt, id est, omnes sunt rei, & carent gloria Dei, id est, luce Dei fulgente in natura incorrupta, seu ipso Deo carent, ostendente se & accendente ardentem dilectionem, & alios motus Legi congruentes, sine ullo peccato. Cùm enim Paulus nominat gloriam Dei, loquitur de illa luce, Et mihi non displicet effectum & causam complecti, ut cùm dicitur: Erit Deus omnia in omnibus: inquit autem Paulus, omnes esse immundos & reos coram Deo.

Vox Euangelij quam offerat iustitiam in sensu iræ.

Cùm igitur Dauid in hoc sensu irę Dei quærit iustitiam, quid offert promissio & uox Euangelij? Non ait eum iustum esse impletione legis, sed monstrat beneficia Mediatoris, remissionem peccatorum & reconciliationem gratuitam, seu imputationem iustitiæ propter Mediatorem, cum qua simul fit uiuificatio, cùm credit se propter obedientiam Mediatoris recipi.

Quibuscunq; igitur uerbis uti uelis, necesse est complecti remissionem peccatorum, reconciliationem, seu imputationem iustitiæ propter Mediatorem. Nam his uerbis expresse utitur Paulus, & quærit Dauid, nõ quæ uirtutes in eo habitent, aut qualis sit inhabitatio in ipso iustitiæ essentialis, sed quomodo accipiat remissionem peccatorum & reconciliationem, quomodo placeat, & sit acceptus Deo. Has relationes necesse est complecti, quibuscunq; tandem uerbis uti uoles.

Pauli doctrina de iustificatione.

Cùm igitur considerabimus ueram conuersionem, facilius intelligemus, quid Paulus nominet iustitiam, seu iustificationem. Nihil dubium est, doceri hoc loco, quomodo homo sit iustus coram Deo, cùm tamen nostra natura sit immunda, oppressa mole peccatorum, & rea. Hîc inquit Paulus Rom. 3. Iustificamur gratis, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per sanguinẽ ipsius. Item Rom: 5. Iustificati sanguine eius. Item, reconciliati Deo per mortem filij.

Iustitia Dei complectitur omnia beneficia Mediatoris.

Cùm igitur iustificatio sit acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis, seu acceptationis coram Deo, per fidem in Mediatorem, in qua simul fit uiuificatio per filium, Complecti omnia beneficia Messiæ necesse est, nec diuellenda est remissio à præsenti conuersione, sicut Osiander fingit, Neroni remissa esse peccata, sed damnari eum, quia non habeat iustitiam essentialem. Horresco hæc referens, & ualdè doleo, tales sermones repetendos esse, contra quos tenendæ sunt hæ sententiæ: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomẽ eius, omnes qui credunt in eum &c. Item, Qui non credit in filium, manet ira Dei super eum. Non igitur diuellenda est remissio peccatorum à iustificatione.

Cùm igitur nominat Paulus hoc loco iustitiam inquiens: Sine lege iustitia Dei apparuit, manifestum est, complectenda esse omnia beneficia Mediatoris, remissionem peccatorum, reconciliationem, seu imputationem iustitiæ & uiuificationẽ. Loquitur enim Paulus de iustitia propter Mediatorẽ promissa.

Imputatione iustitiæ discernit Paulus iustitiam fidei ab impletione legis.

Rom. 4. Nominat Paulus imputationem iustitiæ, uult enim discerni iustitiam, quæ est nostra legis impletio, ab hac iustitia, quæ est acceptatio propter Mediatorem, cùm nõ habeamus integram legis impletionem. Manifestum est enim, Vocabulo imputationis significari relationem, ut alibi usitatè uox illa, quæ ibi in Genesi ponitur, cogitationẽ significat, Genesis 50. Vos cogitastis ad uersus me malum, Dominus cogitauit hoc ad bonum: hæc cogitatio est acceptatio, quę uoce Euangelij annunciatur, & fide accipitur. Et relatiuè intelligendum esse uocabulum imputationis, ostendit mox eodem loco Paulus, dicens: Dauid dicit beatitudinem hominis esse, cui Deus imputat iustitiam sine operibus, & addit, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, id est, Persona sic recipitur afferens ad Deum non propriam iustitiam, aut iustitiam essentialem, sed in sensu iræ Dei contra peccata confugiens ad Mediatorem, & credens propter Mediatorem sibi remitti peccata, & imputari iustitiam, & quasi uestiri nos iustitia Mediatoris. Hæc est simplex Psalmi & Pauli sententia.

Cùm

Cùm igitur Paulus hoc loco inquit: Iuſticia Dei manifeſtatur, non intelligẽda eſt phraſis de iuſticia eius eſſentiali, ut ſi dicas: Iuſticia iudicis Aureliani cernitur in pœna militis, qui ui ſtuprauerat hoſpitam. Hæc phraſis legalis huc non pertinet, ſed hoc loco iuſticia Dei ſimpliciſſimè intelligatur iuſticia promiſſa propter mediatorem.

Hæc forma loquendi mihi quidem ſimpliciſſima uidetur, ut ſit iuſticia Dei, qua Deus nos iuſtificat, ſeu qua nos iuſtos pronunciat, id eſt, acceptos ad uitam æternam, quæ iuſticia cùm fide accipitur, ſimul fit uiuificatio, iuxta hæc dicta: Iuſtus ex fide ſua uiuet, Item, Iuſtificati fide pacem habemus, Item, Qui habet filium, habet uitam. Nam habere filium, eſt fide accipere remiſſionem peccatorum, reconciliationem, & imputationem iuſticiæ, propter Mediatorem, & uiuificari per eum.

Sine Lege.

QVomodo hæc congruunt: Iuſticia Dei ſine lege manifeſtata eſt, cùm Lex re ipſa ſit ſapientia & iuſticia in Deo, nobis patefacta, & poſtulans conformitatem? Quomodo igitur manifeſtari poteſt ſine Lege? Certè iuſticia eſſentialis non eſt ſine Lege, ſed eſt re ipſa ſapientia & iuſticia Legis in Deo. *Iuſticia eſſentialis non eſt ſine lege.*

Refutant igitur Oſiandrum & hęc uerba, Iuſticia ſine lege. Quia hîc intelligitur iuſticia promiſſa propter Mediatorem, & imputata nobis, etiamſi legis iuſticia non eſt in nobis, & legi ualdè diſſimiles ſumus.

Dauid clamat: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Videt ſe diſſimilem eſſe Legi, recipi autem ſe & iuſtum, id eſt, acceptum eſſe propter Mediatorem. Annunciat igitur promiſſio gratiæ, ſeu Euangelij iuſticiam aliam, quæ non eſt iuſticia legis, nec datur propter legem, nec propter noſtra opera, nec propter qualitates & uirtutes noſtras. *Oſiandri error refutatus à Paulo.*

Hæret in hoc loco Origenes, nec poteſt eluctari, diſputans, quomodo iuſticia Euangelij manifeſtata ſit ſine Lege, Sed error in principio parit deinde alios multos errores. Denſiſſimæ tenebræ ſunt in mentibus humanis de lege Dei, de peccato. Imaginantur homines Legi Dei ſatisfieri qualicunq; externa diſciplina, & peccata tantùm eſſe externa ſcelera. Itaq; cùm non conſideret Origenes, quanta res ſit Lex Dei, quàm procul abſit hæc miſera natura ab illa conformitate cum Deo, de qua Lex concionatur, & quantum malum ſit peccatum, nec rectè diſcernat Legem & Euangelium, delabitur ad has hallucinationes: Euangelium eſſe nouam Legem, & iuſticiam Euangelij eſſe opera, quæ præcipiuntur in dictis legalibus, quæ paſſim recitantur à Chriſto & Apoſtolis. *Origenis error.*

Hæ imaginationes prorſus alienæ ſunt à Paulo, qui ideo diſcernit iuſticiam Dei à lege, quia legis iuſticiam, id eſt, impletionem integram hæc natura non poteſt habere, ſicut infrà dicitur: Caro Legi Dei ne poteſt quidem ſubijci. Alia igitur iuſticia in promiſſione gratiæ manifeſtata eſt, ſcilicet, remiſſio & reconciliatio, ſeu imputatio iuſticiæ & uiuificatio propter Mediatorem, & per eum. Ac hęc bona dantur gratis credenti in Mediatorem, non propter Legem, Et ſine lege, quia hæc natura hominum in hac uita diſſimilis eſt legi, nec pendet reconciliatio ex hac conditione: Si nos legem impleamus: ſicut legales promiſſiones pendent ex conditione impletæ legis, Qui fecerit ea, uiuet in eis.

Eccleſia non gignit nouam doctrinam, ſed in miniſterio propagatrix eſt uocis acceptæ à Deo, nec addere quidquam, nec mutilare eam uelit. Cùm autem ſit diſcipula uocis diuinæ, retinere etiam debet natiuam ſignificationem

uerbo-

uerborum & phrasis. Vsitata est autem Sophistica in omnibus corruptelis, affingere dictis Propheticis & Apostolicis alienas significationes.

Samosatenus. Vt Samosatenus λόγον interpretatur propositum seu decretum in Deo, de saluandis hominibus, non λόγον ἐνεσάρκον, qui adsumserit humanam naturam.

Pelagius. Pelagius gratiam interpretabatur ipsam Legem, quia etiam beneficium Dei est.

Origenes. Origenes, & alij multi in dicto: Iustitia Dei reuelata est sine Lege, fecit pernicioſam mutilationem: Sine Lege, scilicet ceremoniali & iudiciali, nec interpretatur Paulum de tota Lege, cùm quidem manifestè loquatur, de omnibus partibus Legis: Iustitia Dei sine Lege reuelata est, scilicet morali, ceremoniali & iudiciali.

Osiander. Nunc Osiander offundit caliginem, interpretans iustitiam Dei, iustitiam essentialem, quæ est in Deo, seu quæ est ipse Deus. Notum est autem hanc iustitiam in lege reuelatam esse, quæ ideo tradita est, ut sit testimonium, quòd sit Deus, & qualis sit, quòd uelit nos sibi esse conformes, & destruat omnes non conformes. Postea addunt Osiandrici amplius, ponunt enim iustitiam Dei, esse iustitiam tropicam. Item Christum iustificare per accidens. Hæ impiæ uoces execrandæ sunt.

Et tenenda est refutatio, ut cùm dicunt:
Solus Deus est bonus:
Ergo solus Deus est iustitia.

Solus Deus est bonus. Respondeo ad antecedens, Solus Deus est bonus, scilicet origine, perfectione, & causa, id est, fons bonitatis, perfectè bonus, & causa boni in creaturis. Deinde uera est tamen & hæc propositio, Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualdè bona, id est, conformia sapientiæ Dei, singula suo gradu, sicut condita erant à Deo.

Ac nequaquam dicendum est, Obedientiam Christi tantùm tropicè iustitiam esse, est enim conformitas summa in mente & uolũtate cum æterno patre, sicut Psalm. 39. dicitur: Deus meus uolui, & Lex tua in medio cordis mei. Hoc uelle in filio, quo se subijcit ęterno patri, honorãs eum maiore humilitate, quàm ulla creatura, & perfectissimè diligens eum, nominatur uerè iustitia, Rom. 5. non aliqua figura, seu nominis abusu.

Christum per accidens iustificare est horribile mendacium. Et horribile mendacium est dicere, Christum per accidens iustificare, cùm sit prædicatio proprij effectus de propria causa, ut cùm dico: Ignis calefacit seu calor calefacit.

Alibi dicitur in Paulo: Deus est iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu, id est, Verè damnans peccatum in omnibus hominibus, iustificans eum, qui est ex fide Iesu, id est, recipiens credẽtes in filium propter eius obedientiam. Hîc utraq; per se causa & immutabilis nominatur, Deus iustificat, ut causa efficiens. Et obedientia filij est impulsiua per se causa. Et possent hæc dici subtilius, sed fugio nimiam subtilitatem, & moneo iuniores, ut reuerenter de tantis rebus loquantur.

Causa per accidens talis est, sine qua res fieri poterat, ut cùm dicis, febrim causam per accidens esse temperantiæ, poterant etiam ante febrim sine ea frenare manus cogitatio & uoluntas: at Christi obedientia sic ordinata est immutabili decreto Dei, ut hoc modo, & non aliter fiat reconciliatio. Non est igitur causa per accidens.

ALIVD

ALIVD.

Argumenta Osiandri refutata.

Misericordia iustificat:
Misericordia est essentia Dei,
Ergo essentia Dei iustificat.

I. Argumentum. Misericordia est essentia Dei & iustificat.

Respondio. Concedo totum πρὸι πρῶτου αἴτιου, ut cùm Paulus dicit: Deus est qui iustificat. Verissimum est enim, Deum esse efficientem causam iustificationis, qui & recipit nos, & uiuificat, Sed quæstio est de causa impulsiua, seu formali, ut, an hæc propositio sit uera: Sumus iusti, id est, accepti essentia Dei. Aut an illa sit uera: Sumus iusti, id est, accepti obedientia Mediatoris. Hîc manifestum est Pauli dictum: Propter unius obedientiam iusti constituentur multi. Est ergo efficiens causa καὶ πρῶτον αἴτιον Deus recipiens nos. Causa impulsiua seu formalis est obedientia Mediatoris.

Declarari autem & refutari argumentum facilè potest, commemoratione aliarum proprietatum Dei.

Essentia est omnipotentia:
Item, Deus est ignis consumens:
Ergo ignis consumens iustificat, siquidem essentia iustificat.

Concedendum est argumentum de causa efficiente, Quia idem Deus, qui est omnipotens & iustus, puniens iniustos, iustificat. Sed manet quæstio de causa impulsiua seu formali, quos & quomodo iustificet. Hoc exemplum ostendit confusionem causarum in istis præstigijs.

ALIVD.

II. Iusticia est essentia Dei.

Iusticia est, quod facit nos iusta facere:
Essentia diuina facit nos iusta facere:
Ergo essentia diuina est nostra iusticia.

Respondeo simplicissimè, & sine contentione. Concedo totum, legaliter loquendo. Sed in hac uita non sumus iusti obedientia Legis, ideo in promissione reuelata est alia iusticia, scilicet, reconciliatio, seu acceptatio propter filium. Quare definitio Osiandrica tantùm legalis est. Ac manifestè conspicitur hîc Osiandri error, fons enim multarum confusionum est error in definitione. Necesse est igitur opponi definitioni legali aliam propriam Euangelij.

Iusticiæ fidei definitio.

Iusticia est remissio peccatorum, & imputatio propter obedientiam filij Dei, per fidem, qua credimus nos propter filium Deo acceptos esse. Simul autem in hac consolatione, cùm uiuificamur per filium, datur Spiritus sanctus ad incoandam obedientiam, quæ erit consummata in uita æterna.

Iam igitur repetas argumentum, refutata maiore per aliam definitionem: Iusticia secundum Euangelium, est acceptio remissionis peccatorum & imputationis iusticiæ per fidem, hæc remissio & imputatio fit propter obedientiam filij, non propter essentiam Patris, aut Spiritus sancti, Ergo propter obedientiam filij sumus iusti.

ALIVD.

III. Deus est æterna iusticia.

Daniel inquit: Adducetur iusticia sempiterna:
Solus Deus est æternus:
Ergo solus Deus est iusticia.

Respondeo breuiter, Si retines in uocabulo æternus eandem significationem, sine principio & sine fine, concedo totum argumentum, Solum Deum esse æternam & essentialem iusticiam. Sed Daniel loquitur de iusticia donata homini-

hominibus, qui non sunt sine principio. Et simplicissimè interpretor Danielem, cùm nominat iusticiam sempiternam, de consummato beneficio Christi, ut Esaias de consummato beneficio loquitur, cùm ait Cap. 45. In Domino iustificabitur omne semen Israël. Et in eodem capite: Israël saluatus est in Domino, salute æterna. In his dictis complectitur Esaias omnia Christi beneficia, & tamen discerni oportet imputationem iusticiæ in hac uita, & consummationem iusticiæ in uita æterna.

Nec repugnabo, si quis iusticiam sempiternam intelligat ipsam personam Christi, Deum & hominem, sicut Ieremias locutus est: Vocabitur nomen eius Iehoua, iusticia nostra. Vbi etiam uocabulo iusticiæ comprehendit omnia beneficia. In hac uita propter obedientiam Christi habemus remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ, & per Christum incoationem nouitatis & uitæ æternæ, & uiuificationem ad uitam æternam: Et deinde per eum, resuscitationem, iusticiam, & uitam æternam, hæc simplex interpretatio uera est, nec delectemur præstigijs cauillationum, quales sine fine à Sophisticis ingenijs finguntur.

ALIVD.

Daniel nominat iusticiam sempiternam:
Remissio peccatorum non est æterna, ut isti dicunt:
Ergo non est iusticia.

IIII. *Argumentum Osiandri. Remißio peccatorum non est æterna iusticia.*

Respondeo. Nego minorem, Quia remissio peccatorum intelligenda est de reconciliatione in tota æternitate, in qua & peccatum ita remissum est, ut totum deleatur, sicut dicitur: O mors, ero mors tua, & ô inferne ero pestis tua.

Quanquam, ut antea dixi, concinnius est interpretari iusticiam sempiternam de consummato beneficio, quo comprehenduntur & remissio, & uita æterna. Et quidem Daniel simul ibi expressè nominat remissionem peccatorum his uerbis: Præuaricatio finietur, peccatum obsignabitur, id est, claudetur, ne nos accuset, & propiciatio fiet pro iniquitate. Ac deinde sequitur: Adducetur iusticia sempiterna, quæ significat remissionem, de qua prius dixerat, non tantùm esse præsentis uitæ bonum, sed initium esse æternæ salutis & uitæ. Loquitur ergo de consummato beneficio. Ac manifestum est, nomen æternæ iusticiæ, opponi iusticiæ operum, quæ desinit cum hac corporali uita.

Testimonium habens in Lege & Prophetis.

DIximus iusticiam Dei hoc loco necessariò intelligi promissam propter Mediatorem, Hanc ait nunc in Euangelio manifestè prædicari.

Sed posset obijci: Cùm semper fuerit Ecclesia, necesse est hanc iusticiam & Patribus & Prophetis notam fuisse: & Regula uera est, Primum quodq; uerissimum est.

Iusticia fidei nota fuit & patribus.

Huic obiectioni, ut occurrat, uel occupationi, inserit hæc uerba, quibus adfirmat non solùm notam fuisse hanc iusticiam promissam propter Mediatorem, sed ideo Prophetas omnes missos esse, & confirmatam eorum uocationem illustribus miraculis, ut de hac promissione testes essent, sicut Petrus inquit: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. Emphasis igitur in hoc loco in uocabulo testimonij consideretur, & inde usq; ab initio Patrum & Prophetarum doctrinam, uocationes & miracula intueamur.

Primùm ad Adam edita est promissio: Semen mulieris conculcabit caput

put Serpentis. Postea ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Iacob inquit: Non auferetur sceptrum à Iuda, donec uenerit Siloh, & ad hunc Gentes congregabuntur. Et Deut. 18. Prophetam suscitabo eis ex fratribus meis, similem tui.

Deinde in Psalmis, & omnium Prophetarum scriptis magis perspicua testimonia sunt, ut Esaiæ 53. Agnitio serui mei iusti iustificabit multos. Et Danielis 9. Adducetur iusticia sempiterna & finietur præuaricatio, & fiet propiciatio pro peccato, & ungetur Sanctus Sanctorum. Manifestum est igitur rectè dici à Paulo, extare testimonia de hac iusticia, quam adducet Messias.

Sed cur dicit, in lege? Osiander non uult intelligi librum Moisi & scripta Prophetarum, sed propriè Legem: sit ita sanè. Nam & uictimæ in Lege significabant uictimam filium Dei, & Paulus inquit, Finis Legis est Christus, quod non de Ceremonijs tantùm dicitur, sed de Lege morali quoq;. Ideo Lex moralis promulgata est, ut arguat peccatum, & ostendat omnes homines reos esse, ut Paulus inquit: Conclusit omnes sub peccatum. Est igitur Lex testimonium, quòd non simus iusti Legi. Quare necesse est esse Mediatorem & propiciatorem, propter quem detur remissio peccatorum, Et cùm Lex non sit frustra lata, necesse est restitui naturam ut fiat lex. Ita Christus est finis Legis, scilicet, dãs reconciliationem, postquam lex iram ostendit, Quia Deus non uult nos in morte manere, iuxta dictum: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris. Est & restitutor Legis Christus, cùm resuscitat & dat uitam æternam, in qua Deus erit omnia in omnibus.

Lex est pædagogus in Christum.

Simul autem refutat Paulus stultum & pernicioſum errorem illorum, qui finxerunt, ordine in genere humano tres fuisse leges, Legem naturæ, Mosaicam & Euangelicam. Et homines saluatos esse quolibet tempore operibus legum sui temporis.

Refutatio erroris de tribus legibus.

Hæ stultæ imaginationes inde ortæ sunt, quòd discrimen Legis & Euangelij ignotum fuit. Necesse est igitur, notissimam esse uocem Pauli, Iusticia Dei, uidelicet promissa propter Mediatorem, sine lege manifestata est, sed testimonia habet Prophetica omnibus temporibus, uidelicet, in promissione gratiæ, tradita Adæ & Abrahæ. Sicut autem una & eadem est sapientia in Deo discernens recta, & non recta. Sic in omni æternitate eadem est lex Moralis, quæ in Ecclesia omnibus temporibus repetita est, non tunc primùm doceri cœpit, cùm in monte Sinai inter magna miracula recitata est.

Lex moralis est eadem.

Rursus etiam sciendum est, unicam esse promissionem gratiæ, quæ statim, cùm Adam & Eua reciperentur, prolata est ex sinu æterni Patris per filium: Semen mulieris conculcabit caput Serpentis. Hæc promissio postea uoce Prophetarum & in Euangelio repetita & illustrata est. Nec Patres fuerunt iusti propter legem, sed sola fide promissæ misericordiæ propter Mediatorem, sicut expressè inquit Petrus in Actis: Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, sicut & illi. Et Dominus inquit, Abraham uidit diem meum & lætatus est.

Promissio est unica.

Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes.

IN qualibet disputatione necesse est maximè intentum esse in controuersiæ statum & principalem propositionem. Sciant igitur iuniores, hoc loco tradi principalem propositionem de iustificatione. Obiter autem repetit Paulus aliam antecedentem propositionem paulò antè recitatam, Totus mundus est reus

Deo. Ita hîc inquit, Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei, ubi prorsus idem dicitur, quod antè dictum est, Omnes homines natos in hac deprauatione naturæ habere peccatum, & reos esse coram Deo, Et neq; fieri neq; esse iustos lege, sicut Psalmus inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo &c. Ita hîc dicitur: Omnes peccauerunt, id est, habent peccatum, & sunt rei (Nota sit enim phrasis Ebræa) Et carent gloria Dei, id est, Deo ipso lucente in eis, qui uerè est gloria, id est, lux, sapientia, iusticia, uita æterna, & lætitia æterna. Et communicans sese beatis, facit ut in eis luceat ipsius lux, sapientia, iusticia, uita æterna & lætitia, sicut dicitur: Deus erit omnia in omnibus.

Explicatio phrasis, carent gloria Dei.

Hæc interpretatio hoc loco quadrat, quia hîc affirmatur, quòd in nobis non sit illa iusticia, quæ est gloria coram Deo, id est, res optima, propter quam Deus hominem diligeret, & non destrueret. Intelligatur ergo gloria, uel ipse Deus sese nobis communicans, uel conformitas cum Deo lucente in nobis. Nam hæc interitura uita, & hæc iusticia operum, quantacũq; est, non est gloria coram Deo, id est, res talis, propter quam Deus diligat hominem, & non destruat. Etiamsi est excellens gloria coram hominibus iusticia Solonis, aut Aristidis, Tamen non tribuit ei uitam æternam.

Longæ sunt disputationes aliorum de hac Phrasi: Carent gloria Dei, sed sententia non est obscura. Paulus affirmat deesse hãc iusticiam in hominum natura, quæ est integra conformitas cum Deo, sine peccato & sine morte.

Vtraq; concio pœnitentiæ & promissionis & uniuersalis.

Diligenter autem obseruanda est uniuersalis particula in utraq; propositione, in prædicatione pœnitentiæ & promissione gratiæ: Damnantur omnes homines nati in hac corruptione naturæ, ut inquit: Omnes carent gloria Dei, non est distinctio. Postea & de promissione inculcabit particulam uniuersalem. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes. Iusticia Dei, id est, quam Deus promisit propter Mediatorem ignotam rationi, quæ non est iusticia legis, seu operum, sed est remissio peccatorum & reconciliatio, & imputatio iusticiæ, seu acceptatio propter Mediatoris obedientiam, cum qua reconciliatione coniuncta est uiuificatio, quæ fit per ipsum filium Dei, cùm fide apprehendimus uerbum Euangelij. Hanc iusticiam ait offerri omnibus, sicut alibi sæpè inculcat uniuersalem.

Iusticia Dei quid sit.

Cap. 10. Diues Deus in omnes, qui inuocauerit nomẽ Domini saluus erit.

Et Cap. 11. Conclusit Deus omnes sub peccatum &c.

Et Dominus inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis &c.

Item, Deus uult omnes homines saluos fieri.

Et Esai. 42. Non accipiet Personam.

53. Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum.

Hæc uniuersalia dicta de promissione teneamus & opponamus tentationi de Particularitate, cùm disputant mentes, an sint in numero electorum: ab hac disputatione ad reuelatam Dei uoluntatem in Euangelio deducamur, & credamus expresso uerbo Dei, & nos in uniuersalem promissionem includamus, sciamus eam ad nos quoq; pertinere, sciamus filium Dei ueracem nuncium esse, per quem prolata est promissio ex sinu æterni Patris, nec fingamus de eadem re contradictorias uoluntates in Deo, quia Deus uerax est. Hanc consolationem sumtam ex uerbo expresso teneamus, nec nos ipsos inextricabilibus labyrinthis disputationum implicemus, quæ fidem euertunt, ac multò magis luctemur

cum

cum noſtra imbecillitate, & ei promiſſionem uniuerſalem opponamus, cui aſſentiamur,& ſimul petamus nos confirmari, ſicut ille inquit: Credo Domine, ſed opem fer imbecillitati meæ,nec indulgeamus noſtræ diffidentiæ. Hanc admonitionem utilem eſſe manifeſtum eſt.

Iuſtificamur autem Gratis.

HAEC tota periodus, quæ ſequitur, eſt principalis propoſitio & ſtatus in hac diſputatione Pauli, ac multæ circumſtantiæ hîc intexuntur. Sit autem nota phraſis,iuſtificamur,id eſt,ex reis pronunciamur non rei, donamur remiſſione peccatorum, reconciliatione ſeu imputatione iuſticiæ, cum qua coniuncta eſt uiuificatio,quæ fit per ipſum filium Dei,cùm fide uerbum uocale accipimus, cum quo uerè eſt efficax filius Dei, ut dicitur: Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. *Propoſitio de iuſtificatione. Iuſticari quid ſit.*

Etſi enim neceſſe eſt retineri in uocabulo iuſtificationis relationem, ſcilicet remiſſionem peccatorum & reconciliationem, ſeu imputationem iuſticiæ, propter Mediatorem, tamẽ ſciri oportet ſimul fieri uiuificationem fide,cùm filius dicit conſolationem in cordibus per uerbum uocale, & oſtendit hanc eſſe uoluntatem æterni Patris, & dat Spiritum ſanctum,ſicut Eſai.38.dulciſſimè dicitur,ubi uera conuerſio deſcribitur. Cùm dixiſſet Ezechias de terroribus ſeu contritione: Sicut Leo contriuit omnia oſſa mea:Poſtea addit de conſolatione, Corripies me & uiuificabis me,tu autem eruiſti animam meam,ut non periret, Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Ita uniuerſaliter de conuerſione concionatur uox diuina in ſcriptura, & duos motus coniungit, Pauores & conſolationem, quæ fit fide, id eſt, agnitione & fiducia filij Dei, iuxta dictum: Noticia ſerui mei iuſti iuſtificabit multos. *Duo motus in conuerſione.*

Nec fingimus iuſtificationem,quę ſit ocioſa cogitatio de remiſſione,ſed dicimus hos motus diuinitus fieri in homine,Cùm arguitur peccatũ uoce miniſterij,quod docet,quæ ſint peccata, mentione Legis & Euangelij arguentis incredulitatem,iuxta dictum: Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me:ſentiunt homines iram Dei. Et in hoc ſenſu iræ Dei,cùm uox Euangelij oſtendit filium Mediatorem,& offert remiſſionem peccatorum, hac uoce filius Dei colligens Eccleſiam ſimul immediatè eſt efficax, ut corda incipiant credere,& ſe ſuſtentent, agnita miſericordia propter filium promiſſa, in ea conſolatione uiuificat corda, ne opprimantur doloribus inferorum.

Ita aſpiciamus ueram conuerſionem, ſeu pœnitentiam, & Pauli doctrinam ad uſum transferamus,in quo fiet illuſtrior. Simul autem & phraſis conſideretur. Quanquam ſunt in conuerſione plures motus,tamen uocabulum iuſtificari,ſignificat haud dubiè accipere remiſſionem, reconciliationem ac imputationem iuſticiæ. Hanc autem cùm accipimus,ſimul uiuificamur, Ideo Ezechias hæc duo coniuxit: Proieciſti poſt tergum omnia peccata mea. Hoc de remiſſione,reconciliatione,& imputatione iuſticiæ dictum eſt: illud de uiuificatione dixit,Eripuiſti animam meam,ne periret.

Sequitur particula excluſiua,Gratis,quæ excludit noſtra merita,& tamen cauſa reconciliationis mox addita eſt,ſcilicet, per gratiam ipſius, id eſt, per miſericordiam, ut ad Epheſios inquit, Dilecti in dilecto. Et poſtea ſequitur, mirando conſilio temperatam eſſe miſericordię iuſticiam. Remittit Deus per miſericordiam, ſed ita, ut ſeruari tamen ordinem iuſticiæ uelit. *Gratis excludit noſtra non Chriſti merita.*

Omnis lex obligat,uel ad obedientiam, uel ad pœnam. Poſtquam igitur homines

homines facti sunt rei, offert se filius ad pœnam, quæ ualet pro alijs, quia ipse & innocens est & uerè diligitur. Hoc mirandum consilium & temperamentū misericordiæ & iusticiæ in tota æternitate contemplabimur in Deo, & de consilium Dei nos docentem audiemus, & celebrabimus hoc mirandum fœdus, copulationem diuinæ & humanæ naturæ, & Deo gratias agemus. Incoari tamen has cogitationes in hac uita necesse est.

Magnitudo meriti Christi.

Assiduò consideremus quanta res sit, quòd diuina Persona se demittit, & assumit massam nostræ naturæ, quantus amor sit in filio erga nos, quanta misericordia æterni Patris, quòd filium mittit, quàm preciosa sit hæc obedientia in filio, quæ horribilibus sceleribus omnium hominum anteferenda est, iuxta dictum: Gratia exuberat supra delictum.

Cogitandæ sunt causæ, quare filius missus sit, & quare copulatæ sint in Messia natura diuina & humana, & quòd Messias non tantùm sit uictima, sed quòd filius missus sit ab initio, ut Ecclesiam colligat, & in ea sit efficax, sicut inquit, Ego uitam æternam do eis. Item, Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui filius uolet reuelare. Sint autem in conspectu causæ copulationis diuinæ & humanæ naturæ.

Causæ copulationis 2. naturarum in Christo.

1. Nisi factum esset decretum, ut filius assumeret massam generis humani, tota natura humana mox funditus deleta esset. Seruata est autem, ut hic filius nasceretur, & deinde inserti ei credentes rursus per eum uiuificarentur.

2. Cùm genus humanum peccauerit, congruebat, ut pœnam lueret aliquis in genere humano, Ideo filius intercessor assumsit humanã naturam, ut Psalmo secundo dicitur: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.

3. Nullius creaturæ robur tantum est, ut sustinere tantam iram potuerit, ideo hic Redemtor Deus est.

4. Vt precium esset æquale, Redemtor est Deus, Ideo cogitandum est meritum filij Mediatoris in infinitum longè antecellere omnibus omnium peccatis.

5. Creatura non est uiuificatrix, sed ut Iohannis primo scriptum est, In ipso erat uita, ideo hic Redemtor est omnipotens, ut uincat mortem, & restituat humanæ naturæ uitam: sicut initiò in creatione λόγος immediatè fuit uiuificator, ita & nunc est uiuificator.

6. Hic Mediator assiduè interpellat pro Ecclesia, Filius autem uidet arcanum pectus Patris, sicut inquit: Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui filius uolet reuelare.

Hic saluator assiduè adest Ecclesiæ, exaudit eam, seruat, protegit, reddit uitam æternam, sicut inquit: Ego uitam æternam do eis. Ego sum uitis, uos palmites, sine me nihil potestis facere. Item, Sedet ad dextram æterni Patris dans dona hominibus. Hæc autem sunt propriè omnipotentis naturæ.

Messias inuocatur, ergo est Deus.

Hæc attentè consideranda sunt in quotidiana inuocatione, Vt in Prophetícis scriptis inuocatio Messiæ est illustre & firmum testimonium, quod ostendit eum esse natura Deum, & omnipotentem, iuxta dicta, Psal. 72. Et adorabunt eum omnes Reges terræ. Et apud Ieremiam: Vocabunt eum, Deus iusticia nostra, id est, inuocabunt, & inuocatione confitebuntur esse Deum iusticiam nostram. Sic ipse nos ad se uocat, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos.

Cùm igitur fit mentio particulæ, Gratis, Primùm sciamus excludi omnia merita

merita nostra, & non solùm opera ceremonialia, sed etiam operibus Decalogi detrahi meritum, & simul sciamus constitutum esse meritum filij Dei, propter quod solum recipiuntur omnes in conuersione, qui credunt in filium, & id tam magnum est, ut longè uincat omnia omnium peccata. Vt igitur latro in cruce, Mulier peccatrix, Manasses, & alij propter Mediatorem gratis recipiuntur fide, & simul uiuificantur per filium dato Spiritu sancto, & fiunt hęredes uitæ æternæ, Sic & Ioseph & Daniel Gratis per misericordiam propter Mediatorem recipiuntur fide, & simul uiuificantur per filium dato Spiritum sancto, & fiunt hæredes uitæ æternæ. Hæc exæquatio & opponenda est superbiæ, sicut dicitur, Totus mundus reus sit Deo, & consolatio firma est omnibus, qui aliquo modo sentiunt molem suorum peccatorum. Ideo Dominus inquit Lucę 5. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Huc pertinent & Parabolæ de filio prodigo, Item de oue quę fuerat amissa, & hoc dictum: Maius gaudium est in cœlo, de uno peccatore. 1. Timoth. 1. Certus est sermo, & omni acceptione dignus, quòd Iesus Christus uenerit in mundum, peccatores saluos facere &c.

Semper autem in conspectu sint hæ quatuor Causæ, propter quas necesse est retinere exclusiuam. *Exclusiua gratis quare retineatur.*

Prima, quæ est principalis, ut debitus honos filio Dei tribuatur: quòd sola ipsius obedientia sit precium & meritum pro peccatis hominum, non ullius hominis opera. Ideo dictum est in Psalmo 39. Holocaustum & hostiam pro peccato non postulasti, Tunc dixi, Ecce uenio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam. Item, unica oblatione consummauit Sanctos. I.

Secunda causa, ut conscientiæ habeant firmam consolationem, Quia, si remissio peccatorum pendêret ex conditione nostræ dignitatis, fieret incerta, inquit igitur Paulus. Ideo ex fide, Gratis, ut sit firma promissio. II.

Tertia causa, Vt possit inuocatio fieri fiducia filij Dei, non fiducia nostrorum meritorum, iuxta hæc dicta: Quomodo inuocabunt, nisi credent. Item, Quicquid petieris Patrem in nomine meo, id est, id agnitione & fiducia mei, dabit uobis. Donec enim corda fugiunt Deum, & retinent iram & fremitus aduersus eum, non fit uera inuocatio. III.

Quarta causa, Vt sit conspectius discrimen Legis & Euangelij. Habet Lex suas promissiones, sed nequaquam gratuitas, ut dicitur: Qui fecerit ea, uiuet in eis. At particula, Gratis propter filium Dei, manifestè discernit Euangelium à lege. IIII.

Hæc simplicissima elementa doctrinæ in Ecclesia necesse est omnibus familiarissimè nota esse. Quare, cùm hoc loco Paulus expressè particulam Gratis posuerit, breuiter hanc sententiam repetiuimus. Et in eandem sententiam dicitur in Ecclesijs nostris, Sola fide iustificamur, id est, agnitione & fiducia solius filij Dei statuente, quòd propter eum nobis dentur remissio peccatorum, & reconciliatio, & uiuificatio per ipsum, dato Spiritu sancto, & hæreditas uitæ æternæ. *Gratis iustificari est sola fide iustificari.*

Certissimum est autem, dato Spiritu sancto multas uirtutes simul incoari, iuxta dictum: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum: Et tamen Propositio uera est, Sola fide Paulus est iustus: quia propter Mediatorem placet fide, non propter propriam dignitatem seu nouitatem. Particula ergo, Gratis, non excludit cæteras uirtutes, ne adsint, sed excludit conditionem

cludit conditionem Meriti, seu dignitatis nostræ, ut usitatè dicimus: Etiamsi multæ uirtutes simul sunt, tamen non sunt causæ, uel meritum remissionis peccatorum, seu iustificationis & acceptationis ad uitam æternam.

Hæc rectè intellecta illustrant promissionem & beneficia Christi, & afferunt pijs consolationem & accendunt ueram inuocationem, qua accedimus ad Deum fiducia filij Mediatoris.

Gratia quid. Hîc iuniores monendi sunt de corruptela uocabuli Gratiæ, quod interpretati sunt Monachi de qualitatibus infusis, ut ipsi loquuntur, cùm hîc sine ulla dubitatione significet gratuitam misericordiam. Ac suo loco alibi de usu uocabuli prolixius dictum est.

Per redemtionem, quæ est in Christo Iesu.

CVm antea dixisset, gratuitam esse misericordiam, mox addit commemorationem de Mediatore, ut intelligamus excludi nostra merita, & non meritum filij Dei, sed in illo arcano decreto de generis humani restitutione, miranda consilio temperatam esse misericordiæ iusticiam.

Temperamentum misericordiæ & iustitiæ. Immensæ misericordiæ est, quòd diuinitas non uult perire in totam æternitatem genus humanum, sicut in tota æternitate abiecit Diabolos: sed tamen ut iusticiæ quoq; Dei satisfieret pro nostro peccato, ordinata est pœna, quæ est obedientia Mediatoris innocentis: hæc est meritum & precium, propter quod & peccata nostra remittuntur, & nos Deo placemus seu accepti sumus, cùm fide nobis applicatur, ut mox Paulus de fide dicit. Et quatuor opera immensæ misericordiæ concurrunt, uidelicet, quòd recipimur propter filium, & ut recipi possimus liberrimè mittitur filius, constituitur Mediator & Propiciator, & idem filius efficax est, profert Euangelium, colligit Ecclesiam, uiuificat credentes, postea resuscitat ad uitam æternam.

Horum mirabilium consiliorum, & operum causas, & motum in tota æternitate contemplabimur in Deo: nunc, ut infantes & lactentes, utcunq; initia huius doctrinæ cogitanda sunt, agnoscenda ingentia beneficia Dei, & accipienda fide, & gratiæ agendæ sunt Deo mittenti filium, & filio passo pro nobis, & resuscitato, ac colligenti æternam Ecclesiam, & doceri & confirmari nos petamus, clamemus adsiduè, Credo Domin, esed opem fer imbecillitati meæ. Ac sæpè repetatur cogitatione argumentum primorum parentum, qui post lapsum ante editam promissionem in sensu iræ Dei sic ratiocinabantur:

Iusticia Dei est immutabilis,
Nos sumus rei:
Ergo destructio est immutabilis.

Argumentum primorum parentum. Huius argumenti solutionem nulla creatura norat, sed filius Dei intercedens pro nobis, & sese offerens ad pœnam, profert & ostendit huius argumenti solutionem, & docet quomodo congruant misericordia & iusticia. Hæc piè & reuerenter cogitanda sunt, Vt quantum malum sit peccatum, consideremus, Rursus etiam, ut beneficia Dei magnifaciamus.

Quem constituit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius.

Officia Propiciatoris. INtelligatur ergo in appellatione Propiciatoris, offerens pro nobis sua merita, & persoluens pœnam, & applicans sua merita nobis, sicut ipse Dominus inquit: Ego me pro eis sanctifico. Hæc proprietas propria huius personæ, quæ sola

sola constituta est,ut sit mediatrix, comprehenditur in omnibus his appellationibus Mediatoris,summi Sacerdotis,propiciatoris & redemtoris, nec transferendus est hic honos in ullos alios homines aut Angelos, & tota hæc doctrina fit illustrior,collata huc definitione summi Sacerdotis,quæ traditur in Epistola ad Ebræos.

Summus Sacerdos,est filius Dei,immediate ab æterno Patre missus,& ordinatus ad proferendum Euangelium & ad offerendam suam mortem, ut esset placatio iræ Patris, & precium pro alijs persoluendum iusticiæ diuinæ,& semper intercedens pro nobis,& habens promissionem,quod certò exaudiatur. *Definitio summi sacerdotis.*

Hæc definitio,& tota doctrina de sacerdotio Christi,plena est dulcissimarum consolationum, & quotidie cogitanda.

Addidit autem Paulus hoc loco singulari consilio hanc particulam: Quem posuit propiciatorem,per fidem in sanguine ipsius. Hîc enim de applicatione nos docet.

Dicunt & Papistæ, filium Dei Mediatorem, Redemtorem, & Propiciatorem esse, sed hoc ipsum postea delent, quia prorsus omittunt mentionem fidei, imò iubent te dubitare,an hæc beneficia filij Dei ad te pertineant, Videlicet,an sis in gratia,ac tantùm sic loquuntur: Christus meruit primam gratiam, id est, occasionem merendi, ut si Paterfamilias sit seruo placatus ab amico aliquo, postea autem seruus placeat suis officijs, nihil deinde ibi negocij est illi amico.Sic Papistæ sepeliunt Christum, cùm fingunt hominem postea proprijs uirtutibus iustum esse,non fide, non misericordia propter filium Dei, imputata iusticia. *Refutatio Papistarum qui delent fidem.*

At cùm Paulus nominat hîc fidem, opponit eam dubitationi, uult uinci dubitationem,uult applicationem fieri fide,uult te firmiter statuere,quòd propter hunc propiciatorem, seu propter eius obedientiam accipimus remissionem peccatorum,reconciliationem, seu acceptationem, imputata iusticia propter sanguinem Mediatoris,scilicet,donata nobis ipsius obedientia, sic ut propter eam simus iusti, id est, placentes & accepti Deo. Ita semper manet nobis filius Propiciator,propter quem placemus,non propter nostras uirtutes, quæ non possunt opponi iræ Dei. *Fides quid sit Paulo.*

Habent excellentes uirtutes,& diuinas actiones in sese,Ioseph,Elias,Elisæus, Daniel, sed has uirtutes & actiones diuinas non opponunt iudicio Dei, sed confugiunt ad Mediatorem & promissam misericordiam,& statuũt se placere Deo, per misericordiam propter Mediatorem, sicut in Psalmo dicitur: Conuertere Domine,& eripe me propter misericordiam tuam, saluum me fac. Et Daniel inquit: Non in iusticia nostra exaudi nos, sed propter Dominum per misericordam.

Ad ostensionem iusticiæ suæ propter remissionem peccatorum.

ID est, ut declaret suam iusticiam in remissione peccatorum, & sequitur postea, quòd sit iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu. Ac Paulus mox declarat,quomodo uelit intelligi uocabulum iusticiæ, cùm ait, ut sit iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu, id est, in Euangelio declaratur iusticia Dei, quòd ipse sit iustus, non nos, & iustè damnet peccatum in omnibus, sicut inquit, ut totus mundus reus sit Deo. Item, Tibi soli sum peccator & malum coram te feci,ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris. Declarat ergo Deus sese esse iustum & damnantem peccata, deinde & *Iusticia Dei.*

hoc declarat, quòd ipse iustificet, Nec ipsi nos iustificare possimus operibus legis. Iustificet autem hoc modo ipse, scilicet remissione peccatorum. Definit igitur iustificationem ut infrà, cùm citat dictum, Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum, seu reconciliationis, per fidem, qua filius Dei consolatur nos, ostendens misericordiam æterni Patris in uoce Euangelij, & liberans ex morte æterna uiuificat nos, & dat Spiritum sanctum, ac facit nos hæredes uitæ æternæ. Sicut Iohannes inquit, Qui habet filium, habet uitam. Hac definitione considerata intelligi potest, non diuelli remissionem peccatorum, & uiuificationem, Sed hæc correlatiuè se habere, Sic enim fit remissio, cùm fide accipitur, cogitata uoce Euangelij. Et hac fide intuente obedientiam filij Dei, ipse filius λόγος æterni Patris, uiuificat credentes & habitat in eis, Spiritu sancto confirmans corda. Neq; tamen fit uiuificatio aut hæc inhabitatio, nisi præluceat fides, quæ nititur obedientia filij Dei.

Definitio iustificationis.

Sed cur inquit, Præcedentium peccatorum. Hîc respondent quidam hanc particulam adiectam esse, ut sciamus in Euangelio non concedi licentiam peccandi, sed sciamus peccata remitti in his, qui agunt pœnitentiam, in quibus peccatum desinit regnare. Ac Nouatiani hoc loco abusi sunt: cùm non sequatur inde, Lapsis, si rursus conuertantur, non remitti delicta: quotiescunq; enim fit remissio, fit præcedentium peccatorum remissio: Sed hoc loco remissio peccatorum non tantùm de actualibus delictis intelligitur, sed de remissione actualium peccatorum & originalis, quo remisso in hac uita tamen morbus manet. Sed Paulus opponit hanc particulam, præcedentium peccatorum, Legi, quasi dicat, Ne Lex quidem aboleuit peccatum, sed id præcedit donec agnitione & fiducia Messiæ tollitur, sicut postea dicet, Vsq; ad legem peccatum fuit in mundo, id est, Etiam cùm Lex lata est, manserunt tamen peccatum & mors. Tollitur autem agnitione & fiducia filij Dei dupliciter, imputatione scilicet in hac uita, quia reatus tollitur, & persona fit iusta, id est, accepta fide propter Mediatorem, Et re ipsa incipit renouatio in corde per filium & Spiritum sanctum, quæ postea erit integra in resurrectione.

Nouatianorum error.

Christus dupliciter tollit peccatum.

Vbi est igitur gloriatio?

ADdit Epiphonema ex collatione contrarij. Cùm uera sit hęc sententia, homines iustos esse fide coram Deo. Sequitur nullam esse gloriationem nostram, id est, nos non habere propriam iusticiam, seu Legis impletionem seu meritum. Estq; perspicua confirmatio nostræ interpretationis, hæc ipsa Antithesis. Si essemus iusti impletione Legis, haberemus gloriam & meritum, Sed hanc gloriam & meritum expressè detrahunt nobis hæc dicta, Psalm 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Iob, Verè scio, quòd non sit homo iustus coram Deo. Et Paulus dixit, omnes carent gloria Dei. Item, ut totus mundus reus sit Deo.

Est igitur perspicua antithesis, Ergo cùm simus iusti sola misericordia, non habemus gloriam propriæ iusticiæ in iudicio Dei. Sępè autem iam dictum est, has propositiones correlatiuè intelligendas esse, per misericordiam propter filium Dei sumus iusti, id est, fiducia misericordiæ propter mediatorem, Vt Romanorum 4. correlatiuè connectit promissionem & fidem, Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio: inquit igitur Paulus exclusam esse gloriationem Lege fidei, id est, doctrina de fide, quæ affirmat nos per misericordiam propter

Lex fidei.

pter Mediatorem iustos esse, & acquiescit in Deo propter Mediatorem, non propter propriam dignitatem. Excludit ergo propriam dignitatem & meritum. Hanc esse natiuam & simplicissimam enarrationem congruentem uniuersæ Prophetice scripturæ, nihil dubium est, Sic orat Daniel, Exaudi nos non propter nostram iusticiam, sed per misericordiam propter Dominum: & Dauid inquit, Saluum me fac propter misericordiam tuam: sic accedamus ad Deum quotidiè in inuocatione fiducia Mediatoris, non fiducia nostræ dignitatis aut iusticiæ essentialis.

Nota sint & hæc rectè dicta scriptorum, Augustinus inquit: Totius fiducie certitudo esse debet in precioso sanguine Christi: Et Basilius inquit in concione de humilitate, Pag. 388. Dicit autem Apostolus, Qui gloriatur in Domino glorietur, dicens, quòd Christus nobis sit sapientia à Deo, iusticia, & sanctificatio & redemtio, sicut scriptum est: Qui gloriatur in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter suam iusticiam aliquis extollitur, sed agnoscit sese carere uera iusticia, Sola autem fide in Christum iustificari. Hæc congruunt cum hoc dicto. Exclusa est gloriatio per doctrinam de fide: Hanc opponit Legi operum, quæ est doctrina præcipiens integram obedientiam, & docens iusticiam esse, habere integram obedientiam, sicut infrà inquit capite 10. Moises describit iusticiam quæ ex lege est, qui fecerit ea, uiuet in eis. Nominat ergo legem operum, doctrinam legis, id est, ipsam legem sic propriè dictam, de qua alibi dicitur, Lex iram efficit. Libenter autem usa est illa gens nomine legis, quare sæpè generaliter pro doctrina, seu pro uerbo Dei usurpatur, ut in toto Psal. 118. Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini. Item, Pax multa diligentibus legem tuam, & non est eis scandalum.

Augustinus. Basilius.

Lex operum.

Adseueramus igitur fide iustificari hominem sine operibus.

EPiphonemati adiecit Conclusionem, in qua breuiter repetit summam propositionis, & iterum inculcat Exclusiuam. Nam ad hoc repetitiones conducunt, ut sciat lector non obiter eam particulam dicenti excidisse, sed seriò & re deliberata uelle eum hoc, quod toties inculcat. Nec obscuritas est in dicto Pauli, Sed uerborũ proprietas retineatur. Puerile est, quòdquidam disputãt de uerbo arbitramur: Nam Græcè λογιζόμεθα significat assеueration em collectam ex præcedenti copulatione. Fides significat assensionem, qua amplectimur promissionem gratiæ, quæ in Euangelio propter Mediatorem offertur, & est fiducia promissæ misericordiæ, ut hæc uocabuli enarratio sæpè tradita est: ut Ephesios quarto, Paulus enarrat unum uocabulum multis: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius, ut & Psalmus loquitur: Beati omnes qui confidunt in eo.

λογιζόμεθα quid.

Fides.

Iustificari significat accipere remissionem peccatorum & reconciliationem, & imputationem iusticiæ seu acceptationem, cum qua simul est efficax filius Dei, dicit consolationem uoce Euangelij in mente, & ostendit uoluntatem Patris, & uiuificat credentem, ac effundit Spiritum sanctum in cor, sicut 1. Iohan. 4. dicitur: In hoc cognoscimus, quòd in ipso manemus & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis. Est igitur sententia propositionis: Assеueramus hominem accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, & imputationem iusticiæ, propter filium Dei Mediatorem per misericordiam gratis, non propter Legem, seu nostras uirtutes, seu opera. Et hanc misericordiã accipi oportet

Iustificari.

oportet fide, Hanc ſimplicem ſententiam cùm uerba Pauli gignant, ſimus diſcipuli ſermonis diuini, & retineamus natiuum intellectum uerborum.

Fide iuſtificari monachis quid ſit.

Nihil ſignificat monachis fide iuſtificari, quia fidem intelligunt tantùm noticiam, qualis eſt & in Diabolis. Adfingunt igitur hanc ſynechdochen, fide iuſtificamur, ſcilicet formata, dicunt doctrinam initium eſſe, ſed poſtea hominem eſſe iuſtum dilectione, id eſt, obedientia quam Legi præſtat. Ideo addunt Paulo hanc particulam, fide homo iuſtificatur, ſcilicet formata per dilectionem. Et hoc ſomnio declarant appellationem. Vt cùm anima corpori infunditur uiuit corpus, ſic dicunt noticiam fieri uiuam, cùm accedit reliqua obedientia. Hæc imaginatio, prorſus corruptela eſt, Nam fides non dicitur uiua propter dilectionem. Eſt enim motus diuinus, quo cor ex pauoribus liberatur, & acquieſcit in Deo, agnita miſericordia propter Mediatorem, deſinit fugere Deum, & clamat Abba Pater, nec accipit uitam à dilectione, quæ ſequitur, ſed eſt cauſa dilectionis. Ideo enim diligitur Deus, quia miſericordia propter filium promiſſa agnita eſt, qui pro nobis orans, inquit, Sit dilectio tua in eis, quæ me diligis.

Excluſiua monachis quid ſit.

Monachi Excluſiuam ſine operibus ſic reſtrinxerunt, Sine operibus, uidelicet, ceremonialibus & forenſibus Moiſi. Et interea retinent hanc propoſitionem, opera moralia mereri remiſſionem, hominem iuſtum eſſe propter opera moralia coram Deo. Hæc tota corruptela Monachorum reiicienda eſt, & conſtanter hæc uera ſententia retinenda eſt, quam toties Paulus repetit, cùm utitur Excluſiua, Gratis: uidelicet, homines nec mereri remiſſionem peccatorum propriis operibus moralibus aut alijs, nec coram Deo iuſtos eſſe propter bona opera moralia, ſeu propter uirtutes proprias, neq; ante renouationem, neq; poſt renouationem in hac uita, nec habere in hac uita integram obedientiam Decalogi, Ideo ſuprà dictum eſt, Totus mundus reus ſit Deo. Et in Pſalmo dicitur: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et Iob inquit Cap. 9. Verè ſcio, quòd non ſit homo iuſtus coram Deo. Hæ perſpicuæ confeſſiones non ſic corrumpendæ ſunt. Non eſt homo iuſtus coram Deo ceremonijs, Sed eſt iuſtus, quia habet perfectam obedientiam Decalogi. In tali imaginatione manifeſtum eſſet mendacium. Neceſſe eſt enim fateri omnes homines natos in hac naturæ immunditie, non habere ſe perfectam obedientiam Decalogi. Oſtendit igitur Euangelium, Mediatorem & miſericordiam, ac adfirmat homines iuſtos eſſe, id eſt, habentes remiſſionem peccatorum, & placentes Deo propter mediatorem per miſericordiam, Gratis, fide, id eſt, fiducia miſericordiæ acquieſcente in Deo propter Mediatorem. Itaq; aduerſus corruptelam Monachorum, qui tantùm ceremonias excludunt, opponenda eſt particula, Gratis, quæ teſtatur nec moralia opera mereri remiſſionem peccatorum, Nam reconciliatio neq; gratuita, neq; certa nobis eſſet, ſi pendêret ex conditione impleti Decalogi. Quare & poſtea inquit Paulus, Ideo ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio.

Corruptelem monachorum de iuſtificatione.

Deinde & expreſſa confeſſio non impleti Decalogi opponatur corruptelæ Monachorum, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Hac confeſſione poſita, manifeſtum eſt reconciliationem dari propter Mediatorem, non propter noſtras uirtutes, & accipi eam fide. Hæc eſt ſententia Excluſiuæ in in noſtris Eccleſijs etiam, cùm dicimus hominem iuſtificari ſola fide.

Hîc & corruptela Oſiandrica refutãda eſt, quę eſt ſimilis ſynecdochę monachorum,

chorum,iuſtificamur fide præparatiuè,ut ſi dicas, Motus calefacit, ſcilicet præparatiuè,ſed poſtea calore ſumus calidi,Sic contendit Oſiander dici,fide iuſtificamur,id eſt, fides præparat nos, ut poſtea alia re ſimus iuſti, ſcilicet Nouitate. Quanquam autem nouitas ſequitur,& uerum eſt,hominem fieri templum Dei & habitare Deum in conuerſis ſeu renatis,tamen retinenda eſt hæc conſolatio, quòd conuerſi ſeu renati ſint iuſti fide gratis,propter obedientiam Mediatoris, non propter ſequentem nouitatem aut iuſticiam eſſentialem, ſed propter Mediatorem. Hanc conſolationem retineri neceſſe eſt in hoc dicto, Iuſtus fide ſua uiuet.

Intueamur uerum agonem conſcientiæ in conuerſione,& deinceps in magna lucta,& cogitemus quæ ſit uera conſolatio.Hîc certiſſimum eſt omnes Prophetas, & omnes ſanctos ſtatuere, quòd per miſericordiam Deo placeant, & hanc miſericordiam promiſſam & certam eſſe propter Mediatorem, & fidem niti obedientia Mediatoris,non iuſticia eſſentiali.Hæc manifeſta ſunt etiam ex hoc dicto ad Epheſios: Per ipſum audemus accedere in fiducia per fidem in ipſum. Et quanquam uerum eſt, in ea conſolatione fieri uiuificationem, & Deum accendere nouas actiones in homine, tamen credens in infinitum antefert obedientiam Mediatoris his actionibus Dei, quæ iam in renato fiunt. Hæc ſunt perſpicua conſideranti diſcrimen legis & Euangelij,& conſolationes in uera conuerſione.

Omnes Prophetæ & ſancti per miſericordiam Deo placent.

An igitur Legem abolemus? Abſit.

CVr inquit ſtabiliri legem, cùm iam Politia Moiſi funditus deleta ſit horribili ira Dei? An hoc non eſt abolere legem? Et decretum Apoſtolorum, quod recitatur in Actis Capite 15. in quo expreſſè pronunciatur, Ceremonias Moſaicas non eſſe iuſticiam de qua concionatur Euangelium,nec res neceſſarias eſſe in Eccleſia filij Dei, factum & editum eſt antequam Paulus hanc Epiſtolam ad Romanos ſcripſit, quia decretum illud factum eſt priuſquam Paulus in Europam traiecit. Et hæc Epiſtola ſcripta eſt à Paulo, cùm in urbe Corintho eſſet. Sed facilis eſt explicatio conſideranti hæc dicta, Chriſtus eſt finis Legis. Item,Non ueni ſoluere legem,ſed implere. Tota lex ſignificat Chriſtum,ut manifeſtum eſt,uictimas fuiſſe typos & umbras uenturæ uictimæ,cuius obedientiam mirando conſilio Deus uoluit eſſe precium pro nobis.Exhibita autem uera uictima,exhibetur id quod ſignificauerant typi,ſcilicet, reconciliatio & iuſticia per Mediatorem,quæ agnitione & fiducia Mediatoris accipitur. Facilè intelligi poteſt, Chriſtum finem eſſe Ceremoniarum, quia certè typi ſunt propter ſignificatam uictimam.

Tota lex ſignificabat Chriſtum.

Et tota Politia umbra eſt æterni regni ſeu æternæ Eccleſiæ. Cùm igitur Meſſias exhibet æternum Regnum,cedit umbra rei ſignificatæ. Et quidem omnia miracula defenſionis & conſeruationis illius Politię ſunt teſtimonia de uenturo Meſſia.

Sed has partes legis omitto, Præcipuè enim de Lege morali hîc dicitur, quia loquitur de Lege,quę ſignificat iuſticiam & arguit peccatum.Chriſtus eſt finis etiam legis moralis,quia Lex Moralis eſt horribile teſtimonium & iudicium in natura hominum aduerſus peccatum, & arguit ream naturam, non liberat, Teſtatur ergo opus eſſe Mediatore & ſignificat iuſticiam,quam Mediator adfert.Hæc omnia minus intelligimus in hac noſtra caligine, quia de Lege morali, humanæ mentes nimis puerilia ſomnia habent, cogitamus qualecunq;

Lex moralis teſtatur opus eſſe mediatore.

frenum

frenum esse regens externos gestus, & fremimus aduersus hoc uinculum, & mallemus uagari opinionibus & cupiditatibus sine ullis metis. Hæc tristissima mala in hominum natura, non satis agnoscimus, Postea fingimus quamlemcunq; externam disciplinam esse legis impletionem, & iusticiam. Cùm igitur non satis cogitemus, quid sit lex Dei, & quare naturæ hominum insita sit, quare uoce Dei repetita sit, & quòd ad eam condita sit natura hominum, & ad eam restituatur per filium Dei, Et quàm dissimilis sit legi natura hominum: propter hanc nostram caliginem dicta Pauli uidentur nobis obscura, & interdum accidit in Enarrationibus, id quod in Prouerbio dicitur, ut sonet Aliud Pes, Aliud Cithara.

Lex moralis, quæ non aboletur in Euangelio.

Non imaginemur legem moralem esse decretum simile Spartanæ legi de ferreo Numo, quod non solùm mutari & aboleri potuit, sed etiam facilè & commodè mutatum est. Sed sciamus legem Dei, quæ nominatur moralis, esse æternam & immotam sapientiam & normam iusticiæ in Deo, patefactam rationali creaturæ, & postulantem, ut rationalis Creatura sit conformis Deo, & destruentem omnes non conformes. Hæc æterna sapientia Dei nequaquam aboletur in Euangelio. Et sicut hominum natura, mirando consilio ad hanc sapientiam & conformitatem cum Deo condita est, ita uult Deus restitui nos ad hanc ipsam lucem & conformitatem per filiũ. Ideo Christus dicitur esse finis legis. Et hîc Paulus inquit, Fide legem stabilimus, quod de Lege morali sic interpretor. Etsi autem iudico nostram interpretationem ueram esse, & congruentem cum Paulo, tamen fateor me amplitudinem sapientiæ Apostolicæ non satis explicare posse. Deploro gemens meam caliginem, & doleo in hac barbarie uitæ impediri etiam cogitationes de tantis rebus.

Augustini enarratio.

Scio Augustinum hac enarratione sæpè uti, Per fidem lex stabilitur, id est, impetratur auxilium, ut legi obedire possis. Hæc enarratio ualdè tenuis & mutila est. Etsi uerum est dari Spiritum sanctum in consolatione, in qua fide acquiescimus in Mediatore, & accendi motus tales à Spiritu sancto, qualis ipse est: tamen hæc incoata obedientia in nobis adhuc procul abest à perfectione legis. Rectè dicit Osiander, deum habitare in credentibus, sed simul adhuc in hominibus magna moles est peccati. Tunc cùm Deus erit omnia in omnibus, id est, cùm fulgebit in beatis, in quibus non erit peccatũ, ibi intelligemus quid sit legis impletio, Ibi erimus iusti Deo fulgente in nobis. Sed in hac uita in tanta infirmitate sic accedimus ad Deum, ut ad Misericordiam propter Mediatorem promissam confugiamus, & tegamur à Mediatore, sicut in Esaia nominatur Mediator umbraculum: Et Paulus inquit. Per hunc audemus accedere, in fiducia, per fidem in ipsum. Sic igitur utcunq; docendi causa dico, legem stabiliri fide tripliciter.

Fides tripliciter stabilit legem.

I. Primùm, confessione ueritatis, quòd sit Lex Dei iustè iudicans & damnans nos, & quòd nostra iusticia non mereatur reconciliationem, nec sit Legis impletio.

II. Secundò, imputatione iusticiæ propter Mediatorem. Quia enim fide agnoscimus Mediatorem, & credimus nobis propter eum dari remissionem peccatorum & reconciliationem, & nos reputari iustos propter ipsius obedientiam, sumus iusti & accepti Deo in hac uita propter obedientiam filij, fide. Stabilitur ergo Lex, quia agnoscimus Legem non esse inane murmur, sed pœnam pro genere humano fuisse persoluendam, & hanc persolutionem nobis donatam

donatam esse. Regula est autem stabiliri & confirmari Leges pœna. Et quanquam in hac uita incoatur obedientia, tamen adhuc procul absumus à perfectione legis, sed reputamur iusti, id est, habentes remissionem peccatorum & reconciliationem propter Mediatorem fide, Sic habemus hoc quod lex significabat, non nostra impletione tolli iram Dei, & fieri reconciliationem, sed Mediatoris obedientiam donari credentibus, Sic Rom. 5. dicitur, Iustificati sanguine eius, saluabimur per eum ab ira.

Tertiò, stabilitur lex fide, iuxta dictum ad Galatas: Nos Spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus, id est, Reconciliati fide habebunt integram iusticiam in lege significatam. Certissimum est enim in lege non tantùm significari incoationem, quæ fit in hac uita, sed significari perfectam conformitatem cum Deo, quæ erit, cùm Deus erit omnia in omnibus, id est, cùm sese nobis communicabit in clarissima luce, & uiuificabit nos uita æterna, & fulgebunt in nobis ipsius sapientia, iustitia & lætitia, & nequaquam simul erunt in nobis reliquiæ peccati. III. *Lex perfecta conformitas cum Deo.*

Hoc consummatum beneficium intueamur, cùm dicitur, Non ueni soluere legem, sed implere. Item, Iehoua iustitia nostra. Et simul sciamus in hac uita credentes habere initia æternæ uitæ, iuxta dictum: Qui habet filium, habet uitam. Id intelligatur ordine, & de initio, & de uita æterna in illa cœlesti Ecclesia. Habet autem filium in hac uita, quisquis in uera conuersione, credit se propter obedientiam Mediatoris habere remissionem peccatorum, reconciliationem & imputationem iusticiæ. Hac consolatione cùm erigitur, filius æterni Patris immediatè est efficax uoce Euangelij, & uiuificat credentem, & effundit in cor Spiritum sanctum, quo lætitia acquiescens in Deo, dilectio Dei & uera inuocatio accenduntur. Hæc sunt initia uitæ æternæ: sic concionatur & Dominus, inquiens: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Primùm iubet filius se audiri, & accipi uocem Euangelij. *Habere filium quid.*

Ita orditur sanationem à uoce Euangelij. Credentem autem diligit Pater. uide proprietatem orationis. Etsi nondum in hac uita sine peccato sumus, tamen credens diligitur à Deo, est iustus, quia Pater eum per misericordiam propter filium Mediatorem recipit, & imputat ei iusticiam. Vt autem & natura nostra restituatur, simul hoc fit. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus: æternus Pater misit filium ad proferendam uocem Euangelij arcanam & ignotam omnibus Creaturis, Et per hunc filium immediatè colligit Ecclesiam uoce Euangelij. Hic filius immediatè est efficax, cùm fit consolatio uoce Euangelij uerè adest λόγος, & ostēdit Patrem, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi filius, & cui filius uolet reuelare. Et tunc simul Pater & filius effundunt Spiritum sanctum in cor credentis, Datur enim Spiritus sanctus per filium, cùm uoce Euangelij fit consolatio. Et nota sit sententia Athanasij, In quocunq; dicitur esse Spiritus sanctus, ibi est per Verbum. Quare & infrà fit utriusq; personæ mentio, Romanorum 8. capite: Siquidem Spiritus Dei habitat in uobis. Item, Si Christus est in uobis: Et ipse inquit: Ego sum uitis, nos palmites, Qui manet in me, & Ego in eo. Verè ergo λόγος filius Dei adest in credente, & est efficax uoce Euangelij. Sic & ad Ephesios tertio dictum est, Vt habitet Christus per fidem in cordibus uestris. *Explicatio dicti: si quis diligit me &c.* *Quando & per quem datur Spiritus sanctus.*

Hæc immensa beneficia Mediatoris omnia complectitur Paulus cùm in-

Legem fide stabiliri quid sit.

quit, legem fide ſtabilimus, uidelicet & imputatione iuſticiæ & præſentia Dei in credentibus, qui & in hac uita accendit nouam lucem, & nouos motus in cordibus, & poſtea dat uitam æternam, in qua iuſticia Dei, ſignificata in lege, erit in nobis integra, quæ deſcribitur his uerbis in lege. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima &c. Ac in quotidiana inuocatione cogitamus de his maximis rebus, de omnibus beneficijs filij Dei ordine, quòd miſſus ſit, ut colligat æternam Eccleſiam, quòd uerè adſit & ſit efficax uoce Euangelij, quòd propter eum æternus Pater recipiat nos, & ſimul adſit in nobis, & uelit nobis miſeris opitulari & uerè per filium det Spiritum ſanctum, ut gubernet nos. Hæc beneficia cùm petimus, tunc fit hoc quod Paulus hîc inquit, Legem fide ſtabilimus, quia hæc uera inuocatio eſt initium nouæ obedientiæ.

Noua obedientia quomodo incoetur & placeat.

Simul autem cogitemus communem doctrinam, quòd Perſona ſit iuſta fide propter Mediatorem in hac uita, etiamſi adhuc natura noſtra ualdè diſſimilis eſt legi Dei. Hanc fidem prælucere oportet nouæ obedientiæ. Deinde ſciendum eſt etiam, quomodo & incoëtur & placeat Deo noua obedentia. Incoatur, quia uerè habitat Deus in corde credentis, & placet Deo, quia perſona propter Mediatorem ſola fide placet, & credit hanc ipſam obedientiam Deo placere, non quia legi ſatisfaciat, ſed propter Mediatorem, qui eſt ſummus Sacerdos adſiduè pro nobis interpellans. Quanquam igitur propter ingentem infirmitatem noſtræ naturæ in hac uita, hæc incoata obedientia ualdè languida & ſqualida eſt, tamen illo modo, ut dictum eſt, placet Deo, & nominatur Iuſticia & Sacrificium.

Antinomos refutat conuerſio piorum.

Fit magis perſpicua hæc tota doctrina, cùm piè cogitatur in quotidiana inuocatione, in ueris doloribus & exercitijs conuerſionis, in quibus ipſi gemitus piorum refutant etiam furores Monachorum & Antinomorum. Monachi fidem non intelligunt aliud, niſi noticiam hiſtoriæ, & iubent homines ſemper dubitare an placeant Deo. Poſtea fingũt opera ſua eſſe impletionem legis & merita uitæ æternæ, & multos errores cumulant, quorum falſitas conſpicitur in ilſis ipſis doloribus piorum. Refutantur & Antinomi, ſentiunt enim pij ſe iudicari lege Dei, ſentiunt in pœnis publicis & priuatis iram Dei iuſtam, quæ eſt legis executio, & fatentur idem quod Propheta inquit: Propter iniquitatem corripis homines. Non cogitant legem, iudiciũ Dei, iram Dei, inania uocabula eſſe.

Intueamur ergo in lectione Paulina ueram conuerſionem, non quid audaciſſimè fingant Epicurei, qui ſunt Antinomi, nec quid ſimulent Monachi, qui iactitant ſe legi Dei obtemperare aut etiam ſatisfacere, imò & perfectos eſſe, cùm reuera mentes ſint Epicureæ & derideant Deum, & hanc ſimulationem ad quæſtum conferant.

Caniſij error de perfectione

Magis eſt impudeus etiam Cynicus in Auſtria, qui recèns renouauit ſcriptis errores de perfectione, Nominat perfectionem Monachorum mendicitatem, quam ſcit aucupium eſſe artificioſè inſtitutum, non tam ad paſcendum uentrem, quàm ad potentiam quærendam. Sed te fili Dei Domine Ieſu Chriſte, qui uerè colligis æternam Eccleſiam uoce Euangelij oro, ut ueritatem tuam illuſtres & reprimas omnes impiorum furores. Tu uides quanta ſit & rabies, & potentia hoſtium ueritatis, Te ſupplex obteſtor propter tuam gloriam, ut ueritatem tuam illuſtres, & nos gubernes, & in nobis accendas & augeas lucem tuam, & deleas mendacia & blaſphemias, quas Cyclopica prophanitate contra te multi & dicunt & defendere conantur.

Vt

Vt autem hoc loco Paulus inquit, fide legem ſtabilimus, ita inquit Dominus, Non ueni ſoluere legem, ſed implere. Græca phraſis eſt λύειν νόμον, quod ſignificat, non tantùm delictum admittere contra legem, ſed ipſam legem abolere, ut cùm dicimus, Cicero Conſul aboleuit legem Agrariam. Adfirmat igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſe non ueniſſe ut legem aboleat, ſed ut impleat. *Soluere legem*

Implet autem quatuor modis. Primùm propria obedientia quæ eſt integra. Secundò deriuando in ſeſe pœnam, quam nos legi debuimus. Adeo enim uult Deus ratam eſſe legem ſuam, quæ eſt æterna ſapientia & norma iuſticiæ in ipſo, ut quanquam per miſericordiam recipit homines, tamen ita ſit copulata iuſticia, ut legi ſatisfieri & perſolui pœnam pro nobis uoluerit. Hîc cogitent Antinomi, ſi non ſunt Epicurei, quid ſit lex, & quare uoluerit Deus eſſe ratam, cùm non receptum ſit genus humanum, niſi filius pro nobis pœnam ſolueret. Hoc mirandum conſilium, legis autoritatem, iuſticiæ & miſericordiæ temperamentum, & magnitudinem amoris in filio Dei erga nos, & in æterno Patre erga filium & erga nos, in illa æterna Academia contemplabimur. Nunc tamen uult Deus nos huius ſapientiæ prima elementa diſcere. Fateor de tantarum rerum magnitudine meam orationem longè tenuiorem eſſe, quàm eſſe debebat, Sed tamen qualicunq; clamore ſignifico indignationem aduerſus Hypocritas, Monachos, & Antinomos, qui de lege Dei ſcurriliter loquuntur. *Chriſtus implet legem 4. modis.* I. II. *Contra Antinomos.*

Cùm autem ſignificat Dominus ſe pro nobis legi Dei pœnam perſoluere, ſimul complectitur doctrinam de remiſſione peccatorum, & de reconciliatione, de imputatione iuſticiæ. Quia enim pœnam pro nobis perſoluit, & nobis placat iram æterni Patris, donantur credentibus propter ipſius ſacrificium, remiſſio peccatorum, reconciliatio, imputatio iuſticiæ, uiuificatio per filium & Spiritum ſanctum, & donatio uitæ æternæ.

Tertiò implet filius Dei legem Effectione ſeu reſtitutione in nobis. Adeo enim uult Deus ratam eſſe Legem, ut ideo filium miſerit, ut & pœnam pro nobis lueret, & reſtituat in nobis obedientiam ſeu conformitatem cum ipſo, quæ quidem in hac uita incoatur. Sed in Eccleſia cœleſti erit integra, cùm Deus erit omnia in omnibus beatis. III.

Quartò, Implet filius Dei Legem Moralem, docendo, ſeu ſanciendo, ſeu repetendo Decalogum. Etſi enim non eſt miſſus ut ſit Legis conditor, Nam Lex antea initiò fuit inſita rationalibus creaturis, & poſtea ſemper in Eccleſia diuinitus repetita eſt, & quidem in ſola Dei Eccleſia ſemper Lex ſine corruptelis retenta eſt: tamen ipſe eam repetit, & teſtatur hoc eſſe iudicium Dei, arguens peccata, & oſtendens ueros cultos, & eam enarrat, & detergit Phariſaicas ſordes, quibus legem & tunc & omnibus temporibus Hypocritæ corrumpunt. IIII. *In ſola Eccleſia Lex manſit integra.*

CAPVT IIII.

Quid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem?

IN quarto capite incoatur Confirmatio propoſitionis, ſumta ex exemplo Abrahæ & primo dicto, in quo expreſſè fit mentio iuſticiæ fidei. Vult enim Paulus oſtendere doctrinam in Euangelio proponi non ignotam ueteri Eccleſiæ, Prophetarum & Patrum, ſed unam perpetuam & conſentientem uocem eſſe Patrum, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, ſicut ipſe Dominus inquit: Abraham uidit diem meum & lætatus eſt. *Propoſitionis confirmatio.*

5. *Argumenta confirmantia iusticiam fidei*

Etsi autem hæc confirmatio tota nascitur ex dicto illo, credidit Abraham Deo &c. tamen quia circumstantiarum explicatio gignit multa argumenta, distribuemus eam in hæc quinq; argumenta, quæ sint in conspectu, & ut nos de doctrina confirment, & in quotidiana inuocatione & consolatione exuscitent fidem, quia non potest fieri inuocatio, nisi præluceat hæc fides, quòd recipiamur & exaudiamur propter filium, & quidem propter obedientiam filij.

PRIMVM ARGVMENTVM.

I. Abraham non fuit iustus propter opera coram Deo, sed fide, Ergo nec cæteri sunt iusti propter opera, sed fide. Valet consequentia, Quia Abraham ut exemplum doctrinæ proponitur. Antecedens probatur ex dicto : Credidit Abraham Deo.

SECVNDVM.

II. Iustificatio est imputatio iusticiæ, qua Deus per misericordiam nos recipit & uiuificat, Non igitur sumus iusti nostris operibus aut meritis.

TERTIVM.

III. Iustificatio est remissio peccatorum, qua Deus nos recipit & uiuificat propter Mediatorem, & per eum, Igitur non sumus iusti nostris operibus aut meritis.

QVARTVM.

IIII. Abraham est fide iustus ante circumcisionem, Ergo non est iustus circumcisione.

QVINTVM.

V. Oportet promissionem gratiæ seu reconciliationis esse certam.

Promissio pendens ex conditione Legis fit incerta, quia Lex iram efficit, Igitur, Promissio gratiæ non pendet ex conditione legis, sed gratis datur, & fide accipienda est.

Si enim Abraham ex operibus &c.

PRimùm expressa asseueratio in textu consideranda est, quòd apertè affirmat Paulus, Abraham non fuisse iustum coram Deo propter opera sua, sicut & suprà dictum est : Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro. Et nihil dubium est complecti Paulum opera moralia, Nam & Abraham antecessit politiam Moisi annis quadringentis & triginta uel circiter.

Deinde consideretur accommodatio dicti : Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Alibi citat hæc dicta: Iustus fide sua uiuet. Item, Qui credit in eum non confundetur. Hîc autem recitat primum dictum, in quo expressè fit mentio fidei. Vult enim & hoc ostendere, non afferri nunc doctrinam ignotam Ecclesiæ Patrum & Prophetarum, sed eandem in uera Ecclesia doctrinam de iusticia semper fuisse. Vt autem accommodatio rectè intelligatur, cauillationes refutandæ sunt, quæ opponuntur, quarum prima hæc est.

PRIMA CAVILLATIO
aduersariorum.

Aduersarij dicunt Paulum abuti hoc dicto, quia ibi dicitur de fide expectante posteritatem, At Euangelium loquitur de fide agnoscente Christum crucifixum & resuscitatum, & accipiente remissionem peccatorum, Ergo de alia fide Moises, de alia Paulus loquitur.

Respondeo,

Respondeo, de omnibus exemplis in quibus laudatur fides, ut Gedeon, Dauid, credunt Deum ipsis præliantibus affuturum esse: Etiam cùm res externa petitur & expectatur, semper tamen oportet prælucere hanc fidem, qua accipitur reconciliatio propter Mediatorem, iuxta dictum, Nemo potest uenire ad Patrem nisi per Filium. Item Rom. 5. Per hunc habemus accessum fide. Semper igitur primum & principale obiectum fidei est Deus non irascens, sed propter filium nos recipiens, & prima lucta est, An Deus uelit te recipere. *Promissionibus corporalibus debet prælucere fides de æternis.*

Cumq; iam credimus eum esse propicium, postea expectamus ab eo cætera beneficia. Gedeon, Dauid nõ possent à Deo petere uel expectare uictorias, nisi prius crederent se receptos esse & placere Deo. Sciunt autem ex promissione, quòd recipiantur homines per misericordiam propter Mediatorem, iuxta dictum, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et sicut certum est Ecclesiam colligi propter filium, ita norunt sancti & promissiones bonorum corporalium traditas esse propter filium, quia Ecclesiæ necessaria sunt, Ideo 2. Corin. 7. dicitur, Omnes promissiones in Christo ratæ sunt.

Discernantur ergo obiecta fidei: primum & principale est Deus propicius propter Mediatorem, Postea possunt accedere alia externa obiecta, Vt Abraham petit protectionem inter impias gentes, petit posteritatem & conseruationem Ecclesiæ. Denicq; in quotidiana inuocatione singuli multa complectimur, sed uno & eodem modo ad Deum accedunt omnes sancti, scilicet, Credentes Deum esse propicium propter Mediatorem, sicut ipse Dominus inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. *Obiectio fidei.*

Iam considerentur uerba Textus: In capite 12. Gene. dicit Dominus, Benedicam tibi. Item, In te benedicentur omnes gentes. Postea in capite 15. dicitur: Noli timere, ego protector tuus & magna merces ualde. In his dulcissimis promissionibus manifestè ostenditur reconciliatio, Et norat Abraham primam promissionem, Semen mulieris conteret caput serpentis. Et quidem sciebat hãc promissionem, iam restringi ad suam posteritatem, quia dictum erat: In te benedicentur omnes gentes. Accipit igitur simul & promissionem reconciliationis, & seminis benedicti, & posteritatis, id est, propagandæ Ecclesiæ.

Has promissiones cùm fide accipiat manifestum est, eandem esse fidem Abrahæ & Pauli, & omnium sanctorum in uera Ecclesia accipientem reconciliationem propter Mediatorem. Ideo & Dominus inquit: Vidit Abraham diem meum, id est, agnouit in promissione Mediatorem & fiducia Mediatoris accepit remissionem peccatorum, & liberatus est ab inferis & ab ira Dei. Credidit Abraham Deo &c. *Fides Abrahæ & omnium sanctorum eadem.*

Hæc responsio uera & firma est, sicut & experientia testatur in omnium piorum cordibus.

Idem textus in Moise ostendit, quid ibi nominet fidem, uidelicet non tantùm noticiam de Deo, qualis est in Diabolis, uel in Ethnicis, quòd sit Deus, quòd sit conditor mundi, sapiens, uerax, iustus, castus, postulans obedientiam congruentem ipsius sapientię & uoluntati, & iudicans ac puniens inobedientes, Sicut Latomus Louanienſis inquit, Non aliam fuisse in Abraham fidem, quàm qualis fuit noticia in Cicerone aut in Xenophonte. Sed hic textus in Moise antea recitauit promissiones. In te benedicentur omnes gentes. Item, Noli timere ego protector tuus &c. *Latomi error de fide Abraham.*

Cùm igitur inquit, Credidit Abraham, necesse est hoc referri ad præce-

dentes promiſſiones,Nam & fides eſt aſſentiri omni uerbo Dei patefacto. Qua re neceſſariò & manifeſtè ſequitur fidem Abrahæ non tantùm fuiſſe noticiam hiſtoriæ,ſed etiam noticiam & aſſenſum, quo promiſſiones amplexus eſt. Non loquuntur Moiſes & Paulus de mutilata fide,quæ eſt tantùm noticia hiſtoriæ, ſed de hac fide,quæ eſt hiſtoriæ & promiſſionum noticia,& eſt aſſenſus ac fiducia,qua promiſſionem amplectimur, & corda acquieſcunt in Mediatore promiſſo, ſeu in Deo promittente propter Mediatorem, Ideo & Paulus mox in hoc capite promiſſionem & fidem copulat, ut oſtendat ſe de ea fide loqui, quæ promiſſionem accipit, qua Deus propter Mediatorem omnibus credentibus promittit remiſſionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iuſticiæ, ſanctificationem per Spiritum ſanctum & uitam æternam.

Fides Abrahæ qualis.

Cùm igitur perſpicuum ſit,quid Moiſes & Paulus nominent fidem,refutatio cauillationum,quæ obijciuntur manifeſta eſt,quales ſunt.

Dæmones credunt & non ſunt iuſti,
Non igitur iuſtificantur homines fide. Item,
Nulla natura eſt iuſta ſola noticia,
Fides eſt tantùm noticia,
Nemo igitur fide iuſtus eſt. Item,
Fides eſt opus, Ergo,
Operibus iuſti ſumus.

Refutatio argumentorum quæ obijciuntur.

Harum obiectionum explicatio declarat uocabulum fidei, Nec fingimus præſtigias aut ſubtilitates, ſed illuſtramus natiuam uocabuli ſignificationem in ſermone Prophetarum & Apoſtolorum, Eſt igitur reſponſio ad primam obiectionem.

I.

Fides Dæmonum mutilata.

Dæmones credunt, ſed mutilata fide, id eſt, tenent noticiam hiſtoriæ, & ſciunt filium Dei horribili iudicio puniturum eſſe omnes Diabolos, nequaquam autem amplectuntur promiſſiones, non ſtatuunt ſibi remitti peccata, Ideo furenter oderunt Deum & Chriſtum,& ſentiunt pœnas,& metuũt triſtiores cruciatus. De hac fide nõ loquitur Paulus,cùm inquit,Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum,Sed de fide,quæ non ſolùm eſt noticia hiſtoriæ,ſed etiam promiſſionem amplectitur, & eſt fiducia acquieſcens in Mediatore. Ideo uſitata apud nos definitio eſt: Fides eſt aſſentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atq; ita Promiſſioni gratiæ,& eſt fiducia acquieſcens in promiſſione, id eſt, in Deo promittente propter Mediatorem.

Fides quid.

II. SECVNDVM ARGVMENTVM.

Nulla natura eſt iuſta ſola noticia,
Fides eſt tantùm noticia, Ergo,
Non ſola fide ſumus iuſti.

Fides eſt fiducia.

Reſpondeo ſimpliciter,Nego Minorem,Nam ut antea dictum eſt,Fides, quæ aſſentitur promiſſioni non eſt tantùm noticia,ſed eſt ſimul fiducia,quæ eſt motus à Spiritu ſancto accenſus, quo uoluntas & cor uiuificantur & lætificantur,ut acquieſcant in Deo propter mediatorem:ut cùm audit Dauid abſolutionem:Dominus abſtulit peccatum tuum:non tantùm in eo noticia eſt huius propoſitionis, ſed uoluntas & cor oſtenſo hoc bono rurſus ex ſummis doloribus & ex inferis emergunt,Sicut dicitur,Iuſtificati fide pacem habemus. Et Ezechias inquit, Tu autem eruiſti animam meam ut non periret, proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Sic oſtendit Paulus quos motus complectatur fides,

fides,cùm inquit: Per hunc audemus accedere in fiducia per fidem ipsius. Ibi ostendit fiduciam & accessum ad Deum in hac fide comprehendi,de qua loquitur,Et necesse est hæc comprehendi, quia de ea fide dicitur, quæ assentitur promissioni. Dictum est autem suprà hanc fidem, qua homo iustificatur,assentiri promissioni:Est igitur & fiducia in uoluntate &corde acquiescens in promissione,id est, in Deo promittente propter Mediatorem.

TERTIVM ARGVMENTVM. III.

Fide iustificamur,
Fides est opus, Ergo,
Operibus iustificamur.

Respondeo,Simplex & uera explicatio est, qua omnes mediocriter docti in nostris Ecclesijs semper usi sunt,uidelicet has propositiones,

Fide habemus remissionem peccatorum,
Fide iustificamur,

Nequaquam sic intelligi, propter hoc opus in nobis, scilicet , credere, seu propter dignitatem huius operis, habere homines remissionem aut iustificari. Nam Paulus uniuersaliter hoc uult, Homines gratis propter Mediatorem habere remissionem, & esse acceptos Deo, non propter ullius operis dignitatem in nobis,siue fiat nostris uiribus,siue Deo mouente corda. Sunt & hæc opera à Deo in nobis accensa,dilectio Dei,patientia,castitas.Sicut autem non habemus remissionem propter hęc opera,ita nec propter fidem,quatenus est qualitas,seu opus in nobis,sed quia fide agnoscimus Mediatorem, & beneficia eius adplicari nobis oportet fide,cogitata uoce Euangelij. Respondeo igitur ad Maiorem: sicut usitatè dicimus, Fide iustificamur:

Hæc Propositio correlatiuè intelligenda est,quasi dicatur,per misericordiam propter Mediatorem iustificamur, quem tamen fide agnosci & adplicari nobis eius beneficia fide oportet. Est ergo sententia in Maiore, Propter Christum habemus remissionem & sumus iusti,id est,accepti. Non igitur sequitur Conclusio, quòd propter opera simus iusti. Sic cùm in Esaia dicitur: Noticia serui mei iusti,iustificabit multos: non intelligatur, credentes propter dignitatem fidei placere:sed ideò sic loquitur Propheta,quia agnosci Mediatorẽ &fide adplicari eius beneficia oportet. Antea enim dixerat:Liuore eius sanati sumus. *Fide iustificamur correlatiuè intelligatur*

Hæc breuiter dicta sunt,ut uocabulum,Fides,seu credidit,sit perspicuum. Nunc sequuntur cætera uocabula,Imputata est ei iusticia, Sic enim Hæbrei loquuntur,id est,Cogitata seu decreta est huic,qui antea reus erat,iusticia,id est,remissio peccatorum, & acceptatio diuina & hæreditas æternæ uitæ & iusticiæ, cùm credit promissioni. Ac citat Paulus hoc dictum, quia primùm expressè dicit, Quomodo homini decernatur iusticia sine conditione. In lege enim tantùm conditionales propositiones sunt, Maledictus qui non manet in omnibus &c. *Imputare iusticiam.*

Addit igitur declarationem, quòd imputatio sit gratuita, uidelicet quòd Deus hunc credentem cogitet seu decernat esse iustum sua misericordia, etiamsi non est in eo impletio legis, quam Deus adprobaret ex debito, si adesset, inquit igitur: Merces datur ex debito,id est, Vbi est reipsa legis impletio,Deus,qui est talis,approbat eam ex sua iusticia. *Imputatio est gratuita.*

Hîc discant iuniores uocabula debiti & meriti Correlatiua esse.Cùm Monachi dixerunt, Contritus habet merita de condigno, hoc uoluerunt, hanc obedientiam esse iusticiam,quam recipiat Deus ex debito &c. Vt igitur hîc *Debitum & meritum correlatiua.*

Paulus reijcit debitum, Ita ſciamus reijci meritum remiſſionis peccatorum & uitæ æternæ.

Conſilium Pauli diligenter conſiderandum eſt, Ideo citat dictum in Gene ſi de fide, quia ibi expreſſè & ſine conditione fit aſſeueratio, & reuelatur expreſ ſo teſtimonio, quòd credens ſit iuſtus. Hoc opponit legi: quaſi dicat, nuſquam le gimus pronunciari aliquem iuſtum, quia legem impleuit, ſed lex ſemper accu ſat homines, Ergo non ſumus lege iuſti. Retinenda eſt igitur hæc consolatio Abrahæ dicta, quòd ſit iuſtus fide.

Imputatio eſt remiſsio peccatorum.

Commoratur autem Paulus in declaratione imputationis, ut oſtendat gratuitam eſſe, & eſſe eam remiſſionem peccatorum, & reconciliationem, ſeu acceptationem propter Mediatorem. Adiungit igitur dicta Pſalmi: Beati quo rum remiſſæ ſunt iniquitates &c. Beatus uir cui non imputauit Dominus pec catum &c.

Recitat Paulus antecedens, ſed fiet accommodatio magis perſpicua, cùm conſequens attexitur, Videlicet, Cùm nemo aliter ſit beatus, id eſt, iuſtus ſeu ac ceptus Deo, niſi peccata remittantur, tegantur & non imputentur, manifeſtè ſe quitur, neminem in hac deprauata natura ſatisfacere legi, neminem lege iuſtum eſſe, & in omnibus hærere peccata, quia propter Mediatorem remittuntur cre

Pſalm. 31.

denti. Sit autem Pſalmus ille totus notiſſimus, quia doctrinam neceſſariam & dulciſſimam conſolationem continet. Cùm enim didicimus & ex eo Pſalmo, & ex hac integra Pauli doctrina, quòd hoc modo tantùm & non aliter homo fiat iuſtus, id eſt, acceptus Deo, Cùm credit ſibi remitti peccata propter Media torem, gratis, & quòd uelit Deus hanc ſuam miſericordiam agnoſci, & conſpi ci beneficia filij, ſicut clamat, Oſculamini Filium, Beati omnes qui confidunt in eo: ampliſſima conſolatio nobis proponitur, quæ ſuſtentat nos in conuer ſione, ne mergamur in deſperationem & exitium, ſed accedamus ad Deum hac fide.

Enarratio uocabulorum Pſalmi 31.

Vocabula in Pſalmo ſunt perſpicua, Primùm nominatur remiſſio pec catorum, quæ eſt deſinere iraſci peccatis, ſeu præteritis ſeu præſentibus. Deinde tegi peccata eſt Mediatorem eſſe umbraculum, ne effundatur in nos ira Dei. Et propriè dicitur, Tegi peccatum, quod adhuc adeſt in renatis. Etſi enim eſt pec catum, & dignum æterna pœna, tamẽ tegimur per filium Dei, ſicut dicitur, Non

Peccata tegun tur.

eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Et quanquam intelligit Pſalmus tegi peccata, quo ad pœnam æternam, tamen ſciamus ſic etiam ea tegi, quo ad pœnam corpora lem, iuxta dicta: Miſericordia domini, quòd non conſumti ſumus. Vult enim

Peccata non imputantur.

Deus ſuperſtitem eſſe Eccleſiam. Non imputari peccata intelligitur etiam & de præteritis & de præſentibus, & eſt non cogitare, non decernere, quòd ille cre dens ſit puniendus æterna pœna, quanquam antea deliquit, & adhuc ſunt in eo ſordes. Latini dicerent, non exprobrare ea, non accuſare hominem tanquam

Obiectio.

reum pœnæ æternæ. Sed hîc uſitata obiectio recitanda eſt, quare Paulus citat dictum de remiſſione, & non adiungit dicta de operibus, Beati mites, Beati mi ſericordes. Reſpondeo, Quia ſemper dicta de laudibus operum ſunt Synechdo chę. Laudantur enim in his, qui ſunt reconciliati fide, iuxta dicta: Rom. 14. Om ne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Rom. 3. Legem ſtabilimus fide. Vniuer ſaliter igitur in laudibus operum prius intelligatur fides prælucens, quæ acci pit remiſſionem peccatorum, & reconciliationem gratis propter Mediatorem. Ideo hęc dicta hoc loco non citantur, Quia bona opera ſequuntur in iuſtificatis, non iuſtificant.

Pau-

Paulus autem hîc quærit non quomodo postea opera fiant aut placeant, sed quomodo Persona fiat iusta, id est, accepta Deo, uidelicet remissione peccatorum. Ideo dicta de remissione citat, quæ non sunt Synecdoche, quia gratis propter filium recipimur, & hæc remissio antecedit bona opera.

Addenda est & hæc admonitio. Osiander interpretatur hæc uerba: Imputata est ei iusticia, hoc modo, id est, transfusa est in eum diuinitas. Etsi autem ueriſſimum est, in remissione peccatorum fieri renouationem, cùm audita uoce Euangelij in corde perterrefacto Filius Dei hanc consolationem dicit, Remittuntur tibi peccata, Et dat Spiritum sanctum: Tamen aliud est loqui de illa renouatione, aliud de causa, propter quam Persona prius accipit remissionem peccatorum, & fit accepta, seu de modo quo accedimus ad Deum.

Osiandri error in uerbis Imputata est ei iusticia.

Sicut autem infrà dicitur, propter obedientiam unius constituuntur iusti multi: Ita hîc intelligamus imputari nobis obedientiam Mediatoris, propter quem habemus remissionem peccatorum & acceptationem, Ideo & hîc Paulus citans Psalmum, Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. Ostendit se loqui de imputatione, qua nobis propter Mediatorem peccata remittuntur, & qua Persona accepta est. Ideo & postea dicit, Fides imputatur ei ad iusticiam, sed propter Mediatorem, & illa fides, quæ nititur Mediatore petens & accipiens remissionem peccatorum. Ac uniuersaliter sic docent Prophetæ, Accedendum esse ad Deum fiducia misericordiæ propter Mediatorem, sicut Daniel inquit: Non in iusticia nostra, sed in misericordia tua propter Dominum exaudi nos. Et Psalmo 6. Saluum me fac propter misericordiam tuam. Et Exod: Dominator Dominus Deus misericors.

Et Rom. 5. Per hunc habemus accessum ad Deum. Item, Nemo peruenit ad Patrem, nisi per filium. Et tamen uerum est, ut toties diximus, Simul in hac remissione filium Dei dare nobis de Spiritu suo, sed non obscurandum est meritum Christi, nec abducendæ sunt mentes ab hac unica consolatione in Euangelio proposita, quæ affirmat, recipi & placere credentes propter Mediatorem, sicut suprà dixit: Quem posuit propiciatorem fide. Retineatur autem aduersus multas cauillationes hæc admonitio, cùm in uocabulo iusticiæ fatendum sit, esse hanc relationem acceptationis, necesse est intelligi nos iustos, id est, acceptos esse propter Mediatorem Deum & hominem, & non intelligi iusticiam tantùm de diuinitate.

In uocabulo Iusticiæ est relatio acceptationis.

Imputatum est ei in præputio.

QVARTVM ARGVMENTVM.

Iusticia imputata est ante circumcisionem,

Ergo Circumcisio non est causa, propter quam Abraham est iustus.

Consequentia manifesta est, quia effectus non antecedit causam tempore. Circumcisus est autem Abraham anno ætatis suæ 99. cùm antea uocatus esset ex Haran 75. Sunt ergo anni ab ea uocatione ad Circumcisionem 24.

In hoc argumento continetur doctrina de signis seu sacramentis, ut usitatè nominamus, & doctrina de bonis operibus. Abraham non est iustus propter opus, quod quidem à Deo mandatum erat: Ergo nec nos sumus iusti propter opera, sed placent Deo bona opera in his, qui iam fide iusti sunt, Etiamsi hærent adhuc in eis reliquiæ peccati, ut alibi copiosius dicitur.

Nunc de Sacramentis dicamus. Paulus insigni uerbo usus est, nominat hunc ritum sigillū iusticiæ fidei. Hîc primùm considerent discentes, quæ sint usi

tata

tata hominum iudicia de talibus ritibus. Homines existimant tales ritus aut esse signa professionis externæ seu distinctionis inter homines, sicut Toga discernebat Romanum à Græcis, aut esse allegorias tantùm de nostris operibus. Sic Anabaptistæ uniuersaliter docent Anabaptismum, quem habent, esse distinctionem sui cœtus à cæteris hominibus, Deinde esse allegoriam de patientia, quæ commonefaciat eos uelut in fluctus mergi. Cœnam Domini dicunt esse fœdus mutuæ beneuolentiæ, sicut semper apud omnes gentes communis mensa fuit signum amicitiæ. Tales sunt humanæ interpretationes de Sacramentis: quibus etsi postea suus locus erit, tamen alia principalis interpretatio prius tenenda est, & considerandi sunt fines principales.

Sacramentorum fines principales duo.

Semper autem antecedunt duo principales fines. Prior, quòd Sacramenta sunt pars publici ministerij, quia uult Deus colligi Ecclesiam externo ministerio, & uult eam esse congregationem uisibilem. Sic Baptismus est pars ministerij, quo uisibiliter colligitur Ecclesia, & sonat externa inuocatio Patris, Filij & Spiritus sancti.

I.

Cœna Domini est neruus publicæ congregationis, in qua uult Deus publicè sonare totam doctrinam Euangelij, ut scriptum est, Quotiescunq; conuenietis, mortem domini annunciabitis donec uenerit.

II. Secundus finis est priuatim ad singulos pertinens, quòd Sacramenta sunt signa non tantùm erga homines, sed erga Deum, & sunt tanquam testimonia seu pignora promissionis gratiæ, Vt cùm uerbo excitatur fides per Spiritum sanctum, accedit hoc externum testimonium tanquam signum, & quidem applicans generalem promissionem ad singulos, id est, testificans promissionem ad singulos pertinere.

Circumcisio sigillum iustitiæ fidei.

Nominat igitur Paulus circumcisionem sigillum iusticiæ fidei, quia erat testificatio in corpore Abrahæ à Deo tradita, commonefaciens eum de promissione & ostendens promissionem ad ipsum pertinere. Sicut autem Abraham confirmabatur accepto hoc nouo signo de cœlo, sic nos in usu Sacramentorum confirmari oportet, quasi nouam uocem aut signum ex cœlo acciperemus, & scire nobis applicari promissionem. Sed consuetudo facit, ut illa testimonia Dei nobis tradita, leuius curentur. Rectè igitur cogitemus de usu Sacramentorum, & sciamus esse sigilla, id est, commonefactiones de promissione & testificationes de applicatione, quòd uidelicet promissio uerè ad te pertineat, & fides intuens promissionem, statuat uerè nos recipi & exaudiri à Deo propter Mediatorem. Hæc in ueris exercitijs conuersionis, & in uera consolatione fiunt illustriora. Et quia requirit in usu Sacramentorum fidem, manifestum est, damnari tetram impietatem, quæ fingit illa opera mereri remissionem ex opere operato.

Sacramenta sunt sigilla &c.

Si hi, qui ex lege, sunt hæredes, irrita est Promissio &c.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Nulla promissio pendens ex conditione legis est nobis rata & certa,
Promissionem gratiæ oportet esse ratam & certam, Ergo,
Promissio gratiæ non pendet ex conditione legis, sed est gratuita & accipienda fide.

Hoc argumentum sumtum est ex fontibus totius doctrinæ Ecclesiasticæ, & est fundamentum ac σωεχὸν totius controuersiæ, & ostendit discrimen

legis

Legis & Euangelij. Erit autem illustrius considerato primo exemplo. Cùm Adam & Eua lapsi sunt,non poterant aliter ratiocinari ex lege,nisi se iam in tota æternitate abiectos esse, & totum genus humanum iam perierat, nisi Deus edita promissione,retraxisset eos ex morte,& hac promissione gratiæ condidisset Ecclesiam:ita scimus Deum uelle sibi in genere humano colligere æternam Ecclesiam,quia prꝛeter legem edidit admirandam promissionem,de Mediatore de remissione peccatorum gratuita,de reconciliatione, & de uita æterna. Hæc initia Ecclesiæ considerentur, ut fiat conspectior promissio, & cogitetur quomodo semper Ecclesia collecta sit, & quæ res fecerit discrimẽ inter Ecclesiam,& Ethnicos.Norunt legẽ utriꝙ,& utroscꝙ lex accusat,sed promissio gratiæ facit discrimen,semper enim tantùm ibi fuit,est & erit uera Dei Ecclesia,ubi manet promissio & intellectus promissionis gratiæ, sicut Paulus inquit: Fundamentum aliud poni non potest,prꝛeter id quod positum est,quod est Christus Iesus.

Adæ & Euæ post lapsum ratiocinatio.

Promissio gratiæ facit discrimen inter Ecclesiam & Ethnicos.

Sint igitur in conspectu illa prima exempla Adæ & Euæ.Hi perspicuè intellexerunt maiorem propositionem, Nulla promissio pendens ex conditione legis, est nobis rata & certa, Ipsi norant legem, sed post lapsum intelligebant se iudicari à lege non liberari à peccato, & deinceps omnes sancti Patres intellexerunt se lege accusari,quia Lex non tantùm externam disciplinam postulat, sed est triste iudicium Dei,quo Deus ostendit nobis ingentia mala in nostris cordibus,& opprimit homines terrore & dolore, in quo fugiunt Deum horribili fremitu,sicut dicitur: Deus est ignis consumens. Item,non est pax ossibus meis &c.

Addit igitur confirmationem maiori propositioni,Lex iram efficit,id est, quia hæc deprauata natura nequaquam congruit cum lege,Ideo semper accusat nos lex,efficit iram, id est,pauores,tristes fremitus in corde,& exitiosos dolores in sensu iudicij & iræ Dei,sicut alibi dicitur, Aculeus mortis peccatum est, Potentia uerò peccati, Lex est,id est, Vera agnitio peccati: ut cùm Nathan obiurgat Dauidem, Deus per illam obiurgationem tanquam suo fulmine iudicat Dauidem, & ostendit ei magnitudinem peccati: Idem infrà dicitur, lex occîdit &c.Ex his dictis utcunꝙ intelligi maior Propositio potest,quæ infrà declarabitur in capite septimo.

Confirmatio Minoris illustratur ex Maiore,Quia enim Lex non annunciat remissionem peccatorum,imò semper accusat, satis intelligi potest,non potuisse homines saluos fieri,nisi edita perspicua & gratuita promissione de remissione peccatorum, & de restitutione iusticiæ & uitæ æternæ, Sicut Adam & Eua ratiocinabantur se perituros esse, & perijssent, nisi Deus immensa misericordia noua reconciliatione reddidisset eis uitam, & reddidit promissione edita de semine,Ideo inquit Dominus: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit &c.

Hæc ampliſſima promissio edita est deprecante filio, immensa bonitate Dei,non propter legem aut merita ullorum hominum,& confirmauit eam Deus multis miraculis, & iureiurando, iuxta hæc dicta:Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.Item, Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris &c. Est igitur certa & rata promissio de filij missione, & de beneficijs eius propter ueritatem Dei, non propter ullam hominum dignitatem.

Promissio edita est deprecante filio.

Hîc utile est moneri iuniores de errore,quem Monachi docuerunt & docent, & Synodus Tridentina stabiliuit, Videlicet, Vnumquemlibet semper debere

debere dubitare, An sibi remissa sint peccata, & an Deo placeat, & hanc dubitationem dicunt piam esse.

Hîc pernicios̃us error delet promissionem Euangelij, & pugnat cum hac tota doctrina Pauli, & summam consolationem pijs eripit. Doctrina Ecclesiæ in neutra parte relinquit homines in dubitatione.

Tenendæ sunt igitur hæ ueriss̃imæ sententiæ, Qui perseuerat in delictis contra conscientiam, is certò statuat se reum esse iræ Dei & æternæ pœnæ, iuxta hæc dicta: Talia facientes, non possidebunt Regnum Dei. Item, Qui facit peccatum ex Diabolo est. Contrà uerò, quisquis conuertitur ad Deum uera pœnitentia, debet apprehendere fide promissionem, & statuere uerè sibi remitti peccata, & se deinceps placere Deo propter Mediatorem, non propter propriam dignitatem, & se uiuificari & sanctificari à Filio Dei per Spiritum sanctum, Sicut dicitur, Ipse dat nobis de Spiritu suo.

Conuersus Deo placet propter mediatorem.

Et quanquam in hac nostra infirmitate semper in singulis hæret adhuc magna dubitatio, tamen uinci dubitationem fide necesse est, alioqui cor non elu ctatur ex doloribus inferorum. Ideo Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus, Item. Per hunc habemus accessum ad Deum fide. Item, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Item, Omnis qui credit in filium, habet uitam æternam. Item, Qui non credit in eum, arguit eum mendacij. Non uelle credere promissioni Dei propter filium traditæ, est fingere peccatum & regnum Diaboli potentius esse filio Dei, & pugnat cum hoc dicto: Gratia exuberat supra delictum.

Hæc doctrina opponenda est impio decreto Synodi Tridentinæ, & pernicios̃is Monachorum deliramentis, & cogitanda est quotidie in omni inuocatione. Item in Symbolo: Credo remissionem peccatorum.

Ex his perspicuum est Ecclesiam discerni à cæteris gentibus, noticia promissionis de Mediatore, & eius beneficijs, sicut Paulus inquit: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Non est igitur Ecclesia Dei, ubi non est noticia Mediatoris & beneficiorum eius, etiamsi est ibi aliqua legis noticia, quia nec remissio peccatorum, nec uera inuocatio fieri potest, nisi fide apprehendatur promissio de gratuita reconciliatione propter Mediatorem.

Hic Textus etiam ostendit fidem hîc intelligi non noticiam legis, quia expresse concionatur Paulus de promissione, quæ hanc ipsam ob causam edita est, quia nemo lege iustus est. Et quia talis fides postulatur, quæ promissionem accipit, manifestum est intelligi fidem, quæ est assentiri promissioni, in qua ostenditur misericordia propter Mediatorem promissa, hac misericordia ostensa acquiescit cor fiducia Mediatoris, & sic accipit remissionem & liberatur ex doloribus inferorum, Sic & in Actis dicitur: Huic omnes Prophetæ testimonium &c.

Fides quid sit Paulo.

Præterea manifestum est Paulum loqui de ea fide, quæ affert pacem & lætitiam cordi, ut cùm inquit: Iustificati fide pacem habemus. Item, Qui credit in eum non confundetur. At noticia historiæ in diabolis & alijs impijs horribiliter augent terrores, quia enim sciunt diaboli filium Dei iudicem esse, quem ipsi superbissimè oderunt, & coram tota Ecclesia cœlesti ostensurum esse maliciam ipsorum, & se in pœnis æternis certò futuros esse, Ideo magis dolent & fremunt.

Necesse

Necesse est igitur Paulum intelligi non tantùm de noticia historiæ, sed de hac fide, quæ assentitur promissioni, & quidem sic eam accipit, ut tibi ipsi credas dari beneficia Mediatoris. Et quia fides correlatiuè se habet ad promissionem & ad Mediatorem, Sciendum est hanc propositionem: Fide iustificamur: Correlatiuè intelligendam esse, pro hac propositione, propter filium Dei Mediatorem per misericordiam, Gratis, accipimus remissionem peccatorum & reconciliationem fide, non propter dignitatem nostri operis, quod nominatur fides, & tamen fides est medium, quo apprehendimus Mediatorem & in eo acquiescimus. Hæc omnia consideranda sunt, ut propositio, Fide iustificamur, sic intelligatur, ut Paulus loquitur. Osiandri alia est imaginatio: Fide iusti ficamur: id est, apprehendimus Deum ipsum, ut sit in nobis, & sit efficax, & deinde dicit nos iustos esse, quia habemus iusticiam, scilicet Deum mouentem nos ut iustè agamus. *Osiandri imaginatio.*

Hæc dicuntur de nouitate sequenti, non de acceptione remissionis peccatorum & reconciliationis, & de consolatione, quam semper prælucere nouitati oportet. Primùm enim quærit conscientia, An habeat remissionem peccatorum & reconciliationem, & hanc accipit fide intuente Mediatorem Deum & hominem, sicut dictum est, Per hunc habemus accessum &c.

Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio.

HAEC est Syllogismi conclusio, quæ cùm sit perspicua asseueratio de gratuita reconciliatione propter filium Dei per fidem, non solùm doctrinæ causa, sed etiam propter consolationem sit notissima, & semper in conspectu sit. Deus promissionem reconciliationis uult nobis ratam & firmam esse propter suam ueritatem, & propter Mediatorem filium, non propter nostra merita ulla. Ac uult accipi promissionem fide, & acquiescere corda nostra in ipso propter Mediatorem. *Promissio cur sit rata.*

Hæc est summa consolatio in ueris doloribus, & in hac consolatione intelliguntur hæc dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item, Qui credunt in eum, non confundentur. Et Ionæ 2. Qui non confugiunt ad misericordiam, sectantur uana. Item, Ephe. 3. Per quem audemus accedere confidenter per fidem Iesu Christi. Et Hebr. 4. Hunc habentes Pontificem &c.

Talium testimoniorum aceruus teneatur, ut & de doctrina nos confirmemus, ac sciamus uerè sic ad Deum accedendum esse, & uerè sic recipi homines, cùm in ueris doloribus sustentant se promissione, & credunt se propter filium Dei recipi, & iustos, id est, acceptos esse, & hanc consolationem in quotidiana inuocatione exerceamus. In his exercitijs erit illustrior & hæc sententia, Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio: nec aliam interpretationem addo, sed natiua sententia ex ipsis uerbis sumatur.

Hæ consolationes tenendæ sunt contra multos errores. Monachi dicunt manendum esse in dubitatione, & dicunt, Ita placebis, si legem impleueris. Osiander sic dicit, Ita es iustus, cùm iusticia essentialis impellit te ad bene operandum, iubet te quærere quales in te sint impulsiones: Sed Paulus deducit te ad filium Dei Mediatorem, & ad promissionem, iuxta dicta: Per hunc audemus accedere per fidem &c. Item, Qui non confugiunt ad misericordiam, sectantur uana. *Monachi. Osiander. Paulus.*

Deinde sequitur amplificatio, quæ cùm ostendit qualis fuerit fides Abrahę, multa docet de natura fidei, & in fine addit principalem applicationem, affir

mat dictum in Geneſi ſcriptum eſſe,non propter Abraham tantùm, ſed etiam propter nos,ut ſciamus nobis quoq; imputari iuſticiam credentibus in Mediatorem,& communem doctrinam eſſe,& ad totam Eccleſiam pertinere. Iam particulæ conſiderentur de natura fidei, Credidit contra ſpem in in ſpem, id eſt, Contra obiecta ſpei, propter quæ ratio deſperat, Innixus eſt obiecto inuiſibili Deo monſtrato in promiſſione,ſicut fides eſt ἔλεγχος non adparentium. Moiſes credit, ſe euaſurum eſſe,quanquam hoſtis inſtat & intercluſus eſt montibus &mari.Baptiſta credit ſe uicturum eſſe,etiamſi interficitur. Vbiq; magnæ ſunt confuſiones generis humani,& multum uitiorum, quærimus igitur, An ſit & ubi ſit Eccleſia? ſed fide ſtatuendum eſt, & eſſe aliquam Dei Eccleſiam, & inter has ruinas mundi non prorſus interituram eſſe.

Fidei natura, credere contra ſpem in ſpem.

Non dubitauit diffidentia.

HIC expreſſè oſtendit fidem & dubitationem inter ſe pugnare, & eluctandum eſſe ex dubitatione. Languida fides, ſed tamen fides eſt in illo apud Marcum,qui inquit,Credo Domine,ſed opem fert diffidentiæ meæ. Ita eluctari fidem ex dubitatione neceſſe eſt, alioqui non ſequeretur fidem pax, ſeu lætitia. Repetita eſt hæc particula in dictione: Certus fuit: Hæc certitudo eſt aſſentiri uerbo Dei & promiſſioni, nec auelli propter contraria,quæ ratio oſtendit: ut ratio dicit, populo impoſſibile eſt per aquas euadere, ſed Moiſes aſſentiens promiſſioni diuinæ retinet certitudinem, State inquit, & uidebitis magnalia Dei.

Fides & dubitatio pugnant.

Additur hîc particula: Dans gloriam Deo. Hoc inſigne præconium fidei eſt. Gloriam Deo tribuere, eſt uerè agnoſcere & celebrare, quòd ſit Deus, & quòd ſit ſapiens,uerax,bonus,iuſtus,omnipotens,uindex,miſericors,agens liberum, conditor totius opificij mundi, conſeruans res, diligens & curans genus humanum,& propter filium colligens æternam Eccleſiam in genere humano, exaudiens & iuuans inuocantes fiducia filij, communicans nobis ſeipſum, & dans nobis Spiritum ſanctum & uitam æternam. Hæc tota copulatiua comprehenditur in hoc dicto,Dans gloriam Deo.

Gloriam Deo tribuere quid

Fiunt autem hæc illuſtria Antitheſi, Epicurei non tribuunt gloriam Deo,quia dicunt eum nihil eſſe aut nihil curare &c. Diaboli,& Saul, Iudas & ſimiles eſſe norunt Deum, & conditorem ac uindicem eſſe, & ſentiunt eius iram,ſed horribili fremitu eum oderunt, & contumelijs afficiunt, quòd ſit inæqualis more tyrannico. Dauid uerò, Ezechias, Daniel, & alij ſancti uerè tribuunt gloriam Deo, iuxta illam copulatiuam ſuprà recitatam. Non ſolùm fatentur eſſe Deum,& conditorem ac uindicem, ſed etiam agnoſcunt & fatentur bonum & miſericordem eſſe, recipientem, exaudientem & ſaluantem inuocantes ipſum propter filium. Vbi hæc fides lucet in corde,uerè tribuitur Deo gloria,& ſentitur eius præſentia, & ſuſtentatur cor fiducia auxilij diuini. Vbi uerò hæc fides non lucet in corde, homo aut ſecurus eſt more Epicureo, Vel Academico, plenus dubitationum, & non eſt domicilium Dei, aut ſentiens iram horribiliter fugit Deum. Neutri inuocant Deum, neutri expectant auxilium à Deo, ideo non tribuunt ei gloriam bonitatis, ſed afficiunt eum contumelia.

Homo ſine fide aut eſt Epicureus aut Academicus.

Ex hac antitheſi aliquo modo intelligitur horrenda peccata eſſe, non credere remiſſionem peccatorum,& non inuocare Deum, quia non tribuitur gloria Deo debita. Excitentur ergo corda ad ueram conuerſionem, & erigantur fide

fide accipiente beneficia Mediatoris, & petant augeri fidem & ueram inuocationem. De hac gloria sæpè concionantur Prophetæ, ut Ieremiæ 13. Date Domino Deo uestro gloriam antequam fient tenebræ, id est, Credite ei iuxta omnes articulos fidei, Conuertimini & inuocate eum. Et Malachiæ 2. Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in uos egestatem.

Traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iusticiam nostram.

DIscernit Paulus meritum Christi & distributionem meriti. Tota obedientia Christi est precium pro nostris peccatis & propiciatio, qua placatur ira Dei. Reuiuiscit autem Christus, & quia est Victor mortis, & ut regnet ac nobis merita sua adplicet, ac reddat nobis uitam & iusticiam æternam, Sicut Oseæ 13. dicitur: O mors ero mors tua, & inferne ero pestis tua. Et Esaiæ 25. Absorpta est mors in perpetuum. Et quanquam aliud est meritum Christi, & aliud applicatio ad nos, tamen hæc adplicatio ita fit simul & eodem tempore, cùm homo conuertitur ad Deum, & fide ac agnitione filij Dei erigitur, ut simul fiant remissio peccatorum, iustificatio, reconciliatio, & donatio Spiritus sancti, iuxta hæc dicta: Iohannes 3. Qui non credit, manet ira Dei super eum. Acto: 10. Remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui creduut in eum. Et Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem &c.

Aliud est meritum Christi aliud adplicatio ad nos.

Quanquam enim præcessit meritum, tamen ita ordinatum fuit ab initio, ut tunc singulis adplicaretur, cùm fide acciperent. Nec imaginandum est, peccata Neronis remissa esse, sed tantùm hoc ei deesse, quòd non sit iustus.

Meritum Christi singulis adplicatur cum fide accipitur.

Hanc distractionem excogitauit Diabolus, ut peccati magnitudinem extenuaret, & confirmaret securitatem. Quare contra tales furores muniti simus diuinis testimonijs perspicuis. Cùm autem inquit Paulus, Resurrexit propter iusticiam nostram, intellige consummatum beneficium, id est, propter remissionem peccatorum, Reconciliationem, uiuificationem & iustificationem, uitam, iusticiam & lætitiam æternam. Sicut & Daniel loquitur inquiens, Peccatum delebitur & adducetur iusticia sempiterna.

CAPVT V.

Iustificati ergo fide, pacem habemus apud Deum &c.

INItium Capitis quinti est Epilogus, in quo breuissimè repetita est principalis propositio, & additur amplificatio necessaria de effectibus reconciliationis, Videlicet, de consummatione beneficij Christi.

Effectus reconciliationis.

Quid enim prodesset accepisse remissionem peccatorum, Si non sequeretur uita & iusticia æterna? Ideo iam de his beneficijs concionatur, quæ fidem sequuntur: & simul respondet obiectioni omnium hominum, Quid gloriamini uos esse Ecclesiam Dei, uos iustos & Deo caros esse, cùm sitis omnium hominum miserrimi, sine imperio, sine defensione, dissipati, uagantes incertis sedibus, & multis modis ærumnosi?

Ad has obiectiones respondet, Fateor inquit, Ecclesiam Dei certò consilio subiectam esse cruci, sed tamen est hæres æternæ uitæ, iusticiæ & lætitiæ, hanc certò expectamus inter has ærumnas, & addit Argumenta consolationis, sumta ex testimonijs amoris Dei erga nos in ipso filio, & ex testimonio Spiri-

Obiectio quòd Ecclesia subiecta sit cruci.

tus ſancti, in conſolatione cordium noſtrorum inter ipſas ærumnas.

Hæc eſt Epilogi ſumma. Poſtea inſtituit aliam partem, quæ eſt tanquam Methodus de præcipuis Articulis doctrinæ, quæ propria eſt Eccleſiæ, Videlicet, de peccato, unde ſit, quid ſit, & quale ſit. Deinde quis ſit uſus Legis. Tertiò quid ſit gratia, & quæ ſit gratiæ amplitudo.

Iuſtificari fide Nunc diligenter conſideretur proprietas uerborum textus: Iuſtificati fide, id eſt, abſoluti à peccatis, & reconciliati ac accepti Deo per fidem, ſcilicet, quæ nititur Mediatore Chriſto Deo & homine, pacem habemus erga Deum, id eſt, conſolationem ipſa fide ſentimus, qua liberamur ab ira Dei & horrendis doloribus inferorum, de quibus dicit Ezechias: Sicut Leo contriuit omnia oſſa mea.

Pacem habere erga Deum.

Loquitur ergo Paulus de conſolatione, qua corda liberantur ab illis doloribus & uiuificantur, ſicut ſuprà inquit, Iuſtus fide ſua uiuet, & infrà, Qui credunt in eum, non confundentur. Et Pſalm. 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Et Pſalm. 118. Memor eſto uerbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti, Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, Quia eloquium tuum uiuificat me. Et Pſalm. 129. Suſtinuit anima mea in uerbo eius, ſperauit anima mea in Domino &c.

In ſpe gloriæ Dei &c.

MAniſeſta aſſeueratio eſt, quòd iuſtificati fide placeant Deo propter Mediatorem, & ſint hæredes uitæ æternæ. Hanc doctrinam & conſolationem de conſummato beneficio tenere neceſſe eſt: ne cogitemus, etſi iam conuerſus ſum ad Deum, & annunciata eſt mihi remiſſio peccatorum, tamen poſtea incertum eſt, an placeam Deo, cùm tanta ſit infirmitas, & an ſim hæres æternæ uitæ. Aduerſus has dubitationes perſpicuam doctrinam & conſolationem hîc tradit, affirmat conuerſos ad Deum, placere Deo propter Mediatorem fide, & propter eum certò hæredes eſſe uitæ æternæ, non propter propriam dignitatem.

Sicut & Ioan. 3. dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Et 1. Ioan: 5. Qui habet filium, habet uitam. Et Romanorum octauo: Quos iuſtificat eoſdem & glorificat. Ita hîc inquit: Per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum in gratiam, id eſt, gratuitam acceptationem, in qua ſtamus, ſcilicet, retinentes fidem: Sumus & deinceps accepti, & gloriamur ſpe gloriæ Dei, id eſt, Lætamur & ſtatuimus, quòd Deus ſit nos gloria ſua æterna ornaturus, id eſt, uita æterna & communicatione ſui ipſius, uidelicet, ſuæ lucis, ſapientiæ, iuſticiæ & lætitiæ æternæ. Et phraſis obſeruetur, Gloria Dei, ſcilicet, quatenus eam nobis communicat, & facit nos ſimiles ſibi, ut Iohannes loquitur.

Habere acceſſum ad Deum.

Gloriari ſpe gloriæ Dei.

Significat autem gloriari, lætari, & ſtatuere aliquid nobis glorioſum eſſe, id eſt, rem bonam ſeu ſalutarem eſſe, Ita lætamur ſpe uenturæ gloriæ, & ducimus illam gloriam eſſe ueram ſalutem & liberationem.

Spes. Hîc & definitio Spei teneatur: Spes eſt certa expectatio æternæ uitæ, Gratis dandæ propter Mediatorem, & mitigationis præſentium calamitatum, iuxta conſilium Dei.

Imò etiam gloriamur in afflictionibus.

LEgis & rationis iudicium eſt, Iuſtis debet bene eſſe, Id uerum eſt, Sed intelligendum eſt iuxta Euangelij declarationem, quod docet, quomodo homines fi-

nes fiant iusti, & quando sint accepturi præmia, & cur in hac uita subiecti sint cruci. Sed mundus hæc ignorans, iudicat ex tristissimis spectaculis miseriarum Ecclesiæ, negligi eam à Deo.

Aduersus hoc iudicium confirmat nos Deus in tota doctrina Ecclesiæ, Vt Psalm. 33. Multæ tribulationes iustorum, sed ex omnibus his liberabit eos Dominus. Et Paulus hîc inquit, Gloriamur in afflictionibus, Lætamur & statuimus eas esse non signa iræ Dei, sed res bonas, ut Psalmus inquit: Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas & c.

Intexit autem Paulus hanc necessariam commemorationem de afflictionibus, ut occurrat humanæ obiectioni, Si sumus iusti & cari Deo, cur sumus in tantis ærumnis?

Respondet autem breuiter, Hæ ærumnæ sunt exercitia fidei & spei, non sunt signa iræ Dei aduersus nos. Iam huc adiungatur integra doctrina, quare totum genus humanum sit subiectum morti & alijs calamitatibus? Deinde quare Ecclesia magis ærumnosa sit, quàm alij homines.

Causæ communium calamitatum.

Prima causa est mortis & communium calamitatum in toto genere humano, lapsus primorum parentum, & peccatum quod nascentes afferimus. Deinde cumulantur pœnę actualibus delictis quotidie, & accedunt furores Diabolorum, qui in hanc miseram & desertam naturam exercent horribilem sæuitiam, quia sunt homicidæ. Sed quare Ecclesia magis est ęrumnosa. Hîc primùm repetendæ sunt communes causæ, quia omnes nascimur cum peccato. Vult autem Deus in Ecclesia præcipuè intelligi iram aduersus peccatum, quod mundus securus contemnit. Exercetur ergo Ecclesia durius, ut commonefiat de ira Dei. Huc pertinent δοκιμασίαι, iuxta dictum: Filium quem diligit, castigat. I.

II.

Causæ calamitatum Ecclesiæ.

Secunda, Diabolus odio Christi atrocius sæuire conatur in Ecclesiam. II.

Tertia, Valdè multa sunt & actualia delicta in Ecclesia, ut Dauidis adulterium, Manassæ idolatria. Hæc etiam Deus punit atrocibus pœnis in hac uita, ut in alijs hominibus. Huc pertinent τιμωρίαι. III.

Quarta, Supplicia in confessione sunt testimonia, quòd sancti uerè sic sentiant sicut docent. Sunt item testimonia, quæ ostendunt restare aliud iudicium, Quia enim Deus antea ostendit se Paulo adesse resuscitanti mortuos, & deinde finit eum interfici à Nerone, significat postea discrimen fore inter Paulum & Neronem. IIII.

Quinta, Quia uult Deus excellentia membra in Ecclesia fieri conformia filio Dei. V.

Sexta, Vult Deus conspici suam præsentiam in genere humano, & præsertim in Ecclesia, ut refutentur Epicurei, Ideo non habet Ecclesia defensionem ut imperia mundi, & accidunt sanctis multa inextricabilia humano consilio, sicut inquit Ieremias: Scio Domine, quòd non sit hominis uia eius. Item, Cùm nescimus quid agendum sit, oculi nostri ad te Domine tolluntur: ut lapsus Adæ, uenditio Ioseph, Dauidis exilium, morbus regis Nabuchodonosor &c. VI.

Conspicitur igitur præsentia Dei, cùm sic liberantur sancti, ut fateri ipsos & alios necesse sit, diuinitus seruatos esse. Sic orat Moises in Numeris Cap. 14. Vt audiant Aegyptij, quòd tu Domine sis in hoc populo. Et 1. Reg. 17. inquit Dauid: Vt sciat omnis terra, quòd est Dominus Deus in Israël. Et Ieremiæ 14. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos.

Deus postulat obedientiam in cruce.

Hæ causæ quare Ecclesia cruci subiecta sit, semper sint in conspectu, & scimus Deum postulare obedientiam in pœnis: & in cruce, iuxta dictum, Humiliamini sub potenti manu Dei. Item, Subditus esto Deo, & spera in eo. Deinde & consolationes adiungamus, quarum aliquæ & ex his causis, quas recensui, oriuntur. Vt enim & uelimus obedientiã, quod uelle est uirtus, quę nominatur patientia, & læti expectemus exitum, necesse est in aduersis uidere aliquas res bonas, scilicet, uoluntatem Dei bonam, præsentiam Dei, auxilium Dei, bonum finem.

Res bonæ in aduersis.

Cùm hæc bona cernimus in aduersis, incipimus aliquo modo uelle hanc obedientiam propter Deum, & non tantùm sumus in dolore, sed fide & spe uiuificamur, & aliquo modo læti expectamus exitum. Nam consolatio debet aliquam lætitiam, quantulacunq; est, in corde efficere. Iam sit in conspectu discrimen consolationum Philosophicarum & Theologicarum.

Consolationum discrimen.

Loci Philosophici sunt.

1. Necessitas.
2. Dignitas uirtutis.
3. Bona conscientia.
4. Exempla.
5. Vtilitas aliorum, ut in militia.
6. Collatio euentuum.

Loci Theologici sunt.

1. Necessitas, uidelicet, Lex & iusticia Dei.
2. Dignitas uirtutis.
3. Bona conscientia.
4. Remissio peccatorum & reconciliatio.
5. Agnitio præsentiæ Dei & auxilij Diuini.
6. Spes mitigationis & liberationis finalis, & Inuocatio.
7. Exempla.
8. Vtilitas aliorum.
9. Collatio euentuum.

Considerata autem communi doctrina de Patientia & consolationibus, gradatio in textu melius intelligetur. Tribulatio uidelicet, totum hoc onus miseriarum in Ecclesia patientiam efficit, uidelicet in his, qui cernunt bonam uoluntatem Dei, & præsentiam Dei in aduersis, & fide & spe erecti sunt: ut in Dauide exulante, non in Epicureis aut in Saule, Hi cùm tantùm uideant mala, non sunt patientes. Vt igitur sit patientia, necesse est, ut præluceat doctrina de causis, quare Ecclesia subiecta sit ærumnis. Item fides, quæ accipit reconciliationem & cernit præsentiam Dei, & spes quæ expectat auxilium & liberationem.

Patientiæ præluceat doctrina de causis crucis.

Ac teneatur discrimen Philosophicæ & Christianæ patientiæ.

Patientia Philosophica.

Philosophica patientia est non facere contra iusticiam aut alias uirtutes fractos dolore, ut Cato facit contra iusticiam, quia propter dolorem sibi conciuit mortem. Aristides tolerat iniurias patienter, & ut dolor aliquo modo leniatur, quærit alias causas ex his, quas recensui: quarum præcipua est, Bona conscientia, & hæc qualiscunq; patientia potest esse sine spe auxilij & liberationis.

Patientia Christiana.

Sed patientia Christiana est, non solùm nihil contra Deum facere fractos dolore, ut facit Saul, sed est aliquo modo uelle obedientiam, agnitione bonæ uoluntate

uoluntatis Dei & præsentiæ Dei,& hac fide & spe auxilij diuini & liberationis habere cor uiuificatum uerbo Dei,ita,ut aliqua sit lætitia minuens dolorem: ut Dauid in exilio uult aliquo modo obedientiam propter Deum, & quanquam ingentem dolorem circumfert,tamen sentit uerbo uiuificari cor,ut aliqua sit lætitia minuens dolorem.

Patientia probationem.

IDest,patientia efficit explorationem,quæ ostendit fidem non esse simulatam, sed ueram,uiuam & ardentem. Ostendit autem afflictio & alijs & nobis ipsis, fidem non simulatam esse. Ac de aliorum testimonio non est opus declaratione. Cùm alij uident senes sapientes malle interfici,quàm abijcere confessionem, ratiocinantur eos uerè hoc sentire,quod profitentur, nam sani homines non uelient tam tristia pati propter inanes fabulas.

Plus autem est, quòd cùm non deficimus inafflictionibus, nos ipsi sentimus incrementa & consolationem,motus Spiritus sancti,& presentiam Dei,Sicut Paulus inquit: Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Item,Accepistis Spiritum adoptionis filiorum clamantem Abba Pater,qui dat testimonium Spiritui nostro. Et Nahum primo:Bonus Dominus & confortãs in die tribulationis,& curans sperantes in ipsum. Esaiæ 28. Quem docebit scientiam? Ablactatos à lacte. Item, Vexatio dat intellectum. Item erudiet eum in iudicio Deus & docebit eum. Ecclesiast:30. Qui non est tentatus,qualia scit? *Constantia in adflictionibus.*

Probatio spem.

IDest, In illo exercitio Fides & Spes confirmantur. Sunt autem uicini motus fides & spes, & semper coniuncti sunt, & tamen aliquod est discrimen obiectorum.

Fides est motus apprehendens uerbum Dei, & Deum ipsum, & in præsentia accipiens reconciliationem. Ita fit consolatio & lætitia cùm hoc præsens bonum apprehenditur. *Fides.*

Sed Spes est certa expectatio uitæ æternæ,propter Mediatorem promissę & expectatio futuræ mitigationis in hac uita, iuxta consilium Dei. Sic inquit Esaias: In silentio & spe erit fortitudo uestra. *Spes.*

Primùm præcipit silentium, id est, hanc obedientiam, quæ est non irasci Deo in afflictionibus, & non quærere inconcessa præsidia, sed prælucente fide & agnoscente uoluntatem Dei,& præsentiam Dei, flectere corda aliquo modo ad obedientiam, ut uelint perferre afflictiones. *Explicatio dicti: In silentio & spe &c.*

Deinde Spem præcipit,quæ intuetur uenturam liberationem,seu mitigationem. Ita inquit,silentes & sperantes seruabimini, eritis fortes, consistetis, habebitis bonos euentus,iuxta illa dicta: Omnis qui credit in eum,non confundetur. Psal. 9. Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quia non derelinquis quærentes te Domine.

Spes non confundit.

PHrasis Hæbraica est, Spes non confundit, id est, non frustratur sperantem, sic enim sæpè uerbum confundere seu pudefacere usurpatur pro frustrari. Est autem assueratio & consolatio opponenda prophanis iudicijs, quæ existimant dicta de uenturo iudicio,& promissione salutis, & minas pœnarum post hanc uitam esse inanes fabulas. *Confundere pro frustrari.*

Contra hęc humana iudicia edidit Deus suã uocem & testimonia illustria

affirmat mortuos reuicturos esse, & secuturum esse iudicium post hanc uitam, in quo credentibus in filium dabit uitam, sapientiam, iusticiam, lætitiam, & uitam æternam. Impios uerò abijciet in æternos cruciatus. Et Christus sua resurrectione & multorum resurrectione hæc certò euentura esse ostendit.

Obiectio de indignitate.

Ad hæc testimonia adiungatur hoc dictum: Spes non frustratur, scilicet credentes in filium. Sed hîc in singulis conscientia disputat.

Promissio pertinet ad dignos:

Ego autem sum indignus &c.

Quare etiamsi promissio facta est, & mandatum est, ut speremus, tamen fortassis promissio nihil ad me attinet.

Aduersus hanc obiectionem necesse est nosse discrimen legis & Euangelij & scire doctrinam de particula exclusiua, Gratis. Hæc est Epitasis certaminis, An Deus uelit nobis remittere peccata, & an uelit nobis dare æternam salutem cùm simus indigni?

Hîc necesse est nosse uocem Euangelij propriam. Propter filium Dei gratis tibi donantur remissio peccatorum, reconciliatio, seu iustificatio, donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ, quanquam sumus indigni, mandatum Dei immutabile est, ut hoc credamus, iuxta dictum: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Quia dilectio Dei effusa est in corda nostra.

VIdetur obscura esse ratio consequentiæ, Spes non confundit, quia dilectio Dei effusa est in corda nostra. Minus uideretur obscura consequẽtia, si sic diceret: Spes non confundit, quia promissio est certa & rata: nam hæc ratio sumitur ex proximo obiecto spei, quod notum est ex promissione. Reipsa uerò idem dicit Paulus, sed addit aliquid, Est enim sententia: Spes non confundit, quia Deus certò nos diligit, & hanc dilectionem apprehendimus ipso motu fidei, quo simul Spiritus sanctus est efficax, & erigit corda in ueris doloribus, consolatione & lætitia, atq; ita Spiritus sanctus est arrabo, & dat testimonium Spiritui nostro.

Spes cur non confundat.

Significat igitur dilectio Dei hoc loco dilectionem, qua nos diligit Deus, ut infrà. Quis separabit nos à dilectione Dei, scilicet, qua nos diligit. Et simul uerum est, tunc in corde uicissim accendi dilectionem nostram erga Deum.

Quæstiones aliquot de dilectione, & fide.

Hîc multę quæstiones mouentur, An dilectio sit ipse Spiritus sanctus substantialiter, Et nulla sit ponenda dilectio Dei creata in homine? Item, An notitia, quæ est fides, sit ipse filius Dei, Verbum, Et nulla sit ponenda notitia promissionis creata in homine?

Hæ quæstiones & olim motæ sunt, & nunc ab Osiandro renouantur: Vt si quis imaginetur, hominem iustum nihil in seipso mutatum esse, sed tantùm esse domicilium habitantis ibi Patris, Filij, & Spiritus sancti, ut cùm in dolium infunditur aqua, nulla fit dolij mutatio.

De his quæstionibus respondeo proposito exemplo primæ conuersionis. Cùm Adam audiret Deum loquentem, simul foris audit promissionem uocalem, quam sonat filius, & ille idem filius Dei in corde hominis tunc adest, & facit, ut luceat illustris notitia & assensio in mente, in qua notitia intelligit Adam se à Deo recipi, & agnosci æterni Patris uoluntatem, & simul effundit filius Spiritum sanctum in cor Adæ, quo sentit Adam uitam & lætitiam.

Hîc in mente non tantùm est filius, sed etiam creata notitia & assensio, qua

qua Adam intelligit uerbum & credit, & in corde non tantùm est increatus Spiritus sanctus, sed etiam lætitia accensa per Spiritum sanctum, quia Verbum & Spiritus sanctus non sunt ibi, ut in dolio aqua, sed homo renascitur, & habet accensam noticiam creatam, & motus seu affectus à Spiritu sancto creatos, Sicut ad Galatas dicitur, Fructus Spiritus est dilectio, gaudium, pax, fides &c. 2. Corin. 3. dicitur: Nos retecta facie gloriam Domini intuentes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Spiritu Domini. *In conuersione Adæ quid fiat.*

Ratio secura non cernit iram Dei aduersus peccata, non cernit præsentiam Dei in consolatione, seu lætitiam in Deo. Sed in uera conuersione sentit homo iram Dei & lætitiam in Deo. Ibi retecta facie cernit gloriam Dei, id est, Cernit in uerbo iudicium & misericordiam Dei, & uerbo lucente in mente transformantur mens & cor in similem gloriam, id est, habent iam noticias & motus congruentes cum uerbo, & hæc fiunt, cùm audito uerbo Spiritus Dei accendit nouos motus in nobis. Non diceret Paulus, Nos in eandem imaginem transformari, si tantùm ibi esset diuinitas, & nulla creata noticia uel dilectio. Item, Rom. 8. Spiritus sanctus dat testimonium Spiritui nostro: Ergo & nos habemus noticias & affectus congruentes cum Spiritu sancto in uera consolatione. *Retecta facie cernere gloriam Dei.*

Quanquam igitur noticiæ, pauores, lætitiæ excitantur in nobis, tamen discrimen inter causam & effectus tenendum est, ut 1. Iohan. 3. dicitur: Erimus ei similes. Fit igitur & in nobis mutatio, & quomodo fiat, in uera conuersione, in doloribus & consolatione discimus. Hanc simplicem & ueram sententiam teneamus, & non turbemur præstigijs Sophismatum, quæ opponuntur. *Fit & in nobis mutatio.*

Christus cùm adhuc essemus infirmi &c.

SEquitur amplificatio, quæ colligit signa & testimonia, quòd Deus diligat nos, sed hoc summum & ineffabile beneficium, scilicet, quòd dedit filium pro nobis, & quidem uoluit hunc ipsum esse certum pignus ueræ & immutabilis dilectionis &c.

Vix pro iusto aliquis moritur.

HVnc amorem amplificat duplici collatione, Vix pro iusta re aliquis moritur: id est, etiam cùm debemus mori, tamen inuiti oppetimus mortem, ut Latro inuitus moritur, etiamsi debet mortem legibus. Intelligas igitur uerba Pauli, Pro iusto, id est, pro re iusta, seu causa iusta, seu debito. *Pro iusta mori.*

Pro bono ausit aliquis mori.

ALtera collatio est, Pro bono ausit aliquis mori, id est, pro bona & suaui re, id est, incitati cupiditate aut opinione magnæ utilitatis nostrorum facilius suscipimus pericula, ut uir fortis adit mortem pro defensione coniugis, liberorum aut dignitatis. *Pro bono mori*

Ex his duabus propositionibus argumentatur, & amplificat amorem Dei & Christi erga nos, à collatione Causarum.

Necesse est hunc magna ui amoris moueri, qui bene facit alteri cum suo dolore, cùm nihil ei debeat, & nihil inde accipiat utilitatis, quia etiam qui debent pœnam legibus, tamen inuiti moriuntur. Alij fortassis, si qui mortem adeunt, mouentur opinione aliqua magnæ utilitatis suorum, aut sua gloria.

At

At Christus pro nobis mortuus est, cùm nobis non deberet, nec aliqua sua utilitate moueretur.

Ergo necesse est ingentem & ineffabilem uim esse amoris in ipso erga nos.

Hæc congruunt cum dicto: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret pro nobis. Et Dominus petit: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis.

Commendat autem Deus nobis suum amorem.

Doctrina de consumatione beneficij Christi.

COmmemorata dilectione redit ad illam partem Epilogi, quam instituerat de saluatione, seu de consummatione beneficij filij Dei. Cùm Deus nos propter Christum immensa misericordia receperit, cùm essemus iniusti, quantò magis æternam salutem dabit, postquam nūc iustificati sumus iusti sanguine Christi. Hanc doctrinam de consummatione beneficij necesse est addi, quia quid prodesset receptos esse, si non sequeretur æterna salus. Hæc perspicua sunt.

Sciamus autem & dulcissimam consolationem tradi aduersus ingentem imbecillitatem, quæ reliqua est in his, qui iustificati sunt in hac uita.

Affirmat enim hos certò hæredes esse uitæ æternæ: quanquam hærent in nobis reliquiæ peccati, tamen iustificati sumus sanguine Christi, id est, teneamus hanc consolationem, nos esse reconciliatos, id est, Placere Deo propter Mediatorem, quanquam sumus indigni & infirmi, & expressè dicitur: Iustificati sanguine, id est, obedientia Christi, sicut infrà dicitur: Per unius obedientiam iusti constituuntur multi. Et interpretatur ipse hîc uocabulum iustificati, uocabulo reconciliati, ut sciamus in uocabulo, Iusti, oportere intelligi relationem, Videlicet, reconciliationem seu acceptationem, quæ fit propter Mediatorem Deum & hominem.

Iustificati, id est, reconciliati.

Et tamen uerum est, sicut infrà dicitur: Per Christum dari gratiam & donum: Cùm fide reconciliationem apprehendimus, uiuificari nos per filium, sicut ipse inquit: Ego uitam æternam do eis. Item, qui habet filium, habet uitam. Item, dat nobis de Spiritu suo. Sed prælucere illam consolationem oportet, quæ statuit nos propter Mediatorem Deum & hominem, recipi & placere, Sicut hîc inquit, Iustificati sanguine.

Gloriantes in Deo.

NON gloriantes in nobis ipsis, hoc est, non tribuentes nobis, quòd nostræ uirtutes, nostra nouitas, nostra merita sint causa huius tanti beneficij, sed Deus propter filium dat Gratis, & reconciliationem & uitam æternam. Sicut alibi inquit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Item, Gaudens gaudebo in Domino, quòd uestimentis iusticiæ iuduit me, & uestimento salutis uestiuit me.

Opponantur autem & hæc dicta nostræ infirmitati, & statuamus certum esse beneficium, donationem uitæ æternæ propter Mediatorem, etiamsi adhuc hęrent in nobis reliquiæ peccati, iuxta dictum: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Sicut per unum hominem peccatum in mundum intrauit &c.

SUperior pars Epistolę expositionem, iustificari homines fide propter filium Dei Mediatorem, non propter legem, aut propter nostra opera, & propositioni addidit confirmationem.

Nunc uelut nouum librum incoans iustituit ἀνάλυσιν, in qua exponit singula uocabula, uidelicet, peccati, Legis, Gratiæ, & copiosè docet Ecclesiam,

am, unde sit peccatum, & qui sint eius effectus. Deinde quis sit effectus principalis legis. Postea unde sit gratia, quid sit, & quæ beneficia complectatur.

Quid sit Lex.

LEX moralis est æterna & immota sapientia & norma iusticiæ in Deo, patefacta hominibus, transfusa in nos simili luce in creatione, & postea promulgata in Decalogo, ut sciamus quòd sit Deus, & qualis sit, & discernamus eum à malis naturis, & intelligamus nos oportere ei conformes esse, omnes creaturas rationales obligans ut sint tales, quales illa sapientia Dei esse præcipit, postulans integram obedientiam, & denuncians æternam iram Dei omnibus, qui non sunt tales iuxta integram obedientiam, nisi fiat remissio propter filium. *Lex moralis.*

Hæc definitio sumitur ex uerbis Decalogi Exod: 20. Et ex Capite quarto Deut: Hæc est sapientia uestra & intellectus &c. Item, Deus ignis consumens est. Item, Maledictus omnis qui non manet in omnibus, quæ in lege scripta sunt.

Prudenter autem discernantur à Lege Morali Ceremoniales & Forenses. Quia enim Deus constituit Politiam Israël, ut certus locus esset, in quo ex certa stirpe nasceretur Christus, & ubi conspiceretur, doceret, ederet testimonia, pateretur, & resurgeret, sunt additæ leges Ceremoniales & Forenses ad certum tempus, quia societas humana in hac ciuili consuetudine non potest esse sine ordine, & sine iudicijs. Voluit autem Deus hæc externa opera esse exercitia interioris iusticiæ in cordibus.

Quid est peccatum?

BReuis & concinna definitio est peccati apud Iohannem. Peccatum est non congruere cum lege Dei. Ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Intelligatur autem in hac descriptione & hoc, quòd propter hanc ἀνομίαν homo sit reus iræ Dei. *Peccati definitio in Iohanne.*

Rectè autem constituta est hæc definitio, quia priuationes ita intelliguntur, cùm ad normam conferuntur. Iohannes igitur eruditè describit peccatum collatione legis, & deducit nos ad normam.

Est autem communis hæc definitio peccati originali & actuali: Sed quia homines prophani contenderunt nihil esse peccatum Originale, necesse fuit proprias appellationes & descriptiones constituere.

Peccatum originis est reatus propter lapsum primorum parentum & prauitatem secutam lapsum primorum parentum in omnibus propagatis secundum naturam, quæ prauitas est multiplex caligo in mente de Deo, & concupiscentia repugnans legi Dei, & propterea non tantùm pœna est, sed uerè peccatum, propter quod & rei sunt æternæ iræ homines nascentes, nisi renascantur per filium Dei. *Peccatum originale.*

Vulgata Anselmi definitio prorsus idem dicit quod nostra, sicut & ipse eam copiosè enarrauit. Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis, quæ debebat inesse. Nam iusticia originalis fuisset non tantùm acceptatio, sed etiam integritas uirium, seu rectitudo, in qua fuisset homo templum Dei, & fuisset congruentia in omnibus uiribus cum lege Dei. *Anselmi definitio peccati.*

Causa peccati originalis est Diabolus & uoluntas primorum parentum, quæ cùm esset libera, per se auertit se à uerbo Dei, nec retinuit obedientiam erga Deum. Ideo, quia dona acceperant primi parentes pro toto genere humano, & Personæ eorum repræsentabant totam posteritatem, fit rea posteritas *Causa peccati originis.*

propter

propter eorum lapsum, & quia ipsi amittunt prima dona, tales postea gignuntur, quales isti sunt amissis donis, id est, afferunt tenebras de Deo & auersionem à Deo, & non sunt templum Dei, quare nec lucem diuinam, id est, firmam assensionem de Deo, nec motus diuinos habent, nec uires possunt congruere cum lege Dei. Iam cogita & de lapsus magnitudine, & de miseria nostræ naturæ. In primo lapsu multa sunt delicta.

Delicta primi lapsus.

I. Primum, est dubitatio de uerbo Dei.

II. Secundum, amissio fidei, Non enim credunt Deo minitanti pœnam, sed fascinati speciosa promissione Diaboli, desinunt metuere pœnam, & ardent illa cupiditate maioris gloriæ: Eritis sicut Dij.

III. Tertium igitur peccatum, est Curiositas, discedere à uerbo, & quærere aliam sapientiam.

IIII. Quartum, Superbia, qua uolunt sese magnificare.

V. Quintum, Contemtus Dei, cùm uiolant mandatum contra conscientiam.

VI. Sextum, quòd anteferunt Diabolum Deo.

VII. Septimum, ingratitudo, quòd expellunt Spiritum Dei in ipsis habitantem.

VIII. Octauum, Homicidium sui & totius posteritatis, & quòd hic lapsus est prima ianua omnium scelerum & miseriarum posteritatis.

Tantus aceruus ingentium delictorum fuit in hoc lapsu, de quo propter multas causas diligentissimè cogitandum est. Magnitudo uerò miseriæ nostræ conspicitur in effectibus primi lapsus.

EFFECTVS.

Effectus peccati originalis.

MOnachi dixerunt hoc malum, quod usitatè uiciosa concupiscentia nominatur, non esse peccatum, sed tantùm pœnam, & nominarunt fomitem. Nos

I. dicimus, illam uiciosam concupiscentiam, & pœnam in rea natura, & peccatum esse.

II. Secunda pœna est mors & omnes calamitates generis humani.

III. Tertia pœna est, quòd hæc infirma natura subiecta est tyrannidi diaboli, qui & corporalibus malis conatur perdere homines, & impellit eos ad peccata omnis generis, ad blasphemias, hæreses, cædes, libidines & alia, sicut expressè dictum est, Intrauit in eum Satanas.

Philosophi ignorant causam malorum. Quintilianus.

Philosophi mirati sunt, unde in tam præstanti natura generis humani tantum sit, non modò calamitatum, sed etiam scelerum, Cùm quidem secundũ naturam sit rectè facere: ut Quintilia: ait: Magis mirum est plures homines esse malos, quàm paucos bonos, cùm rectè facere sit secundum naturam: Sed sola doctrina Ecclesiæ Dei monstrat causam, scilicet, peccatum originis.

Explicatio dicti, sensus carnis inimicicia est &c.

Ac magnitudo mali originalis præcipuè declaratur his uerbis Pauli, quę sequentur in octauo Capite: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, Legi enim Dei non subijcitur, ac ne potest quidem subijci. Sensus carnis significat & opiniones de Deo & affectus, quales sunt in hac humana natura, non renata luce Euangelij & Spiritu sancto.

Magna & tristia mala sunt dubitationes de Deo, de prouidentia, de iudicio Dei, de minis & promissionibus diuinis, de præsentia Dei in conseruatione & sustentatione rerum, ignoratio filij Dei, sicut scriptum est, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me.

Postea

Postea sunt in uoluntate & corde auersio à Deo, non habere timorem Dei, non ardere fide & dilectione, & sunt errantes motus innumerabiles, sicut æstus in Syrtibus, amores iniusti, odia iniusta, ambitiones, cupiditas uindictæ.

Hanc totam confusionem nominat Paulus, Sensum carnis, & hæc magna mala, ait, inimicicias esse aduersus Deum. Nihil potuit dici atrocius, & tamen proprijssimè dictum est, & addit explicationem, cùm inquit, hæc mala pugnare cùm lege: Ita tota peccati definitio comprehenditur, Peccatum est quicquid pugnat cum lege Dei, propter quod & persona rea est, nisi fiat remissio propter filium. Hîc reatus expressè significatur uocabulo, inimicitiæ.

Similis descriptio est apud Ieremiam Cap. 17. Peruersum est cor super omnia, & ærumnosum, id est, plenum doloribus. Priore uocabulo significatur culpa, quia peruersitas est auersio à Deo, seu non congruere cum Deo, & hæc culpa causa est condemnationis & pœnarum, in quibus augentur peccata, ut Saul, Iudas in pœnis fiunt magis furiosi, & sentiunt horrendos dolores. *Explicatio dicti Ieremiæ, Peruersum est cor &c.*

Talia dicta Prophetica & Apostolica breuia sunt, sed pia cogitatione euoluenda sunt, & magnitudo nostræ miseriæ cogitanda est, ac iram suam Deus & in his dictis patefacit, & ostendit in mole calamitatum generis humani, in morte, morbis, fame, bellis, uastationibus & alijs ærumnis. Agnoscamus igitur iram Dei, & confugiamus ad Mediatorem. Taxemus etiam cœcitatem eorum, qui contendunt hos defectus in homine non esse propriè loquendo peccata, Sicut Tridentina Synodus impiè lusit ambiguitatibus.

Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.

HAEC pars Epistolæ, ut suprà dixi, ἀνάλυσις est, in qua declarantur uocabula, Peccati, Legis, & Gratiæ. Et complectitur Paulus uno nomine peccati, malum originale & actualia delicta. Ecclesia autem postea nominatim distinxit has species, quia fuit opus noua adpellatione, cùm Pelagius contenderet, loqui Paulum tantùm de actualibus delictis, & de exemplo Adæ. At Paulus affirmat, intrasse peccatum propagatione. Expressè enim inquit, Propter inobedientiam unius, peccatores sunt alij. Item, Propter unius delictum condemnatio peruasit in omnes. Est ergo aliquod propagatum peccatum, cuius pœna est mors etiam in his, qui non habent actualia delicta, ut in infantibus. Nam si nulla esset propagatio peccati, non posset dicere Paulus, cæteros propter Adam habere peccatum. *Appellationes originalis & actualis peccati propter Pelagium inuentæ.*

Expressè igitur dicit, Mors peruasit in omnes, quia omnes peccauerunt, id est, omnes habent peccatum, scilicet, prauitatem propagatam & reatum. Phrasis enim Ebræa consideranda est, in qua uerba non tantùm significant actiones, sed sæpè aliquid habituale. Peccauerunt, id est, habent peccata, & in uocabulo peccati intelligantur, prauitas & reatus, quia hîc Paulus utrunq; complectitur.

Vsq; ad Legem peccatum.

NON solùm hoc uult, peccatum fuisse in mundo ante promulgatam legem, sed etiam illud hîc attexit, Lege non esse abolitum peccatum. Ideo includiuè intelligatur hoc dictum, Vsq; ad Legem peccatum erat in mundo, id est, etiam cùm Lex Moisi promulgata est, tamen mansit peccatum. Ita breuiter admonet, Lege non tolli peccatum & mortem, quia externa iusticia, quam utcunq; præstant homines legem imitantes, non liberat à peccato, nec est incoatio *Vsq; ad legem peccatum erat in mundo, in cluſiuè intelligatur.*

uitę æternę,sed est qualecunq; frenum externum. Interea manent in homine tristissimæ dubitationes de Deo, auersio à Deo, & multiplex immundities cordis: & cùm arguitur Conscientia,& quærit iustificationem in lege,tunc Lex habet præcipuum effectum,accusat & condemnat omnes,& obruit horrendis doloribus,sicut postea inquit Paulus: Lex occîdit &c. & est ministerium mortis. Sequitur ergo de effectu legis: Sed peccatum non reputatur, ubi non est Lex, id est, Vbi non est Lex,non agnoscitur, non accusatur peccatum in nobis ipsis. Loquitur enim Paulus de iudicio nostræ conscientiæ. Semper autem fuit moralis Lex accusans peccata.

Hîc autem fit mentio promulgationis,quia tunc Deus manifestis testimonijs sanxit legem,& ostendit naturalem noticiam, uerè radium esse suæ sapientiæ,& iudicium aduersus peccatum. Manifestum est autem promulgata lege,& constituta politia Mosaica,tamen non cessasse peccatum & mortem.

Mors regnauit ab Adam vsq; ad Moisen.

INclusiuè & hoc dictum intelligatur: etiam postquam Moises accepit legem, & hæc politia constituta est, tamen mors non cessauit: & addit, mortem regnasse in eos, qui non peccauerunt secundum similitudinem transgressionis Adæ,id est,etiam infantes morti subiecti sunt, quanquam non habent actualia delicta. Nam Paulus actuale delictum nominat transgressionem. Ideo autē hoc dicit,ut primam propositionem confirmet, quòd sit peccatum propagatum ab Adam. Cùm enim causa mortis hominum sola sit peccatum,& infantes subiecti sint morti, manifestum est & in infantibus peccatum esse, scilicet, prauitatem propagatam,& reatum.

Infantes non habent actualia delicta.

Qui est forma futuri.

HActenus de peccato Originis concionatus est, & affirmauit esse quoddam peccatum in natura hominum propagatione, quod & radix est actualium delictorum,& non esse abolitum lege. Nunc Antithesis additur de Messia, & de beneficijs quæ ipse propriè affert generi humano, de quibus & Daniel inquit: Finietur præuaricatio, & obsignabitur peccatum & fiet propiciatio pro iniquitate, & adducetur iusticia sempiterna,& implebitur Visio & Prophetia, & ungetur Sanctus Sanctorum. Ita Prophetæ expressè affirmant Messiam afferre æterna bona. Instituitur ergo hîc Antithesis.

Adæ & Christus duæ summæ personæ.

Duæ sunt summæ Personæ in genere humano, Adam & Christus Deus & homo,quarum utraq; meruit alijs,sed res contrarias. Vt igitur antea de causa peccati,de effectu & propagatione dixit, ita nunc ostendet causam gratiæ, effectus,& propagationem. Sunt autem & res dissimiles, & modus propagationis,ideo statim addit, Sed non ut delictum sic & donum, id est, & res sunt dissimiles,& sunt aliæ dissimilitudines. Hoc autem congruit, quod uterq; alijs meruit.

DE GRATIA.

Gratiam & donum Paulus coniungit.

DIligentissimè obseruandum est, Paulum coniungere Gratiam & Donum, sicut & in Iohanne dicitur, Per Christum Gratia & Veritas facta est, Vocabulum Gratiæ significat gratuitam misericordiam, ideo hîc significat ueriss imè remissionem peccatorum, & gratuitam acceptationem propter filium Dei.

Donum per gratiam significat non tantùm in hac uita donationem Spiritus

ritus ſancti,ſed integrum beneficium Chriſti,ſcilicet,uiuificationem & ſanctificationem in hac uita, quæ fit,cùm in uera conſolatione uerbo & Spiritu ſancto uiuificamur,& deinde uitam æternam , in qua Deus eſt omnia in omnibus , & natura noſtra erit ſine peccato.

Primùm autem collatio fit,de modo meriti. In hac ita congruunt Adam & Chriſtus,quòd utercꝫ aliis meruit,Adam meruit aliis reatum,Chriſtus meruit aliis reconciliationem,iuſticiam & uitam æternam.Hæc collatio illuſtrat doctrinam de imputatione. Sicut propter Adam alij ſunt rei , ita propter Chriſtum credentes ſunt reconciliati,ſeu accepti,nõ propter propriam dignitatem. *Collatio Adæ & Chriſti.*

Poſtea addit Paulus correctionem de rerum diuerſitate,inquiens:Sed non ſicut delictum ſic & donum,id eſt, multa ſunt diſſimilia in hac collatione.

Primùm,res ſunt diuerſiſſimæ, Peccatum & Gratia, mors æterna & uita æterna. I.

Secundò, Differentia eſt in modo propagandi. Ab Adam propagatur natura rea,habens peccatum & morti obnoxia,Et contrà à Chriſto donatur reconciliatio , hæc non propagatur generatione carnali , ſed fide accipitur , Iohannes 1.Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,iis qui credunt in eum,qui non ex ſanguinibus,ſed ex Deo nati ſunt.Iohan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu &c. II. *Reconciliatio non propagatur.*

Hęc diſſimilitudo propagationis diligenter obſeruanda eſt,propter anabaptiſtas,qui prodigioſa deliramenta comminiſcuntur:Alij prorſus dicunt nullum fuiſſe unquam peccatum Originis:Alij fingunt poſt reſurrectionem Chriſti prorſus neminem naſcentem habere peccatum originis. *Anabaptiſtarum error de malo originis.*

Aduerſus illas fanaticas opiniones muniunt nos illæ ſententiæ citatæ ex Iohanne,& cogitandum eſt,quanta ſit inſania Anabaptiſtarum.Si nullum eſſet peccatum originis , omnes homines uiuerent ſine peccato & ſine morte, Quod cùm ſit manifeſtè falſum,neceſſe eſt manere cauſam, ſcilicet, peccatum originis.

Tertia diſſimilitudo magni momenti eſt. Si parem uim haberent Peccatum & Gratia , quomodo gratia ſaluaret , præſertim cùm Peccatum & Mors ſentiantur : neceſſe fuit igitur in hac Antitheſi oſtendere gratiam longè potentiorem eſſe peccato,& uictricem eſſe,ſicut inquit uox filij Dei, O Mors, ero mors tua,& ô Inferne,ero peſtis tua.Illuſtrat igitur Paulus hanc diſſimilitudinem,cùm poſtea inquit , Gratia ſuperat peccatum. III.

Superat autem dupliciter,& imputatione & effectu.Imputatione ſuperat, quia Deus reputat eos iuſtos,qui apprehendunt fide gratiam, etiamſi reipſa ad huc habent reliquias peccati . Deinde etiam effectu ſuperat , quia in illis ipſis quanquam infirmis,tamen habitat Deus & exiſtunt in eis noui motus,qui reſiſtunt peccato,& fide uincuntur dolores inferorum,iuxta dictum, iuſtificati fide pacem habemus . Item, illi ipſi , quanquam corpus deſtruitur propter reliquias peccati,tamen reſuſcitantur ad uitam æternam.Hæc ſciri neceſſe eſt, ut beneficium Chriſti intelligatur, & ſciamus gratiam uictricem eſſe. *Gratia ſuperat peccatum dupliciter.*

Lex ſubintrauit Vt abundaret delictum.

AFfirmat lege necꝫ deletum eſſe peccatum,necꝫ abolitam mortem,imò peccatum auctum eſſe inquit,quod poſtea declarat,quia enim conſcientia accuſata lege fugit Deum,& in illis horrendis doloribus, magis iraſcitur Deo, peccatum fit multò atrocius,& fit multorum horribilium peccatorum confuſio, qua ruit homo in æternum exitium , ut in Saule & Iuda conſpicitur. *Lege peccatum augetur.*

Hanc doctrinam de legis effectu aliquoties in hac Epistola repetit. Scien-
Principalis usus legis. dum est autem, loqui eum non de politico usu legis, sed de hoc principali usu, qui est iudicare & condemnare corda coram Deo, & esse ministerium, quo Deus iram suam effundit aduersus homines, sicut suprà dictum est, lex iram efficit.

Vbi autem abundauit peccatum, ibi excelluit Gratia.

Gratia uictrix HIC proponitur doctrina necessaria in hac antithesi, & dulcissima consolatio, Videlicet, Gratiam uictricem esse & longè potentiorem peccato, ideo inquit, Superexcelluit Gratia. Dixi autem antea, ualde necessariam esse considerationem huius dissimilitudinis in hac antithesi, Quia si parem uim haberent peccatum & Gratia, nec uinceret gratia, quid afferret auxilij? Ideo autem donatus est nobis Mediator, ut deleat peccatum & mortem, & restituat nobis iustitiam & uitam, & sit Victor, sicut promissio inquit: Semen mulieris conculcabit caput Serpentis.

1. Iohan. 3. Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Et constat hanc ipsam sententiam sæpissimè repetitam esse.

Teneamus ergo Pauli dictum, quod propter breuitatem & uerborum pondera insigne est, & ad usum accommodemus, ubi in uera consolatione hæc concio nobis fit illustrior & dulcior.

Dauid considerans magnitudinem suorum lapsuum, opponit hanc doctrinam, Beati omnes qui confident in eum, & filio Dei hanc gloriam tribuit, ut credat potentiorem esse peccato & regno Diaboli. Ita eluctatus est ex morte & ex inferis. Iterum autem admoneo, Gratiam potentiorem esse dupliciter: Imputatione & effectu.

I. Primùm imputatione, quia Deus reputat iustos credentes in filium, etiam
Gratia potentior peccato. si adhuc hærent in eis reliquiæ peccati, ut infrà inquit, Iam non estis sub lege. Et Rom. 8. Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Et in Psalm: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

II. Deinde superat Gratia effectu, quia ipse filius Dei uiuificat corda, & liberat ea ex inferis, ac Spiritu sancto tollit dolores & reddit lætitiam & uitam cordi, iuxta dictum, Iustificati fide pacem habemus. Item, quia excitat bonos motus & reprimit peccatum. Deniq; & resuscitat mortuos ad uitam æternam.

Peccatum regnare ad mortem quid. Obseruandum est & uerbum, Regnare. Vbi non est gratia & fides, peccatum regnat ad mortem, Id est, non est tantùm causa mortis corporalis, sed est causa eius mortis, quæ est sensus æternæ iræ Dei, & æterna condemnatio, ut in Saul & Iuda. Sed ubi est Gratia & fides, quanquam sunt in homine reliquiæ peccati & mors corporalis, tamen non regnant, quia etiamsi corpus destruitur, tamen non sentiuntur dolores inferorum, sed Spiritus uiuit propter iusticiam, ut infrà inquit capite 8. Et postea resuscitatur homo ad æternam lucem, sa-
Gratiam regnare per iusticiam quid. pientiam, iusticiam & lætitiam. Ita hîc inquit, Gratia regnat per iusticiam, id est, Misericordia gratuita regnat & uincit, qua & iusti reputamur, & donamur noua luce, sapientia & iusticia per Iesum Christum. Vtrunq; enim hîc complectitur Paulus, & imputationem & uiuificationem, qua ipse filius Dei in nobis est efficax.

CAPVT VI.

Quid igitur dicemus?

Priusquam

PRiusquam Paulus incoatam collationempeccati, legis & Gratiæ pertexit, inserit occupationes,quia magnus tumultus quæstionum hîc oritur: Si non sumus iusti lege & operibus nostris, sed per misericordiam propter Mediatorem,quorsum opus est bene operari?

Hæc obiectio fit magis perspicua, si nostri temporis controuersiæ considerentur. Nam prorsus eadem absurda nobis aduersarij obijciunt: Si propter opera non sumus iusti, quorsum attinet bene operari. Imò tanta est infirmitas naturæ nostræ,ut singuli remittant intentionem & curam bene operandi,audita doctirna de imputatione. At cognitio misericordiæ magis accendere nos ad bene operandum deberet: Nam dubitatio est arcanus & profundus fremitus, qui horribiliter languefacit animos in inuocatione & omnibus actionibus. Vsitata autem responsio est ad quæstionem.

Doctrina de imputatione languefacit curam bene operandi.

Si non sumus iusti propter opera, non igitur opus est benè operari? *Obiectio.*

Responsio.

Nego consequentiam, & ratio est, quia in hoc argumento fallacia est secundum non causam, ut causam.

Sunt enim aliæ magnæ & necessariæ causæ bene operandi, etiamsi opera non iustificant. Donatur iustificatio propter Mediatorem per fidem,id est,propter filium Dei accipimus remissionem peccatorum, & reputamur iusti, id est, accepti Deo gratis, Oportet enim tribui filio debitum honorem, Et oportet consolationem esse firmam & certam.

Fit autem huius beneficij applicatio per fidem,qua simul corda regenerantur,quia tunc filius Dei per Euangelium, uiuificat corda, & dat Spiritum sanctum: Ita in mente & corde incoatur Regeneratio accepto uerbo, id est, Consolatione, quam dicit Filius in corde & accepto Spiritu sancto, qui nouos motus accendit in corde. Sic ait Petrus: Renati estis, non semine corruptibili, sed per sermonem uiuentem Dei, & manentem in secula. Et ad Titum 3. Secundum misericordiam saluauit nos per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus sancti, quem effudit super nos opulenter per IESVM Christum Saluatorem nostrum. Et Zachariæ 11. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

Considerandę sunt igitur causę bene operandi necessarię: & agreste est intelligere necessitatem coactionem. Angelorum obediẽtia est necessaria,id est,sic ordinata à Deo,& tamen est spontanea, non extorta coactione uel terroribus.

Necessitas non est coactio.

Sunt igitur causæ bene operandi,Impulsiua,Efficiens,Finales. Impulsiua, quia manet ordo Dei immotus, ut Creatura obediat Deo: de hac causa loquitur Paulus infrà cùm inquit,Debitores sumus. I.

Causæ bene operandi.

Efficiens,de qua hîc loquitur,est Spiritus sanctus, qui tales motus accendit, qualis ipse est. II.

Hinc duo Argumenta extruit Paulus.

Natura mortua non sit efficax:

Vetus natura cœpit mori,Quia cùm in conuersione arguit peccatum, ibi in sensu iræ Dei reuera fit mortificatio ueteris naturæ,ut dicitur:Sicut Leo contriuit omnia ossa mea.

Non igitur sit efficax.

Item, Viua & regnans natura sit efficax: Iam regnat in corde Spiritus: Sit igitur efficax. Nam Spiritus sanctus accendit tales motus, qualis ipse est, iuxta

dictum, Dabo legem meam in corda eorum. Hæc Argumenta recitat hîc Paulus.

III. Passio filij Dei non confirmat peccatum.

Causæ finales sunt multæ & magnæ. Filius Dei nequaquam ideo passus est, nec ideo dat remissionem peccatorum, ut confirmet peccatum, & horribiles furores in genere humano, sed ut deleat peccatum & mortem, & restituat iusticiam & uitam æternam: Ideoq; uult nos fieri conformes suæ mortis & resurrectionis. Et ad hunc ipsum finem manet mors corporis etiam Electorum & Sanctificatorum, ut massa peccati prorsus destruatur, & tamen in ea uult incoari in hac uita lucem, iusticiam & uitam æternam, & dat remissionem peccatorum, ut simul hac fide, qua accipitur remissio, incoetur uita, & sit uictrix peccati & terrorum mortis.

Nouitas Spiritus.

Hæc uictoria est initium conformitatis cum resurrectione Christi. Est autem hæc uictoria hoc ipsum in nobis, quod uocatur nouitas Spiritus, & non est tantùm cogitatio humana, sicut diligentia regendi disciplinam in Pomponio Attico: sed ipse Filius Dei est efficax per uocem Euangelij in cordibus credentium, & facit eos suæ resurrectioni conformes, cùm uiuificat eos & retrahit ex doloribus inferorum, ac simul dat eis Spiritum sanctum, qui accendit nouos motus in eis congruentes cum Deo, id est, Lætitiam & amorem erga Deum. Ita uincitur peccatum in nobis per filium Dei, Vt & ipse inquit, Ego sum uitis, uos palmites, qui manet in me & ego in eo, feret fructum multum, quia sine me nihil potestis facere &c. 2. Corinth. 15. Gratia Deo, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Noua obedientia.

Idem dicitur, cùm ab alijs dicitur, noua obedientia est retinere antea donatam remissionem & reconciliationem, Spiritum sanctum & fidem. Ac tota res fit perspicua, si conferatur huc doctrina de pœnitentia seu conuersione, & est utile in doctrinis uidere, ubi res eædem diuersis uocabulis nominentur, ne incauti res diuersas cogitent: sicut Anabaptistæ, cùm audiunt hæc uocabula,

Anabaptistarum figmenta de mortificatione & uiuificatione.

mortificationem & uiuificationem, fingunt res diuersas à pœnitentia seu conuersione, Postea comminiscuntur mortificationem esse simulatos gestus humilitatis, contemtum ordinis Politici, Coniugij, rerum communicationem, ἀσωτίαν &c. Deinde uiuificationem fingunt suas quasdam illuminationes & ἐκστάσεις.

De his fanaticis imaginationibus Paulus ipse præmonet homines, ut prudenter iudicent illa grandia uerba & simulationem sanctitatis, ne decipiantur. Nos loquimur de rebus notis in Ecclesia, & in exercicijs piorum. Hoc quod usitatè nominatur contritio, id hîc nominatur Mortificatio, & significat ueros pauores & dolores in corde agnoscente iram Dei aduersus peccata: de quibus doloribus dictum est, Sicut leo contriuit ossa mea. Et in tali mortificatione ruunt homines in æternum exitium, sicut Saul & Iudas, quando non accedit fides.

Contritio est mortificatio.

Mortificatio quid.

Loquitur autem Paulus de mortificatione, qua morti Christi conformes sumus, uidelicet, cùm qua fides est, qua simul per Christum sustentamur & uiuificamur, Est autem uiuificatio altera pars conuersionis, scilicet, fides, de qua dicitur: Iustus fide sua uiuet. Nam in hac consolatione filius Dei uiuificat cor, & dat Spiritum sanctum, qui accendit nouos motus in corde, iuxta dictum. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum clamantem Abba Pater. Item, Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & Precum. Hi motus dicuntur & sunt noua obedientia.

Viuificatio quid.

Hæc

Hæc collatio uocabulorum pœnitentiæ seu conuersionis, est utilis populo contra Anabaptistica & similia deliramenta. Et semper sit in conspectu uera, simplex & perspicua doctrina de pœnitentia, seu conuersione, & exerceatur in quotidiana inuocatione: sicut docent Psalmi, Domine ne in furore tuo arguas me. Miserere mei Deus. Et De profundis: qui & de mortificatione & de uiuificatione loquuntur, de quibus & hîc Paulus loquitur.

Vetus homo quid.

Rectè intelligantur & Phrases, Vetus homo, & nouus homo, Caro & Spiritus. Vetus homo significat non tantùm partem hominis, sensus & appetitiones sensuum, sed etiam rationem & uoluntatẽ, Nec solùm appetitiones sensuum pugnant cum Lege Dei, sed etiam in ratione seu parte cogitante sunt ignoratio Dei, dubitationes de prouidentia, ignoratio Messiæ, & multiplex caligo. Deinde in uoluntate est auersio à Deo. Voluntas est sine timore Dei, sine amore, fiducia, spe, sine lætitia in Deo, amat, odit contra mandata Dei: hæc uicia sunt in superiore parte. Ideo Paulus describens hominem sine Spiritu sancto 1. Corinth: 2. inquit: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, Ac totum hominem non renatum uerbo & Spiritu, nominat ψυχικὸν, sicut alibi totum hunc hominem nominat carnem.

Nouus homo quid.

Nouus homo dicitur, quatenus habet nouam lucem, ac nouos motus accẽsos per uerbum & Spiritum sanctum, Videlicet, agnitionem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, ueram fidem & fiduciam in Christum, timorem Dei, inuocationem, dilectionem, lætitiam acquiescentem in Deo, spem & alios motus Spiritus sancti. De hac nouitate loquitur Paulus 2. Corinth. 3. Nunc retecta facie gloriam Domini intuentes, in eandem imaginem transformamur à fulgore in fulgorem, tanquam à Domini Spiritu, id est, cùm fide cernimus fulgorem Domini, uidelicet, ipsum Christum, ostendentem nobis misericordiam æterni Patris, qua agnita accedimus ad Deum, non fugimus ut Saul, sed uerè agnoscimus Deum esse bonum & præsentem, nos recipi & seruari ab eo propter filium, in hac filij luce nos quoq; transformamur, id est, accipimus radios per filium in nos sparsos dato Spiritu sancto, uidelicet, noticiam Dei & nouos motus, quos accendit & confirmat Spiritus sanctus audita uoce Euangelij. Nec significat nouitas, cogitationes & motus ratiõis sine Spiritu sancto, nec significat Spiritus rationem, sed tertiam Personam diuinitatis, quam æternus Pater dat per filium in corda nostra. Erit autem nouitas hominis integra in Ecclesia cœlesti, in qua erit Deus omnia in omnibus, id est, sic fulgebit in nobis, ut palàm conspiciatur, non per ministerium Euangelij, & ciebit omnes motus, ita, ut non sit simul in nobis peccatum.

Explicatio dicti, Retecta facie gloriam Domini intuentes &c.

Idem homo uetus & nouus est.

At in hac uita idem homo renatus, est Vetus & Nouus, id est, Paulus est nouus, quia in eo habitat Deus, & illustrat eum uerbo suo & sanctificat Spiritu sancto, & mens & cor, accipiunt aliquos radios lucis diuinæ & motus Spiritus sancti: Sentit enim Paulus inuocationem, fiduciam, lætitiam in Deo: eatenus est nouus, & hæc nouitas regnare debet. Sed nondum in hac uita natura Pauli prorsus est sine peccato & sine morte, eatenus est uetus homo, sed hæc uetustas mortificatur, non regnat.

Qui mortui sumus peccato, quomodo &c.

PRimùm Argumentum sumtum à causis efficientibus.

Mortua natura non sit efficax.

In nobis uetus natura,quæ est massa peccati est mortua, id est,cœpit mortificari,nec regnat:

Ergo non sit efficax.

Minorem probat,quia per Baptismum sumus in mortem Christi baptizati,& consepulti eum eo,Quia Baptismus est testimoniū quo mergimur, tanquam in sanguinem Christi,ut abluamur & accipiamus remissionem peccatorum.Ita autem fit remissio,ut propter mortem & resurrectionem Christi etiam re ipsa in nobis aboleatur peccatum, quia filius per Euangelium dato Spiritu sancto,arguit corda de peccato,& rursus uiuificat, & accendit nouam lucem & nouos motus in nobis.Huius remissionis seu reconciliationis & efficaciæ Christi in nobis testimonium & pignus est Baptismus, & cùm sic incoata est mortificatio & uiuificatio,sepelimur unà cum Christo.

Baptismus pignus remissionis & efficaciæ Christi in nobis.

Est autem massa peccati sepulta dupliciter:Primùm imputatione,quia remittuntur nobis reliquiæ peccati.

Peccati massa sepulta dupliciter.

Secundò,quod ad effectum attinet,quia hæc massa postquam mortificari cœpit,desijt esse efficax,id est,non regnat.

Nec tantùm de mortificatione loquitur Paulus: sed addit Argumentum de uiuificatione,nisi enim accederet uita & uinceret,nulla esset liberatio, Ideo & suprà dictum est,Gratia exuberat supra delictum. Item,regnat gratia per iustitiam ad uitam æternam. Inde sic argumentatur.

Viua natura est efficax.

Nos uiuificati sumus per Christum,qui ideo assumsit hanc massam, ut nobis quoq; uitam redderet:& hæc uiuificatio incoatur in hac uita, cùm filius Dei per Euangelium & Spiritum sanctum consolatur corda, & liberat nos ex morte æterna,iuxta dictum,Iustificati fide pacem habemus.Item, O Mors ero mors tua, & ô inferne ero infernus tuus &c. Quia uerò hæc uita, quæ restituitur per filium,dato Spiritu sancto est talis,qualis est ipse Spiritus sanctus, sint actiones congruentes Spiritui sancto. Vt alibi dicitur: Nos retecta facie gloriam Domini speculantes transformamur in eandem imaginem &c.

Ita necessitas bene operandi ex causa efficiente, & finali ostenditur. In his comprehensa est & necessitas debiti, quia hic ordo immotus est, ut creatura rationalis Deo obediat:& restituitur natura,ut ad hanc obedientiam redeat:hunc ordinem nominat Paulus debitum.

Necessitas debiti.

Qui mortuus est,iustificatus est à peccatis.

DE hoc dicto multæ cauillationes agitantur.

Mortuus iustificatus est à peccato,

Iudas est mortuus, Igitur,

Iustificatus est.

Respondeo simplicissimè,Dictum hoc loquitur de actualibus peccatis huius uitæ,ut dicitur νεκρὸς ὃυ δ'ἄκνε, Id est,qui mortuus est,iam nihil agit in hac uita: ut strangulatus desinit furari. Vel dicas, Mortuus iustificatus est à peccato,uidelicet, qui est crucifixus cùm Christo.

Mortuus iusti ficatus est etc.

Alij argutius respondent:Qui mortuus ést,iustificatus est,id est,iusta pœna adfectus est.Sed qui pœnam non patitur uolens,non est iustus. Vt enim obedientia tunc est iusticia,cùm est uoluntaria,ita sustinens pœnam tunc est iustus, cū uolēs sustinet,Sicut filius Dei pro nobis uolēs sustinuit pœnā.Fuit igitur obedientia eius iusticia.Sed simus contēti priore simplici explicatione νεκρὸς ὃυ δ'ἄκνε.

Obedientia est iusticia cum est uoluntaria

Cæte-

Cæterùm hoc sciamus, Diabolos & omnes damnatos in omni æternitate horribilia peccata facere, quia sine fine irascuntur Deo &c. Christus ait, Diabolum esse homicidam & mendacem. De his horribilibus furoribus cogitantes, magis expauescamus cogitatione æternarum pœnarum.

Non regnet peccatum in mortali corpore.

COnclusio est responsionis, quam opposuit obiectioni antea recitatæ. Diserte autem dicit, Non regnet peccatum, ut significet in hac uita non prorsus extinctam esse uicios am naturam, quasi dicat: Reliquum est peccatum in natura in hac uita, sed non regnet, id est, non obtemperet uiciosis affectibus, sicut & infrà dicit: Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, uiuetis. *Peccatum non regnans.*

Hi loci & similes ostendunt discrimen peccati, quod in sanctis reliquum est, & illorum peccatorum, propter quæ homo desinit esse in Gratia, & quæ excutiunt Spiritum sanctum. Hoc discrimen in Ecclesia cognosci & conspici necessarium est.

Regula autem infrà tradita est. 1. Timoth: 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Ex hac Regula constituatur discrimen. Cùm assentitur homo errori in uno uel pluribus Articulis fidei, siue sciens siue deceptus, amittit Spiritum sanctum, iuxta dictum: Qui non credit iam iudicatus est. Item, Spiritus de meo accipiet. Item, Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

Etsi autem in omnibus sanctis in hac uita caligo est, nec satis intelliguntur Articuli fidei, & assensio est languidior, aut etiam extruuntur stipulæ supra ueram doctrinam: tamen hæc imbecillitas differt ab euersione Articuli fidei, seu ab asseueratione contraria, Vt Samosatenus, Arius, delebant Articulum de diuinitate filij, & multi eis assentiebantur, quorum error contristauit & excussit Spiritum sanctum. Quia non est Spiritus in corde nisi per ueram uocem doctrinæ, iuxta dictum: Sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. *Euersio articuli fidei excutit Spiritum sanctum.*

Præterea homo uiolans mandata Dei contra conscientiam, amittit Spiritum sanctum, & rursus fit reus iræ Dei, & ruit in æternum exitium, Si non fiat conuersio. 1. Corint. 6. Scortatores, Adulteri, non possidebunt Regnum Dei. Et excusso Spiritu sancto, Peccatum dicitur regnans peccatum, quia efficit proprium effectum, scilicet, ut homo ruat in æternas pœnas: ideo recentior ætas nominat mortale. *Peccatum regnans.*

Constituta hac regula, deinde sciamus in Renatis in hac uita tamen adhuc multa & magna peccata esse, etiamsi lucet in mente & uera fides, & conscientia bona est, id est, bonum propositum, ut Paulus Rom. 7. inquit: Inuenio aliam legem in membris captiuantem me in lege peccati, id est, aliqui sunt morbi, caligo & multæ tristes dubitationes de Deo, Item in corde non est tantus timor, dilectio, fiducia Dei, ut esse debebat, & sunt multæ errantes flammæ cupiditatum, ignorantiæ & omissiones multæ.

Hæc sunt uerè suo genere peccata, sed Renati, qui dolent propter hanc immunditiem & resistunt ei, & fide propter Mediatorem credunt ea remitti ac tegi, retinent Spiritum sanctum & fidem, ac manent in gratia, ideo hoc peccatum nominatur peccatum non regnans, uidelicet, in Renatis, qui resistunt & retinent fidem, sicut infrà dicitur octauo cap. Nulla condemnatio est nunc his, qui in Christo Iesu ambulant. Et hîc traditur dulcissima consolatio, Peccatum *Peccatum non regnans.*

Esse sub gratia.

tum non dominatur uobis,Non enim estis sub lege,sed sub gratia,quasi dicat, Quia estis sub gratia,id est,sub gratuita reconciliatione propter filium,ideo lex iam non accusat uos,non damnat uos,& reliquiæ peccati in uobis teguntur per umbraculum,uidelicet,per Mediatorem Christum &c.Hanc doctrinam de discrimine peccatorum tenere necesse est, propter multas & grauissimas causas.

Quid igitur,num peccabimus,quia non sumus sub lege &c?

OCcurrit obiectioni de Libertate,Nam in politica consuetudine intelligitur abrogatio legum sic,ut postea concedatur facere contra legem. Sicut etiam contra leges de Ceremonijs facimus, uescimur carne suilla &c.

Quæstio est igitur, an eodem modo intelligatur liberatio à lege de ceremonialibus, forensibus, & moralibus legibus?

Liberatio à lege quomodo intelligatur.

Respondeo,quod ad iustificationem & condemnationem attinet, eodem modo de omnibus legibus intelligitur liberatio:id est, sicut non uesci suilla carne non meretur remissionem peccatorum, & non est iusticia, qua coram Deo simus accepti,Sic nec opera Decalogi merentur remissionem, nec sunt iusticia, qua coram Deo persona sit accepta: Sed quod ad obedientiam attinet, discrimen est legum ceremonialium,forensium & moralium.Nequaquam manet debitum obedientiæ in ceremonialibus,sicut in moralibus, quia politia Mosaica singulari consilio sic constituta est,ut duraret tantum, donec Messias ibi concionaretur,ederet testimonia,offerret Sacrificium,resurgeret ex morte,& inde mitteret Apostolos.Simul igitur collapsæ sunt leges ceremoniales & forenses,quæ sunt ipsa Politia seu nerui politiæ.Sed lex moralis est æterna & immota sapientia in Deo & norma iusticiæ,cuius radius creaturæ rationali insitus fuit,ut essemus conformes Deo, & hic ordo æternus est,ut Creatura rationalis sit conformis Deo. Nunquam igitur uult Deus peccatum. Quanquam enim recipit hominem immensa misericordia propter filium,tamen non uult peccatum:sed remittit, quia pœna per filium persoluta est,& ita nos recipit, ut simul conformitatem cùm Deo restituat,& Deus nobis in tota æternitate sese communicet.Ita & hoc loco Paulus argumentatur à causa finali seu formali, Quanquam similitudinibus politicis usus est, quas ipse fatetur rudiores esse.

Leges ceremoniales & forenses collapsæ cum politia.

Iam estis serui iusticiæ,

Ergo sint opera iusta.

Causa finalis reconciliationis.

Id est,causa finalis reconciliationis est, ut restituatur æterna conformitas cum Deo,sint igitur actiones conformes.

Item facto diuortio mulier est posterioris uiri,non prioris.Sic sumus iam Christi & conformes Christo,qui est imago æterni Patris, & uenit ut restituat in nobis imaginem Dei.

Cùm autem sic dicitur,sumus liberi à Lege morali, quod ad condemnationem attinet, id nequaquam intelligitur de his, qui non sunt conuersi ad Deum, nec fide sunt uiuificati per filium Dei, quia de his dictum est.Qui non credit, iam iudicatus est. Item aculeus mortis peccatum est, potentia uerò peccati lex est, Deo autem sit gratia, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Tantùm igitur illi ab hoc iudicio legis moralis, id est, à condemnatione liberati sunt, qui iustificati sunt fide, de quibus suprà dictum est:Iustificati fide pacem habemus.Item infrà,Nulla nũc damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Item, Non estis sub lege, sed sub Gratia. Item,

Iustificati fide liberati à condemnatione legis.

Qui

Qui habet filium, habet uitam, Qui non habet filium Dei, non habet uitam, Item, si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis.

Obiicitur autem: *Obiectio.*

Lex est æterna & immota,

Ergo necessariò manet condemnatio, ubi manet peccatum. Respondeo.

Omnis Lex obligat, uel ad obedientiam, uel ad pœnam uoluntariam. Cùm autem deriuata sit pœna in filium, legi satisfactum est, Sicut ipse inquit, Non ueni soluere legem, sed implere. Et quia filius innocens & uolens patitur, applicatur illa persolutio pœnæ, & donatur nobis. Ostendit autem hęc ipsa pœna, Deum non uelle nec approbare peccatum, sed recipi homines propter ἴλεα quæ filius dedit, & ita recipi, ut maneat ordo, & Lex in mente diuina, quæ non uult peccatum, & recipit nos ad restituendam obedientiam. *Passio Christi adplicatur nobis.*

Hæc pia meditatione sæpè cogitanda sunt, & ut doctrina fiat illustrior, & ueræ consolationes rectè intelligantur &c. Et conferantur dicta Prophetarum.

Esaiæ Cap. 52. Gratis uenundati estis, non argento redimimini, id est, Cùm Diabolus uos decepit in suis promissis, Gratis uenundati estis, id est, non accepistis illa promissa, Eritis sicut Dij: Sed potius omnibus malis onerati estis. Vendens autem debet aliquid boni recipere pro re uendita: Id non factum est, cùm uos uenditi estis Diabolo. Rursus etiam fiet redemtio non uestro precio, sed filius persoluet λύτρα. *Gratis uenundati estis &c.*

Esaiæ 43. In peccatis tuis seruire me fecisti, Laborare me fecisti in iniquitatibus tuis, Ego ipse deleo delicta tua propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

Esaiæ 53. Ponet animam suam hostiam pro peccato.

Obseruentur in hoc capite & dulcissimę formulę loquendi, Præbete membra uestra arma iusticiæ. Membra nominat, ut aliâs diximus, Potentias & organa in homine, uidelicet, Mentem & uoluntatem, cor, locomotiuam & sensus. Hæc sint arma incitata à Spiritu sancto. Sicut cor Ioseph ardebat Spiritu sancto, cùm resisteret adulteræ: & quia nominat arma, uult nos non esse segnes. *Præbere membra arma iusticiæ.*

Stipendium peccati mors est.

ANtithesis obseruetur, De peccato inquit: Stipendium peccati mors est: id est, peccatum meretur mortem. Sed uita æterna est Donum Dei, per & propter Christum Iesum, quia simul accipiuntur Gratis, fide remissio peccatorum, reconciliatio & hæreditas uitæ æternæ, iuxta dicta: Sic Deus dilexit mundum, ut omnis qui credit in filium, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Rom. 5. Iustificati sanguine ipsius saluabimur per eum ab ira. Item, Quantò magis reconciliati saluabimur in uita eius. Item, Qui habet filium, habet uitam. Item, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Ac utile est meminisse dictum Bernardi, qui inquit, Necesse est credere, quòd tantùm per gratiam, non propter merita tua habeas remissionem peccatorum, & credere te necesse est, TIBI remitti, Sic etiam necesse est credere, quòd gratis donetur uita æterna propter Christum, non propter tua merita. Augustinus torquet se, quomodo uita æterna, & donum sit et merces, sed uera explicatio est, Propriè donum est, quia sola causa, propter quam datur uita æterna, est *Bernardus.*

Christus,

Christus, & propter hunc gratis datur credenti in conuersione, iuxta iusiurandum: Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris &c. Deinde cùm propter aliud data sit, accidit ei, ut sit etiam compensatio seu merces laborum, sicut datur hæreditas, quia filius est, & tamen postea accidit hæreditati, ut sit compensatio officiorum, si qua præstiteris.

Hæc est uera & simplex explicatio. Deinde & hoc sciamus, phrasin legis enarrandam esse iuxta Euangelium, ut suprà Cap. 2. dictum est: Dabit unicuique iuxta opera sua.

CAPVT VII.

Similitudo sumta à secundo coniugio.

SIcut antea similitudine seruitutis usus est, ita nunc similitudine secundi coniugij pingit obedientiam, quæ Deo præstanda est, nec difficilis est accommodatio. Vt mulier mortuo priore marito propria est secundi, sic nos liberati à lege prioris Domini, uidelicet à condemnatione perterrefaciente & impellente corda ad dubitationem, diffidentiam, & fremitum contra Deum, Iam sumus alterius, scilicet Dei, in quo lætamur, ad quem accedimus fide per Christum, per hunc uiuimus, & quia iam sumus eius proprij, præstetur ei obedientia.

Dictum est autem suprà, hæc Argumenta à causis finalibus sumta esse. Venit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli, non ut confirmet peccatum, sed ut prorsus deleto peccato & morte, restituantur in nobis iusticia & uita æterna &c.

Cùm sitis mortui legi per corpus Christi.

COnclusio est superioris adhortationis, in qua Paulus accommodat similitudinem de nouo coniugio ad nos, qui iam sumus alterius, scilicet Christi, postquam condemnatio sublata est: & ait sublatam esse per corpus Christi, uidelicet, per uictimam Christum, qui pro nobis legi satisfecit.

Cùm essemus in carne.

ATtexit conclusioni Antithesin, in qua narrat qualis fuerit prior seruitus sub lege, & qualis sit nunc nouitas postquam à lege liberati sumus. Talis erat seruitus, ut lex non solùm non deleuerit peccatum, sed etiam auxerit & armauerit, ut nos occideret. Ac diligenter obseruanda est particula, Affectus peccatorum qui per legem sunt, erant efficaces ad mortem.

Affectus peccatorum qui per legem sunt &c.

De quibus affectibus & de quibus peccatis loquitur? Respondeo: Loquitur de dubitatione, diffidentia, indignatione, fuga & fremitu aduersus Deum, quales sunt fluctus in Saule aut in Iuda. Vbi hæc dubitatio uincit corda, non inuocant Deum, non petunt nec expectant ab eo auxilium, quærunt præsidia contra mandata Dei, Deniq; multa peccata interiora & exteriora concurrunt, Et nisi homo retrahatur ex hac dubitatione & consternatione, ruit in mortem æternam: Ideo dicit, Affectus peccatorum, qui sunt per Legem, id est, dubitatio, diffidentia, fuga, fremitus aduersus Deum erant efficaces, & impulissent nos in mortem æternam, nisi liberati essemus agnitione & fiducia filij.

Monachorum dubitatio peccatum est.

Hîc seueriſſimè taxanda est impia doctrina Monachorum, quæ ait, dubitationem non esse peccatum, & non ostendit consolationem in Euangelio propositam, quæ iubet uincere dubitationem fide, ut dicitur Rom. 4. Ideo ex fide, ut sit firma promissio. Rom. 5. Cap. Iustificati fide pacem habemus. Iohannis 16. Spiri-

16. Spiritus sanctus arguet muudum de peccato, quòd non credunt in me. Hæc & similia dicta opponenda sunt dubitationi, ut agnitione filij Dei accendatur fides & reuiuiscant corda & lætentur in Deo, sicut inquit Ezechias: Tu eruisti animam meam, ut non perirem, proiecisti post tergum peccata mea.

Seruire in nouitate Spiritus.

Post hanc consolationem homo seruit in nouitate Spiritus, id est, in uitæ æternæ initijs, & motibus quos accendit Spiritus sanctus, qui est amor & lætitia substantialis, & copulant nos sibi æternus Pater & Filius hoc suo Spiritu, qui talem amorem & lætitiam exuscitat in nobis, qualis est ipse. Præcedit autem hanc lætitiam dolor ille, in quo agnoscimus peccatum, & sentimus iram Dei aduersus peccatum. De hoc dolore inquit, Mortui Legi, qua captiui tenebamur.

Copulamur Deo per Spiritum.

Quid igitur dicemus, Num Lex peccatum est?

POst digressionem redit ad collationem suprà institutam, de peccato, Lege & Gratia, Ac præcipuè hîc concionatur de usu Legis, ut has duas opiniones non tantùm in Iudæis, sed uniuersaliter in omnibus animis hærentes emendet.

Errores de disciplina.

Omnes enim imaginantur disciplinam, quam homo utcunq; præstare potest, satisfacere Legi Dei, & esse iusticiam coram Deo, nec uidet ratio magnitudinem peccati in natura humana.

Contrà uerò Paulus hîc affirmat, neminem in hac naturæ deprauatione Legi Dei satisfacere posse, & homines nequaquam iustos esse Lege, sed ab ea ostendi iram Dei aduersus peccatum. Ac res ipsa ostendit Paulum hîc non rixari de Ceremonijs, sed concionari de Decalogo, de interioribus malis, de tenebris in mente humana, de dubitatione, de neglectione Dei, & multiplici contumacia in corde humano aduersus Deum, & de horribili iudicio & ira Dei aduersus hæc interiora mala. Ideo citat Legẽ ex Decalogo: Non concupisces: qua appellatione significat hanc totam ἀταξίαν, de qua infrà dicit: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Et Ieremias inquit, Peruersum est cor hominis erga omnia & ærumnosum.

Concupiscentia.

Alia est sapientia politica de lege, de iusticia, & de delictis, In uita politica Lex regit externa facta, seu, ut dicimus usitatè, Locomotiuam, & disciplina externa nominatur iusticia politica, & tantùm externa scelera puniuntur, Sed Paulus inquit: Lex Spiritualis, id est, non politica tantùm, sed postulat motus Spirituales, id est, congruentes cum Deo in mente & corde, Veram lucem de Deo & ardentem dilectionem Dei. Et ministerium est Lex, quo Deus horribiliter ostendit iram suam contra peccata in omnibus hominibus, qui non congruunt cum Deo, iuxta dictum de Spirituali iudicio: Deus est ignis consumens.

Lex est Spiritualis.

Hanc doctrinam de Lege & de peccato, quam hîc Paulus recitat, uult Deus conspici & notam esse in Ecclesia, uult intelligi quid sit peccatum, uult sciri externam disciplinam non satisfacere Legi Dei, & non esse iusticiam coram Deo, ut confugiamus ad filium Dei, & discamus hanc doctrinam, de qua dicitur in Esaia: Noticia serui mei iustificabit multos.

Summa autem huius narrationis apud Paulum est, quòd non simus Lege iusti, ut sæpè iam dictum est, & Paulus exemplum de usu Legis recitat, se ipsum proponens, & loquitur de se conuerso iam ad Deum, & sua persona tanquam Apostoli, significat eadem fieri in alijs uiuis membris Ecclesiæ, sicut exempla

uniuersæ Ecclesiæ sunt, Conuersio Dauidis, Ezechiæ & aliorum.

Tres hominum gradus. Vt autem exemplum fiat illustre, ponamus tres hominum Gradus.

I. *Viuere sine lege.* Vnus est carnalium, qui uiuunt securi, seu ut Epicurei, seu ut Pharisæi, nec habent ueros pauores Conscientiæ. Tale uitæ genus nominat hîc uiuere sine lege, scilicet, iudicante, seu accusante, quia Lex in illis nondum habet principalem effectum, ut ostendat & accuset peccatum. Lex enim tunc uerè Lex dicitur, cùm in mente uerè intelligitur, & iudicat & accusat corda, non cùm tabulæ pendent in parietibus.

II. Secundus gradus est eorum, qui opprimuntur terroribus & cruciatibus conscientiæ, sicut Iudas & Saul. Hi quia non audiunt uocem Euangelij, succumbunt in his terroribus & sentiunt se damnari, ideo hîc inquit: Veniente Lege *Peccatum reuixit.* peccatum reuixit, id est, cœpit esse efficax, & horribili terrore me oppressit, & ego mortuus sum. Nisi enim Paulus audiuisset uocem Euangelij, ipse quoq; periisset in his terroribus.

III. Tertius Gradus est illorum, qui in terroribus eriguntur uoce Euangelij, sicut suprà dictum est: Iustificati fide pacem habemus. Item, Qui habet Christum, habet uitam.

His gradibus consideratis hæc narratio Pauli rectè & propriè intelligi poterit, quam peregrinis interpretationibus Origenes & alij ualde corruperunt.

Num lex sit res mala, cùm augeat peccatum. Est autem in Textu declarandi causa instituta quæstio, Num Lex sit res mala, cùm augeat peccatum, quia in accusatione corda fugiunt Deum, & horribiliter fremunt aduersus eum: Respondet Paulus per Translationem: quòd Lex est ministerium mortis, non sit legis uicio, sed propter nostrum peccatum. Cùm enim hæc deprauata natura non sit conformis legi, sed plena tenebrarum & dubitationum, & sit sine timore, sine dilectione, sine fiducia Dei, & sit inenarrabilis contumacia, deniq; cùm sit sine Deo, quando per legem ostenditur ira Dei, non potest eam sustinere, sed fugit, & uellet se aut Deum in nihilum redigi, sicut scriptum est Lucæ 23. Dicetis montibus, cadite super nos.

Effectus legis. Ait ergo Paulus, Effectum Legis esse ostendere & accusare peccatum: Postea natura rea fremit aduersus Deum. Paulus citat Legem, Non concupisces, ut significet non tantùm externa peccata damnari, sed eitam interiora. Et nomine concupiscentiæ intelligantur omnes errantes inclinationes in hac misera natura, & tota auersio à Deo.

Addit igitur Paulus de per se causa: Peccatum occasione accepta per Legem, id est, Lege accusatum, irritauit omnem concupiscentiam, seu corrupit, id est, Fecit eam atrocius frementem aduersus Deum, ut in Iuda, Saul, & similibus: ut & postea dicitur, Peccatum per legem fit excellenter peccatum, id est, Reatus sentitur in horribili dolore & fremitu.

Sine Lege peccatum erat mortuum.

SCilicet, sine Lege iudicante & accusante non sunt illi terrores, fremitus & indignatio aduersus Deum. Deinde incipit se exempli causa proponere: ubi *Sine lege uiuere.* tres gradus considerentur, quos recensui. Ego aliquando sine lege uixi, id est, Fui securus, cùm essem Pharisæus, & somniarem me Lege iustum esse, nondum sentiebam iudicium Legis & iram Dei. Talis est maxima pars hominum, secura longo tempore, donec tandem iudicio Dei obruitur.

Hæc

Hæc ſecuritas & comminatio iudicij deſcribuntur ſtatim in prima concione Geneſis 4. Peccatum tuum quieſcet, donec reuelabitur. Significat enim in toto genere humano futuram eſſe ſecuritatem, ſed tamen poſtea omnes homines & ſingulos alios alio tempore obrui iudicio Dei, quia Deus eſt ignis conſumens aduerſus peccatum. *Peccatum quieſcit.*

Sopho. 1. Erit in tempore illo, ſcrutabor Ieruſalem lucernis, & uiſitabo merſos in feces ſuas, qui dicunt in cordibus, non faciet Deus bene nec malè, & erit domus eorum deſerta &c.

Eccleſiaſt. 8. Non erit bene impio. Et cap. ultimo. Cunctos adducet Deus in iudicium. Pſalm. 58. Vtiq; eſt Deus iudicans homines in terra. Et 62. Tu reddis unicuiq; iuxta opera ſua.

Veniente Lege peccatum reuixit.

VEniente Lege, id eſt, Iam accuſante cor, ut ſentirem iram Dei aduerſus immunditiem meam, Hypocriſin & ſecuritatem, ibi peccatum reuixit, id eſt, Factum eſt inquietius, & fuit per ſe cauſa pauorum, Fugæ, & indignationis aduerſus Deum, & hæc ipſa conſternatio eſt mors: ideo additum eſt. *Peccatum reuixit.*

Ego autem mortuus ſum, Sicut ad Corinth. inquit, Aculeus mortis peccatum eſt, Potentia uerò peccati Lex eſt. Et in hoc Capite: Peccatum fit excellenter peccatum, id eſt, ualde reum, Hoc eſt, in ueris pauoribus & ſenſu iræ Dei cernitur aliquo modo peccati magnitudo, quam ſecuri & ocioſi homines leuiter curant, & præſertim Hypocritæ inflati & tumentes hac perſuaſione, quòd antecellant alijs uirtute, & utiliter ſeruierint humano generi, tales ebrij admiratione ſui, non cernnnt immunditiem ſuam. Aduerſus hanc Hypocriſin dicuntur & ſequentia in Textu. *Peccatum fit excellenter peccatum.*

Scimus quòd Lex ſpiritualis ſit.

HOC dictum inſulſiſſimè deprauatum eſt ab Origene & cæteris, qui eum ſecuti ſunt, qui ſomniarunt tantùm hoc dici, Lex eſt Spiritualis, id eſt, allegorica in ceremonijs. Longè aliud hîc agit Paulus, & præcipuè de Lege morali loquitur, & prorſus hoc ſentit, Lex diuina eſt Spiritualis, id eſt, non tantùm eſt politica ſapientia, uel diſciplina frenans locomotiuam, ſicut Leges in Imperijs. Nequaquam exiſtiment homines ſe Legi Dei ſatisfacere, etiamſi habent externam diſciplinam inculpatam. Sed Lex diuina eſt ſapientia in Deo, & norma iuſticiæ nobis patefacta, qua uult Deus ut corda noſtra uiuant Spiritu, id eſt, habeant lucem & motus Spirituales congruentes cum Deo, firmam aſſenſionem & ardentem amorem erga Deum &c. Et rurſus, Lex Dei eſt iudicium ſpirituale, id eſt, non externum tantùm, ſed tale, in quo Deus ipſe, qui eſt Spiritus & ignis conſumens, facit uoce Legis, ut ſentiant homines iram diuinam aduerſus peccatum: de quo ſenſu iræ inquit Iob. Sagittæ Domini in me, & terrores Dei militant contra me. *Origenis error de dicto: Lex ſpiritualis eſt.* *Sententia dicti, lex ſpiritualis eſt.*

Pſalm. 50. Veniet Deus noſter & non ſilebit, in conſpectu eius exardeſcet ignis. In talibus pauoribus diſcimus Legem Dei eſſe Spirituale iudicium, non tantùm Politicum frenum.

Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccatum.

INterpretatur ipſe quid nominet carnalem naturam, ſcilicet, totum hominem uenundatum ſub peccatum, id eſt, ſeruum peccati & mortis, ſicut & infrà hæc antitheſis illuſtratur: Senſus carnis mors eſt. Item, Inimicicia eſt aduerſus Deum &c. Vt autem appellatione Spiritus intellígitur ipſe Spiritus ſanctus, & à *Carnalis natura.*

Spiritu sancto accensi congruentes motus in sanctis, uita, lux, & lætitia acquiescens in Deo, Flamma dilectionis erga Deum, sic è regione Caro & sensus carnis intelligantur, de toto homine non renato. Nec solùm in appetitu sensuum & in corde est contumacia contra Deum, Videlicet, iniusta incendia amorum, odiorum, uindictæ, sed etiam in superiore parte, uidelicet, in intellectu hominis non renati, sunt tenebræ & magnum chaos dubitationum de Deo, & uoluntas est sine timore, sine dilectione Dei, sine lætitia acquiescente in Deo aut contemnens Deum, aut horribili fremitu fugiens eum, & est sine Deo uiuificante, letificante, & gubernante. Talis homo sine Deo, dicitur Caro secundum omnes animæ potentias: et in conspectu sit doctrina de distinctione potentiarum animæ.

Caro & sensus carnis quid.

Primùm autem narrat Paulus qualis sit natura carnalis secundum sese, quia inquit: Venundatus sum sub peccatum, id est, raptus in seruitutem, phrasis enim sumta est à captiuis, qui uendebantur et erant serui. Ita inquit, naturam carnalem secundum sese seruam peccati & mortis esse, nec posse deponere prauitatem & mortem, nec retrahere per sese iusticiam & uitam, sed filius Dei uoce Euangelij & Spiritu sancto regenerat hominem. Quanquam autem initia nouæ lucis & motuum spiritualium in Renatis accenduntur, tamen in hac mortali uita hærent adhuc in natura carnali reliquiæ prioris morbi: Sequitur ergo lucta, in qua uerbum & Spiritus sanctus mortificant reliquias illas, Hanc luctam mox describet Paulus. Cùm autem utitur uocabulo, Venundatus, intuetur dictum Esaiæ. 52. Gratis uenundati estis, sine argento redimemini. Vbi Deus obijcit Diabolo iniusticiam, quasi dicat. Agam iusto ordine.

Venundatus sub peccatum.

Diabolus uos fraude mihi eripuit, & neq; mihi soluit precium, neq; uobis dedit promissa.

Iustum est igitur uicissim, me rem meam recuperare, non dato precio prædoni. Sicut enim à fure aut prædone res non rursus emenda est, sed sine precio per iudicem iustum restituitur Domino: Ita Deus recuperat genus humanum, nihil soluens iniusto & scelerato prædoni Diabolo. Dixit igitur, Gratis uenundati estis, id est, iniustè in seruitutem pertracti estis fraude Diaboli, nec Deo solutum est precium, neq; hominibus data promissa.

Gratis uenundati.

Rursus igitur Gratis redimemini, non dabo precium Diabolo, & uos recipiam mea misericordia, cùm mihi precium non possitis dare.

Gratis redemti.

Ostendit autem sequens narratio huius capitis, cùm inquit Paulus, Venundati estis sub peccatum, intelligit peccatum Originale non tantùm impurationem, sicut multi Monachi intellexerunt, sed ipsam naturæ humanæ deprauationem, id est, tenebras & dubitationes in intellectu, & auersionem uoluntatis à Deo, contemtum & fremitum aduersus Deum, & cordis contumaciam, Et quòd uires omnes sunt sine Deo uiuificante, lætificante & gubernante; sicut postea inquit, Video aliam Legem in membris meis.

Condelector Lege Dei secundum interiorem hominem &c.

IN hac narratione describitur certamen, quod est in Renatis, in quibus filius Dei uoce Euangelij accendit lucem & initia fidei, & Spiritus sanctus consolatur cor, ut incipiat lætari in Deo, & habeat motus congruentes cùm Deo, seu Lege Dei.

Certamen renatorum cum carne.

Hæc lux tamen & hi motus diuini impediuntur à nostra carnali natura, in qua

in qua multum caliginis est, & contrariorum motuum, Sicut minus conspici potest lumen in laterna obscuriore.

Has peccati reliquias uult agnosci & deplorari Deus, non uult extenuari, sicut Monachi extenuauerunt, qui dixerunt, Renatos iustos esse hac sua noua obedientia, & dixerunt esse Legis impletionem, & hæc ita exaggerauerunt, ut dixerint illa opera esse merita uitæ æternæ de condigno.

Aduersus hos errores tenenda sunt hæc testimonia passim tradita in scriptis Propheticis & Apostolicis, quæ ostendunt in Renatis in hac uita magnam caliginem & dubitationes reliquas esse, & corda non sic ardere dilectione & lætitia in Deo, gratitudine erga eum & patientia sicut, debebant, & hæc mala esse peccata, id est, mala pugnantia cùm Lege, propter quæ homo dignus esset pœnis æternis, si non remitterentur propter Mediatorem credenti. Ideo & Moises inquit: Coram te innocens non est innocens. Et Iob Cap. 9. Verè scio quòd non est homo iustus coram Deo, scilicet, propria Legis impletione. Et rursus eodem cap. Timeo omnes dolores meos, quia scio, quòd nõ inuenis innocentem. Et in Psalmo. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. Item, Pro hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.

His confessionibus Prophetarum similis est & hæc Pauli querela: & repræsentant Prophetæ & Apostoli totam Ecclesiam in hac confessione. Intelligatur ergo hæc narratio de Renatis, & sciamus Monachorum interpretationem falsam & reijciendam esse, qui dixerunt, hoc loco Paulum de homine nondum conuerso loqui, id falsum esse ostenditur ex ipso Textu, qui dicit, Delector Lege Dei secundum interiorem hominem. At homo nondum Renatus non delectatur Lege Dei. Etsi enim est in homine nondum Renato noticia legis, tamen uoluntas & cor non delectantur Lege Dei, sed sunt aut prorsus sine timore Dei, aut fremunt aduersus eum. Et nominat Paulus interiorem hominem, quatenus homo Renatus est, Videlicet, quatenus lucẽt in mente, uoluntate & corde initia fidei, & per Spiritum sanctum accensi sunt motus isti, timor Dei, dilectio, lætitia in Deo &c. *Homo interior.*

Addit autem Paulus splendidam Antithesin illustratam figuris à militia sumtis: Inuenio aliam Legem in membris meis, militantem contra Legem mentis meæ, & rapientem me captiuum Legi peccati, quæ est in membris meis. Vocabulo Legis generaliter hîc intelligatur gubernatio, quasi dicat, aliud est gubernans interiorem hominem, scilicet, uerbum & Spiritus sanctus, aliud est gubernans carnalem naturam, scilicet, cœcæ dubitationes & impetus auersi à Deo, errantes flammæ cupiditatum, impatientia in cruce &c. Hæc mala inquit, sunt in membris meis, & non sunt leues morbi, sed adsidua militia impediunt, languefaciunt & accusant me. *Gubernantia interiorem hominem.* *Gubernantia carnalem naturam.*

CAPVT VIII.

Nulla igitur nunc condemnatio est iis, qui in Christo Iesu ambulant &c.

DIctum est suprà, institutam esse collationem Peccati, Legis & Gratiæ. Nunc redit ad descriptionem Gratiæ, & est consolatio addita superiori querelæ. Cùm enim antea dixerit adhuc hærere peccatum in Sanctis in hac uita. Quæstio est communis omnium sanctorum, quomodo sint iusti? Id est, Deo accepti

& hæredes uitæ æternæ,cùm adhuc sentiant peccata, suas dubitationes, & fateri necesse sit omnes bonos motus ualde languidos esse, timorem Dei, dilectionem,fidem,spem, & interea multas errantes flammas cupiditatum simul esse in cordibus.

Huic communi quæstioni omnium sanctorum respondet perspicua asseueratione, Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu non secundum carnem,sed secundum Spiritum ambulant. Idem suprà dixit, Iustificati fide pacem habemus &c. Item, Non estis sub lege,sed sub Gratia. Interpretatur autem Vocabulum Gratiæ,remotione contrarij: Nulla nunc condemnatio est: quia uocabulum Gratiæ,est nomen Relatiuum,id est,gratuita acceptatio, quod plenius dicitur, Nulla condemnatio:Nec dicit, Nullum nunc peccatum est.Et hęc est sententia: Iustificati fide placent Deo propter filium Mediatorem, & sunt hæredes uitæ æternæ, etiamsi in eis hærent peccata, uidelicet, uicioſa concupiscentia & praui affectus, si tamen sint in Christo Iesu, & ambulent secundum Spiritum,id est,si sint in eis conuersio ad Deum,& fides consolans corda agnitione filij Dei, quæ quidem fides est motus Spiritus sancti, qui postea gubernat & sanctificat Renatos,ut repugnent prauis adfectibus.

Gratiæ uocabulum est relatiuum.

Hæc est propositio principalis in hoc capite,continens doctrinam & consolationem Ecclesiæ necessariam omnibus temporibus.Semper hæc fuit, est,& erit quæstio in omnium sanctorum animis, quomodo places Deo, cùm sentias adhuc multum sordium.Pharisæi & Monachi docuerunt homines placere propter propria merita,& propter sacrificia,propter Missas.Ita fiduciam propriæ dignitatis in his,qui adhuc securi sunt confirmauerunt,& deduxerunt homines ad sacrificia,ubi inanis fiducia ex sacrificijs fecit idola. Postea turbata securitate iusserunt homines manere in dubitatione.

Quæstio omnium sanctorum.

Monachorum error de merito & dubitatione.

Hæc simpliciter sunt Ethnica, & manens in dubitatione, tandem opprimitur desperatione,& horribili fremitu ruit in æternum exitium. Sed uox Euangelij prohibet dubitationem & præcipit, ut credamus in filium Dei, & clamitat ac affirmat credentes in filium Deo placere, etiamsi hærent in conuersis reliquiæ peccati,Hæc necessaria doctrina & consolatio hîc proponitur. Quare hoc testimonium Pauli semper sit in conspectu.

Euangelium prohibet dubitationem.

Obseruandum est autem, quod expresse inquit: Ambulantibus in Christo secundum Spiritum,non secundum carnem. Non promittit consolationem his,qui sunt sine pœnitentia,qui securi & furentes perseuerant in sceleribus contra conscientiam,de quibus postea dicetur: Si secundum carnem uiuetis moriemini. Item, Qui facit peccatum,ex Diabolo est. Item, Qui talia faciunt Regnum Dei non possidebunt.Sed de illis inquit,Nulla condemnatio est,qui sunt in Christo Iesu,& reguntur Spiritu sancto. Nominat duas Personas:Christum Mediatorem,quia primùm oportet conuersos agnoscere Christum fide,& propter hunc propiciatorem accipere remissionem & reconciliationem, & fieri eius membra.

Christus & Spiritus sanctus concurrunt in conuersione hominis.

Cùm autem agnitione Mediatoris & fide eriguntur corda,simul effunditur Spiritus sanctus in corda, ut tales motus accendat, qnalis est ipse, iuxta dictum: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Item, 2. Corinthios 3. Nos in eandem imaginem transformamur, tanquam à Domini Spiritu.

Quia Lex Spiritus Vitæ in Christo Iesu liberauit me &c.

Antea

ANtea Propositio tradita est, Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant &c. Nunc sequitur declaratio huius Propositionis, Per Christum liberati sumus, Vbi simul fit mentio meriti Christi & efficaciæ. Hîc de merito Christi concionatur, cùm nominat eum hostiam pro peccato, & ait propter hanc hostiam damnatum esse peccatum. De efficacia Christi in credentibus dicitur: Lex Spiritus uitæ in Christo, id est, uiuificatio, quæ fit per Christum, dato Spiritu sancto liberauit me, ut Galat. secundo dicitur: Viuo autem non iam ego, uiuit autem in me Christus. Huic declarationi immoratur posita Antithesi, Lex non potuit nos liberare à peccato & à morte, sed filius Dei missus est, ut per ipsum liberemur.

Meritum Christi.

Efficacia Christi.

Primùm ergo attentè consideranda est particula de lege. Et Grammatica Syntaxis rectè explicanda est. Huius hæc est series: Cùm esset impossibile legi, scilicet, tollere peccatum, eò quòd per carnem lex non poterat fieri, Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati, & Hostia pro peccato damnauit peccatum in carne, ut ius Legis impleatur. Hîc expressa asseueratio primùm considerabatur, Quòd legi fuerit impossibile tollere peccatum seu iustificare homines, & addit, quia Lex non poterat fieri per carnem.

Lex non tollit peccatum.

Hanc sententiam in Cap. septimo prolixius exposuit, nunc breui asseueratione repetit, quæ fit in conspectu ad refutandos Pelagianos & Monachos & similes, qui finxerunt legem Dei tantùm de externa disciplina concionari, Postea affirmant homines posse legi Dei satisfacere, & hac disciplina iustos esse coram Deo. Hanc cœcitatem uox diuina in Ecclesia damnat, ideo suprà dictum est cap. 3. Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram Deo.

Pelagianorum & Monachorum error de lege.

Post hanc adseuerationem sequitur dictum de merito Christi: Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati, id est, misit filium, qui assumsit ueram hominis naturam, & quidem passibilem, sed sine peccato: Ideo usus est his uerbis, Misit filium in similitudine carnis peccati, quia reipsa sine peccato fuit, & tamen doloribus & morti subiectus est, similiter, ut nos miseri homines pleni peccato.

Meritum Christi.

Hîc communis doctrina teneatur de assumtione naturæ humanæ. Deinde phrasis obseruetur: Deus damnauit peccatum nostrum in carne pro peccato, id est, hostia Christo, oblata pro peccato, Nam phrasis περὶ ἁμαρτίας, significat hostiam pro peccato. Sic in Leuitico græca lectio semper loquitur, & eodem modo in Græca lectione Esaiæ dicitur: ἐὰν δῶται περὶ ἁμαρτίας ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ὄψεται σπέρμα μακρόβιον.

Deus damnauit peccatum. *περὶ ἁμαρτίας.*

In textu Hebræo non additur Præpositio, sed sic legitur: Quia ponet peccatum animam suam, Videbit semen longæuum. Sed ex Leuitici græca lectione phrasis περὶ ἁμαρτίας notissima est.

Alibi Paulus omisit præpositionem, Eum qui non norat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso. Sic Galat. 3. Christus redemit nos à maledictione Legis, factus pro nobis maledictum.

Hæ formulæ loquendi idem significant, uidelicet, Hostia pro peccato, quæ alibi nominatur peccatum, alibi maledictum, sicut Græci dixerunt κάθαρμα, Latini piaculum, & his atrocibus uerbis tristissima pœna, & ut ita dicam, magnitudo reatus significatur. Est enim sententia, hac uictimam pro nobis fuisse ream, & horrendam iram Dei sustinuisse, quasi ipse omnia nostra, mea &

Hostia pro peccato, peccatum, maledictum, κάθαρμα, piaculum idem significant.

mea & tua scelera feciſſet,ſicut ibi Eſai. inquit, Poſuit Dominus in eum iniquitates omnium noſtrum.

Pſalmo 39. In Græca uerſione Phraſis περὶ ἁμαρτίας, ſic abſolutè ponitur, ut in hoc loco Pauli:Holocauſta & pro peccato non poſtulaſti,Quod ſic intelligas, Non poſtulaſti holocauſta & uictimas pro peccato. In textu Hebræo Pſalmi non eſt addita Præpoſitio,quæ tamen in Leuitico ſæpè addita eſt.

Damnauit peccatum in carne.

Damnare quid.

SCilicet noſtra: & Emphaſis obſeruetur in uerbo,damnauit. Vt enim Iudex damnans homicidam,primùm pronunciat eum reum eſſe, Poſtea interficit eum, Sic Deus damnans peccatum, cùm filius innocens ſit factus uictima, primùm eripuit peccato autoritatem nos accuſandi, poſtea omnino delet, cùm reddit nobis æternam uitam & iuſticiam integram. Ait autem ideo condemnari peccatum,ut deinde iuſticia, de qua concionatur Lex, in nobis impleatur, id eſt,ut deinde iuſti ſimus. Non enim ideo patitur filius Dei, ut peccatum poſtea maneat,& ut horrendi furores hominum confirmentur,non ideo pendet in cruce filius Dei, ut Dauid licentiam habeat rapiendi alterius coniugem, & interficiendi maritum,ſed ut deleatur peccatum, & deinceps iuſti ſimus. Quoties autem dicitur de impletione Legis in hac uita,ut cùm ait Paulus, Per fidem ſtabilitur Lex: Item, Lex Dei fit per gratiam:neceſſe eſt utrunq; complecti, Videlicet,imputationem & incoationem nouitatis, quæ poſtea erit integra.

Lex impletur I. II.

Lex impletur, Primùm imputatione, quia propter Mediatorem reputamur iuſti,& ſumus accepti propter ipſum, etiamſi nondum ſumus tales, quales Lex eſſe præcipit:Habens autem Chriſtum fide,habet finem Legis. Deinde uerum eſt,tunc & incoari nouitatem congruentem cum Lege, quia Filius Dei uiuificat corda in illa uera conſolatione, & effundit in ea Spiritum ſanctum, quo transformamur in ipſius imaginem,aſſimilamur ipſi noua luce,& habemus tales motus,qualis eſt Spiritus ſanctus. Tales autem præcipit Lex:ſed hæc nouitas in hac uita tantùm incoatur, poſtea erit integra, cùm erit Deus omnia in omnibus.

Eum qui non norat peccatum fecit peccatum &c.

Prorſus eodem modo loquitur Paulus ad Corinthios, Eum qui non norat peccatum,fecit peccatum pro nobis,ut nos fieremus iuſticia Dei in ipſo:Collatio eſt duarum maximarum rerum, extremæ miſeriæ & ſummæ gloriæ, ſeu ſummi boni. Extrema miſeria eſt reum eſſe iræ Dei, & ſenſum iræ Dei ſuſtinere. Econtrà ſummum bonum eſt iuſticia Dei. Talis autem permutatio facta eſt, Filius ſuſtinet id,quòd eſt miſerrimum,ſcilicet, ſenſum iræ Dei, & nobis donat id,quod optimum eſt, ſcilicet iuſticiam Dei.

Ac diligenter obſeruanda eſt particula,in ipſo: quia & propter ipſum reputamur iuſti,& ipſe eſt Perſona immediatè colligens Eccleſiam per Euangelium,uiuificans credentes,& donans Spiritum ſanctum. Etſi autem hæc uiuificatio & nouitas ueriſſimè opus Dei eſt, tamen obedientia filij Dei in infinitum anteferenda eſt his ipſis actionibus,quæ in te fiunt, Ideo in hac uita neceſſe eſt credere nos iuſtos eſſe, id eſt, placere Deo propter Mediatorem Deum & hominem,non propter nouitatem noſtram.

Obedientia Chriſti anteferenda noſtræ nouitati.

Senſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum.

LONga & illuſtris Antitheſis eſt naturæ hominis non Renatæ, & regenerationis ſeu uiuificationis, quæ fit in conuerſione, cùm ipſe Filius Dei uoce

uoce Euangelij consolatur nos,& dato Spiritu sancto,accendit in nobis nouam lucem & initia uitæ æternæ. Hæc splendida antithesis semper sit in conspectu, quia perspicuè refutat Pharisaica & Pelagiana somnia, quæ fingunt homines uiribus naturalibus posse Legi Dei satisfacere, & hanc qualemcunq; disciplinam mereri remissionem peccatorum,& esse iusticiam coram Deo. *Pelagiana somnia de lege.*

Contra hanc cœcitatem tristissimæ conciones hîc ponuntur, de humanæ naturæ infirmitate,& expressè asseuerant homines in hac uita non posse Legi Dei satisfacere. Ait enim, Caro non potest esse subdita Lege Dei. Item, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Quid potuit dici tristius & atrocius, quàm in hac misera natura hominum,non solùm esse inobedientiam,sed etiam indignationem & fremitum aduersus Deum. Cùm autem Monachi sequentes Pharisaicam & Pelagianam doctrinam affinxerint uocabulis falsas interpretationes, necesse est moneri iuniores de sermone.

Vsitatum est Paulo nominare carnem totam naturam hominis non Renati,uidelicet,non solùm appetitiones sensuum seu affectus, sed etiam partem superiorem, Videlicet,intellectum & uoluntatem, ut in scholis nominamus.Et nota sit hîc distributio potentiarum Animæ. *Caro quid.*

Sensum igitur carnis nominat Paulus,non tantùm appetitiones seu affectus in corde,ut amores,odia,lætitiam,tristitiam,incendia libidinum,iram,sed etiam in superiore parte caliginem & dubitationes de Deo, de prouidentia & de uerbo Dei. Item, in uoluntate auersionem à Deo,diffidentiam, cœcam securitatem,contemtum iudicij Dei, indignationem & fremitus aduersus Deum. Hæc omnia nominat φρόνημα σαρκὸς, ac nomen φρόνημα complectitur cogitationes & affectus. *Sensus carnis quid.* *Φρόνημα.*

Vocabulum uerò Spiritus,hîc significat Spiritum sanctum Deum,& motus,qui accenduntur in corde Renato à Spiritu sancto. Sic discerni Carnem & Spiritum,hoc loco manifestum est. Ait enim, qui Spiritum Christi non habet, hic non est ipsius. *Spiritus quid.*

Hæc admonitio de uocabulis necessaria est ad uitandas multas corruptelas. Aliqui enim hallucinantes dixerunt, hîc distingui Carnem & Spiritum,sicut in Philosophia distinguuntur affectus & ratio. Hunc perniciosum errorem taxari necesse est,Nam totum hoc,quod Philosophia nominat affectus & rationem,id Paulus hîc nominat Carnem & φρόνημα σαρκὸς. *Error quorundam de uocabulo, carnis & Spiritus.*

Sed obijciunt,Cur ait sensum carnis inimiciciam esse aduersus Deum,cùm tamen in homine sint multæ bonæ noticiæ, ut numeri & Leges naturæ. Item, boni affectus, ut σοργαὶ? Respondeo. Loquitur Paulus principaliter de cogitationibus de Deo, quales sunt in mente non Renata, in qua simul magna confusio est dubitationum,Deinde & de affectibus erga Deum,quales sunt in uoluntate & corde non Renato. In securis est contemtus iudicij Dei: in perterrefactis,ut in Saul, Iuda, est indignatio & fremitus aduersus Deum, & est multiplex contumacia in corde contra Legem Dei,nec σοργαὶ reguntur ordine. De his interioribus malis concionatur Paulus, cùm ait, Carnem non posse subijci Legi Dei. *De qua re loquatur Paulus, cùm dicit, Sensus carnis inimicicia est &c.*

Ac tenenda est hoc loco doctrina necessaria de distinctione externæ disciplinæ & interioris obedientiæ, Nam etiam post lapsum primorum Parentum hæc libertas uoluntatis in homine reliqua est, posse regere Locomotiuam, id est, externos membrorum gestus. Adhuc talis est natura neruorum,mirabili *Distinctio externæ disciplinæ & interioris iusticiæ.*

rabili arte à Deo condita,ut obedire cogitationi & uoluntati possint, quia Deus uult externa membra frenari, & coerceri humana diligentia, & uult aliquo modo intelligi discrimen inter agens liberum & non liberum, ut sciamus Deum esse agens liberrimum.

Nec de his externis gestibus loquitur Paulus cùm ait: Carnem non posse Legi Dei subijci,sed loquitur de interiore obedientia, quia in homine debebat lucere fides,firma assensione credens comminationibus, & promissionibus Dei,& rectè agnoscens filium Dei, & in corde debebat esse conformitas cum Deo,ardens dilectio Dei,uerus timor. Denicq cor debebat esse Templum Dei, sine ulla praua inclinatione,&sine prauis motibus,Sed homo non renatus hanc interiorem obedientiam ne quidem incoare potest. De his interioribus tenebris & dubitationibus & malis inclinationibus dicitur: Caro non potest subijci Legi Dei.

Si quis Spiritum Christi non habet,hic non est ipsius.

Refutatio Pelagianorum.

HAEc uerba perspicuè refutant Pelagianos & Monachos,qui dixerunt,homines non Renatos posse Lege Dei satisfacere,& hac disciplina mereri remissionem peccatorum, & propter eam iustos esse & placere Deo. Hæc impia somnia necesse est in Ecclesia damnari, iuxta dicta: Qui non ex sanguinibus, neq ex uoluntate carnis,neq ex uoluntate uiri,sed ex Deo nati sunt. Et hoc loco: Qui non habet Spiritum Christi,non est ipsius. Item,Sine me nihil potestis facere.

Quomodo detur Spiritus sanctus.

Obseruandum est diserte hoc loco nominari Spiritum Christi.Primùm, ut intelligatur Spiritus non ratio,sed Spiritus sanctus,qui est tertia Persona diuinitatis.Deinde ut admoneamur, quomodo detur spiritus sanctus,quia nõ datur sine agnitione Filij Dei,& sine cogitatione Euangelij, sed tunc uerissimè effunditur in corda,quando in uera conuersione mentes perterrefactæ eriguntur uoce Euangelij, & fide incipiunt agnoscere filium Dei, & acquiescere in consolatione per Euangelium proposita, & lætari in Deo propter Mediatorem, ut ad Galatas dicitur: Vt accipiamus promissionem Spiritus per fidem.

Tres Personæ intuendæ cùm cogitamus de iustificatione.

Quoties autem de iustificatione cogitamus, intueamur tres Personas, agnoscamus filium Mediatorem Deum & hominem constitutum propiciatorem,propter quem recipimur,& sciamus nos simul recipi ab æterno Patre, Filio,& Spiritu sancto,& uiuificari nos per filium,cùm data uoce Euangelij filius consolationem in nobis dicit,& Patrem ostendit,& effundit Spiritum sanctum lætificantem cor credens. Ideo dicitur Iohannis 14. Si quis diligit me,sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Spirant enim Pater & Filius Spiritum sanctum in cor, Et hîc Paulus aliâs inquit, Si Christus in uobis est,aliâs inquit, Si Spiritus Christi habitat in uobis. Nam & filius,qui est λόγος, adest Ecclesiæ,est Emanuel, & est in ea efficax,patefacit Euangelium,& uoce Euangelij ostendit Patrem, dicit consolationem & dat Spiritum sanctum. Ideo inquit Athanasius: Quandocunq dicitur Spiritus sanctus in homine esse,est in eo per uerbum.Et de filio loquitur.

Differunt,Deus est ubiq;, & habitat in Ecclesia.

Nota sit autem differentia, Aliud est Deum esse ubiq;:aliud habitare eum in Ecclesia. Esse ubiq dicitur de uniuersali præsentia, qua tota diuinitas substantias creaturarum conseruat, de qua Ieremiæ 23. dicitur: Non ne cœlum & terram ego impleo.Sed Deum habitare in Ecclesia, est per Filium uoce Euangelij

Euangelij ueram Dei noticiam accendere & consolari cor, & per Spiritum sanctum regere cor, ut habeat motus ipsi placentes, & initia iusticiæ & salutis æternæ.

Nota sint etiam uerba Athanasij de natura diuina in Christo, in libro de incarnatione uerbi: Non ita est in corpore λόγῳ, ut alibi non sit, nec ita mouet corpus, ut desit alijs creaturis, sed mirando modo, cùm λόγῳ sit, à nullo comprehenditur, sed ipse comprehendit omnia, & cùm in omni creatura sit, tamen alia substantia est à creaturis. Animæ nostræ etsi cogitant res extra corpus, eas non mouent, Non enim agitant Solem, quanquam moueri eum cernunt: non sic est λόγῳ, in assumta natura, non enim inclusus est, sed ipse continet corpus, & simul est in sinu æterni Patris, & adest creaturis. *Athanasius de λόγῳ.*

Corpus mortuum est propter peccatum.

OCcurrit obiectioni, quare, cùm credentes sint iusti & filij Dei, adhuc tamen subiecti sunt morti & alijs calamitatibus & quidem durius onerati sunt quàm alij homines: Respondet breuiter. Quanquam in anima incoata est lux & uita æterna per uerbum & Spiritum sanctum, tamen adhuc in massa carnali hæret peccatum, ideo destrui massam carnalem oportet, ut postea in resuscitatione induamur corpore prorsus purificato, sicut ad Corinth: scriptum est: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Ita respondet ad argumentum Rationis: *Obiectio de cruce Ecclesiæ.* *Argumentum rationis de Ecclesia.*

Iustis debet bene esse:
Ecclesia est iusta, Ergo
Ecclesiæ debet bene esse.

Respondeo primùm ad Minorem, Ecclesia est iusta, hoc uerum est, imputatione & incoatione, nondum consummatione. Cùm igitur adhuc in renatis in hac uita hæreat peccatum, sequitur destructio corporis, quia Deus uult peccatum prorsus destrui.

Deinde respondeatur & ad Maiorem: Iustis debet bene esse: dictum est legale & uerum, sed intelligendum est iuxta declarationem in Euangelio patefactam, quæ docet uelle Deum Ecclesiam in hac uita colligi, & uelle subiectam esse Cruci, quia quanquam credentes recipit, & sanctificare incipit, tamen adhuc hæret peccatum in massa carnali: Postea Deus in resuscitatione uestiet illos qui crediderunt, corpore prorsus purificato, & erit omnia in omnibus, id est, implebit eos sua luce & iusticia, ut non sit in eis peccatum. *Iustis bene est, iuxta declarationem Euangelij.*

Fratres debitores sumus.

HActenus tradidit doctrinam de iustificatione, & collationem Legis, peccati & gratiæ. Nunc addit doctrinam de noua obedientia, nam & hanc partem doctrinæ in Ecclesia extare necesse est, ut sciatur, qualis sit obedientia in Renatis in hac uita, & quale sit peccatum, propter quod excidunt à gratia, & amittunt Spiritum sanctum & fidem, qua uiuificantur corda, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Instituit igitur Paulus propositionem, Debitores sumus, ne obediamus carni. Ac primùm obserues appellationem, Debitores sumus. Hanc uocem opponit malè intelligentibus libertatem Euangelicam, quæ liberat Renatos, ne condemnentur à Lege, non liberat ne obediant. Manet enim æternus & immutabilis ordo, ut Deo obediamus. *Debitores sumus.*

Aliqui inepti reprehendũt has formas loquẽdi, Noua obedientia est debita.

Item

Item noua obedientia est necessaria. Et dicunt intelligi coactionem, seu obedientiam metu extortam. Hæc interpretatio non est natiua in uerbis debiti & necessitatis. Significant enim hæc uerba ordinem immutabilem, non significant propriè coactionem, quæ fit metu pœnarum. Noua obedientia eo ipso est necessaria, quia hic est ordo æternus, ut creatura Deo uolens obediat. Postea docet qualis sit obedientia: Cùm enim in Renatis in hac uita maneant reliquiæ peccati & magnæ sordes, necesse est discerni gradus, qualia peccata sint in Renatis, qualia non sint, sicut & suprà distinxit peccatum regnans & non regnans. Nam Renatos posse rursus amittere gratiam & Spiritum sanctum, manifestum est ex dictis Matth. 12. Inueniens domum mundatam, nequam Spiritus redit. Et 2. Petri 2. Cùm effugissent inquinamenta mundi, redeunt ad uomitum &c.

Debitum & necessitas quid propriè significent.

Adam & Eua erant electi, & tamen in lapsu fiunt rei æternæ iræ. Et in Deuteronomio de Aharon dicitur: Aduersus Aharon ualde iratus est Deus, ut deleret eum. Necesse est igitur discerni, qualia peccata maneant in Renatis, quæ contristent & expellant Spiritum sanctum, propter quæ homo rursus fit reus æternæ iræ, & ruit in æternas pœnas, nisi rursus conuertatur ad Deum.

Discrimen peccatorum.

Sunt autem usitatæ appellationes, peccatum mortale & ueniale.

Mortale nominatur omne peccatum in non Renato: Item tale peccatum, propter quod renatus amittit gratiam & Spiritum sanctum, & iterum fit reus æternæ iræ.

Peccati definitio in Iohan.

Definitio peccati simplex & breuis extat in Epistola Iohannis, cùm inquit: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, id est, peccatum est quicquid contra Legem est.

Hæc descriptio dextrè intelligenda est, & sciamus omne peccatum in non Renatis mortale esse: id est, quod Paulus nominat peccatum regnans, id est, non Renati sunt actu rei pœnæ æternæ propter omnia peccata, originalia & actualia, interiora & exteriora, & nisi conuertantur ad Deum, ruunt in æternum exitium.

Reatus comprehenditur in definitione peccati apud Iohannem.

Cùm igitur dicitur, Peccatum est quicquid est contra Legem Dei, simul comprehendatur reatus, quòd uidelicet non Renati sint actu rei pœnæ æternæ. Hic reatus expressus est in his uerbis, Maledictus qui non manet in omnibus, quæ sunt scripta in Lege Dei. Item, Qui non credit, manet ira Dei super eum.

Duo gradus peccatorum.

Postea de Renatis sciendum est, duos esse gradus peccatorum. Aliud est peccatum non regnans, quod nominatur ueniale, quod est malum originale, multi defectus & prauæ inclinationes & dubitationes, peccata ignorantiæ & omissionis, praui affectus, sed in his qui sunt Renati, & retinent fidem & timorem Dei auxilio Spiritus sancti, & repugnant prauis affectibus, nec ruunt contra conscientiam. Talia peccata in Renatis in hac uita hærent, & sunt reipsa peccata, id est, mala pugnantia cum lege, & propter ea homo esset reus æternæ pœnæ, nisi fide propter Mediatorem donata esset reconciliatio. Ita non sunt actu rei, qui sunt Renati. Ideo suprà dictum est: Nulla nunc condemnatio est his, qui Christo Iesu ambulant. Item, Pro hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Talia peccata non excutiunt fidem & Spiritum sanctum in his, qui dolent propter has sordes, & credunt sibi eas remitti propter Mediatorem, nec indulgent eis contra conscientiam.

I. *Peccatum non regnans seu ueniale.*

Renati non sunt actu rei.

II. Alius gradus est peccatorum error in fundamento, Item lapsus contra conscientiam, ut cùm Dauid sciens & uolens rapit alterius coniugem. Propter talia

talia peccata homo rursus amittit gratiam, Spiritum sanctum & fidem, & fit actu reus æternæ pœnæ, & nisi fiat conuersio ruit in æternum exitium, sicut Saul damnatur, qui quanquam placuerat antea Deo, ruit tamen contra conscientiam, nec rursus conuertitur ad Deum. Dauid rursus conuertitur ad Deum, & fit hæres uitæ æternæ.

Hi gradus perspicuè discernantur in Ecclesia, & sit illustre discrimen peccati regnantis & non regnantis. Hanc doctrinam complectitur Paulus in dicto: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam. Item, 1. Corinth. 6. Ne erretis, Scortatores, adulteri, idolatræ regnum Dei non possidebunt.

Ex his dictis sumatur declaratio in hoc loco. Si secundum carnem uixeritis, moriemini, id est, Si admittetis falsas opiniones & indulgebitis prauis affectibus, rursus eritis rei æternæ pœnæ, amittetis gratiam & Spiritum sanctum. Hæc peccata nomino lapsus contrà conscientiam & errorem in fundamento, ut cùm pij, qui rectà senserant, amplectuntur impia dogmata, seu errore, seu scientes: ut multi, qui antea rectè senserãt amplexi sunt Arianam impietatem. De his omnibus dicitur: Nolite errare, Scortatores, adulteri, idolatræ, homicidæ, non possidebunt regnum Dei. *Lapsus contra conscientiam.*

De altero gradu autem dicitur, Si actiones carnis spiritu mortificabitis uiuetis. Fatetur esse in Renatis actiones carnis, id est, affectus carnales & opiniones non congruentes cùm Spiritu sancto. Hæc mala iubet mortificari spiritu, id est, iubet ut Renati sint intenti & uigilantes, ne adprobent falsas opiniones. Item, iubet, ut repugnent prauis affectibus, nec ruant contra conscientiam. *Actiones carnis in renatis.*

Diligenter autem obserues quod ait, Spiritu mortificandas esse actiones carnis: quia magnum discrimen est inter Ioseph & Scipionem, quanquam uterq; frenat Locomotiuam, ne faciat adulterium. Etsi enim & Scipionis egregia uirtus est, tamen est sine uera agnitione & sine inuocatione Dei, & non refertur ad gloriam Dei, sed est tantùm Locomotiuæ repressio. In Ioseph autem lucet agnitio ueri Dei, & fit inuocatio. Agnoscit Ioseph se placere Deo propter promissum Dominum, & lætatur in eo, & petit ab eo gubernationem, præstat hanc obedientiam Deo, & refert eam ad gloriam Dei non uult scandalo alienare uoluntates hominum à doctrina. Non igitur tantùm hîc repressio fit Locomotiuæ, sed in mente uera lux est, & Spiritus sanctus adsimilat cor uerbo Dei lucenti in mente. *Discrimen inter Ioseph & Scipionem.*

Ideo Paulus hîc iubet Spiritu mortificari actiones carnis, & facit mentionem mortificationis, quia in illa lucta uult nos agnoscere nostram infirmitatem, & dolere propter has sordes & fide petere remissionem etiam harum sordium.

De his inquit Paulus, qui mortificant actiones carnis Spiritu, retinere eos uitam, id est, retinere gratiam, Spiritum sanctum, fidem consolantem corda, & manere eos hæredes uitæ æternæ, sicut suprà dixit: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Vtrunq; agnoscendum est, & quod sint in renatis peccata, propter quæ uerè expauescere & dolere debent, & rursus agnoscenda est magnitudo misericordiæ Dei, quod recipit credentes propter filium gratis, & affirmat se uelle, ut in nobis obedientia incoetur, & placere eam sibi quanquam ualde mutilam & languidam, si tamen Renati repugnent uiciosis affectibus, ac doleant se habere tales *Incoata obedientia placet.*

tales sordes, & fide petant remissionem. De hac obedientia dicitur Roma 14. Qui in his seruit Christo, bene placet Deo, & probatus est hominibus. Ita simul sunt & uera humilitas, agnoscens propriam infirmitatem, & uerè dolens propter has reliquias peccati, & econtrà consolatio ac lætitia in Deo, quæ est fiducia acquiescens propter Mediatorem, iuxta dictum, iustificati fide pacem habemus. Semper autem sit in conspectu discrimen inter delicta contra conscientiam, & delicta non contra conscientiam.

Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.

ANtea posuit propositionem, Debitores sumus, & asseuerauit nouam obedientiam necessariam esse, & addidit argumenta à pœnis & à retentione gratiæ & uitæ æternæ. Nunc addit argumentum à causa efficiente, & à possibili.

Qualis est efficiens, talis sit effectus:
In uera conuersione Spiritu sancto eriguntur corda per fidem:
Sint igitur motus congruentes Spiritui sancto.

Doctrina de donatione Spiritus sancti.

Hæc doctrina de donatione Spiritus sancti sæpè iam repetita est, & sæpè cogitanda est consolationis causa, ut accendatur inuocatio. Cùm enim ingens sit infirmitas hominum, & Diabolus tanquam Leo rugiens circumeat, ut quàm plurimos deuoret, confugiamus ad hæc præsidia & ad has consolationes, quòd filius Dei Emmanuel est custos Ecclesiæ, Sicut inquit, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, & gubernat, confirmat, docet & consolatur nos Spiritu suo sancto, & uult hæc beneficia peti, & promittit ea petentibus: sicut scriptum est, Sine me nihil potestis facere. Petite, & accipietis. Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item, Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Spiritus opitulatur infirmitati nostræ.

Tales sententiæ sint in conspectu, ut exuscitent nos ad inuocationem, & discamus hanc doctrinam & exercitia fidei in quotidianis ærumnis, ubi in uera consolatione experiemur præsentiam Spiritus sancti.

Spiritus ducit non repugnantes.

Obseruetur autem hoc loco uerbum, Ducit. Non est ociosus Spiritus sanctus, mouet mentes & ducit, uidelicet, non repugnantes, Non est enim coactio, ut uoluntas non possit repugnare. Trahit Deus, sed uolentem trahit, Ideo inquit: Dabit Spiritum sanctum petentibus. Item, Præbete membra uestra arma iusticiæ.

Non enim accepistis Spiritum seruitutis.

POstea describuntur motus, quos ciet Spiritus sanctus. Non accepistis Spiritum seruitutis, seu ut ad Timotheum inquit, Spiritum timiditatis: id est, homines non habentes consolationem per Euangelium, & Spiritum sanctum, cùm ueniunt ærumnæ quæcunq;, succumbunt dolori, contabescunt & desperatione ruunt in æternum exitium, ut Saul, Achitophel. Has consternationes nominat spiritum seruitutis, seu timiditatis. Vbi uerò corda sustentantur uoce Euangelij & Spiritu sancto, ibi sentitur in dolore mitigatio & robur, sicut dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Item, Omnis qui confidit in Domino non confundetur. Item, Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Item, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Item, Qui habet filium, habet uitam. In hoc cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis.

Consternationes Spiritus seruitutis &c.

Sunt autem effectus immediati Spiritus sancti, fiducia & lætitia in corde prælucen-

prælucente uoce Euangelij, inuocatio, qua iam accedimus ad Deum erecti fide, non fugimus, non fremimus aduersus eum, dilectio Dei, spes, uelle obedientiam &c. Hos motus omnes comprehendit, cùm inquit, nos accepto Spiritu sancto clamare abba Pater.

Cohæredes Christi, siquidem vnà patimur.

PRopria doctrina est Ecclesiæ, asseueratio de uenturo iudicio & de pœnis æternis impiorum, & de gloria æterna ueræ Ecclesiæ, quam & meruit nobis Christus sua obedientia, & donat nobis ipse: quia etsi resuscitatio fit à Patre, Filio, & à Spiritu sancto simul, tamen fit immediatè per filium, & per filium fit uisibile iudicium. Impij enim non uidebunt diuinitatem, sed filium uidebunt, ut Matth. 26. dicitur: Tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in mundum. De hoc uisibili iudicio dicitur: Dedit omne iudicium filio.

Resuscitatio fit immediatè per filium.

Impij non uidebunt diuinitatem.

Hanc asseuerationem de æternis pœnis, & de gloria æterna, uult Deus Ecclesiæ notam esse, ut sciamus nos uocari non tantùm ad crucem & confusionem in hac uita, sed ad liberationem, qua in tota æternitate uiuet Ecclesia, & læta fruetur conspectu Dei, & cernet iusticiam Dei in discrimine beatorum & damnatorum.

Hanc doctrinam & consolationem hîc repetit Paulus, cùm antea dixerit de remissione peccatorum, de fide, de renouatione seu noua obedientia. Necesse est enim hunc finem sciri, & simul sciri, neminem saluum fieri post hanc uitam, nisi in hac uita mortali remissio peccatorum fide accepta sit, & incoata sanctificatio 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Iohan. 3. Nisi quis Renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Item, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Iuramentum postulat conuersionem. Item, Apocal. 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Item: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Matth. 22. Amice quare intrasti, non habens uestem nuptialem. Psal. 23. Mors impij mala. Ideo Paulus hoc loco inquit, Glorificabimur: Et addit, Siquidem unâ patiemur.

Omnes saluandos in hac uita conuerti necesse est.

Hæc conditio intelligatur non de merito nostrorum operum, sed de necessitate conuersionis in hac uita, & hæc ipsa conuersio est perpetuum certamen cum Diabolis & cum carne nostra, Nec sequitur,

Necesse est ferre multas ærumnas,

Ergo patientia nostra est meritum uitæ æternæ. Debetur enim obedientia propter ordinem à Deo sancitum, non quia sit precium: Ac donantur credenti remissio peccatorum, Spiritus sanctus, & hæreditas uitæ æternæ, Gratis, propter filium.

Obedientia cur debeatur.

Hîc rursus considerentur causæ, propter quas Deus uult Ecclesiam in hac mortali uita subiectam esse cruci, has sæpè recitamus, ideo hîc breuiter eas annotabo.

Causæ propter quas Ecclesia est subiecta cruci.

Prima est, quia manet peccatum in hac misera natura etiam post conuersionem, manent igitur mors & aliæ calamitates. I.

Secunda causa est, Diaboli rabiosius sæuiunt in Ecclesiam, quàm in alios homines, Gene. 3. Ponam inimicicias &c. II.

Tertia, Habet Ecclesia multa actualia peccata, ut Aaron, Dauid, Manasse, & alij plurimi. Sequuntur ergo pœnæ, quia Deus etiam in hac uita uult III.

conſpici exempla iudicij ſui, iuxta dictum: Propter iniquitates corripis filios hominum. Vult item nos propter has pœnas reuocare ad conuerſionem 1. Corinthiorum 11. Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Pſalm 118. Bonum mihi quòd humiliaſti me, ut diſcã iuſtificationes tuas.

Eſaiæ 28. Vexatio dat intellectum.

IIII. Quarta, Etiam ſancti fierent negligentiores & ſuperbi, ſi non exercerentur cruce: ideo Paulus inquit, 2. Corinth. 1. Reſponſum mortis in nobis habuimus, ut non ſimus confidentes in nobis ipſis.

V. Quinta, Sinit Deus accidere inextricabilia humano conſilio, ut conſpiciatur præſentia eius in Eccleſia, cùm mirandis modis liberat, & exerceantur fides, inuocatio & aliæ uirtutes, ut Numeri 14. Vt audiant Aegyptij, quòd tu Domine ſis in hoc populo.

Et 1. Reg. 17. Vt ſciat omnis terra, quòd ſit Dominus Deus in Iſraël.

VI. Sexta, Vult Deus mortem Baptiſtæ, Pauli, & ſimilium teſtimonia eſſe, quòd reſtet aliud iudicium. Item, quòd ipſi ſeriò ſentiant, doctrinam ueram eſſe & non commentitiam. Item, quòd eam profiteantur propter gloriam Dei, non propter ſuas uoluptates aut utilitates. Quia enim Deus antea dedit teſtimonium Paulo, quo oſtendit ſibi eum curæ eſſe, cùm eum non defendat in morte contra Neronem, neceſſe eſt poſtea reſtare iudicium, in quo oſtendet ſe adprobare Paulum, non Neronem.

VII. Septima, Oportet nos ſimiles fieri imaginis filij Dei. Erat ordinatum quiddam & ſapientia, ſi homines non eſſent lapſi, uiuere eos ſine morte, & ſine miſerijs, Nunc alia ſapientia eſt, uult Deus nos agnoſcere ipſum eſſe iuſtum, & nos merſos in peccatum, humiliter fateri nos eſſe reos, & iuſtè ſuſtinere deſtructionem huius deprauatæ naturæ, ſicut inquit Daniel: Tibi Domine iuſticia, nobis autem confuſio faciei.

Paſſio filij λύτρον. Mittitur autem filius, qui cùm innocens pœnam ſuſtinet, fit eius paſſio λύτρον pro alijs, & ipſe fit uictor & eluctatur ex morte: idem filius Dei eſt efficax in nobis, qui iuſtè pœnam ſuſtinemus. Nequaquã tamẽ noſtra mors eſt λύτρον, ſed eſt iuſta pœna & commonefactio de iudicio Dei. Erimus autem ſimiles filio Dei, cùm uitam nobis reddet: interea uult nos Deus aliquo modo & in morte & in miſerijs ei ſimiles eſſe, ut commonefaciat nos de iudicio ſuo aduerſus peccatum.

Crucis ſapientia inexhauſta. Denicq; multiplex & inexhauſta crucis ſapientia eſt, de qua conſilium Dei in tota uita cogitandum eſt, & ſemper ſit in conſpectu hoc dictum: Humiliamini ſub potenti manu Dei, potenti uidelicet, ad premendum & ad liberandum.

Philoſophia nec cauſas principales calamitatum humanarum oſtendit, nec ſufficienter conſolationes tradit, ſed in ſola Eccleſia patefecit Deus uoluntatem ſuam, & de pœnis & de liberationibus.

DE CONSOLATIONIBVS.

COnſideratis autem cauſis, propter quas Eccleſia cruci ſubiecta eſt, poſtea conſolationes intueamur, ſicut cognitis morbis deinde remedia traduntur. Nihil autem lenit dolorem, niſi aliqua boni ratio in eo conſpiciatur.

Conſolationum Philoſophicarum loci. Etſi autem alij aliter diſtribuere locos Philoſophicarum conſolationum poſſunt, tamen utcunq; docendi cauſa ſex numero, qui ſunt:

1. Neceſſi-

1. Neceſſitas,
2. Dignitas uirtutis anteferenda dolori:
3. Bona conſcientia:
4. Exempla:
5. Cauſæ finales,ut pugnare pro patria:
6. Collatio euentuum,ut melius eſt morbo impediri, quàm uenire ad malum ſodalitium.

Omitto autem longiorem declarationem, quia mediocriter inſtitutis non eſt difficilis conſideratio. In Eccleſia eoſdem locos conſolationum recito,ſed addo alios propriè Euangelicos. Nam Philoſophici ex Legis doctrina oriuntur. Non ſunt igitur negligendi,ſed tamen addi Euangelicos oportet. Et Paulus in hac conſolatione ex lege etiam ſumit argumenta, ut cùm de Neceſſitate & exemplis dicit.

Sunt igitur hi Loci. *Conſolationum in Eccleſia Loci.*

1. Neceſſitas,quia Deo neceſſe eſt obedire,iuxta dictum:Humiliamini ſub potenti manu Dei, & hæc obedientia fit ſacrificium.
2. Dignitatis uirtutis anteferenda dolori, nam hoc quoq; Lex præcipit, ne fracti dolore iniuſta faciamus.
3. Bona conſcientia.
4. Promiſſio remiſſionis peccatorum & reconciliationis.
5. Promiſſio auxilij diuini, mitigationis ac præſentiæ Dei in ipſis ærumnis.
6. Promiſſio liberationis finalis & æternæ ſalutis, ſicut Iob inquit: Etiamſi occîdet me,ſperabo in eo.
7. Exempla filij Dei & uniuerſæ Eccleſiæ.
8. Cauſæ finales,quia affligimur non ut pereamus,ſed ut reuocemur ad pœnitentiam.Item, ut creſcant in nobis timor Dei, fides, inuocatio. Item,ut in confeſſione celebretur Deus.
9. Collatio euentuum, ut melius fuit Ionathæ mori, quàm fieri aliquando hoſtem Dauidis.

Hanc breuem ſummam doctrinæ de cruce & de conſolationibus, intueamur etiam in hac ſplendidiſſima Pauli concione, in qua primum argumentum ſumtum eſt ab exitu afflictionum, & finali liberatione & æterna ſalute: Nam hoc argumentum præcipuum eſt, Mens uidens bonum, ſcilicet æternam ſalutem lætatur, & minus mouetur præſenti dolore, quem ſcit breue iter eſſe. Ac ſæpè repetitur hoc præcipuum argumentum in hac ipſa Pauli concione, quod initiò recitat his uerbis: Decerno afflictiones huius temporis, non eſſe pares uenturæ gloriæ. *Conſolationum de cruce* I. *Argumentum, à finali liberatione.*

Nam expectatio Creaturæ &c.

Secundum argumentum ab exemplo mundi ſumtum eſt.

Vſitatus locus eſt conſolationum proponere exempla ſimiliter afflictorum,quia æqualitas uidetur eſſe quædam iuſticia, uidelicet, ne quis appetat extraordinaria, & uelit frui maioribus commodis, quàm alij fortaſſis digniores, ideo inquit Elias:Non ſum melior Patribus meis.Ita hîc argumentatur Paulus. II. *Ab exemplo mundi.*

Ferendæ ſunt communes miſeriæ:

Tota rerum natura nunc ſubiecta eſt corruptioni & abuſui impiorum,& gemit nobiſcum,ſed expectat liberationem.

Ergo & nos feramus partem communium miseriarum, & expectemus liberationem.

In hac prosopopœia consideremus, quale sit hoc πάθος, & quàm dulce argumentum contineat: ait gemere naturam rerum. Etsi autem cœlum & terra sunt sine sensu, tamen corruptio & horrendi abusus rerum in mundo sunt tristissima spectacula, & dolor est in sanctis aspicientibus hanc deformitatem, & cogitantibus causas: hunc dolorem transfert ad ipsam rerum naturam in hac Prosopopœia. Non dolebant muri prophanato templo Ierosolymæ, sed dolebant Maccabæi & alij sancti, uidentes hanc tetram deformitatem, contumelias Dei, neces ciuium, matronarum, puerorum & puellarum exilia & alias calamitates. In talibus exemplis consideretur, qualis sit hæc Prosopopœia.

Natura rerum gemit.

Epicuri argumentum contra prouidentiam.

Deinde perspicua refutatio est Epicureorum in hoc argumento. Sic argumentatur Epicurus:

Vbi non est ordo, ibi non est prouidentia Dei.
In mundo non est ordo, quia sæpè malis melius est quàm bonis.
Ergo non regitur mundus prouidentia.

Pauli argumentum de prouidentia.

Paulus contrà argumentatur.

Cùm natura sit pulcerrimè ordinata, & tamen iam sit multiplex abusus, necesse est utriusq; rei causas esse.
Ordinis causa Deus est, sed abusuum causa peccatum est, Nec tamen Deus frustra condidit hoc pulcerrimum opus.

Mundus ad confusiones perpetuas non est conditus.

Non igitur perpetuus erit hic abusus. Ita calamitas præsens testimonium est futuræ liberationis. Quia nequaquam existimandum est, hoc pulcerrimum mundi opificium tantùm ad illas confusiones in omnem æternitatem conditum esse.

Quanquam autem sapientiam & dolores Pauli in hoc ipso argumento non prorsus exhaurire possumus, tamen cogitemus aliquid de his tantis rebus: intueamur abusum non ut Epicurei, sed deploremus causas, scilicet, peccata, & aspiciamus utrunq; , uidelicet, Pulcerrimum ordinem multarum rerum in natura conditum à Deo, & deinde confusionem ordinis, quæ accessit propter peccatum, & cogitemus, cùm non conditus sit mundus ad æternum abusum, secuturam esse aliquando liberationem, & Deum patefacturum esse iudicium suũ.

Sed & nos ipsi, qui initia Spiritus habemus &c.

III. *Ab exemplo Apostolorum.*

TErtium argumentum sumtum est ab exemplo Apostolorum. Nos qui excellentiora dona habemus affligimur, luctamur cum conscientia lapsuum præteritorum & reliqua immunditie, cum terroribus Diaboli, cum nostra infirmitate, cum periculis & persecutionibus, & expectamus liberationem.

Spe enim saluati sumus.

IIII. *Ab ordine & tempore liberationis.*

QVartum argumentum ab ordine & tempore liberationis. Sic liberati sumus, ut adhuc speranda sit hæreditas, postea possidenda, & ut ita dicam, nunc habemus ius ad rem, nondum in re.

Sic enim Deus colligit Ecclesiam æternam, & non aliter. Vult nos in hac uita per Euangelium renasci, & uult Ecclesiam in hac uita subiectam esse cruci, Postea in uita æterna erit integra nouitas & lætitia.

Intelligit ergo Paulus hoc loco saluationem, illam ultimam & integram liberationem: quod ideo dicendum est, ut Sophisticæ captioni respondeatur.

Spe

Spe saluati sumus:

Ergo non sola fide saluamur.

Respondeo, Nego consequentiam, quia ambiguitas est in uocabulo Saluati. Cùm dicit, Spe saluati sumus, non intelligit uocabulum Saluati, pro reconciliatis, sed intelligit de liberatis ab omnibus miseriis. Et aliud est loqui de tempore integræ liberationis, aliud de causa iustificationis. *Ambiguitas in uocabulo Saluati.*

Cùm dico, Spe liberati sumus, tempus intelligitur, & grammaticè hoc significatur, Integra liberatio adhuc expectatur: Cùm dicitur, Fide iustificamur, monstratur causa, scilicet misericordia promissa propter filium Dei, quam fide oportet accipi.

Quanquam autem fides & spes sunt cognatæ uirtutes, & nequaquam diuelli possunt, tamen quia Paulus aliquod discrimen facit, cùm inquit: Tria hæc, Fides, Spes, Dilectio, teneantur utcunq; distinctæ descriptiones.

Fides est assentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atq; ita promissioni gratiæ, & est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, non propter nostras uirtutes aut opera, & mouens corda, ut accedant ad Deum, & eum inuocent & clament Abba Pater. *Fides.*

Spes est certa expectatio salutis æternæ propter Mediatorem gratis donandæ, & est expectatio mitigationis pœnarum in hac uita, iuxta consilium Dei. *Spes.*

Differunt autem fides & spes, quia fides in præsentia accipit remissionem peccatorum, & reconciliationem, seu imputationem iusticiæ propter Mediatorem, & adfert pacem, id est, lætitiam cordi, quod sensit ueros pauores: ut dicitur, Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Et hac fide ex doloribus inferorum eluctantes accedimus ad Deum, rectè eum agnoscimus & inuocamus, ut ad Ephe: dicitur: Per hunc audemus accedere in fiducia per fidem eius. Ita fides accipit in præsentia reconciliationem, & arrabonem futurorum bonorum, uidelicet Spiritum sanctum, & est uirtus apprehensiua, & quietatiua. *Differentia fidei & spei.*

Sed spes est expectatio futuræ liberationis, quam expectationem antecedunt noticia promissionis & assensus, & fiducia accipiens reconciliationem, ut Dauid audita promissione erectus, postea incipit sperare liberationem.

Dilectio est obedientia secundum mandata Dei, prælucente fide cum uera lætitia in Deo, quia 1. Iohan. 5. dicitur. Hæc est dilectio Dei, mandata eius seruare. *Dilectio.*

Per patientiam expectamus &c.

DIxi quartum argumentum sumtum esse ab ordine & tempore liberationis. Primùm spe expectanda est hæreditas, Postea uerò possidenda. Nunc in descriptione spei commoratur, dicit, spem esse futuri boni, nondum præsentis, ideo inquit: Spes quæ uidetur non est spes: ubi phrasis rectè intelligatur. Adiungit autem spei patientiam, quia interea in hac uita magni agones perferendi sunt, sicut & prædicit, Deus & præcipit patientiam, & affirmat se nobis opitulaturum esse. *Spes est futuri boni &c.*

Prædictiones hæ sunt.

2. Tim. 3. Omnes qui piè uolunt uiuere in Christo persecutionẽ patientur.

Et Psalm. 33. Multæ tribulationes iustorum.

Et Ieremiæ 12. Dedi animam meam dilectam in manus inimicorum eius.

Præcepta uerò de patientia hæc sunt.

Matth. 16. Si quis uult me ſequi, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.

1. Petri ultimo: Humiliamini ſub potenti manu Dei.

1. Corinth. 10. Ne murmuretis.

1. Timoth. 6. Sectare iuſticiam, patientiam &c.

Pſalm 37. Subditus eſto Deo, & ora eum.

Apud Eſaiam: In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra.

Promiſſiones ſunt hæ.

Pſal. 90. Cùm ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.

Pſal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.

Prædictiones, præcepta & promiſſiones de cruce.

Talia dicta, prædictiones, præcepta & promiſſiones ſint in conſpectu, ut inde doctrina & conſolatio in ærumnis petantur, ut ſuprà de locis conſolationum dictum eſt.

Sed obijciet aliquis, Cùm talis ſit natura, ut omnes, qui ſentiunt cruciatus, non poſſint non dolere, & iraſcantur cauſis, & quærant liberationes, alij aliter, quid igitur nominas Patientiam? eſt ne inane nomen? Reſpondeo.

Patientia Philoſophica.

Philoſophica patientia eſt in aduerſis perferendis, quæ iubet ratio ferre, utcunq; uelle obedire rationi ſic, ut externos geſtus modereris, ne fractus dolore facias contra aliquam uirtutem, ut Cato facit contra iuſticiam ſibi conſcíſcens mortem. Medea irata Iaſoni interficit natos, & multi quærunt liberationes illicitis modis, ut qui Magos conſulunt, aut qui iniuſta fœdera faciunt: & quia Philoſophica patientia ſæpè non oſtendit liberationem, ideo in iniuſtis manet interior dolor, & ita creſcit, ut extinguat hominem, Ibi fit patientia inane nomen.

Patientia Chriſtiana quæ non eſt inane nomen.

At patientia Chriſtiana eſt uelle obedire Deo in his, quæ iubet ferre, & nihil facere contra mandata Dei, & ſimul cernere præſentiam Dei in cruciatu, & ſperare auxilium & liberationem, ac lætari in Deo, quia cernimus res bonas, ſcilicet Deum ipſum præſentem afflictis, auxilium, ac liberationem.

Talis patientia non eſt inane nomen, quia ſentitur uera lætitia, quæ uincit dolores, Sicut igitur Dauid in ſuis ærumnis ſentit ueram lætitiam in Deo, ut cùm inquit Pſalm. 114. Circumdederunt me dolores mortis, & anguſtiæ inferni inuenerunt me, Et nomen Domini inuocabo, O Domine libera animam meam. Poſtea ſequitur uox lætitiæ: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus eripuit animam meam à morte. Item Pſalm 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes lætificauerunt animam meam. Cumq; hæc lætitia reipſa ſentiatur, intelligi poteſt hanc patientiam non eſſe inane nomen, imò reipſa patientiam eſſe hanc lætitiam, & tamen

Dolorum & conſolationum lucta.

lucta eſt dolorum & conſolationum, & aliâs magis, aliâs minus ſentitur lætitia: ſicut lucta deſcribitur in hoc ipſo Capite 8. ad Rom. Spiritus opem fert infirmitati noſtræ. Et ſæpiſſimè in Pſalmis, ut Pſam. 41. Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum, ſic deſiderat anima mea ad te Deus, Quare triſtis es anima mea, ſpera in Deo &c.

Et hoc illuſtre diſcrimen eſt patientiæ Philoſophicæ & Chriſtianæ, quòd Chriſtiana patientia aliquo modo uult obedientiam propter Deum, & ſemper eſt coniuncta cum fide & ſpe auxilij diuini, quæ ſunt cauſa lætitiæ.

Sed in Palamedis, Socratis, Dionis, Phocionis patientia, non eſt ſpes auxilij diuini, ſed eſt qualiſcunq; externa geſtuum moderatio, quia interior dolor

dolor minor est, cùm conscientia non est saucia, iuxta dictum:

Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.

QVintum argumentum sumtum est ab auxilio diuino. Cùm enim de patientia & spe dixerit, & constet magnas Ecclesiæ ærumnas esse, & difficillimos agones, addit argumentum de auxilio, quod ad confirmandos pios efficacissimum est: ostenditur enim res bona & dolores mitigans. V. *Ab auxilio diuino.*

Hîc sciendum est, ideo exerceri Ecclesiam, ut in doloribus cogitemus de causis afflictionum, & de promissione auxilij & liberationis, ut Esaiæ 28. dicitur: Vexatio dat intellectum. Item, Alienum opus facit Deus, ut faciat proprium opus, id est, sinit affligi Ecclesiam, ut ostendat se esse liberatorem &c. In ea cogitatione promissionum & in precatione datur Spiritus sanctus, & sentitur eius efficacia, ut de promissionibus dicitur in Psalmo 5. Sustinuit anima mea in uerbo eius. Ac sciendum est, sic dari Spiritum sanctum, uidelicet, in cogitatione promissionis & in precatione, Sicut & Dominus inquit, Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. *Spiritus sanctus datur in cogitatione promißionis &c.*

Cætera in textu Pauli describunt magnitudinem dolorum & luctę, nescimus quid petamus &c. Sed Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, Infirma natura mallet non pati, sed Spiritus sanctus flectit uoluntatem & corda, ut aliquo modo uelimus obedientiam, & incitat ad inuocationem, quæ Deo placet, sicut Dauid malebat non perire in exilio, & tamen dicit: Faciat quod bonum est coram ipso. Et Iob: Etiamsi occîdet me, sperabo in eo. *Spiritus interpellat pro nobis &c.*

Hîc quæritur: Quo discrimine alibi Christus dicatur interpellator pro nobis, Hîc uerò Spiritus sanctus dicatur iuterpellator. *Quomodo Christus, quomodo item Spiritus sanctus sit interpellator.*

Respondeo, Christus est interpellator, quia est Redemtor, & suo merito placans iram æterni Patris.

Sed Spiritus sanctus est interpellator in quantum nos mouet ad inuocationem, iuxta dictum: Accepistis Spiritum, quo clamamus Abba Pater. Item, Zach. 11. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

Filius est interpellator, quia est Redemtor, qui persoluit precium, ut satisfieret iusticiæ Dei, & placaretur ira Dei.

Sed Spiritus sanctus interpellat post placatam iram per filium, sic, ut accendat in nobis inuocationem, iuxta dictum: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum, id est, Spiritum testificantem in consolatione per Euangelium, quòd Deus nos recipiat, & sit nobis propicius, & accendentem nos ad inuocationem, & lætificantem corda acquiescentia in Deo &c.

Scimus autem, quòd diligentibus Deum, omnia cooperantur ad bonum.

SExtum argumentum repetitio est primi & præcipui argumenti, quod ab exitu afflictionum sumitur, quasi dicat, Cùm certa sit liberatio & exitus futuri sint lætissimi, Tolerate exigui temporis ærumnas: & intexuntur causæ & exemplum Christi. VI. *Ab exitu afflictionum.*

Expetimus societatem æternæ Ecclesiæ.

Sic autem Deus Ecclesiam colligit, & deinde glorificat, ac non aliter.

Vt igitur ad metam ueniamus, etiam huius necessarij itineris labores feramus, iuxta dictum: Qui finem expetit, non fugiat media ad finem.

Proponitur autem exemplum filij Dei, quod in utramq; partẽ est maximè illustre

illuſtre teſtimonium, uidelicet, ingentis iræ Dei aduerſus noſtra peccata, & amoris Dei erga nos,& liberationis Eccleſiæ.

Neceſſe eſt ingentem iram eſſe, cûm nemo ſit Redemtor niſi filius. Et neceſſe eſt magnum amorem erga nos eſſe,cùm filius pro nobis datus ſit. Et certa eſt liberatio, cùm filius promittat ſe Eccleſiam ſic liberaturum eſſe,ut ipſi in tota æternitate ſimiles ſimus:Sicut ait, Ego uitam ęternam do eis &c.Et in Pſalm. Vnxit te Deus propter conſortes tuos. De his maximis rebus commonefacit nos propoſito exemplo filij. Hîc rurſus cogitandæ ſunt cauſæ, quare Eccleſia ſubiecta ſit cruci, quas ſuprà aliquoties recitauimus.

Quos elegit,hos & uocauit.

ATtexit ſplendidiſſimam amplificationem de conſeruatione Eccleſiæ in hac tanta deformitate,& in his confuſionibus & ruinis regnorum: quaſi dicat, quanquam omnia minantur interitum,tamen ſcitote Eccleſiam curæ eſſe Deo, & non interituram eſſe.

Paulus ordiatur ab electione.

Orditur igitur ab electione, ut nos commonefaciat de perpetuo conſilio Dei,& de conſeruatione Eccleſiæ,quaſi dicat:Scitote eſſe Eccleſiam electam propter filium,ſicut in Pſalmo dicitur, Funes ceciderunt mihi in præclaris.Semper aliqua hæreditas erit filij Dei in genere humano, Et hæc electa Eccleſia prædicatione colligitur, & fit iuſta,& ornabitur æterna gloria. Mox igitur monet, ubi electi quærendi ſint, ſcilicet in cœtu uocatorum. Ideo inquit, Quos elegit, hos & uocauit.

Electi quærendi in cœtu uocatorum.

Hanc conſolationem teneamus, nec fingamus electos quærendos eſſe extra cœtum uocatorum, ſed ſciamus eos eſſe in cœtu uocatorum,qui eſt uiſibilis Eccleſia,in qua ſonat uox Euangelij incorrupta,ibi filius Dei eſt efficax per Euangelium: ſicut ſcriptum eſt.

Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.

Et mandatum Dei eſt,ut ſinguli ſe ad hunc cœtum uocatorum adiungant, iuxta dicta.

Qui uos audit,me audit, Qui non colligit mecum,diſſipat.

Item,Pſalm 83. Beati qui habitant in domo tua Domine.

Hæc tota doctrina hîc breuiter comprehenſa eſt, quæ cogitanda eſt,quoties recitamus articulum: Credo eſſe Eccleſiam Catholicam, id eſt, Credo Deum ſemper conſeruaturum eſſe Eccleſiam, & me quoq; ad eam adiungo,in hac ſunt electi omnes qui retinent fidem,& bonam conſcientiam.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Duo argumenta, quæ impellunt ad dubitandum.

AMplificat in fine certitudinem gratiæ & liberationis,mentione dati pignoris, ſcilicet, redemtoris & interceſſoris,& ſimul refutat obiectiones. Duo enim terribilia argumenta incurrunt in oculos, quæ impellunt homines ad dubitandum.

Conſpectus noſtræ immunditiæ, quæ hæret in omnibus, etiam non habentibus delicta contra conſcientiam, Semper enim diſputat conſcientia.

I. Deus peccatores non exaudit:
Ego ſum peccator:
Non igitur ſum in gratia.

II. Deinde conſpectus externarũ ęrumnarũ,de quibus ſit ratiocinamur.
Iuſtis debebat bene eſſe.

Eccleſia

Ecclesia est afflictissima & non solùm exigua, sed etiam deformis domesticis uulneribus. Quis existimaret tempore Herodis in sola Iudea, quæ erat plena calamitatum & ciuilium bellorum fuisse Ecclesiam, & non magis Deo curæ esse Augustum & senatores Romanos antecellentes sapientia, uirtute, Imperio & alijs ornamentis.

Hæc duo argumenta non leuiter concutiunt omnium hominum animos. Ac priori argumento sic moti sunt Monachi, ut docuerint in hac uita semper dubitandum esse, an simus in gratia, & hanc dubitationem approbent, & dicant esse humilitatem. Aduersus hunc tetrum errorem constantissimè docet uox Euangelij, uincendam esse fide dubitationem, sic, ut conuersi ad Deum, statuant, uerè sibi remitti peccata propter filium, & propter eum se placere Deo, quanquam adhuc hærent in nobis non peccata contra conscientiam, Sed defectus & prauæ inclinationes & flammæ prauorum affectuum, quibus tamen repugnamus. *Dubitatio fide uincenda.*

Hæc doctriua de uincenda dubitatione, & hæc necessaria consolatio sæpè repetita est suprà, ubi consideres hæc testimonia.

Rom. 4. Ideo ex fide, ut sit firma promissio, quasi dicat: Non credenti promissio est inanis sonitus, Et mandatum æternum, & immotum Dei est, ut audiamus filium, ut inquit cœlestis Pater, Hunc audite.

Item in Psalmo: Osculamini filium. Hunc contumelia afficiunt, qui non tribuunt ei hunc honorem, ut credant sibi propter ipsum remitti peccata.

Huc adde alia illustria testimonia.

Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Opposita est autem hæc pax dubitationi.

Et Ephe. 3. Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius.

Item, Ebræ. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

Sciamus igitur mandatum Dei & propriam Euangelij uocem esse, ut credamus nobis remitti peccata in conuersione, & conuersos esse in gratia propter filium, & uincendam esse dubitationem hac fide. Et quanquam hæc uictoria languida est, tamen adsiduè crescere & pœnitentiam & hanc uictoriam oportet, sicut inquit ille, Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. *Propria Euangelij uox.*

Sæpè autem alibi explicata sunt argumenta, quæ opponuntur contra hanc certitudinem.

Peccatores Deus non exaudit, scilicet, qui non conuertuntur ad Deum, sed perseuerant in sceleribus contra conscientiam, aut defendunt errores contra fundamentum, id est, contra articulos fidei. *Peccatores qui non exaudiantur.*

Citatur & hoc dictum Salomonis:

Nemo scit an odio, aut amore dignus sit:

Est autem breuis responsio, & firmissima.

Loquitur Salomon de iudicio hominum, quod ex euentibus sumitur in hac uita, uidelicet ex rebus secundis aut aduersis. Vt Achab non existimet se placere Deo propter uictorias, Dauid non existimet se reiectum esse propter exilium. Sed de uoluntate Dei ex uerbo eius iudicetur. Ita dictum Salomonis congruit ad nostram sententiam, non ad falsam imaginationem Monachorum.

Quis accusabit electos, Deus est qui iustificat.

Responsio

RESponsio est ad argumentum antea recitatum. Cùm enim obiicit conscientia in conuersis, Cùm adhuc hæreant in nobis multæ sordes, & multa peccata ignorantiæ & omissionis, quomodo possum non dubitare.

Contra dubitationem.

Hîc respondet Paulus fidem niti merito & intercessione filij Dei, non nostra dignitate, & fit utriusq; rei mentio, meriti & intercessionis.

Meritum ostendit cùm ait: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non omnia cùm eo nobis donet. Item, Quis accusabit electos, Deus est qui iustificat, id est, qui recipit credentes, & pronunciat eos esse iustos, id est, ipsi placentes propter filium tectos iustitia filij.

Postea de intercessione loquitur, Qui & interpellat pro nobis.

Doctrina de sacerdotio Christi.

Hîc tenenda est doctrina de sacerdotio Christi, de quo dictum est: Tues Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedec. Continet autem hæc consideratio de sacerdotio Christi amplissimam doctrinam & dulcissimam consolationem. Primùm uerò nota sit definitio.

Definitio summi sacerdotis.

Summus Sacerdos est Persona immediatè missa à Deo ad annunciandum Euangelium, & immediatè proferens id ex sinu æterni Patris, ac missa ad offerendum sacrificium, ut persoluta pœna pro nobis placaretur ira Dei, & assiduè orans pro nobis, ac habens testimonium quòd exaudiatur, & conseruans ministerium Euangelij in Ecclesia, & perpetuò colligens Ecclesiam uoce Euangelij, & benedicens, dans remissionem peccatorum, Spiritum sanctum & uitam æternam.

Hæc membra omnia contineri in definitione summi Sacerdotis, ostendit Epistola ad Ebræos. Et hic summus Sacerdos non est Typicus, sed est Christus Deus & homo, nam officij nomen ad personam pertinet, quæ est Deus & homo.

Duo de sacerdotio Christi consideranda.

Ad consolationem uerò consideratio utriusq; rei necessaria est, scilicet sacrificij seu meriti, & intercessionis. Hæc persona offert sacrificium, id est, uniuersam obedientiam suam & humiliationem usq; ad resurrectionem, ut pœnam pro nobis persoluat, hanc oblationem ipse suis uerbis pro Ecclesia applicat inquiens: Ego pro eis sanctifico me. Et ad Ebreos dicitur Cap. 1. Qua uoluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel. Item, una oblatione consummauit nos.

I. Meritum seu sacrificium.

Primùm igitur sit in conspectu hæc consolatio quæ proponitur in merito Christi, seu sacrificio, uidelicet, quod in conuersione uerè recipiantur & placeant Deo credentes propter hanc uictimam, etiamsi adhuc hærent in conuersis reliquiæ peccati. Vincenda est igitur dubitatio, quia dubitãs disputat, an meritum Christi sufficiat, aut antefert sua peccata merito Christi contra dictum: Gratia exuberat supra delictum. Ideo hîc inquit: Quis accusabit electos, cùm Deus sit, qui iustificat, quasi dicat, etiamsi hærent inconuersis reliquiæ peccati, tamen eos iustificat Deus propter filium.

II. Intercessio.

De intercessione uerò sciamus applicationem meriti Christi ad nos fieri omni tempore, coram æterno Patre per ipsum Mediatorem deprecantem pro nobis. Sic coniuncta sunt meritum & intercessio.

Meritum est obedientia Christi sasisfaciens iusticiæ Dei ad placandam iram.

Intercessio est assidua applicatio pro nobis, sicut Ebræ. 7. dicitur. Semper uiuens, ut intercedat pro eis. Et hoc loco ad Rom. 8. Qui est ad dextram Dei, qui

qui & interpellat pro nobis,id est,qui regnat cum Patre,& uidet pectus Patris, & in illo arcano consilio pro nobis intercedit, & nostros gemitus ad Patrem perfert, qui propter filium nos recipit: iuxta dictum, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

Hæc consolatio semper in conspectu sit, Etiamsi ualde infirmi & indigni sumus,tamen placemus,quia hic filius merito suo placat Patrem,& semper pro nobis intercedit,& tegit nos applicatione meriti sui,ne in nos effundatur ingens ira diuina.

Huc accommodetur & dictum: Tu es Sacerdos in æternum. Item, tota precatio ante agonem dicta, quæ est perpetua uox Mediatoris omni tempore. Verba applicationis sunt:Ego me pro eis sanctifico,id est,offero.Item,Oro non pro ipsis tantùm,sed pro credituris per uerbum eorum, ut unum sint in nobis. Item, ut dilectio tua in eis sit,qua me diligis. Hunc deprecatorem autem certò exaudit æternus Pater,iuxta dictum, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem.

Precatio ante agonem Christi.

Quis separabit nos à dilectione Dei?

CONclusio est totius consolationis, Cùm Deus diligat nos propter meritum & intercessionem filij, certissimum est seruaturum esse Ecclesiam, etiamsi est infirma,& horribilibus furoribus Diabolorum & impiorum oppugnatur.

Disputant autem hîc aliqui, an possit electus amittere dilectionem qua Deum diligit: Hæc quæstio aliena est ab hoc loco. Dictum est autem alibi,electos posse labi,sicut lapsi sunt Adam,Eua,Aaron,Dauid.

Electi possunt labi.

Paulus autem hîc loquitur de dilectione, qua Deus uniuersam Ecclesiam diligit,& loquitur de conseruatione uniuersæ Ecclesiæ. Deinde etiam de singulis membris,quæ reuera per fidem sunt Ecclesiæ membra.

Hæc dilectio in promissione reuelata est, quæ affirmat Deum semper collecturum esse Ecclesiam,quæ in tota æternitate fruetur eius uita,luce,iusticia & lætitia,iuxta dictum, Portę inferorum non prævalebunt aduersus eam.

Adfirmat item promissio, conuersos qui uera fide inseruntur Christo, diligi à Deo,ut Ioh. 14.dicitur: Si quis diligit me,sermonem meum seruabit &c. De hac certitudine fidei hîc loquitur,qua conseruationem uniuersæ Ecclesiæ scimus certam esse, Certò etiam scimus singulos perseuerantes in fide saluos fore.Addit igitur, seruabitur Ecclesia, etiamsi erunt magna certamina & oppugnabitur uarijs modis,dulcedine uitæ,metu mortis,insidijs Diabolorum,terroribus Tyrannorum,& exercituũ, Nam Tyrannos nominat ἀρχὰς, exercitus autem δωνάμεις, uidelicet,tota agmina persequentium.

Perseuerantes in fide saluantur.

ἀρχαὶ. δωνάμεις.

Oppugnatur & præsentibus illecebris,& terroribus, & spe futuræ tranquillitatis & metu periculorum. Altitudinem intelligo in genere sapientiam hæreticorum & aliorum impiorum.Profunditatem,communes uulgi furores. Aduersus hæc omnia confirmatur Ecclesia per filium Dei & Spiritum sanctum,ut glorioſè uincat,sicut in Psalmo dicitur:Ex ore infantium & lactentium perfecisti tibi laudem. Item, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Altitudo. Profunditas.

CAPVT IX.

PRorsus noua disputatio instituitur de Ecclesia,seu populo Dei,& de uocatione gentium.Etsi enim necesse est, intexi alicubi discrimen Legis & iusticiæ

fidei,tamen hîc principalis quæstio est,quæ sit Ecclesia Dei,seu quis sit populus Dei, Nam & Iudæi opponebant Apostolis autoritatem Ecclesiæ, & argumentabantur hoc modo.

Argumentatio Iudæorum contra Apostolos.

Cùm Ecclesia non erret,Et nos,qui sumus præcipua pars populi, ordinarij Sacerdotes,Doctores, gubernatores, & maior multitudo antecellens uirtute & autoritate,simus Ecclesia,& dissentiamus à uobis,Non est credibile uos rectè sentire, qui nouum doctrinæ genus inuehitis in Ecclesiam,ignotum Patribus nostris, Imò contrarium Legi, quia Legem à Deo illustribus testimonijs labefactis, Idq; facitis pauci & seditiosi homines,ut res ipsa ostendit,quia hãc pulcerrimam politiam, quæ sola in genere humano uoce Dei constituta est, & ingentibus miraculis conseruata & sæpè restituta est,uos euertitis.

Hæc specioſa argumenta opponebant Iudæi,quæ nulla humana sapientia refutari possunt, sed refutantur testimonijs diuinis, uidelicet, dictis Prophetis & miraculis.

Nunc similia opponunt papistæ, sed quia constat eos dimicare de legibus & ritibus humana autoritate traditis, argumenta eorum languidiora sunt. Iudæi dimicabant de Lege diuina. Semper tamen Ecclesiæ nomine & specie mouentur omnes homines moderati, nec temerè discedendum est à uetustissimo consensu eorum,quorum probatur autoritas.

Ecclesiæ nomine mouentur homines.

Paulus inquit, Ecclesiam esse domum Dei, columnam & sedem ueritatis, Dominus inquit.Si non audierit Ecclesiam,sit tibi sicut Ethnicus. Samson ait: Si non arassetis mea uitula, non inuenissetis.

Cùm autem Ecclesiæ nomine moueantur homines, necesse est quærere quæ sit uera Dei Ecclesia, Quia semper etiam diuersi & dissentientes populi hunc glorioſum titulum usurpant,ut nunc de hoc titulo pugnant inter se Christiani,Iudæi & Mahometistæ. Imò in hac ipsa multitudine, quæ nominatur Christiana,sunt dissensiones.Respondet igitur Paulus & docet, quæ sit Ecclesia & ubi sit, & quomodo sit agnoscenda.

Ecclesiæ titulum usurpant diuersi populi.

Esse Ecclesiam uisibilem.

Esse autem aliquam uisibilem Ecclesiam Dei manifestum est ex multis testimonijs. Cùm enim inquit Christus, Dic Ecclesiæ, deducit nos ad uisibilem cœtum. Et Psalmus ait, In omnem terram exibit sonus eorum. Vult Deus audiri uocem Euangelij, uult agnosci Filium, Ideo semper aliquem cœtum aliâs magis aliâs minus frequentem colligit,qui conspici & exaudiri possit in genere humano, & in hoc cœtu retinetur fundamentum, aliâs magis aliâs minus purum,sed tamen non defenduntur idola. Ac semper in hoc cœtu sunt electi alij qui,id est,hæredes æternæ uitæ,etiamsi simul his admixti sunt multi non sancti & non electi,qui tamen de doctrina in externa professione à sanctis non dissentiunt, ut docet similitudo de sagena, in qua sunt boni & mali pisces. Nec quærendi sunt electi extra cœtum uocatorum,iuxta dictum:Quos elegit,hos & uocauit.Item,Oues meæ uocem meam audiunt. Vbicunq; autem sunt siue inter hos, siue alibi,qui oppugnant fundamentum, id est, articulos fidei, hos esse extra Ecclesiam, & reiectos, & damnatos certum est,iuxta dicta Iohannis 3. Qui non credit in filium, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum. Et 1. Corin.3. Fundamentum aliud ponere nemo potest,præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Cùm igitur sit aliqua uera Ecclesia uisibilis, teneamus hanc definitionem.

Ecclesia

Ecclesia uisibilis, est cœtus uisibilis amplectentium Euangelium sine corruptelis, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu filius Dei est efficax per ministerium Euangelij, & multos regenerat dato Spiritu sancto. Suntq; in eo cœtu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes. Ac mandatum est immutabile, pertinens ad omnes homines, ut singuli fiant membra & ciues huius ueræ Ecclesiæ, ubicunq; sunt in mundo apud suos aut alienos, ita adiuncti, uidelicet ut agnoscant & fateantur eum cœtum esse ueram Dei Ecclesiam, & similis sit confessio doctrinæ, & similis inuocatio Dei, & similis usus Sacramentorum, & uoluntas iuuandi & non perdendi eum cœtum. Nec necesse est similitudinem esse humanarum traditionum, nec necesse est omnes uni politico Imperio inclusos esse. *Singuli debent membra fieri ueræ Ecclesiæ.*

Quòd autem oporteat singulos fieri membra ueræ Ecclesiæ, testantur hæc dicta. Quos elegit, hos & uocauit.

Psalm 26. Vnum petij à Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ, ut uideam uoluntatem Domini, & uisitem Templum eius.

Psalm. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine.

Psalm. 91. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

Psalm. 35. Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine, Dilexi decorum domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Psalm. 121. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem. Et felicitas diligentibus te, propter domum Domini Dei nostri, quæsiui bona tua.

Ebræos 10. Non relinquentes congregationem nostram.

1. Corinth. 1. Non sint inter uos schismata, sed sitis coagmentati eadem doctrina & eadem uoluntate.

Matth. 12. Qui non congregat mecum, dispergit.

Hæc & similia dicta præcipiunt de consociatione, & iubent singulos fieri membra ueræ Ecclesiæ, & uetant esse socios hostium Euangelij, seu errones, qui ideo fugiunt Ecclesiæ societatem, ut magis uagari opinionibus possint.

Vt autem agnosci uera Ecclesia possit, hæc tria præcipua signa externa in sensus incurrentia proposita sint. *Signa demonstrantia ueram Ecclesiam.*

I. Pura uox doctrinæ Euangelij.

II. Legitimus usus Sacramentorum.

III. Et coniunctio Ecclesiæ cum pastoribus, uidelicet obedientia in his, quæ ad ministerium iuxta Euangelium pertinent, hoc est, ne aliqui seiungant se à communi congregatione, & aut uagentur sine ministerio, aut fastidientes Ecclesiam rectè constitutam, instituant priuata conuenticula &c.

Hæc primùm de Ecclesia uisibili sciri necesse est, quia in hac tantùm sunt electi, propter quos & hîc uisibilis cœtus à Deo colligitur & conseruatur.

Hîc autem quæritur de causa electionis, ubi primùm perspicua responsio est de reiectione.

Causa reiectionis est perseuerantia in peccatis, iuxta hæc dicta: Qui non credit in filium iam iudicatus est. Item, Qui non credit in filium non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum. Psal. 2. Osculamini filium, ne exardescat ira eius, & pereatis in uia. *Causa reiectionis.*

Sed de causa electionis sciendum est, misericordiam Dei, qui propter filium col-

um colligit hæreditatem in genere humano, causam esse electionis, non nostra merita. Ideo dictum est in Osea, Perditio tua ex te est, sed auxilium tuum per me est. Et Rom. 11. Si ex operibus, iam non esset gratia, ut manifestum est gratuita misericordia Dei propter filium initiò editam esse promissionem, & colligi & restitui Ecclesiam, sicut Psalmo 2. dicitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem. Psalm. 15. Tu sustentas hæreditatem meam, Funes ceciderunt mihi in præclaris, & hæreditas mea præclara est mihi. Et Ephe. 1. Dilexit nos in dilecto.

Duo quæstiones de electione.

I. De dignitate.

Duæ sunt autem quæstiones, quę horribiliter excruciant animos cogitantes de electione, Prior est quæstio de dignitate seu merito. Cùm sic cogitamus, si essem dignus, satis purus, aut bene meritus, statuerem me quoq; hęredem esse beneficiorum ęternorum, quæ Deus promisit. Hæc imaginatio à lege oritur, quæ postulat dignitatem & merita.

Hîc igitur necesse est tenere uocem Euangelij de gratuita misericordia. Hanc ipsam ob causam uox Euangelij de gratuita reconciliatione propter filium reuelata est, ut occurrat illi quæstioni de merito, & sanet nos in hoc difficili agone, asseuerans certò recipi nos propter Mediatorem gratis, non propter nostram dignitatem. Et sint in conspectu aliqua perspicua testimonia, ut Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio, Et ad Titum 3. Non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluauit nos.

II. De particularitate.

Altera quæstio est de particularitate, Quia enim audimus misericordiam esse causam electionis, & tamen paucos electos esse, magis etiam angimur, Disputamus an sit Deus æqualis, an sit apud eum προσωποληψία, Cur non omnium misereatur.

Promissio gratiæ est uniuersalis.

Huic sæuæ tentationi opponenda est firmissima doctrina, quæ affirmat promissionem gratiæ uniuersalem esse, & asseuerat Deum propter Mediatorem, & gratis, omnibus perterrefactis promittere remissionem peccatorum & salutem.

In Deo nõ sunt contradictoriæ uoluntates.

Hîc nota sint dicta uniuersalia, & sciamus de uoluntate Dei ex uerbo reuelato statuendum esse, Nec fingendas esse contradictorias uoluntates in Deo. Hanc ipsam ob causam uox Euangelij tradita est, ut ostendat uoluntatem Dei ueram & non simulatam, & uerax nuncius est filius Dei, qui Euangelium profert ex sinu Patris, sicut nominatur apud Esaiam, Consiliarius, quia hoc decretum salutis profert. Hic filius inquit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Rom. 3. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes credentes.

Rom. 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum.

Rom. 11. Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omniũ misereatur.

1. Timoth. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri.

Rom. 2. Non est acceptio personarum apud Deum.

Esaiæ 53. Omnes nos quasi oues errauimus, & posuit Dominus in eum iniquitates omnium nostrum.

Et manifestissimum est, mandatum Dei uniuersale & immutabile esse, ut omnes credant filio, iuxta dictum: hunc audite. Et Psal. Beati omnes qui confi-

Ex

dunt in eo.

Ex his manifestissimis testimonijs & similibus, firmissimè statuamus utramq; concionem uniuersalem esse, concionem pœnitentiæ, quæ arguit peccatum in omnibus, & præcipit ut omnes conuertantur : & promissionem gratiæ omnibus perterrefactis offerre gratiam, & præcipere ut credant in filium Dei.

Tres admonitiones de electione.

Cùm igitur de electione dicitur, semper hæ tres admonitiones sint in conspectu : Prima iudicandum est de uoluntate Dei ex ipsius uerbo, & accedimus ad Deum prælucente uerbo, iuxta dictum : Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Magna autem consolatio primùm hęc est, quòd certò scimus ex uerbo Dei Deum immensa misericordia propter filium semper colligere Ecclesiam in genere humano, & quidem uoce Euangelij, & in eo cœtu, qui docet, discit & amplectitur Euangelium, & non defendit idola aut alias corruptelas contra fundamentum, certum est esse aliquos electos, iuxta hæc dicta:

I.

Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi.

Item, Oues meæ uocem meam audiunt. Ac semper esse aliquos electos testantur hæc dicta : Matth. 14. In aduentu filij hominis duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur. Item, Propter electos abbreuiabuntur hi dies. Nec sunt electi extra cœtum uocatorum quærendi, sed retinendum est dictum Pauli, Quos elegit, hos & uocauit. Item, Iohan. 8. Qui est ex Deo, uerbum Dei audit. Et propter talem Ecclesiam seruantur aliquæ Politiæ, quanquam passim fiunt magnæ gentium dissipationes & uastationes.

II. *Admonitio.*

Secunda admonitio. Sed dices, hæc consolatio eò prodest, quòd scio alijs seruari Ecclesiam, fortassis autem mihi id nihil prodest, & quomodo sciam qui sint electi? Respondeo, Tibi quoq; hæc generalis consolatio prodest, quia credere debes tibi quoq; seruari Ecclesiam, & mandatum Dei æternum & immotum est, ut tu quoq; audias filium, agas pœnitentiam & credas te recipi à Deo propter Mediatorem, Talis cùm es discedens ex hac uita, certum est te in numero electorum esse, sicut scriptum est, Quos iustificat, eosdem & glorificat.

Item, Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Item, Apocal. 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam.

Item 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Sic quoties cogitamus de electione, intueamur uerbum Dei reuelatum, uocationem, mandatum de audiendo Euangelio, de pœnitentia & de fide. Quia omnes saluandi propter filium Dei electi sunt, & ita sunt electi, ut agnoscant filium, & ad eum confugiant, & de his confugientibus ad ipsum loquitur, cùm ait: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Sic sumus oues, cùm uocem eius audimus, iuxta præcedens dictum : Oues meæ uocem meam audiunt.

Omnes saluandi propter filium Dei electi.

Tertia admonitio, Cùm dictum sit, necessariò iudicandum esse de uoluntate Dei ex uerbo ab ipso tradito, non ex imaginationibus humanis, tenenda est etiam hæc regula: Non esse ponendas contradictorias uoluntates in Deo, quia Deus uerax est. Cùm igitur promissio sit uniuersalis & gratuita, & manifestum sit, mandatum diuinum æternum & immotum esse, ut filio credamus, obtemperemus huic mandato, & includamus nos quoq; in promissionem uniuersalem : (Venite ad me omnes) & eam ad nos pertinere statuamus. Hac fide qui se sustentant discedentes ex hac uita, sentiunt consolationem, quę est initium

uitæ æternæ, iuxta dictum: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te Deum uerum &c. Tales sunt in numero electorum.

Obiectio. Sed obijcit trepida mens: Non possum credere, nisi Deo fidem accendente. Respondeo. Verum est homines à Deo trahi, sed trahuntur per uocem Euangelij, cui uult te Deus assentiri, & simul petere auxilium, sicut scriptum est, Quantò magis dabit Spiritum sanctum petentibus. Non igitur repugnes Euangelio, non indulgeas diffidentiæ, non cogites, ut somniant Enthusiastæ,

Non expectandus uiolentus raptus. expectandum esse uiolentum motum, quo te rapiat Deus etiam repugnantem, & iterum ruentem in scelera, sed assentiaris uoci diuinæ, & simul petito auxilium, sicut ille apud Marcum: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Hoc cùm fit, certum est te à Deo trahi & adiuuari, sicut iurat: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. In hanc sententiam & hæc dicta sunt: Deus trahit, sed uolentem trahit. Item, Tantùm uelis, & Deus præoccurrit, ut Basilius dicit in concione de filio prodigo, cui redeunti Pater obuiam procedit & inuolat in complexum. Hæc dicimus ad consolandos eos, qui sunt in Ecclesia, & se intelligunt uocari uoce Euangelij, & uolunt conuerti. Si qui autem sine pœnitentia mouent curiosas quæstiones, cum talibus frustra disputatur.

Gentes cur ignorarint Euangelium. Quòd autem longo tempore gentes in ignorantia uixerunt, aut nunc quoq; multæ gentes prorsus ignorant Euangelium, culpa est non Dei, sed ipsorum hominum. Quia Deus semper in genere humano habuit, & habet Ecclesiam, & uelut arcem in excelso loco collocat, quam audire homines debebant, sed omnibus temporibus multi sunt impij, qui audire uocem filij Dei non uolunt, de quibus dictum est, Osculamini filium. Item, Hunc audite. Accusanda est igitur hominum impietas, Nos uerò sciamus audiendam esse uocem filij Dei.

Nunc ad textum uenio. Suprà autem dixi, quare hîc quæstionem de Ecclesia moueat, quia Iudæi disputabant, se cùm sint Ecclesia, non errare, Respondet Paulus, Discernendam esse Ecclesiam electam ab alia multitudine, quæ titulum habet & iactitat propagationem carnalem, seu ordinariam successionem in externa gubernatione. Scias igitur hanc esse huius disputationis summam. Vult Paulus discerni ueram Ecclesiam à falsa, atq; ita de effectu electionis loquitur. Ideo inquit: Non omnes qui sunt ex Israël, id est, non omnes propagati ab Israël propagatione carnali, aut regnantes in successione ordinaria sunt uera Ecclesia, Quia Ecclesia non colligitur propagatione carnali aut successione Episcoporum, sed uocatione per Euangelium, & regeneratione, in qua filius Dei uiuificat corda Spiritu sancto, ut Iohan. 1. dicitur: Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, Sed ex Deo nati sunt.

Opponit autem Paulus commune argumentum rationis.

Cur Iacob & Esau pariter non eliguntur. Si pares sunt Iacob & Esau, Cur non uterq; eligitur, quia iusticia dat æqualia æqualibus.

Respondet Paulus: Cùm soluitur debitum, iusticia dat æqualia æqualibus, Sed in donatione & gratuita misericordia non est iniustus, qui dat alicui non debitum beneficium, alteri non dat, sicut docet & parabola de conductis in uineam. Non est iniustus Deus eligens Nabuchodonosor, & non eligens Sennacherib, cùm uterq; sit indignus. Hanc responsionem confirmat dicto de misericordia, Misereor cuius misereor.

Postea ait, quem uult indurat: ubi nota sit Ebræa Phrasis, in qua uerba

actiua sæpè permissionem significant: indurat, id est, sinit esse durum, nec conuertit eum. Ac nequaquam inde ratiocinãdum est, Deum uelle & efficere peccata, aut cogere uoluntates ad peccandum, quia dictum est: Non Deus uolens impietatem tu es. Remouendi sunt & Stoici furores de necessitate. Pharao uolens ardet ira & cupiditate, & obtemperat Diabolis eum incitantibus, Estq; in ipso Pharaone causa reiectionis. Sinit autem Deus talia fieri, quia uult conspici discrimen in omni æternitate inter iusticiam & iniusticiam, & uult cerni horribilem iram suam aduersus impios, ideo sinit labi & furere aliquos Angelos & homines, ut in pœna conspiciatur in hac uita, & in tota æternitate, discrimen inter iusticiam & iniusticiam.

Phrasis in uerbo, Tulit uasa iræ, etiam Græca consuetudine significat idem quod tolerauit. *Tulit uasa iræ.*

Hac enarratione simus contenti, & remotis Stoicis furoribus, sciamus causam reiectionis peccatum esse in impijs. Deinde sciamus misericordiam Dei propter filium causam esse electionis, Sicut hîc dicitur, Non est uolentis, nec currentis, sed Dei miserentis. Item, Ephe. 1. Sumus dilecti in filio, & gratia ideo nobis certa est, quia gratis propter filium recipimur, sed tamen audire nos Euangelium oportet & non repugnare, ac assentiens trahitur uolens, sicut & hîc quoq; requiritur uoluntas (sed meritum tollitur) cùm ait: Non est uolentis. Et suprà dictum est, Trahit Deus, sed uolentem trahit. Et semper in conspectu sit hoc immotum & immutabile mandatum Dei, quod præcipit, ut audiamus filium, Huic mandato obtemperemus, & sciamus gratiã exuberare supra delictũ. *Adsentiens trahitur uolens.*

Tu qui es, qui litigas cùm Deo?

ABrumpit quæstionem, & quanquam fatetur multos reiectos esse, tamen non hoc dicit, non esse causam reiectionis in ipsis. Simul autem iubet nos audire Euangelium, & obtemperare Deo uocanti, & non frangi, aut deficere à Deo propter exemplum multitudinis, sed agere gratias, quòd omnes uocat. Trahit autem audientes Euangelium, & non repugnantes, sicut postea de omnium uocatione & multorum contumacia expressè loquitur: Tota die expandi manus meas ad populum contumacem, & contradicentem. Hîc nominat causam reprobationis. Nequaquam igitur sic intelligenda est similitudo de luto & figulo, quasi hoc dicat, nihil agere impios, Firmissimè enim tenenda est sententia, quòd Deus non sit causa peccati: sed similitudo illa eatenus congruit, quòd ex una massa generis humani Deus & conuertit multos, & contumaces reijcit. *Similitudo de luto.*

Verbum consummans & abbreuians.

POstquam hanc dulcissimam consolationem tradidit, quòd semper aliqua sit Ecclesia electa propter filium, sicut Psalm. 16. dicitur: Tu es, qui sustentas hæreditatem meam mihi, Addit nunc testimonia de destructione politiæ Iudaicæ & de collectione Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus.

In Osea dicitur. Vocabo eos qui non sunt populus, ut sint meus populus.

Et apud Esaiam dicitur Cap. 10. Etiamsi erit numerus filiorum Israël ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt, Id est, etsi magna multitudo erit populi Israël, tamen maior pars horribiliter peritura est deleta politia, & tantùm reliquiæ, id est, exigua pars conuertetur ad Deum. Sic enim declarat se Prophetа: Consummationem & præfinitionem faciet Dominus in medio terræ, id est, faciet finem constituto tempore politiæ Israël, & tunc consummatio præfinita exundabit iusticiam, id est, in illo interitu politiæ largissimè donabitur *Explicatio dicti Esaiæ 10.*

iustícia Iudæis & gentibus, uidelicet, Ipse filius Dei & eius beneficia, remissio peccatorum, reconciliatio, noua & æterna iustícia & uita donanda per filium, sanctificatis uoce Euangelij & Spiritu sancto, prorsus ut Daniel inquit, Cap. 9. Fiet propiciatio pro peccato, delebitur iniquitas & adducetur iustícia sempiterna, & ungetur Sanctus sanctorum, & populus desinet esse, & ciuitatem & Templum delebit populus Ducis uenturi, scilicet Titus. Hæc Danielis uerba congruunt cum Esai. dicto. Hanc igitur interpretationem ueram, natiuam, simplicem & perspicuam retineamus.

Verbum exundat. Et quanquam lectio in Paulo sumta ex translatione Græca Prophetarum obscurior est, tamen sententia re uera cum Ebræa lectione congruit. Verbum abbreuiatum faciet Dominus, id est, rem seu negocium abbreuiatum, seu abbreuiationem, id est, finem politiæ Israël, & tunc faciens Deus hanc abbreuiationem, seu finem politiæ, exundabit iustíciam, id est, tunc exhibebit Messiam & eius beneficia.

Obseruanda est autem dulcis Metaphora in uerbo exundat, quod significat largam & gratuitam iustíciam donatam immensa bonitate Dei propter Mediatorem gratis. Commonefacti igitur hac dulci Metaphora, cogitemus amplitudinem gratiæ, ut fides & inuocatio accendantur, & sumenda est declaratio ex superioribus de gratuita reconciliatione, & uniuersali promissione.

Israël sectando legem iustíciæ, ad iustíciam non peruenit.

Causa reprobationis. HIC expresse ponit causam reprobationis, quia impij non uolunt credere Euangelio, ideo suprà dixi similitudinem de Luto non sic accipiendam esse, quasi non sit in ipsa hominum uoluntate causa reprobationis: ait enim, ideo multos in Israël perire, quia sectando legem iustíciæ pertinaciter retineant hanc opinionem, quòd suis operibus & cultibus mereantur remissionem peccatorum, & sint iusti, id est, accepti Deo, & hæredes uitæ æternæ propter has umbras, id est, propter opera moralia, non propter Messiam. Sic intelligatur phrasis, Sectari legem ex operibus.

In fine additum est dulcissimum testimonium: Omnis qui credit in eum, *Confundi pro frustrari.* non confundetur, id est, non frustrabitur. Est enim usitata Phrasis, confundi, pro frustrari, Quanquam apud Esaiam cap. 28. Verbum est in Ebræo, quod significat festinationem, trepidationem, consternationem, seu fugam, Sed Paulus sententiam reddidit, iuxta dictum in 2. Psalm: Beati omnes qui confidunt in eo: & sunt similia dicta multa.

Discamus autem huius dicti sententiam in quotidianis consolationibus, & sciamus hîc comprehendi, & Messiam, & particulam Gratis. Fides intueatur Messiam, & firmissimè statuat Gratis propter ipsum, non propter dignitatem nostram nos recipi, & esse hæredes uitæ æternæ.

CAPVT X.

NIhil noui instituit, sed repetit priorem sententiam de causa defectionis Iudæorum, & de causa, propter quam Euangelio aduersantur. Ideo belligerantur (inquit) cum Euangelio, quia nolunt extenuari iustíciam legis, nec intelligunt aliud esse iustíciam Euangelij, Dimicant etiam de sua politia, quam prædicatione Euan

ne Euangelij uident dissolui. Sicut nunc Episcopi & Monachi dimicant de suis ceremonijs, ut status & splendor suæ politiæ conseruentur.

Addit autem querelam de gentis interitu, ut suprà, & tribuit eis zelum, id est, studium seu ardentem uoluntatem, seu feruorem, qui ipsis bonus uidetur, sed non est bonus, quia cum erroribus coniunctus est: & sunt errores in articulis fidei præcipuis, de Christi meritis, Regno & officijs, unde sit remissio peccatorum, quid sit peccatum, quæ sit uera iusticia. Est autem grauis comminatio addita aduersus defensores impiarum opinionum de iusticia legis, cùm inquit: Non subijci eos iusticiæ Dei. Perspicuè igitur damnat omnes aduersantes ueræ doctrinæ, de iusticia fidei. *Zelus cum errore coniunctus.*

Rursus autem monendi sunt iuniores de Phrasi. Iusticia Dei non significat hoc loco iusticiam essentialem in Deo, sed significat iusticiam, qua nos Deus propter filium reputat iustos, id est, ipsi acceptos fide. Et hoc cùm fit, simul uerum est, uiuificari credentes per filium Dei, & sanctificari eos Spiritu sancto, sicut inquit: Ego uitam æternam do eis. Et in Iohanne dicitur, Qui habet filium, habet uitam. Item, De Spiritu suo dat nobis. *Iusticia Dei.*

Finis Legis est Christus ad iusticiam omni credenti &c.

HIC instituit Collationem iusticiæ legis & iusticiæ Euangelij, & utramq; definit, ac proponit sententiam oppositam Iudaicis imaginationibus de lege, quasi dicat, Iudæi cogitant legi satisfieri externa obedientia, & hac externa disciplina somniant se iustos esse coram Deo, ut Pharisæus Lucæ 18. Nec intelligunt Messiam esse finem legis, hoc est, promissum esse, ut tollat peccatum, quod Lex tantùm ostendit & arguit, non tollit. *Collatio iusticiæ legis & iusticiæ Euangelij.*

Consideranda est igitur dulcissima sententia, Christus est finis legis, id est, impletio seu consummatio legis, donans id, quod Lex præcipit, tollens peccatum & mortem, & restituens æternam iusticiam & uitam, sicut Daniel inquit: Finietur peccatū, & delebitur prauitas, fiet propiciatio & adducetur iusticia sempiterna. Hæc bona erunt consummata post resurrectionem, nunc in hac uita liberatio à peccato fit imputatione & incoatione, id est, qui credit in Christum est iustus, primùm imputatione, id est, habens remissionem peccatorum & reconciliationem, & acceptus, seu placens Deo per fidem propter Christi obedientiam & intercessionem: Simul autem incoatur noua iusticia & uita, quia filius in hac consolatione uiuificat corda & sanctificat ea, dato Spiritu sancto, ut suprà dictum est, Qui habet filium, habet uitam, Et, de Spiritu suo dat uobis, Sed hæc nouitas erit integra in uita æterna. *Christus est finis legis.*

Moises enim scribit: Qui fecerit ea, viuet in eis.

IN hac Antithesi, quidam imaginati sunt Statum Collationis huius esse in his uerbis: Viuet in eis, hoc est, penes præmia conferri duplicia opera. Opera rationis habere præmia corporalia, Sed bona opera orta à Spiritu sancto habere præmia æterna. Hæc interpretatio aliena est à sententia Pauli. Non enim fit collatio præmiorum, sed de formali dicitur, quid re ipsa sit iusticia legis, & contrà, quid sit iusticia Euangelij.

Est igitur Status Collationis in his duobus uerbis, Facere & Credere. Iusticia legis est facere legem, hoc est, præstare perfectam obedientiam iuxta legem, Sic ait describi à Moisi iusticiam legis, cùm inquit: Faciens ea uiuet in eis, quasi dicat, iusticia legis est hæc ipsa obedientia, qua uerè & integrè *Iusticia legis est facere legem.*

omnia

omnia quæ Lex præcipit, fierent in natura integra, seu est integra in nobis conformitas cum lege, uidelicet, ardens & perfecta dilectio Dei & proximi, sine ulla uiciosa concupiscentia. Hæc definitio iusticiæ legis etiam ad hoc dictum congruit: Maledictus qui non manet in omnibus, quæ sunt scripta in lege. Facere omnia, seu manere in omnibus, id est esse conformem legi integra obedientia sine ullo peccato. Hæc nominatur iusticia legis descripta in dicto Moisi, Qui fecerit ea, uiuet in eis.

Suprà autem sæpè dictum est, hanc integram obedientiam non posse in hac deprauata natura esse, Expressè enim dicitur Rom. 8. Sensus carnis non potest legi Dei subijci, & Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Cùm igitur lege nemo sit iustus coram Deo in hac mortali natura, Euangelium concionatur de alia iusticia, quæ est credere in filium Dei, Sicut Iohannes inquit: Qui credit in filium, habet uitam.

Iusticia Euangelij.

Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum.

PAulus mutuatur descriptionem fidei ex dicto Moisi, nec detorquet illud ad diuersam, aut peregrinam sententiam. Nam & Moises ibidem uerè describit & postulat fidem, Sed in Moise generale dictum est de uerbo & de fide, quod Paulus accommodat ad hoc uerbum de Christo, qui est finis Legis, & de quo promissiones loquuntur ante legem traditæ.

Impietas humani cordis depicta à Mose.

Primùm igitur dictum Moisi inspiciamus, qui illustribus figuris impietatem humani cordis depingit, quod etiamsi cogitat esse Deum, tamen disputat an Deus curet nos: & quanquam exemplis pœnarum mouetur, ut cogitet puniri scelera ordine aliquo naturæ, tamen de saluatione prorsus nihil adfirmare potest sine uerbo reuelato, sed uagatur in tenebris, & negat exaudiri homines, præsertim in præsenti calamitate, negat reconciliari Deum, & mitigare calamitates, & dare uitam æternam, & lætitiam æternam.

Has dubitationes in hominum animis iuxta rationis iudicium hærere manifestum est, Ideo lex eas taxat & postulat fidem. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum &c. Id est, ne sis Epicureus, ne cogites nihil esse Deum, aut nesciri an sit Deus & qualis sit, an curet humana, ne cogites Deũ sic latêre, ut non uelit agnosci, sed cogites eum uerè ex arcana sede immensa bonitate prodiisse, & se uerbo suo patefecisse, & talem esse, qualia se uelle affirmat in lege & in promissione, uidelicet, sapientem, ueracem, beneficum, iustum, castum, punientem contraria, misericordem propter Mediatorem. Ideo inquit Moises, Verbum intuere, quod prope est in ore tuo. Ita abducit nos Moises à Chao cogitationum humanę rationis ad patefactum uerbum, & iuxta hoc uerbum uult nos agnoscere Deum, non uagari cogitationibus, sicut uagantur Ethnici & omnes impij, ut sonant Poëmata: O Iupiter quicquid es, siue hoc cœlum, siue mens, quę uehitur in cœlo, quanquam diu iam inuoco adiutores ignauos: ut Hecuba dicit apud Euripidem.

Moises dèducit nos ad patefactum uerbum.

Talia leguntur multa apud Poëtas, qui pingunt omnium impiorum corda. Et in Creta scribunt fuisse Iouis statuam sine auribus, quam statuarius sic fabricans, ostendit sese hoc sentire, homines non exaudiri à Deo &c. His impijs cogitationibus opponit Moises hanc necessariam commonefactionem, ut sic de essentia & uoluntate Dei sentiamus, sicut se in uerbo suo patefacit, Et affirmat sic rectè agnosci & apprehendi Deum.

Iouis statua in Creta.

Hanc ipsam doctrinam constat sæpissimè repetitã esse in multis concionibus

bus Christi, Prophetarum & Apostolorum, ut in Nume. cap. 15. Recordentur omnium Mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos scortantes &c.

Psalm. 1. & Psalm. 118. Lucerna pedibus meis uerbum tuum &c.

Item in Psalm. 130. Sustinuit anima mea in uerbo eius.

Et Esaiæ 8. Ad legem, & ad testimonium, si non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux &c.

1. Cor. 1. Cùm Deum sapientem non nosset mundus per sapientiam, placuit Deo saluos facere credentes per stultam concionem.

Et Coloss. 3. Sermo Dei habitet in uobis abundè in omni sapientia.

Item, Iohannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.

Talibus testimonijs multis confirmemus & muniamus nos, ne labantur infirmæ mentes ad speculationes de Deo extra patefactum uerbum, sicut labitur Eua, & alij innumerabiles.

Postquam autem perspicua est Moisi sententia, nunc consideremus Paulinam accommodationem: Moises generaliter inquit. Ne dixeris in corde, quis ascendit in cœlum, sed prope est uerbum, id est, ne sis Epicureus, ne iudica ex speculationibus rationis de Deo, sed amplectere uerbum Dei patefactum.

Hanc generalem admonitionem accommodat Paulus ad hoc uerbum etiam de Mediatore, quod quidem & Moises complectebatur, etsi ibi non expressè nominat Mediatorem, sed de omni uerbo Dei loquitur. Igitur Apostolus illustrans dictum Moisi, expressè nominat Mediatorem.

Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum.

ID est, primùm ne sis Epicureus. Deinde ne dubites, quin hęc sit uoluntas Dei, quam reuelauit tot illustribus testimonijs, quæ addidit promissioni & prædicationi Euangelij, uidelicet, Filium constitutum esse Mediatorem & resuscitatum regnare, ut colligat Ecclesiam, det ei remissionem peccatorum, adsit uoci Euangelij in Ecclesia, dicat consolationem in corde per Euangelium, uiuificet & det Spiritum sanctum. Hæc si non credis, negas eum regnare, Hoc est eum uelut de cœlo detrahere, ita addit, Quis descēdet in abyssum, id est, quis scit quid post mortem restet, aut quomodo existimari potest reuicturos esse homines ex morte, nec cogites Christum iacere extinctum, nec uictorem esse mortis, imò scias ueram esse uocem: O Mors ero mors tua. Ostendit Christus resurrectione sua & resuscitatis alijs, se redditurum esse uitam hominibus, & iudicaturum esse omnes homines. *Quis descendit in abyssum.*

Hæc simplex enarratio ostendit Paulum concinnè accōmodasse generale dictum de uerbo & fide, ad hoc uerbum, & ad fidem de Mediatore. Ac illi quidem, qui rectè intelligebant legem, sciebant in lege significari Mediatorem, & statim initiò editam esse promissionem gratiæ de Mediatore, nec posse incoari obedientiam, nisi in corde præluceat fides accipiens reconciliationem, & accedens ad Deum fiducia Mediatoris. *In lege significabatur mediator.*

Prope est uerbum in ore tuo.

ANtea prohibuit dubitationes, Ne dixeris, Quis ascendet in cœlum &c. Nunc addit adseuerationem, & expressè deducit nos ad uerbum à Deo traditum, & loqui eum de uerbo patefacto, quod auribus & cogitationibus accipimus, manifestum est, quia inquit, Verbum quod est in ore tuo, postea inquit,

Quomo-

Verbo uocali adest filius Dei.

Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint. Ac uerum est huic uerbo uocali adesse ipsum filium Dei λόγον, & per uocem in cordibus efficacem esse, & regnare in Ecclesia, sicut alibi dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem &c. Item, Ego uitam æternam do eis &c. Item, Sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas.

Corde creditur ad iusticiam.

NVnc absoluit Antithesin iusticiæ Legis, & iusticiæ fidei, ubi definitiones utrinq; prudenter considerandæ sunt.

Iusticia legis.

Iusticia Legis est facere legem, ut suprà dixit. Hic sermo est νομικὸς, & imitantur hunc sermonem politica consuetudo & Philosophia de iusticia uniuersali, ut Theognis quoq; dicit:

Iusticia in sese uirtutes continet omnes.

Intelligendum est autem discrimen inter iusticiam Legis & iusticiam fidei.

Iusticia fidei.

Sed iusticia fidei est credere in hunc Christum filium Dei crucifixum & resuscitatum, non ociosum, sed regnantem, propter quem & per quem uerè accipimus credentes remissionem peccatorum, reconciliationem, seu imputationem iusticiæ, uiuificationem, & donationem Spiritus sancti & uitæ æternæ. Hæc enim comprehendit Paulus cùm ait: Si confessus fueris hunc Iesum esse Dominũ, Id est, regnantẽ, colligentẽ Ecclesiã, & efficacẽ per uocẽ filij æterni, si corde credes, quòd Deus eum resuscitauerit, uidelicet ideo, ut sit uictor mortis, & nobis restituat iusticiam & uitam æternam. Et hac fide inquit hominem esse iustum, cùm ait: Corde creditur ad iusticiam, id est, corde credens est iustus, habens remissionem peccatorum, & placens Deo propter Mediatorem gratis. Latro in cruce accipiens remissionem & reconciliationem est iustus, placet Deo & uiuificatur, etiamsi nec antea fecit Legem, neq; postea, donec in corpore uixit, habet integram Legis impletionem: etiamsi fuit incoatio obedientiæ. Ita posita Antithesi definitionum Iusticiæ Legis & Iusticiæ fidei, Paulus discrimen ostendit.

Corde creditur ad iusticiam.

Omnis qui credit in eum, non confundetur.

ADdit Paulus testimonium sumtum ex Esaiæ Capite 28. Vbi dulcissima promissio de Messia expressè repetita est: Ecce ego ponam in Sion lapidem probatum, angularem, precioſum in fundamento, qui credit in eo, non trepidabit.

Vtitur Metaphora simili in Psalmo: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Hanc Metaphoram enarrat Paulus ad Ephe. Item, cùm inquit, Aliud fundamentum poni non potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hic gestat Ecclesiam merito & efficacia, hic redemit eam sua morte, & est Mediator & intercessor pro nobis, offerens sua merita, & est efficax in Ecclesia, ipse adest ei, & uiuificat eam uoce Euangelij & Spiritu sancto.

Christus gestat Ecclesiam merito & efficacia.

Quomodo autem beneficia Messiæ nobis applicentur, docet cùm inquit, Qui credit in eum non trepidabit. Hæc congruunt cum alijs multis similibus dictis, Psalmo 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Et Paulus hîc uniuersalem particulam addit, sicut & in Psalmo posita est. Sæpè autem dixi, necessariam esse considerationem particulæ Vniuersalis, ut unusquisq; se in promissionem uniuersalem includat, nec fingat in Deo προσωποληψίαν, aut contradictorias uoluntates,

luntates, ac mox repetita est aliquoties Vniuersalis, Diues in omnes qui inuocant eum. Et Dominus inquit, Venite ad me omnes &c. Est autem mandatum æternum, ut omnes credant in eum.

Quomodo inuocabunt si non credent.

IN hac gradatione copiosissima doctrina continetur. Primùm membrũ docet in inuocatione necessariam esse fidem, & cogitationem promissionis diuinæ. Hîc tota doctrina cogitanda est de inuocatione, & de discrimine inuocationis Christianæ & Ethnicæ.

Errat enim Ethnica præcipuè dupliciter, de Essentia & de uoluntate Dei. Alloquitur enim aliquid, quod non est Deus, & fingit uaria idola, sicut ait Hecuba apud Euripidem, O Iupiter quicquid es, siue hoc cœlum, siue mens in cœlo, quanquam diu iam ignauos opitulatores inuoco. *Discrimen inuocationis Christianæ & ethnicæ.*

Postea de uoluntate nesciunt, An & cur exaudiantur, quia Ethnici ignorant Mediatorem & promissionem, Sed uera Ecclesia Dei rectè cogitat de Essentia, quia alloquitur uerum Deum, qui se patefecit misso filio, data uoce Euangelij, & editis illustribus testimonijs. Deinde scit promissiones, & accedit ad Deum fiducia Mediatoris, Ideo dicit, Quomodo inuocabunt si non credent.

Quomodo audient sine prædicante?

HOC dictum manifestè ostendit, Paulum hoc affirmare, Deum per uocem Euangelij sonantem in ministerio cogitatam ab audiente, seu legente, efficacem esse, sic accendi fidem, Deo per hanc ipsam uocem mouente cor. Ideo damnandus est error Stenckfeldij & similium Enthusiastarum, qui abducunt homines à uoce doctrinæ ad speculationes, quas nominant illuminationes extra scriptum uerbum, & delent exercitia fidei, quia uult Deus cogitare nos hoc ipsum uerbum editum uoce Christi, Prophetarum & Apostolorum, & huic scripto uerbo sic nos uult assentiri, ac si audiremus nouam uocem Dei de cœlo sonantem, Ideo & alibi Paulus inquit: Vt per consolationem scripturarum spem habeamus. Hæc exercitia fidei in quotidiana inuocatione discenda sunt, in qua sentimus acquiescere corda in Deo, erecta cogitatione promissionum diuinarum. *Stenckfeldij error.*

Cùm autem sciamus ministerium Euangelij necessariũ esse, magis ueneremur et tueamur Euangelij ministros. Hîc & hoc cogitandum est, cùm necessaria sit scriptæ doctrinæ cognitio, certum est labores discentium & docentium Deo placere, Quare magis amemus doctrinæ studia. Adiungamus autem & inuocationem, commonefacti à doctrina, ut filius Dei, qui est λόγος æterni Patris, regat iudicia, & non sinat nos aberrare à suo uerbo, & accendat ueram lucem in cordibus nostris. *Labores docentium & discentium Deo placent.*

Citat autem Paulus dulcissimum dictum Esaiæ ex cap. 52. Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem. Loquitur & hoc dictum de uoce sonante in ministerio, & docet sic colligi Ecclesiam, scilicet uoce Euangelij. Metaphora pedum significat cursorem seu nuncium, & hos ait formosos & amabiles esse, quia adferunt lætissimam promissionem gratiæ & uitæ æternæ. *Pedes cursorem significant.*

Opponantur autem hæ dulcissimæ laudationes iudicijs inimicorum Euangelij, hi non aiunt pedes Apostolorum formosos esse, sed uociferantur Apostolos esse faces dissidiorum & pestes generis humani.

Cùm autem Esaias inquit, afferre eos Euangelium, Item, pacem & bona, si-

gnificat regnum Christi uerbo administrari non armis corporalibus,& discernit hoc uerbum à lege: Lex iram denunciat,sed in Euangelio offeruntur Pax & alia bona,id est,liberatio à peccatis,à morte,ab ira Dei,& restitutio iusticiæ,uitæ æternæ & lætitiæ æternæ in Deo.

CAPVT XI.

INitiò mitigat querelam suprà positam de defectione Iudæorum. Quanquam enim politia destruitur,sicut prædixit Daniel:desinet esse populus:tamen promissio Euãgelij adhuc ad Israëlitas pertinet,quę omnibus gẽtibus offertur,iuxta dictum:In semine tuo benedicentur omnes gentes. Multi igitur Israëlitæ adhuc agnoscent uerum Messiam,& beneficia eius accipient. Ac primùm à suo exemplo argumentatur: Ego sum Israëlita, & agnosco hunc uerum Messiam, & donatus sum eius beneficijs remissione peccatorum, & uiuificatione,cùm sensi me liberari ab ira Dei,& factus sum hæres uitæ æternæ, & habeo arrabonem Spiritum sanctum.

Promissio omnibus gentibus offertur.

Ergo adhuc ad Israëlitas promissio pertinet, sed hoc multos impedit, quòd non intelligunt promissionem Messiæ de bonis æternis, & ægrè ferunt Politiam destrui, & extenuari iusticiam Legis. Sicut nunc fremunt Pontificij suam autoritatem, potentiam & statum labefactari. Hanc acerbitatem odiorum,& hunc fremitum describit,cùm inquit, Dedit eis Spiritum compunctionis, id est, dolorem mixtum acerbissimo odio, sicut dolet Saul & ardet odio Dauidis.

Spiritus compunctionis.

Primùm autem hîc necesse est diligenter considerare discrimen inter politiam Mosaicam, & promissiones de Messia, quibus æterna Ecclesia colligitur.

Causæ deletæ Politiæ Iudaicæ.

Causæ etiam considerentur, cur deleta sit Politia Iudaica.

I. Prima, ut Deus ostenderet iram aduersus hostes Christi.

II. Secunda, ut ostenderet promissiones Messiæ intelligendas esse de bonis æternis.

III. Tertia, ut ostenderet opera Legis non esse iusticiam.

IIII. Quarta, Vt prærogatiua gentis Israëliticæ tolleretur.

V. Quinta, Vt deletio eius politiæ testetur apparuisse Messiam,quia expressè prædictum fuit Messiam in secundo templo concionaturum esse, & uenturum stante illa politia.

Discrimen politiæ & promissionis.

Discernit igitur Paulus hoc loco politiam à collectione Ecclesiæ, & affirmat promissionem de Messia adhuc pertinere ad Israëlitas, etiamsi regnum deletum est. Hîc igitur inter ruinas regnorum necesse est scire, tamen Ecclesiam Dei mansuram esse,sicut Dominus ipse inquit,uenturas esse regnorum destructiones,sed interea se Ecclesiam seruaturum esse, sicut inquit.

Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi.

Item, isti dies abbreuiabuntur propter electos.

Item:Erit sicut in diebus Noæ,unus assumetur,& alter relinquetur &c.

Et Esaiæ 59. Affirmat semper mansuram esse Ecclesiam: Hoc est fœdus meum cùm eis, dicit Dominus, Spiritus meus,qui est in te,& uerba mea,quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & de ore seminis tui deinceps & usq; in sempiternum.

Item;

Item, hoc facite donec ueniam.

Secundò, neceſſe eſt etiam cogitare quæ ſit & ubi ſit Eccleſia, uidelicet, Quæ & ubi ſit Eccleſia. Hæc multitudo eſt Eccleſia, etiamſi eſt in diſſimilibus Imperijs, quæ amplecti-tur incorruptam doctrinam Euangelij, iuxta dictum, Oues meæ uocem meam audiunt: Item, Pater ſanctifica eos in ueritate, ſermo tuus eſt ueritas.

Tertiò, tenenda eſt etiam conſolatio, Cùm enim aſpicimus regna impia potentiam ac magnas uictorias eorum, & multitudinem impiorum, turbantur animi, ut diſputent, an caſu omnia fiant, aut an illi potius Deo placeant, qui maximè florent potentia & antecellunt cæteris.

Contra hæc ſpectacula præmonet nos Deus, & affirmat Eccleſiam exiguam eſſe, & eam tantùm eſſe, quæ incorruptam doctrinam Euangelij amplecti-tur, etiamſi alia pars generis humani antecellit potentia & multitudine &c. Vult nos non diſcedere à uerbo Dei motos ſeu multitudine ſeu potentia aliorum, Ideo Eſaiæ 1. dicitur: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus. Qualis ſit Eccleſia.

Eſaiæ 34. Vt cùm paucæ Vuæ reliquæ ſunt in racematione, ſic erunt in terra leuantes uocem & laudantes Dominum.

Eſaiæ 65. Vt in ſterili uindemia, ubi inuenta fuerit uua, dicetur, Benedictio Domini.

Et Chriſtus inquit: Multi uocati, pauci electi. Et tamen hi pauci multi ſunt, ſicut hoc loco ſignificatur ex dicto ad Eliam, Reliqui mihi ſeptem millia, quæ non adorauerunt Baal. Hæc neceſſaria doctrina in principio huius capitis continetur, ſcilicet, de diſcrimine Politiæ, & promiſſionis de bonis æternis, & de Eccleſia, quæ & qualis ſit. Pauci electi uocati multi ſunt.

Num ita impegerunt Vt caderent.

PRopoſitio ſuprà inſtituta repetitur, Non ſic impegerunt Iudęi, ut in tota gente nemo ſit ſaluandus, Ratio argutè cogitata eſt, nec eſt obſcura ſententia. Sumtum eſt enim argumentum ex cauſa finali, hoc modo: Gentes receptæ ſunt, ut Iudæi prouocentur ad credendum, cùm uidebunt Euangelium in Gentibus efficax eſſe, Sicut in Moſe ſcriptū eſt: Prouocabo uos in non gente. Igitur neceſſe eſt aliquos eſſe reliquos inter Iudæos, qui crediturí ſunt: quorſum enim opus eſſe prouocari Iudæos, ſi nulli crediturí eſſent? Conſequens ſic attexit: Ruina ueſtra profuit gentibus, ſed non ſimpliciter ruina, Verùm multò magis plenitudo ueſtra, id eſt, pars incolumis creditura, quæ prouocanda fuit gentium exemplo, Sunt ergo reliqui inter Iudæos conuertendi. Hanc reliquam partem nominat plenitudinem, id eſt, complementum integræ Eccleſiæ conuertendæ ex ſemine Abrahæ. Aliqui inter Iudæos crediturí.

Hac ſimpliciſſima explicatione contenti ſimus, & longas aliorum diſputationes hoc loco relinquo conſiderationi & iudicio ſeniorum.

Sic & poſtea amplificatio additur, Si abiectio Iudæorum profuit, quàm glorioſa erit reſtitutio, quæ eſt futura quaſi reſurrectio ex mortis. Significat autem ideo reliquam maiorem partem reiectam eſſe, quia fuit faſcinata perſuaſione, ſe eſſe populum Dei & Eccleſiam, propter genus, Legem, ceremonias, & meritum: nec aliud intellexerunt eſſe Eccleſiam, niſi hanc politiam Iudaicam. Nunc uerò hi, qui recipiuntur, diſcent, aliud eſſe politiam, aliud Eccleſiam, aliud promiſſionem bonorum corporalium, aliud promiſſionem gratiæ & uitæ æternæ. Diſcent toti Eccleſiæ, gentibus & Iudæis, uelut mortuis, reddi iuſticiam Cur maior pars reiecta ſit.

& uitam æternam propter Messiam, & per eum non propter legem aut merita hominum.

Aliud est Ecclesia, aliud politiæ mundi.

De his tantis rebus hîc concionatur Paulus, semper in conspectu esse oportet hãc doctrinam, aliud esse Ecclesiam Dei, aliud politias, seu regna mundi, siue Iudaicum, siue Pontificium, Quia filius Dei, qui est caput Ecclesiæ, colligit eam uoce Euangelij passim ex diuersis imperijs, & sanctificat eam Spiritu suo sancto, incoat in eis æternam iusticiam & uitam in corde. Interea in hac uita in ciuili consuetudine sinit sua membra uti legibus imperiorum, in quibus uiuunt, congruentibus cum ratione, sicut sinit eos uti |dissimilibus spacijs dierum & noctium &c. Et quidem uera collectio Ecclesiæ sic fit, ut restitutio uitæ ex morte, id est, Omnes sunt sub peccato & rei iræ Dei, nec propter Legem aut merita propria fiunt hæredes uitæ æternæ, sed gratis propter filium fide.

Conclusit omnes sub peccatum &c.

Hæc doctrina & consolatio in his uerbis repetita est, in qua postea commoratur, & in fine addit Epiphonema, Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, quasi dicat, arguit peccatum, non ut perdat, sed ut agnito peccato credamus promissioni, & agnoscamus filium, sicut in iuramento dicitur: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Nolo uos ignorare &c.

Vaticinium de ruina Ecclesiæ gentium.

VAticinatur Paulus de ruina Ecclesiæ gentium. Id euentus ostendit. Statim post discipulos Apostolorum exortæ sunt horribiles sectæ, & cùm paulatim dilacerationes maiores fierent, inuenit Mahometus præparatos multorum animos ad genus doctrinæ plausibile & politicum, quo prorsus deletur Euangelium. Ita in tota Aphrica & in magna parte Asię, prorsus Ecclesiæ deletę sunt.

Mahometicæ doctrinæ occasio.

Papatus in Europa.

Et in Europa Papatus constituit multiplicem idolatriam, inuocationes hominum mortuorum, profanationem cœnæ Domini in Missa, & in circumgestatione. Item, satisfactiones & Monachatus. Item, extinxit doctrinã de officijs personarum Diuinitatis, & de iustificatione. Et nunc palàm exercent Pontifices sæuitiam in eos, qui puritatem Euangelij amplectuntur. Hanc desertionem in maxima parte generis humani prædicit hîc Paulus, & tamen inter has ruinas seruat Deus reliquias aliquas, ne totum genus humanum frustra & tantùm ad exitium nascatur. Hæc consideremus, & maiore cura circumspiciamus, quæ & ubi sit Ecclesia, & nos ad eam adiungamus.

Aliqui ex Iudæis subinde conuertuntur.

Addit etiam Paulus uaticinium de conuersione Iudæorum, quod sic intelligo, futurum esse, ut subinde usq; ad finem mundi aliqui ex Iudæis conuertantur. Esaiæ dictum concionatur de aduentu Messiæ. Cùm ex uirgine natus est, tunc palàm docuit, edidit testimonia, factus est uictima, resurrexit, misit Spiritum sanctum, & incoauit Euangelij prædicationem.

Concio Esaiæ cap. 59.

Nota sit autem tota concio Esaiæ in capite 59. quia continet dulcissimam doctrinam de beneficijs Christi, & de Ecclesia, ostendit quid sit uera Ecclesia, & affirmat semper aliquam futuram esse: Veniet ex Sion Redemtor: ubi uocabuli Emphasis nota sit, Redemtor est, qui dato precio alium liberat. Et auertet iniquitates à Iacob, ideo mittitur Christus, ut reuera deleat peccata omnium, qui credunt in eum. Et cogitetur integrum beneficium, restituit uitam & iusticiam æternam, Sicut & Daniel loquitur. Deinde ibi Esaias addit concionem de Ecclesia: Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore semínis tui, nunc & usq; in sempiternum, Id est, Hæc est uera Ecclesia, in qua sonat

Redemtor.

uerbum

uerbum datum Esaiæ de redemtore tollente peccatum, & in ea certò sanctificantur credentes Spiritu sancto, Talem Ecclesiam semper mansuram esse affirmat, quanquam aliâs magis, aliâs minus frequens est: & quia sæpè lux doctrinę fit obscurior, Filius Dei subinde eam restituit, sicut Luna aliâs aliter lumen à Sole accipit. Hæc descriptio Ecclesiæ apud Esaiam omnibus notissima sit.

Conclusit Deus omnes sub peccatum, vt omnium misereatur.

EPiphonema est, in quo ponitur exæquatio Gentium & Iudæorum, & detrahitur fiducia meritorum Christi. Hortatur omnes ad pœnitentiam, Deinde æqualiter proponit omnibus agentibus pœnitentiam consolationem. Estq; gratissima doctrina in utroq; membro. Nam concludi sub peccatum, non est ociosè intelligendum, sed complectitur reatum, pauorem, iudicium & pœnas peccati, quasi dicat, Omnes rei sunt, omnes erunt subijciendi iudicio Dei, morti & afflictionibus, ut Dauid erat conclusus sub peccatum, cùm pelleretur in exilium, cùm horribilibus doloribus excruciaretur, iuxta dictum, Deus ignis consumens est. Arguit autem peccatum, non ut relinquantnr homines in peccato & exitio, sed ut per filium liberentur. Hîc igitur mox consolatio addita est: Vt omnium misereatur. Promittitur gratuita reconciliatio, quæ opponenda est tentationi de merito, seu de dignitate, Et promissio uniuersalis est, hanc particulam uniuersalem opponamus tentationi de particularitate, nec turbemur Stoicis & Manichęis disputationibus, sciamus ipsum filium Dei hanc promissionem uniuersalem (Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, Ego reficiam uos) proferre ex sinu æterni patris, non fingamus in Deo contradictorias uoluntates, sed credamus filio Dei misso ad hoc ipsum, ut sit nuncius, testis, pignus, & obsignator diuinæ promissionis, sicut inquit, Sic Deus dilexit mundum, ut omnis qui credit in eum non pereat.

Exæquatio gentium & Iudæorum.

Concludi sub peccatum.

Gratuita reconciliatio opponenda tentationi de indignitate.

O altitudo diuitiarum.

EXclamatio addita est, qua abrumpit disputationem, quia quanquam Deus est æqualis, & statim initiò edidit promissionem de Mediatore, & uoluit omnibus posteris notam esse, & omnes posteros manere in uera agnitione & inuocatione Dei, & sæpissimè repetiuit uocem promissionis, & rursus collegit Ecclesiam: tamen postquam ingens multitudo subinde oblita est promissionis, & secuti sunt horrendi furores. Multa quærit humana ratio, quare tanta multitudo omnibus seculis pereat, cur tam pauci fiant salui: Cur Ecclesia sit dissipatus & oppressus cœtus, sine certo imperio & sine pulcro ordine: Cur impia multitudo antecellat imperijs, gloria, opibus, multis excellentibus uirtutibus, sapientia & fortitudine: quare in hanc imbecillem naturam humanam tanta rabie grassari Diabolis permittatur.

Hæc & alia multa exercent humanas cogitationes, sed Paulus in hac exclamatione significat, non omnia consilia Dei humanis ratiocinationibus comprehendi posse, Sed amplectendum esse uerbum Dei reuelatum, nec ab eo desciendum esse, & gratis mentibus hæc beneficia ingentia, quæ offert, accipienda & retinenda esse, & ipsius bonitatem & iusticiam Dei celebrandam esse. Postea in illa æterna Schola causas consiliorum diuinorum discemus, sicut sæpissimè præceptum est: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Item, Ad legem & ad testimonium, si non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux. Item, Hic est filius meus dilectus, hunc audite.

Consilia Dei omnia, non comprehendit humana ratio.

His præceptis obtemperemus,nec ſinamus uagari mentes curioſitate,quæ implicatæ labyrinthis diſputationum opprimuntur dubitatione, quæ mergit innumerabiles in æternum exitium, ſicut Iulianus & alij multi perierunt. Inſidias etiam Diabolorum intelligamus,qui curioſas mentes impellunt ad inanes diſputationes mouendas. Aduerſus has & doctrina & inuocatione Dei nos muniamus,ſicut clamat Propheta:Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Item, Orate, ne intretis in tentationem. Et certè modum eſſe diſputationum oportet, ſicut præcipit Paulus, Ne ſapiamus præter quàm oportet ſapere,ſed ſapiamus ita,ut modeſtè intra regulam, quam Deus tradidit, maneamus.

Diaboli Inſidiæ impellentis homines ad inanes diſputationes.

CAPVT XII.

VSitatum eſt Paulo primùm tradere uocem Euangelij de promiſſione gratiæ de reconciliatione,de iuſtificatione propter filium & per eum. Poſtea addit doctrinam de bonis operibus,ſeu noua obedientia, ſeu præcepta, quæ ſunt explicatio Decalogi. Hîc autem nota ſit ſumma doctrinæ, de bonis operibus, quam docendi cauſa utcunq; diſtribuimus in has quinq; quæſtiones.

De bonis operibus quæſtiones 5.

I. *Quæ opera facienda ſint.*

Prima eſt,Quæ opera facienda ſunt: Reſponſio. Præcepta à Deo interiora & exteriora, iuxta dictum in Ezechiele: In præceptis meis ambulate, ac ſumma in Decalogo comprehenſa eſt,quem rectè intelligi oportet, iuxta enarrationes traditas in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. Nam opera non mandata à Deo,non ſunt cultus Dei,iuxta dictum: Fruſtra colunt me mandatis hominum.

Cultus Dei.

Eſt igitur cultus Dei,opus à Deo mandatum, factum in agnitione Mediatoris & uera fide, rẽlatum ad hunc finem, ut Deo præſtetur honos, Videlicet, debita obedientia, & ut hac ipſa obedientia teſtemur nos ſentire hunc uerè eſſe Deum,quem inuocamus, & qui hac obedientia coli ſe præcepit.

II. *Bona opera quomodo fieri poſſint.*

Secunda quæſtio. Quomodo fieri poſſunt? Reſponſio. Prælucente agnitione & fiducia Mediatoris, & uiuificante nos Mediatore per Euangelium, & effundente in nos Spiritum ſanctum, quia dilectio Dei & lætitia in Deo nulla eſſe poteſt,niſi prius fide apprehenſa ſit miſericordia & reconciliatio propter Mediatorem. In hac conſolatione Diuinitas habitat in corde, quia æternus Pater per filium conſolantem uoce Euangelij,uerè eſt ibi efficax,& datur à Patre & filio Spiritus ſanctus, accendens lætitiam & inuocationem, iuxta dicta: Effundam Spiritum gratiæ & precum. Item, Veniemus ad eum & manſionem apud eum faciemus. Item, 2. Corinth. 3. Intuentes gloriam Domini, transformamur ad eandem imaginem, id eſt, intuentes λόγον, qui eſt imago æterni Patris, & in conſolatione oſtendit præſentiam & bonitatem Dei,efficimur ſimiles eius imaginis,Spiritu ſancto accendente corda. Ita tunc filius eſt Emanuel,per eum adeſt nobis diuinitas,uiuificat,protegit,gubernat,geſtat nos, regit conſilia & euentus,ſicut dicit, Ego ſum uitis, uos palmites, ſine me nihil poteſtis facere.

Efficimur ſimiles imaginis filij.

III. *Quomodo placeat noua obedientia.*

Tertia quæſtio: Quomodo placet noua obedientia? Reſponſio. Placet fide propter filium Dei. Hæc uerba declaramus hoc modo.

Primùm credendum eſt, Perſonam reconciliatam & iuſtam eſſe, id eſt, acceptam Deo gratis propter Chriſtum ſola fide, qua apprehenditur imputatio iu-

tio iustitiæ,de qua dicitur : Credidit Abraham Deo,& imputatum est ei ad iustitiam.

Secundò,Agnoscamus & uerè doleamus nos adhuc multum sordium habere,& procul abesse à perfectione Legis,iuxta dicta:Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.Item,Non in iustitia nostra,sed per misericordiam tuam exaudi nos propter Dominum.

Tertiò, Et tamen simul sciamus Deum postulare incoatam obedientiam, & in renatis eam placere Deo fide propter Christum, qui & propiciator est,offerens suam obedientiam pro nobis,Et nūc semper interpellat pro nobis,& nostros gemitus ad æternum Patrem perfert. Ideo Petrus inquit : Offerte hostias Spirituales acceptas Deo propter Christum, scilicet,& propiciatorem,& nunc pro nobis interpellantem, sicut dixit : Oro, ut dilectio tua,qua me diligis,sit in eis. *Incoata obedientia placet.*

Quarta quæstio, Propter quas causas facienda sunt bona opera? Responsio. IIII. *Cur facienda sint bona opera.*

Prima & perspicua causa est debitum, id est, Ordo æternus & immotus in mente diuina, ut creatura rationalis Deo obediat,hic ordo dicitur debitum, Rom.8.Debitores sumus,Et necessitas debiti.Etsi autem furenter Antinomi,& multi fanatici homines uociferantur contra hanc necessitatem & communem appellationem debiti,tamen manifestè refutantur dictis Christi &Pauli,Quod debuimus fecimus.Item, Nisi iustitia uestra antecellit iustitiæ Pharisæorum & scribarum,non intrabitis in Regnum cœlorum. I. *Necessitas debiti.* *Contra Antinomos.*

Secunda Necessitas,quæ est formale conuersionis & regenerationis, Nam in iuramento copulatiua oratio est : Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Conuersio necessaria est, quæ cùm non fit,non uiuificatur homo fide per Spiritum sanctum. Quia manifestum est Spiritum sanctum non esse in his, qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam, iuxta dictum : Qui faciunt talia regnum Dei non possidebunt. Et formale regenerationis est incoatio nouæ & æternæ uitæ, quæ est noua & æterna lux, sapientia & iustitia & renouatio imaginis Dei in nobis,quæ fit Deo se nobis communicante, cùm filius uoce Euangelij consolatur corda, & effundit in ea Spiritum sanctum. II. *Iuramentum est copulatiuum.* *Formale regenerationis.*

Tertiò, Necessitas retinendæ fidei, quia Spiritus sanctus contristatur & excutitur,cùm fiunt delicta contra conscientiam. Quanquam autem uerissimum est, nouam obedientiam necessariam esse propter has ueras causas, quæ dictæ sunt,tamen semper retinenda est hæc uox Pauli : Donum Dei est uita æterna per Iesum Christum,quia bona opera neq; remissionem peccatorum,neq; iustificationem,neq; uitam æternam merentur. III.

Deinde & aliæ causæ considerentur, propter quas bona opera facienda sunt, scilicet, dignitas. Item, præmia & necessitas uitandi pœnas. Dignitas est quòd Deus nouam obedientiam,etsi est infirma, recipit propter Mediatorem, ut antea dixi, & nominat sacrificia, & est fructus Spiritus sancti, quia semper uult Deus aliquos esse in genere humano, quibus sese communicet,& à quibus uicissim rectè agnoscatur & inuocetur. *Noua obedientia fructus Spiritus sancti.*

Postremò etiam præmia & necessitas uitandi pœnas considerentur, quia certissimum est scelera contra conscientiam attrahere pœnas in hac uita, etsi non fiat conuersio, post hanc uitam, iuxta dictum Psalmi 38. Propter

Bona opera habent præmia in hac & post hanc uitam.

iniquitates corripis filios hominum. Et quanquam bona opera non merentur uitam æternam, tamen habent sua quædam præmia in hac uita & post hanc uitam, iuxta consilium Dei, nec sunt irritæ legales promissiones in reconciliatis, ut, Date & dabitur uobis. Item, Matth. 10. Qui dederit potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, non perdet mercedem suam.

Discrimen promissionum.

Ac ualde necessarium est scire discrimen inter promissionem gratiæ & promissiones bonorum temporalium. Promissio gratiæ propter Mediatorem gratis sola fide accipitur, & semper rata est omnibus, qui in conuersione sustentant se fide, etiam amissis omnibus bonis corporalibus, iuxta dictum Iob, Etiamsi occîdet me, sperabo in eum: Sed promissiones bonorum temporalium, quanquam etiam ratæ sunt propter filium Dei, & non prosunt nisi prælucente fide, quæ accipit gratiam, tamen additæ sunt bonis operibus, & præcipuè propter has quinq; causas.

Promißiones corporales additæ sunt bonis operibus propter quinque causas.

I. Prima est, Vt sint testimonia Prouidentiæ. Vult enim sciri Deus & bona corporalia res esse ab ipso creatas, & non casu spargi, sed ab ipso etiam Ecclesiæ dari & conseruari, iuxta dictum: Ipse est uita tua, & longitudo dierum tuorum. Item, Psalm. 36. In diebus famis saturabuntur &c. Diuites esurierunt, timenti autem Dominum non deerit ullum bonum.

II. Secunda, Vt sint testimonia, quòd uelit Deus in hac uita seruare Ecclesiam, quare Paulus inquit, 1. Timoth. 4. Pietas habet promissiones præsentis uitæ & futuræ. Quia enim uult Deus immensa bonitate colligere Ecclesiam propter filium, tantisper seruat hunc ordinem naturæ, fœcundat terram, ut alat Ecclesiam in hac uita, Et cùm propter Ecclesiam cæteros pascat, nos præcipuè gratos esse oportebat.

III. Tertia causa est, Quia uult Deus & necessitatem corporalem esse commonefactionem de fide, inuocatione, spe & gratiarum actione, ideo promissiones edidit, ut sciamus hanc petitionem non esse irritam, & quidem uult hæc ipsa bona etiam fide peti & expectari, & in hac petitione & expectatione fidem, spem, patientiam crescere.

IIII. *Fides in petitione corporalium debet prælucere.* Quarta causa est, Vt sint commonefactiones de promissione gratiæ, quia fidem, quæ agnoscit filium, & accipit reconciliationem oportet semper prælucere in petitione corporalium rerum. Et quidem propter filium, cæteræ promissiones editæ & ratæ sunt. Hæc omnia comprehenduntur in dicto: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

V. Quinta causa est, Quia uult utrumq; sciri Deus, & subiectam esse Ecclesiam cruci, & inter ipsa pericula tamen mirabiliter seruari in hac uita, ut uniuersa admiranda conseruatio Ecclesiæ, & omnes mirandæ liberationes sint testimonia præsentię Dei in Ecclesia, ut dicitur in Numeris cap. 14. Vt sciant Aegyptij, quòd tu Domine sis in hoc populo. Iosuæ 3. Scietis, quòd Dominus Deus in medio uestri sit. 1. Regum 17. Vt sciat omnis terra, quòd sit Deus in Israël. Esaiæ 37. Et nunc Domine Deus noster salua nos de manu Sennacherib, ut cognoscant omnia regna terræ, quòd tu solus sis Dominus.

Calamitates leniuntur, ut seruetur Ecclesia.

Hæ causæ de promissionibus corporalibus sæpè cogitentur, ut fides multipliciter confirmetur, & accendantur inuocatio & gratiarum actio, & sciamus uerè in hac uita ideo leniri communes calamitates, ut seruetur Ecclesia, & pro bonis operibus sanctorum dari multa præmia publica & priuata, etiam in huius uitæ periculis, Sicut Esaiæ 33. dicitur: Panis ei datus est, aquæ eius

eius fideles sunt,& rigabunt terram, Regem in decore suo uidebunt.

Et agnoscunt sancti etiam in corporalibus beneficijs longè superari liberalitate Dei ipsorum benefacta,etiamsi quid merentur. Ideo dicit Iacobus: Minor sum cunctis miserationibus tuis.

Quinta quæstio de discrimine peccatorum. V.

Necesse est moneri homines de discrimine peccatorum, ne cùm audiunt reliqua esse peccata in sanctis in hac uita, horribili furore somnient perseverantes in sceleribus contra conscientiam placere Deo. Cùm igitur quæritur, quæ peccata sint in sanctis in hac uita: Primùm respondeo, Nequaquam sunt in sanctis peccata, seu lapsus contra conscientiam, id est, Cùm illi, qui fuerunt sancti scientes & uolentes uiolant Legem Dei, ut Dauid rapiens alterius coniugem, hi contristant & excutiunt Spiritum sanctum, & desinunt esse sancti, ac rursus fiunt rei iræ Dei & mortis æternæ, donec rursus conuertuntur, iuxta hæc dicta, 1. Corinth. 6. Ne erretis, scortatores, idolatræ, adulteri &c. Regnum Dei non possidebunt. *Quæstio, quod sit discrimen peccatorum.* *Quæ peccata sint in sanctis.*

Et Gala. 5. Manifesta sunt opera carnis, adulterium, cædes &c. talia facientes regnum Dei non possidebunt. Item, Deficientes à fundamento, id est, aliquem articulum fidei abijcientes, siue eum intelligant, siue non intelligant, sed decipiantur præstigijs, hi quoq; desinunt esse sancti, & excutiunt Spiritum sanctum, & fiunt rei æternæ iræ, ut multi deficiebant ad Arianos, multi nunc quoq; qui aliquandiu rectè senserunt, abijciunt ueritatem. Hi gradus peccatorum diligentissimè considerandi sunt, qui nominantur usitatè peccata mortalia seu regnantia.

Firmissimè igitur tenenda est regula contra Antinomos, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. *Regula contra Antinomos.*

Quæ igitur peccata reliqua sunt in sanctis in hac uita? Respondeo. Multum caliginis & dubitationum, multæ omissiones & uicioſi affectus, quibus malis tamen sancti repugnant, ne ruant contra conscientiã, & credunt ea tegi propter filium Dei. Hæc caligo & immundities in homine non existimetur leue malum esse, propter quam dictum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et tamen filius Dei umbraculum est credentibus. Ideo quanquam hæc immundities est in sanctis, tamen placent personæ propter filium Dei, fide accipientes imputationem iusticiæ, iuxta dicta, Beati quorum tecta sunt peccata. Item, Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus. Item, Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, uiuetis. Et usitatum est, hæc peccata nominare uenialia, seu non regnantia. *Peccatum in sanctis.* *Persona placet propter filium.*

Hæ quinq; quæstiones semper repetendæ sunt in doctrina de bonis operibus, Nunc aspiciamus eruditissimam Pauli concionem. Initiò generale præceptum tradit de coercendo corpore iuxta omnia præcepta moralia: Offerte corpora hostiam uiuam, & præstate cultum rationalem, ut nouitas & imago Dei in mente crescat, sicut alibi inquit Ephe. 4. Renouamini Spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus erat in iusticia & sanctitate uera. *Præceptum de coercendo corpore.*

Opponit autem obedientiam iuxta præcepta moralia cultibus Leuiticis, ideo inquit: Offerte hostiam uiuam & cultum rationalem.

Nominat

Viua hostia.

Nominat uiuam hostiam, quia Deus ideo restituit uitam æternam, ut in tota æternitate simus uiui cum ipso, & ipse sese communicet nobis. Deus condidit rationales creaturas, Angelos & homines, ut essent creaturæ, quibus sese & sua summa bona, uitam, lucem, sapientiam & iusticiam communicet, & ab his uicissim requirit conformitatem, & huius bonitatis agnitionem & celebrationem. Hæc conformitas cum Deo, & agnitio ac celebratio bonitatis Dei, sunt

Veri & æterni cultus Dei.

ueri & æterni cultus Dei, qui in hac uita incoantur, postea erunt integri: & idem cultus nominantur λογικὴ λατρεία, id est, cultus mentis, in quo mens fide, aut coràm intuetur Deum, & uerè sentit timorem & lætitiam in Deo, iuxta dictum, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate, id est, Spiritu sancto accendente ueros & ardentes motus, timorem, fiduciam, dilectionem, & lætitiam. Veritate, id est, uera agnitione Dei, quæ fit uerbo lucente in corde, per quod filius ostendit uoluntatem Patris.

λογικὴ λατρεία opponitur operi operato.

Opponenda est igitur λογικὴ λατρεία non tantùm mactationibus pecorum, Sed uniuersaliter uanissimæ imaginationi eorum, qui dicunt, aliqua opera externa aut rationalia, etiam in non renatis, placere Deo ex opere operato, sine bono motu utentis, Sicut Papistæ scripserunt, Missam mereri alijs ex opere operato, etiamsi Sacrificulus sit adulter, aut sicut dixerunt, opera moralia honesta etiam in non renatis mereri Gratiam. Has falsas imaginationes sæpè taxant Prophetæ, Vt Psalm. 49. Nunquid manducabo carnes taurorum: Psalm 50. Holocaustis non delectaberis. Oseæ. 6. Misericordiam uolo, non sacrificium, & scientiam magis quàm holocasta. Deniq; sæpissimè repetita est hæc concio, & summa comprehensa est in his dictis, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate. Item, Nemo uenit ad patrem nisi per filium.

Ex hac tota doctrina sumatur enarratio, quid sit λογικὴ λατρεία, inde & definitio sumatur.

Cultus Dei quid.

Cultus Dei est opus à Deo mandatum, factum in uera agnitione & timore Dei, & uera fiducia Filij, hoc fine, ut Deo præstetur obedientia, & honos, id est, ut hoc opere testemur, hunc uerum Deum esse, quem sic colimus, ut castitas Ioseph est cultus Dei, quia in mente Ioseph sunt uera agnitio Dei, timor & fiducia Mediatoris, & opus refertur ad hunc finem, ut ostendat hunc uerè Deum esse quem sic colimus, & quomodo uelit coli. Castitas in Scipione est sine luce Dei & agnitione Mediatoris, ideo non est cultus Dei.

Ceremoniæ cur institutæ sint.

Quærat autem aliquis, Cùm Deus postulet uiuas hostias, & perpetuum cultum mentis, ad quem usum instituit mactationes pecudum, & alias ceremonias? Respondeo: Vt conseruetur ministerium docendi uerbum Dei, ad quod opus est duabus rebus: docentibus & congregatione. Sunt ergo instituta signa, quæ & commonefactiones essent additæ doctrinæ, & nerui congregationis, & multæ ceremoniæ institutæ sunt, ut inde Doctores alerentur, ut oblatio primitiarum, decimarum & pecudum. Hos fines intelligi oportet in cultibus seu Sacrificijs ceremonialibus. Vt autem cultum definiuimus, ita eodem modo Sacrificium in genere definiri potest.

Sacrificium quid.

Sacrificium est opus, mandatum à Deo, factum in uera agnitione, timore Dei & fide, hoc fine, ut Deo præstetur obedientia, & hoc opere ostendatur testimonium, quòd hic sit uerus Deus, cui præstetur hæc obedientia. Adde, cùm de Sacrificijs hominum loquimur, factum fiducia Mediatoris.

Sunt

Sunt autem sacrificij species iuxta generalem definitionem duæ: Propiciatorium & εὐχαριστικὸν. *Sacrificij species.*

Propiciatorium est unum, uidelicet, solius Christi obedientia, quæ meretur alijs remissionem peccatorum & reconciliationem. Nam Leuitica, quæ nominabantur propiciationes, & pro peccato, erant tantùm Typi, nequaquam merebantur remissionem peccatorum. Ideo scriptum est: Impossibile fuit sanguine taurorum tolli peccata. *Propiciatorium.*

Cætera omnia, cùm rectè fiunt, sunt εὐχαριστικὰ, siue sint ceremoniæ, siue alia bona opera, sicut dicitur: Sacrificium Deo Spiritus cõtribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Non est condita hęc natura, ut sit ociosa, sed ut Deus communicet nobis suam lucem, sapientiam, iusticiam & lætitiam in tota æternitate, & uicissim uult Deus celebrari in hac uita, & post hanc uitam, ideo necesse est actiones aliquas esse, quarum omnium finis sit celebratio Dei. Hæ omnes in hac uita & post hanc uitam, sunt reipsa Sacrificia laudis, seu εὐχαριστικὰ, καὶ λογικὴ λατρεία. *Sacrificia εὐχαριστικὰ.* *Actionum finis celebratio Dei*

Osiandri partitio tria membra facit. Typicum, propiciatorium & θρεπτήριον, quo alebantur Sacerdotes. Hæc distributio mihi non displicet, sed commodius est nominare εὐχαριστικὸν, ut comprehendantur omnia Sacrificia Spiritus, & Ceremoniæ. *Osiandri partitio sacrificiorum.*

Has distinctiones necesse est extare, ut discernatur Sacrificium filij Dei ab omnium aliorum hominum Sacrificijs. Nam cætera nequaquam sunt ἱλαστικὰ, seu propiciatoria, id est, non merentnr remissionem peccatorum & reconciliationem, Ac multi errores irrepserunt in Ecclesiam, non rectè intellecto uocabulo Sacrificij. Quare necesse est iuniores de hac distinctione admoneri.

Cognitis his fundamentis intelligi potest, quid Paulus nominet λογικὴν λατρείαν, & hæc est sancta, id est, uerè dedicata Deo, non prophana, ut uirtutes in Ethnicis, in quibus non lucet uera agnitio Dei & Mediatoris, Est & Deo placens, ut suprà dictum est, quomodo bona opera placeant Deo, scilicet mandata à Deo & facta in agnitione Mediatoris, & fiducia filij.

Ne imitemini gestus huius mundi.

VT antea instituit generalem propositionem de obedientia secundum omnia præcepta: Offerte λογικὴν λατρείαν, ita nunc eam repetit iuxta omnia præcepta, ne habeamus affectus similes mundanorum, sed nouos affectus Deo conformes. Nam cùm uetat imitari gestus mundi, non uituperat res, quarum usum Deus ordinauit, non uetat usum ciborum, coniugij, imperiorum, iudiciorum, cõtractuum, & aliarum ordinationum Dei, Sed prohibet uiciosos affectus, ideo inquit, Gestus, id est, motus animorum non sint similes mundanis, ut contra ordinationem Dei adpetunt impij uoluptates, quærunt opes & potentiã iniustis modis, certant ambitione, ardent iniustis odijs, turbant Ecclesiam & politias priuatis cupiditatibus. Hæc uicia regnant in maxima parte generis humani, de qua parte generis humani contraria conuersis ad Deum, sæpè usurpatur adpellatio mundi, Vt 1. Iohannis 2. Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum. *Gestus mundi quid.*

Iubet autem renouari mente, id est, iubet nos habere alias noticias de Deo, rectè agnoscere Deum, & firma assensione uniuersam doctrinam amplecti, & in corde habere affectus conformes Deo, uerum timorem, fiduciam, lætitiam in Deo, *Renouari mente quid.*

in Deo, Spem, dilectionem, patientiam, castitatem, & alias uirtutes, Ideo addit, ut agnoscatis, quæ sit uoluntas Dei bona. Simplicissimè interpretatur, quod antea dixit, Renouamini mente: loquitur enim de uoluntate Dei reuelata in præceptis, comminationibus & promissionibus, quasi dicat, rectè agnoscite Deum, & rectè agnoscite uoluntatem eius immensa bonitate patefactam in lege & Euangelio, & congruat obedientia interior & exterior cum uerbo Dei. Vt quia sciunt tres uiri in Babylone bonam uoluntatem Dei, id est, mandatum Dei esse, non inuocare Idola, obediunt Deo, nec franguntur metu pœnæ, sed anteferunt mandatum Dei suæ uitæ. Hæc est simplex enarratio huius dicti.

Tres uiri in Babylone.

Dico vobis per gratiam, quæ data est mihi.

ANtea posuit generalem propositionem de omnibus uirtutibus, seu de uniuersali obedientia. Nunc accedit ad speciales uirtutes, Et quia inter eas, quæ ad Ministerium, seu ad gubernationem pertinent, Duæ sunt præcipuæ: Obedientia in Vocatione, & iusticia seruans metas in iudicando: De his duabus uirtutibus initiò concionatur. Vt enim in Politica gubernatione ualde pernicios a est πολυπραγμοσύνη, cùm priuati homines ingerunt se negocijs, & impediunt ordinarios gubernatores: aut cùm Ardeliones, qui præsunt, agunt aliena: Sic Ecclesiæ nocent inquieti homines, qui uel stulto zelo, uel odijs incitati, aut extra uocationem erumpunt, & multa reformare in doctrina aut ritibus conantur, quæ melius erat non mutari: aut è regione Doctores Ecclesiæ leges ferunt Magistratibus de ciuilibus negocijs, & habent alterum pedem in Curia, alterum in Ecclesia, Vt de Cleone Aristophanes dicebat, Habere eum alterum pedem in castris, alterum in concione.

Duæ uirtutes in gubernatione.

Est autem uirtus tertij Præcepti obedientia in uocatione. Polypragmon, seu ardelio pugnat cùm tertio præcepto, & cum dicto Pauli, Propria facias. Alterum malum est Arrogantia in iudicando de ignotis, id quoq; prohibet hoc loco Paulus, cùm uetat sapere præter quàm oportet: & iubet modestè sapere, & tradit normam, ut Prophetiæ sint analogę fidei, id est, ut enarrationes & iudicia congruant cum fide. Notum est autem, neminem sibi debere iudicium sumere de eo, quod nesciat, ideo scriptum Deuterono. 17. Cùm fuerit nunciatum, audias & bene inquirito, & cùm fuerit uerum & certum, pœna sequatur.

Obedientia in uocatione uirtus tertij præcepti.

De non cognitis non esse iudicandum.

Et eadem sententia sæpè repetita est in mandatis diuinis. Et Matth. 5. dicitur: Cæco si cæcus dux fuerit, ambo in foueam cadunt. Syracides cap. 11. Prius quàm audieris, ne respondeas. Et tamen usitatissimum est, fascinatos persuasione iudicare non cognitis fontibus, contra quos & in Exodo dicitur: Non sequaris turbam in iudicando. Idem & ratio docet, Quodq; parum nouit nemo docere potest. Et Plato inquit: οὐ πλήθει δικάζειν ἀλλ' ἐπιστήμῃ. Huc & illa pertinent: Quam quisq; artem didicit, hanc exerceat. τέκτων γὰρ ὢν, ἐπρατ̃ες οὐ ξυλουργικά.

Talibus sententijs commonefacti, simus in iudicando circumspectiores, & fontes quæramus, & non simus ἰδιοβουλεύοντες, sed libenter conferamus nostras cogitationes cum aliorum peritorum iudicijs, ut 1. Corinth. 15. præcipitur. Et in primis teneamus regulam, Vt Prophetia sit analoga fidei, id est, ut enarrationes & iudicia congruant cum fundamento, id est, cum Lege & Euangelio, & Symbolis. Hanc normam sciri & sequi necesse est, iuxta dictum, Si quis aliud Euange-

Prophetia sit analoga fidei.

Euangelium docet, Anathema sit. Necesse est igitur, prius nosse incorruptum Euangelium, iuxta dictum, Erudimini qui iudicatis terram.

Iam considera quàm horrendi furores omnibus temporibus orti sint ab interpretationibus pugnantibus cum fide, ut corruptelæ Ebionis, Cerinthi, Samosateni, qui negauerunt in Christo esse naturam diuinam. Et Samosatenus & Seruetus astuta interpretatione deprauarunt textum in Iohanne: In principio erat Verbum. Item, Manichæi & similes tetra portenta contra legem & Euangelium finxerunt, ut nostro tempore Anabaptistæ. *Corruptelæ Ebionis Cerinthi &c.*

Omnibus temporibus fuerunt similes aliqui Pharisæis, qui sustulerunt discrimen legis & Euangelij, & finxerunt homines mereri remissionem peccatorum & iustos esse externa disciplina, sicut somniat Pharisæus Lucæ 18.

Talis fuit imaginatio Pelagij, Papistarum & Monachorum, in qua magnum chaos est errorum. Delent totam doctrinam de iusticia fidei, fingunt homines mereri remissionem peccatorum, & iustos esse propriis operibus. Postea addunt, Quia nemo scit, quando satis operum habeat, dubitandum esse an sis in gratia. Hæc nequaquam sunt ἀνάλογα fidei. *Imaginatio Pelagij, Papistarum &c.*

Sunt & manifestè idolatrica, Inuocatio hominum mortuorum, quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis. Item, Adoratio panis in circumgestatione, Item, ficticia oblatio in Missa pro mortuis.

Nec fuit credendum fallacibus Spiritibus, qui petiuerunt celebrari Missas pro mortuis. Quia scriptum est Esaiæ 8. Non à mortuis require ueritatem, sed ad legem & ad testimonium.

Nec sunt ἀνάλογα Fidei ea, quæ de uotis, de satisfactionibus, & aliis ritibus humanis fingunt, quos dicunt esse cultus Dei necessarios, & mereri remissionem peccatorum.

Nec sunt ἀνάλογα Fidei Anabaptistica deliramenta, quæ sunt partim Pharisaica, partim furores Manichæi, delentes politicum ordinem. *Anabaptistica deliramenta.*

Hunc breuem catalogum addidi, ut iuniores diligentius cogitent de hac regula. Prophetia sit analoga fidei, & sint circumspecti in iudicanda doctrina, & iudicandis interpretationibus, & muniant se inquisitione ueræ doctrinæ & precatione.

Deinde sequitur in textu longa coaceruatio multorum præceptorum de dilectione mutua, de beneficentia, de diligentia in inuocatione, de patientia, de precatione, de humilitate, de reprimenda cupiditate priuatæ uindictæ &c. Hæc mandata distribuantur in Decalogum, Nec difficile est uidere, ad quod caput Decalogi singula pertineant, sicut aliâs sæpè monemus doctrinam de Virtutibus in Decalogum distribuendam esse.

CAPVT XIII.

IN priori capite recitauit præcepta de priuatis moribus. Nunc addit doctrinam de uita Politica. Quanquam enim Euangelium concionatur de reconciliatione cum Deo, & de æterna iusticia, nec fert leges in specie de successionibus, de contractibus, de forma iudiciorum, de distinctione actionum, Commendauit enim hæc Deus consilio politici Magistratus, sicut non docet Euangelium in specie artem Medicam, aut Architectonicam: Tamen in genere necesse est de usu harum externarum & corporalium rerum extare uerbum Dei, seu testimo-

nium diuinum,propter duas causas. Primùm ut sciamus hunc ipsum ordinem esse opus Dei,& testimonium sapientiæ & præsentiæ Dei inter nos, Deinde ut sciamus usum concessum esse pijs. Quia oportet opera nostra testimonium habere ex uerbo Dei,ut 1. Timoth. 4. dicitur. Sanctificatur creatura per uerbum & orationem.

Vtile est & nosse certamina Ecclesiæ omnium temporum. Semper autem fuerunt fanatici homines,qui damnauerũt ordinem politicum, & magnas confusiones alij aliâs excitarunt. Voluerunt efficere Platonicam communionem facultatum,ut olim Martion,Carpocrates,& alij,quos refutat Irenæus.

In oppido Phrygiæ Pepusa fanatici quidam tale regnum incoarunt,quale nostro tempore Anabaptistæ in urbe Monasterienſi conati sunt constituere,& oppidum nominarunt nouam Ieroſolymam,quod rectius nominassent ἐμπόσαν, Sed deletum est, & Montanus & Maximilla Duces factionis sese strangularunt.

Noua Ieroſolyma in Phrygia.

Nostro tempore adhuc uagantur Anabaptistæ, qui damnant Magistratus,distinctionem dominiorum,contractus,iudicia,& multi alij fuerunt & sunt, qui negant utendum esse Romanis legibus. Contra hos furores sciamus Ecclesiam præmunitam esse hoc tertiodecimo Capite Pauli ad Romanos,quod ideo notissimum omnibus esse debet, ne qui hypocrisi fanaticorum hominum decepti implicentur falsis & seditiosis opinionibus.

Primùm igitur perspicuè & constanter teneatur hæc regula. Euangelium est uox de remissione peccatorum & de reconciliatione cum Deo propter Mediatorem,& de luce,iustitia & uita æterna in cordibus. Interea sicut corpora sinit uti diuersis dierum spacijs in diuersis locis, Ita sinit uti diuersis formis politiarum, modò cum ratione congruant.

Regula, Euangelium non abolet politias.

Hæc Regula sæpè expresiè tradita est,ut Coloss. 3. Induite nouum hominem,qui renouatur agnitione ad imaginem eius,qui condidit eum, ubi non est Græcus,nec Iudæus,nec Circumcisio,nec præputium,nec barbarus,nec Scytha, nec Seruus, nec Liber, sed omnia in omnibus est Christus. Hoc illustre discrimen Euangelij & uitæ politicæ,semper in conspectu sit. Postea etiam uitæ politicæ dignitas consideretur descripta & in hoc capite, & in multis testimonijs Propheticis.

Omnis anima potestatibus, quæ præsunt, subdita sit.

INitiò simpliciter & perspicuè tradit præceptum, ut suo quisq; Magistratui obediat. Nam particula (Quæ præsunt) non est ociosè addita, sed excludit alienos Magistratus. Non enim necesse est ciuem Lubecensem obedire Magistratui Parisiensi. Tollit item Paulus dubitationem conscientiarum,si sit obscura contentio de titulo, ut quanquam Rex Anglicus scribit se Regem Franciæ: tamen non necesse est ciues Regni Gallici obedire Regi Anglico. Deinde addit rationem præcepti: Cùm imperia sint ordo diuinitus institutus, qui uerè est opus Dei,irascitur Deus turbantibus hunc ordinem,Necesse est igitur obedire propter conscientiam.

(Quæ præsunt) excludit alienos magistratus.

Hîc diligenter consideretur uocabulum Ordinatio. Nam humana iudicia cùm intuentur confusionem & uicia in imperijs,non statuunt Gubernationem opus Dei esse, sed partim calliditate humana,partim robore constituta esse, & retineri imperia. Et multa de causis apud Philosophos disputantur. Sed nos discernamus ordinem politicum à personis, & à uicijs, quæ miscent personæ. Est enim

Est enim ordo ipse legis diuinæ noticia,& gradus eorum,qui regunt, & regun-
tur,& Leges latæ uera autoritate Magistratuum, coniugia,contractus,iudicia,
pœnæ,defensio,legitima militia, legitima tributa,disciplina in pace, studia do-
ctrinarum & aliarum honestarum artium. Hic totus ordo in genere humano
est opus Dei,sicut ordo motuum cœlestium, & terræ fœcunditas. Nec tantùm
permissiuè à Deo, sed Deus sua sapientia & uoce instituit hunc ordinem, &
quantum supereſt ordinis, conseruat ipse efficaciter. Interea uerum est, quòd
Diaboli, & multa organa Diabolorum tyranni,seditiosi,& alij scelerati homi- *Organa Diaboli turbant ordinem politicum.*
nes multipliciter turbant hunc ordinem,& multas confusiones, & multa uicia
miscent, sicut lupi aliquam gregis partem lacerant, & tamen pastor fidelis de-
fendit reliquum agmen, Ita quantum ordinis reliquum est in societate huma-
na, conseruatur immensa bonitate ab ipso Deo.

Tenendus est igitur hic articulus fidei:Ordo politicus est reuera opus Dei, *Ordo politicus est opus Dei &c.*
& res bona,& est testimonium sapientiæ, iusticiæ Dei & bonitatis erga homi-
nes, & præsentiæ eius inter homines. Lex enim & iudicia ostendunt sapienti-
am,æqualitas in contractibus, & executio pœnarum ostendunt iusticiam: Bo-
nitatem & præsentiam ostendit miranda conseruatio totius societatis humanæ
inter tanta pericula. Item, pœnarum executio manifestè superans uires huma-
nas,de qua dicit Dominus,Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Addantur ergo testimonia, quæ adfirmant ordinem politicum esse opus Dei.

Danielis 2. Deus tranfert regna, & constituit, id est, efficit ut floreant & durent.

Prouerb. 16. Libra & pondus iudicia Domini sunt, & omnes lapides lancis.

Psalm.126.Nisi Dominus custodierit ciuitatem,frustra uigilat qui custo-
dit eam. Custos & conseruator est Deus ordinis politici,Ergo eum adprobat.

Psalm. 143.Qui das salutem Regibus. Hæc uerba adiuuari gubernatores à Deo testantur.

Prouerb.8. Per me Reges regnant,& iudices iusta decernunt.

2. Paralip.20.Non hominis exercetis iudicium,sed Domini.

Psalm.81.Ego dixi,Dij estis,id est,habentes officia mandata à Deo,ut sint uox Legis Dei, & executores Legis Dei.

Esaiæ 1. Quærite iudicium,subuenite oppresso,defendite uiduam,Præci- *Deus præcipit politica officia.*
pit Deus politica officia cuicq; pro sua uocatione.Non dubium est igitur adpro-
bari ab eo politicum ordinem. Et in hanc sententiam multa dicta apud Pro-
phetas extant, quæ nominatim politica officia præcipiunt.

Lucæ 3. Baptista publicanis & Militibus concionatur, ac tradit expressè præcepta politica.Ergo ipsam functionem adprobat, cùm doceat quomodo sit administranda,ne plus quàm constitutum est postulent:Neminem concutiatis, necq; calumniemini.Hæc tota concio politicum statum,iudicia,militiam adpro-
bat, & discernit ab ordine uicia seu confusiones, quas humana malicia admi-
scet. Et futilis,ieiuna & insulsa cauillatio Anabaptistarum explodenda est, qui *Anabaptistarum cauillatio de officijs politici status.*
dicunt,Baptistam hæc imperfectis permisisse, Christum postea aliter docuisse.
Nequaquam enim pugnant Christi & Baptistæ conciones.

Recitaui testimonia congruentia cum textu Pauli, quæ ualde prodest sæpè cogitari,& simul causas expendere,propter quas Deus hanc doctrinã patefecit.

Vult enim sciri, quæ sint Dei opera, & uult ea discerni à furoribus Diabolicis. Vult in nobis obedientiam & reuerentiam erga ordinem, qui est opus diuinum & ingens beneficium, confirmare. Vult etiam nos accendere ad precationem & gratiarum actionem. Memineris autem diserte in textu Pauli discerni ordinem à confusionibus. Ideo usus est Paulus uocabulo ordinis.

Magistratus est minister Dei, vindex ad iram &c.

POstquam in genere dixit Paulus, ordinem politicum esse opus Dei, addit definitionem Magistratus integram, ut discernat ordinem & Magistratum à latrocinijs.

Magistratus. Magistratus est minister Dei, nobis ad bonum, uindex ad defendendos rectè facientes, & puniendos delinquentes gladio, id est, pœnis corporalibus.

Hæc definitio est integra, & melior etiam quàm Aristotelica: Magistratus est custos Legis, Paulus enim addit efficientem causam, scilicet, quòd sit institutus à Deo, Et in causa finali addit illustrem particulam, Tibi in bonum, ubi discernit Magistratum à latrocinio. Nam latro non fouet honestam societatem, & Tyranni sunt latronum similes. Sed magistratus defendit iustos, & punit contumaciter ruentes in scelera, & fouet communem societatem, sicut Paterfamilias. Ideo dictum est à Duce Persico in Xenophonte: Nihil differt bonus Princeps à patre bono.

Paulus discernit magistratus à latrocinio.

Sed in hac definitione quæritur: Vnde scimus, quæ sint rectè facta? Respondeo. Paulus hîc omittit longiorem declarationem, & ideo generaliter loquitur, ut leges omnium gentium adprobet de ciuilibus negocijs, Si tamen consentiant cum lege naturæ.

Leges gentium consentientes cum lege naturæ adprobantur.

Hîc igitur nota sit Regula: Christianos non esse alligatos ad politiam Mosaicam, sed licere eis uti legibus suarum gentium, quæ consentiunt cum ratione, id est, cùm lege naturæ, seu Decalogo rectè intellecto, Imò sicut debet Christianus obedientiam præsenti magistratui, sic debet obedientiam præsentibus legibus cùm Decalogo congruentibus. Licet igitur fures suspendere, licet hæreditates diuidere nostris legibus: Quia Euangelium non constituit nouam politiam mundanam, Sed concionatur de iusticia & uita æterna, quæ in cordibus incoatur per filium Dei uoce Euangelij in uera conuersione. Interea sinit corpora uti diuersis politijs, sicut diuersis dierum spacijs.

Christiani non sunt alligati ad politiam Moisi.

Ideo necesse est obedire, non solùm propter iram, sed etiam propter Conscientiam.

DEfinitionem sequitur Conclusio, in qua repetit præceptum de obedientia, & addit necessariam declarationem, ut sciat Ecclesia, qualis obligatio sit, & quale peccatum sit nolle obedire legitimis imperijs.

Ac multi scriptores hoc argumentum agitant.

Magistratus neminem potest pœna æterna adficere.

Ergo uiolans legem Magistratuum, non est obligatus ad pœnas æternas.

Neganda est consequentia, Quia uiolans leges Magistratuum obligatur ad pœnam æternam propter mandatum Dei, Sicut uiolans mandata parentum obligatur ad pœnam æternam, etiamsi parentes neminem possunt adficere pœna æterna. Sed Deus ipse irascitur uiolantibus ordinem ab ipso sancitum, & est custos sui ordinis, ideo pœnam ipse exequitur.

Deus ipse executor sui ordinis.

Ac uerba Pauli diligentissimè consideranda sunt. Necesse est obedire, non solùm propter iram, id est, propter supplicia, quibus Magistratus potest fontes adfi-

adficere. Sed etiam propter conſcientiam, ſcilicet, ne fiat rea æternæ pœnæ in his, qui nolunt obedire legitimis imperijs. Sciamus igitur uerè peccatum Mortale eſſe, id eſt, Deum offendens & faciens hominem reum æternæ pœnæ, nolle obedire legitimis Imperijs. Sic declarat neceſſitatem, ut intelligatur de obligatione conſcientiæ, & de æternis pœnis, uidelicet, niſi fiat conuerſio.

Peccatum mortale eſt nolle obedire legitimis imperijs.

Iam conſiderent omnes homines, quanta ſeueritate Deus ipſe muniuerit Magiſtratus & totum politicum ordinem, cùm expreſſè Paulus adfirmet, conſcientiam ream fieri coram Deo, hoc eſt, inobedientes deſeri à Deo, fieri captiuos Diaboli, & abijci in æternas pœnas, niſi fiat conuerſio. Et atrox contumacia etiam diuinitus in hac uita punitur, ſicut Salomon inquit: Cùm ſeditioſis ne commiſcearis, quia citò ueniet eorum interitus. Et in Eccleſiaſte inquit: Non effugient in die belli, Sicut uniuerſa mundi hiſtoria oſtendit, ſeditioſos oppreſſos eſſe horribilibus pœnis. Nulla potentia humana, nulli exercitus magis muniunt Imperia, quàm hæc ſeueriſſima Lex Dei: neceſſe eſt obedire propter conſcientiam, Cuius Legis ipſe Deus executor eſt.

Lex Dei, neceſſe eſt obedire propter conſcientiam.

Hæc diligenter cogitanda ſunt, & à populo & à Dominis, Nam & Domini, cùm fiunt Tyranni, id eſt, cùm uiolant iuſticiam, lacerant & ipſi ordinationem diuinam, & diuinitus hærent in pœnis. Fit igitur in ipſis quoq; rea conſcientia, ut totus Pſalmus: Deus ſtetit in Synagoga Deorum Deos iudicans, accuſat Tyrannos, minatur eis pœnas, Et ſæpè repetita eſt hæc concio.

Tyranni hærent in pœnis.

Eſaiæ 3. Dominus ad iudicium ueniet aduerſus Principes & Seniores populi.

Micheæ 3. Audite Principes &c. propter uos Sion quaſi ager arabitur & Ieroſolyma erit aceruus lapidum.

Zachariæ 11. Super Paſtores iratus eſt furor meus.

Hîc autem breuiter de duabus quæſtionibus reſpondendum eſt. Prior hæc eſt.

Duæ quæſtiones.

Sumus liberati à Lege,

Ergo non læditur conſcientia uiolatione legum politicarum.

I. De lege politica.

Reſpondeo breuiter ad antecedens, Credentes in Mediatorẽ ſunt liberati à Lege, quod ad iuſtificationem attinet, id eſt, propoſita eſt alia res, qua ſunt iuſti coram Deo, ſcilicet, Mediator qui liberat animas ex morte æterna erectas fide. Interea manent tamen in hac uita corporali propria officia corporis, quæ ſunt alia res quàm reconciliatio æterna, iuſticia, & uita Spiritus. Quia autem ſic colligit Deus Eccleſiam, & non aliter, uidelicet, prædicatione Euangelij in hac uita, uult nos tantiſper, quod ad corpora attinet, ſubiectos eſſe Legibus corporum, cibi, potus, politici ordinis. Similiter enim res neceſſariæ ſunt corpori cibus, potus, coniugium, educatio ſobolis, politica ſocietas, defenſio corporum, & ſcriptum eſt: Habendum eſſe honorem corpori, Et tamen hæ res non ſunt illa æterna iuſticia, de qua dicit Daniel: Iuſticia æterna adducetur &c. quæ reipſa eſt libertas Spiritus, & liberatio à lege.

Liberi ſumus à Lege, quo ad iuſtificationem, non quo ad obedientiam.

Hæc ſimplex reſponſio facilè intelligi poteſt, de diſcrimine æternæ lucis & iuſticiæ in corde & uitæ corporalis, donec in hoc mortali corpore uiuimus. Alibi autem copioſius dictum eſt de liberatione à lege, & rectè accommodari huc poteſt communis reſponſio: ſumus liberi à lege Morali, quod ad iuſtificationem attinet, ſed non quod ad obedientiam attinet. Nam ipſa liberatio à Lege, regeneratio eſt ad nouam obedientiam.

ALIVD ARGVMENTVM.

Iusto non est lex posita.

Ex ijsdem fontibus sumantur Responsiones ad hoc dictum: Iusto non est Lex posita, scilicet, ut lege iustus sit coram Deo, seu quod ad æternam iusticiam attinet. Sed iusto est Lex posita, quod ad uitam corporalem attinet, uidelicet, leges cibi, potus, politicæ societatis.

Adde & alteram Responsionem: Iusto in quantum tali non est Lex posita, id est, Lex non damnat iustum retinentem iusticiam. Sed cùm desinit esse iustus, contra conscientiam uiolans mandata Dei, Lex rursus eum damnat.

ALIA OBIECTIO.

Quæstio de legibus.

Cur fit rea Conscientia faciens contra leges Magistratuum ciuilium, & non fit rea faciens contra traditiones Episcoporum.

Episcopi non habent potestatem condendi traditiones cum opinione necessitatis.

Respondeo, Ratio diuersitatis est. Deus expressè uoce Euangelij sanxit hanc libertatem in Ecclesia, ut nec Episcopi condant traditiones cum opinione necessitatis, nec Ecclesia eas sic accipiat. Ideo Colos. 3. expressè dictum est, Nemo uos arguat in cibo, potu &c. & ad Galatas: State in libertate, ad quam uocati estis. Sed de politica potestate expressè dictum est, Necesse est obedire propter conscientiam. Vult Deus conspici discrimen inter regnũ Christi & imperia mundi, Vult sciri tantùm uoce Euangelij colligi regnum Christi. Non uult adfingi traditiones humanas, quæ obscurant uel opprimunt lucem Euangelij. Interea simul uult sciri, corpora subiecta esse politico ordini, & Reges armatos esse potestate condendi Leges, ad honestam defensionem corporum, ad quam opus est interdum nouis Legibus.

Cæterûm pariter peccant Magistratus ciuilis & Episcopi, quando condunt Leges pugnantes cum mandatis diuinis, aut præcipiunt nouos cultus. Talibus Legibus non est obediendum, sicut nec Israelitæ obediebant Legi Nabuchodonosor, præcipienti adorare statuam.

Quæstio de potestatibus.

Interrogant autem aliqui: Maior ne reuerentia debetur potestati ciuili, quàm Pastoribus Ecclesiæ, cùm dictum sit: Qui uos spernit, me spernit. Item, Obedite præpositis uestris. Item: Qui bene præsunt, duplici honore digni sunt.

Pastoribus debetur obedientia in his quæ sunt ministerij.

De hac interrogatione & his dictis planè respondeo. Certissimum est hæc non constituere Episcopis aut Pastoribus regnum extra Euangelium, nec tribuere eis potestatem proprias leges condendi, sicut Reges Deus armauit auctoritate condendi Leges de politicis negocijs. Sed simul hoc sciendum est, Pastoribus rectè docentibus deberi obedientiam in his, quæ sunt propria ministerij Euangelici, Quia certissimum est peccare mortaliter omnes nolentes obedire mandatis diuinis, quæ sonat uox Pastoris, Item, nolentes obedire in iurisdictione, quæ est propria Euangelij. Vt cùm Ambrosius Theodosium imperatorem, & Basilius Valentem Imperatorem arcent à communione.

Cui honorem debetis, tribuite honorem &c.

ANtea in genere dixit de obedientia, nunc gradus recitat, interna & externa officia, Honorem, Timorem, Tributa, uectigalia. Hîc pondera uocabulorum considerentur.

Honos est in anima noticia adprobans aliquid propter mandatum Dei, & quia Deus ei communicat sapientiam suam & iusticiam, Aut quia est organum sapientiæ & iusticiæ Dei, & est diligere illud iuxta ordinem à Deo sanctum.

Est igi-

Est igitur honos erga Magistratus noticia, quæ agnoscit & fatetur, ordinem politicum esse opus Dei, & conseruari à Deo, & Magistratum esse custodem legis Dei, & in ea custodia conspici præsentiam Dei in genere humano, & lucere sapientiam & iusticiam Dei. Et est diligere ordinem & personas, habentes προαίρεσιν rectè faciendi, quæ sunt organa diuini ordinis, & sic diligere, ut nos illi fastigio subijciamus iuxta præcepta Dei. Item petere à Deo, ut ipse sit custos huius sui ordinis, & regat eos, quibus tradidit imperium. Hæc noticia & approbatio in mente, & in uoluntate Dilectio, subiectio & precatio pro imperijs sunt propriè honos. Deinde signa externa honoris quæ sint notum est, ut flectere genua significat subiectionem sui in uoluntate. *Honos erga Magistratus.*

De officijs Magistratus complexus est Paulus summam, cùm ait, esse ministrum Dei, ut puniat malè facientes. Et summa comprehendi potest in hac definitione: Magistratus est custos Legis, uidelicet utriusque tabulæ in externa disciplina. Hanc definitionem intueantur omnes Magistratus, & cogitent esse normam totius gubernationis. *Officium Magistratus.*

φόρος significat ordinaria tributa ex fundis.

τέλος significat ea, quæ penduntur ex rebus aliunde aduectis. Quia præsidijs opus est ad prohibenda latrocinia in uijs.

Iam qui debebat esse modus tributorum, ostendunt uerba Iohannis: Estote contenti stipendijs uestris. Et sciant principes se quoque subiectos esse Legi diuinæ: Non furtum facies: Et seruent distinctionem Dominiorum, Sciant alia esse ciuium propria, alia ipsorum, ut ostendit Historia de uinea Nabot. Sed βελτίω Regum & Principum sæpè non sunt contentæ legitimis pensionibus. Hinc sunt querelæ ueteres: ταμίαι λαμίαι. Et Nazianzenus inquit: Briarei manibus rapere Gubernatores ex populi facultatibus. *Iohannes ostendit modum tributorum.*

Reddite omnibus debitum.

IN fine redit ad generalia præcepta, quæ ad omnes pertinent, ac repetit summam doctrinæ de bonis operibus, de qua proponit Decalogum, Quia necesse est fidem & opera regi expresso uerbo Dei, iuxta hæc dicta: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Item in Ezechiele 20. In præceptis meis ambulate. Item in Numeris: Non fornicentur oculi uestri, ut ambuletis secundum cogitationes uestras &c.

Item frustra me colunt mandatis hominum. Et Matth. 5. Non ueni soluere legem, sed implere. Necesse est igitur in Ecclesia proponi Decalogum, & eum enarrari sicut enarrant Christus, Prophetæ & Apostoli, & semper in Ecclesia inde usque à principio mundi fuit eadem decalogi doctrina. *Decalogus in Ecclesia proponendus.*

Cæterùm quomodo intelligenda sit doctrina de liberatione à Lege, suprà dictum est, & sequenti capite eadem explicatio repetetur. Nunc considerentur dicta legalia hoc loco: Persoluite omnibus debitum. Hac uoce complectitur omnia officia in societate necessaria. Iubet præstari non solùm debitam obedientiam superioribus, sed etiam cæteris debita officia, parentibus, coniugi, liberis, familiæ. Iubet item in contractibus cuicunque res debitas & pecuniam debitam exhiberi, iuxta præceptum Decalogi: Non furtum facies. Psalmus 27. inquit: Impius mutuò sumit, & non reddit, Iustus autem miseretur & largitur. Ac repetitur ideo hîc Decalogus, ut sciamus totam doctrinam de bonis operibus recitatam his duobus capitibus & alibi, comprehensam esse in Decalogo. *Persoluere omnibus debitum.*

Rursus etiam consideretur repetitio de debito: Nemini quidquam debeatis nisi mutuam dilectionem.

Nota sit omnibus distinctio plena eruditionis de obligationibus.

Obligatio naturalis seu diuina.

Alia debentur obligatione naturali, non ciuili, id est, ad quæ præstanda Magistratus suis pœnis non cogit hominem, ut is qui accipit beneficium, uicissim debet animi gratitudinem obligatione naturali. Sed Magistratus non nisi in paucis gradibus punit ingratos. Periclitanti in aquis debent opitulari alij præsentes, si possunt, Diues præsenti Lazaro debebat opitulari, Sed Magistratus tales omissiones non punit, tantùm atrocia externa scelera iudicat. Ac naturalis obligatio est diuina, iuxta præceptum: Diligas proximum tuum sicut teipsum. Item. Prouerb. 21. Obstruens aurem ad clamorem pauperis, uicissim clamabit, & non exaudietur. Item, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.

Obligatio ciuilis.

Alia est obligatio diuina, seu Naturalis & Ciuilis, id est, propter quam & Magistratus cogit homines facere externas operas, aut dare res externas, pretium aut merces, Quia hac compensatione sublata, prorsus dissiparetur societas generis humani.

Paulus autem de utraq; obligatione hîc loquitur. Debita obligatione ciuili uult dari, iuxta præceptum: Non furtum facies. Et notum est, manifestam turpitudinem esse non præstare debita obligatione diuina & ciuili.

Persæ.

Persæ, ut scribit Herodotus, inhonestum esse iudicabant ipsum etiam debere, Quod tamen intelligo de non soluentibus conuenienti tempore. Sic enim ait Herodotus: Turpissimum ducunt mentiri, deinde uerò debere, Quia existimant debitorem sæpè mentire.

Cùm igitur inquit Paulus, Nemini quidquam debeatis, Vult ea præstari, quæ ciuili obligatione debentur, ut ita liberemur à ciuili obligatione, posteaquàm debita dedimus aut fecimus. Interea tamen perpetua est obligatio diuina & naturalis, quæ est perpetua dilectio proximi.

Obligatio naturalis perpetua est.

Etsi autem quid sit ardens & ordinata dilectio in uita æterna melius intelligemus, tamen nunc incoari eam oportet, sicut Iohannes inquit, Qui non diligit, manet in morte. Et descriptio qualiscunq; tenenda est.

Osiander.

Osiander dilectionem nominat ipsum Deum, de hac forma loquendi alibi dicitur.

Paulus dilectionem deberi proximo intelligit, quæ est affectus, qui in conuersis accenditur à Spiritu sancto. Hunc affectum debemus proximo, de quo affectu Paulus hîc, & 1. Cor. 13. loquitur. Et ad Gal: Fructus spiritus dilectio &c.

Definitio dilectionis.

Est igitur hæc dilectio, in uera fide lætari in Deo, & obedire omnibus mandatis Dei, & propter eum diligere proximum, ac uelle ei benefacere iuxta præcepta Dei, ubicunq; est possibile.

Ad hanc dilectionem homo semper obligatus est à Deo, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum. Eruditissimè igitur distinxit hîc Paulus obligationem. Præcipit, ut debita ciuili obligatione præstemus, his datis, cessat obligatio ciuilis, Ideo dicit, Nemini quicquam debeatis, id est, Præstate debita obligatione ciuili, ita cessat hæc obligatio. Sed dilectionẽ debebitis, id est, manet semper obligatio naturalis & diuina, ad dilectionem in corde, & ad multa externa officia, non debita ciuili obligatione. Vt Lazaro non debebat diues ciuili obligatione: Sed tamẽ debebat naturali

Nemini quicquam debeatis &c.

rali & diuina obligatione dilectionem in corde, & externa beneficia, quæ tunc præstare poterat.

Dilectio est impletio Legis.

PRopriè loquitur Paulus, & ut artifex, Quia uerum est, in lege præcipi ordinatam dilectionem erga Deum & homines, Et hæc complectitur uniuersalem obedientiam, sicut scriptum est: Diliges Deum ex toto corde, & proximum sicut teipsum.

Hîc autem discant iuniores hoc argumentum iudicare: *Argumentum de dilectione.*

Impletio Legis est iusticia:
Dilectio est impletio Legis:
Ergo, Dilectio est iusticia.

Respondeo, Concedo totum de iusticia legali, Si uocabula rectè intelligantur. Quia uerissimum est, integram seu perfectam impletionem legis esse iusticiam, Verum est etiam, perfectam dilectionem esse impletionem Legis: Sed neq; perfectam dilectionem, neq; perfectam legis impletionem ullus homo habet, excepto Mediatore, Domino nostro Iesu Christo. Ideo cæteri homines nec Lege, nec dilectione sunt iusti coram Deo, sed propter Mediatorem fide, gratis persona recipitur & placet. Postea placet & noua obedientia, quamuis procul abest à perfectione, & est languida, mutila, mendica & sordida, ut suprà sæpè dictum est. *Perfectam dilectionem aut legis impletionem nemo habet.*

Sit igitur breuis responsio, Dilectio est impletio legis. Item, Est iusticia, si id intelligatur de Idea, non de tali dilectione, qualis est in hominibus in hac uita. Hæc satis sit monuisse. *Dilectio est impletio legis de idea loquendo.*

Addit autem Paulus hoc loco repetitionem Decalogi, & doctrinam de dilectione, quia necesse est in hac uita incoari obedientiam, iuxta omnia præcepta Moralia, sicut scriptum est, Si uis ingredi in uitam, serua mandata, scilicet, sicut Euangelium docet propter filium nos recipi, & fide incoari obedientiam, sicut Paulus inquit, Per fidem Lex stabilitur.

Iam hora est, nos ex somno expergisci.

ADhortatio est à tempore sumta propter occasiones, quasi dicat, Iam immensa bonitate Deus nobis patefecit Euangelium, Gentibus & Iudæis, cùm antea in tenebris essetis, & uos uocat. Id summum beneficium agnoscamus, nec tantum munus adspernemur, sed auidè amplectamur, & Deo obediamus. Eandem adhortationem proponit Dominus, Quia non omnibus temporibus similiter conspicitur lux Euangelij: Ambulate, inquit Dominus, dum lucem habetis, ne tenebræ uos obruant. Vt in Iudæa, spreta uocatione, secutæ sunt maiores tenebræ, & magni furores, confusiones opinionum, & Principum discordiæ, quibus attraxerunt ultimum exitium. Ita fit & alijs temporibus. Et nunc multi abutuntur prætextu libertatis, & uertunt gratiam Dei in petulantiam, ut Petrus loquitur. Ideo sequuntur dissidia opinionum, & aliæ calamitates, bella & confusiones imperiorum. Et 2. Corinth. 6. Paulus inquit, Ecce nunc tempus acceptum. Monet enim, ne oblata beneficia negligamus, nec eis impiè abutamur. *Lux Euangelij non semper similiter conspicitur.*

Somnum nominat ignorantiam Euangelij, Vigilias agnitionem. Et quia uigilantium sunt labores & certamina, iubet sumere arma lucis, scilicet, ueræ doctrinæ cognitionem, inuocationem, tolerantiam, nouam obedientiam, ut extat descriptio armorum, ad Ephesios ultimo, sumta ex 59. Cap. Esaiæ. *Somnus. Vigiliæ. Arma lucis.*

Propior

Propior est salus quàm tum cùm credebamus.

Salus. SAlus, id est, ipse Christus exhibitus, & Euangelij prædicatio inter Gentes dicuntur propius adesse, quia antea non fuit communis prædicatio inter Gentes sparsa. Pauciores etiam Iudæi intelligebant, quale futurum esset regnum Christi. Iam inquit, Omnia sunt magis illustria, quàm tunc cùm credebamus, scilicet, de uenturis his beneficijs, quæ tunc multò paucioribus nota erant. Significat igitur, obiecta nunc propiora esse, id est, notiora, Non hoc dicit, aliter nunc saluari homines, aliter Patres saluatos esse. Nam utrique Patres & deinceps

Patres & deinceps alij fide saluantur. alij homines fide saluantur. Tantùm hoc discrimen est, quòd Patres de uenturo Domino credebant, Nos de exhibito.

Non in luxu conuiuiorum & ebrietatis.

Κῶμος. Κῶμος significat conuiuium sodalium ad uoluptates & ludos institutum, unde Comœdia dicta est, Luxus enim & ebrietas taxantur, non usus cibi & potus necessarius, ideo infrà addit: Curate carnem, non ad cupiditates. Vult curari corpus, sed sine luxu, ne impediantur piæ cogitationes, inuocatio, & aliarum uirtutum exercitia &c. Sicut & Petrus inquit: Sitis modesti & sobrij ad precationem.

Explicatio Phrasis: Prouidentiam carnis ne facite. Iuniores considerent Phrasin: Prouidentiam carnis ne facite. Hîc enim peregrinam interpretationem quærit Augustinus, Ne sequantur carnalia consilia, ut dici posset auaro, ne carnali consilio quærat opes per usuras: & cupido dominationis dici posset, Ne inuadas regnum illicitis modis. Sed Phrasis aliud significat. Iubet Paulus curare corpus, sed habere rationem carnis seu corporis, id est, considerare quid corporis incolumitas postulet, sed iusto modo & ordine. Sic Demosthenes inquit, ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἑορτῆς, id est, habere rationem festi.

Induite Christum.

HAEC figura sermonis non tantùm significat imitationem, ut si dicas Principi irato, Induas animum Augusti in reprimenda ira, id est, imiteris eius clementiam. Sed aliæ multò potiores significationes sunt hoc loco, quarum fit mentio in capite 61. Esaiæ, Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, Quia induit me uestimentis salutis, & uestimento iustitiæ circumdedit me, Et est uelut Sponsus in sacerdotali ornatu, & sicut Sponsa decorata suis ornamentis.

I. *Filius Dei uestit nos dupliciter.* Vestimur à filio Dei dupliciter, Primùm ipsius merito seu obedientia, quæ meretur nobis remissionem peccatorum, ut tegantur nostra peccata tanquam munda ueste, ac simus reconciliati & iusti, id est, accepti Deo imputata filij iustitia, sicut & in Psalmo dicitur: Beati quorum tecta sunt peccata &c. Et Esaiæ 4. Erit umbraculum contra æstum. Deinde uestimur & efficaci præsentia filij Dei in credentibus. Cùm enim fide accipimus consolationem, uiuificamur à Deo hoc ordine, λόγος est præsens & efficax uoce Euangelij, & monstrat Patris misericordiam, & uiuificat corda, & effunditur Spiritus sanctus in

II. *Ordo uiuificationis.*

Corda adsimilantur λόγῳ. corda, ut lætentur in Deo, qui est agnitus per uerbum, & flectantur ad inuocationem, & fides sit firma, & adsimilentur corda λόγῳ, qui est imago Dei, sicut 2. Corinth. 3. dicitur: Transformamur ad similitudinem eius &c. De hoc uestitu dicitur Iohannis 14. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Sic igitur inquit Esaias: Gaudebo in Deo meo &c. id est, fateor liberationem

nem non esse opus nostrarum uirium, sed Dei, Et hic Deus Messias uestit me suis meritis, & sua efficaci præsentia, qua fio templum & domicilium Dei, & hic uestitus incoatur in hac uita, sed perficietur in uita æterna. Addit autem amplius, qualis sit hic uestitus. Est Sponsi, scilicet, Messiæ sacerdotalis ornatus, id est, passio, uel obedientia in passione, & fortitudo superata morte & restituta uita, & ministerium Euangelij, quo est efficax, & suam sponsam simili ornatu uestit. Est autem sponsa Ecclesia simili ornatu uestita, passione in hac uita, & uiuificatione quæ fit per Messiam, & nunc incoatur, & in uita æterna consummata erit, cùm sponsa erit similis Christo, id est, erit prorsus sine peccato & sine morte, & fulgebit in ea Deus uiuificans & perfundens eam sua luce, sapientia, iusticia, & lætitia, ut sit conformis Deo. Phrasis igitur dulcissima obseruetur, quod ait, Christi sponsi ornatum esse sacerdotalem. Significat enim uocem Euangelij, passionem Christi, deprecationem pro nobis, uictorias & efficaciam in nobis, sicut in Psalmo dicitur: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Christi sponsi ornatus sacerdotalis.

Sic ad Galatas dictum est, Quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Vbi manifestum est, non loqui Paulum propriè de imitatione, sed de filio Dei ipso nos uestiente suis beneficijs, Sic ergo intelligatur, Christum induistis, scilicet, imputata nobis ipsius iusticia, Deinde & accepta præsentia Diuinitatis, quę in nobis est efficax. Sic autem induitur Christus, quandocunq; fide fit consolatio in conuersione & inuocatione, cùm mens sustentatur uera cogitatione promissionis, in qua propter filium Dei dantur remissio peccatorum, & reconciliatio.

Christum induere quid.

Sic & hoc dictum ad Romanos intelligatur: Induamini Christum, quasi dicat, uerbo & fide accipite beneficia Christi, imputatam iusticiam & efficaciam filij Dei, petite ut uos gubernet, nec repugnate ei. Cùm hac interpretatione primùm confirmati sumus, quæ discernit filium Dei ab alijs Doctoribus & exemplis, deinde potest addi interpretatio de Exemplo. Imitemini Christum, ut exemplum in uirtutibus, quę debent esse communes omnibus, uidelicet in cura docendi Euangelij, constantia confessionis, humilitate, Patientia in tolerandis iniurijs, ut si dicam Principi, Induito animum Augusti in moderatione iracundiæ.

CAPVT XIIII.

SVprà diximus incoatam esse doctrinam operum in Capite duodecimo, Ordo igitur consideretur harum legalium concionum.

Caput duodecimum est uelut Ethicum de communibus omnium uirtutibus.

Tertiumdecimum est politicum.

Decimumquartum est ἱερατικὸν de Ceremonijs. Sunt enim hæc tria genera præcipua operum in conuersatione hominum, quia enim hæc uita mortalis non potest carere Ceremonijs, id est, ordine distinguente gradus Personarum, tempora publicorum congressuum & lectionum, aut exercitiorum puerilium, necesse fuit Ecclesiam de usu earum admoneri, Nam error de ceremonijs parit multa ingentia incommoda.

Tria genera operum inter homines.

Incommoda quæ parit error de ceremonijs.

Primùm, obscuratur doctrina Euangelij de fide & beneficijs Christi, cùm obrepit opinio, quòd ritus illi mereantur remissionem peccatorum, aut quòd

propter

Propter eos homo sit iustus, sicut Pharisæi de suis sacrificijs & ritibus imaginabantur.

II. Secundò, extinguitur lux de discrimine umbrarum externarum & nouitatis Spiritus, qua conuersi ad Deum efficiuntur templa Dei. Cùm autem obrepit opinio, ritus Monasticos, Cœlibatum, fugam laborum communium in uita politica, discrimina ciborum, esse cultus Dei, & perfectionem, obscurantur ueri cultus, qui debent esse in corde, timor, fides, patientia, spes, castitas coniugalis, & alij fructus Spiritus.

III. Tertiò, deletur doctrina de distinctione operum, cùm Ceremoniæ anteferuntur operibus à Deo mandatis, ut Monachi prætulerunt suos ritus coniugio & officijs politicis.

IIII. Quartò, obrepit opinio Necessitatis, quæ est periculosa carnificina conscientiarum, cùm enim obseruatio humanorum rituum necessaria esse putatur, mentes occupatæ hac tanta cura, impediuntur in alijs necessarijs rebus, Nec tamen omnes ritus semper obseruant. Et cùm fingunt esse peccata, impeditur inuocatio, Deinde hoc ipsum est peccatum, existimare quòd talia opera sint cultus Dei, & quòd omissio sit peccatum.

V. Quintò, Opinio necessitatis gignit discordias insanabiles, sicut olim de Paschate fuerunt dissensiones.

VI. Sextò, falsò tribuitur Episcopis potestas condendi traditiones, cum opinione cultus aut necessitatis, quoties ignoratur uerus usus traditionum.

Cùm igitur error de Traditionibus multa incommoda pariat, Necesse est in Ecclesia extare doctrinam de usu earum rectè explicatam & perspicuam.

Libertatis Christianæ 4. gradus.

Primùm antem nota sit doctrina de libertate Christiana, de qua usitatè, docendi causa, quatuor Gradus in hac uita facimus.

I. Primus est liberatio à peccato & ira Dei, & damnatione æterna propter Mediatorem, uidelicet, Remissio peccatorum, & reconciliatio, ac iustificatio, seu imputatio iusticiæ gratuita propter Mediatorem.

II. Secundus coniunctus est cum primo de effectione, uidelicet, Viuificatio in nobis, quæ fit per filium Dei uiuificantem corda, & liberantem ex doloribus inferorum, donato Spiritu sancto: & deinde adsidua præsentia Diuinitatis in inuocantibus, regens, protegens, adiuuans, multis mirandis liberationibus seruans eos, ut cùm seruatur Daniel inter Leones, Hi sunt præcipui Gradus, & gloriosa libertas, de qua in inuocatione quotidie cogitandum est, & de his gradibus præcipuè dicitur, Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis.

III. Tertius Gradus, est liberatio à politia Moisi, Videlicet, à Ceremonijs Mosaicis, & legibus forensibus Moisi, Quia Christi Regnũ est restitutio uitæ æternæ, & iusticiæ æternæ, abolito peccato & morte. Incoatur autem hoc Regnum, quando primùm filius mittitur, patefaciens promissionem: Semen mulieris conculcabit caput Serpentis. Hic filius deinde semper est efficax per ministerium Euangelij, & Spiritu sancto mouet & confirmat credentes, Et hæc Persona, Deus & homo, est caput Ecclesiæ, & per hanc Personam immediatè fit resuscitatio mortuorum, sicut Paulus inquit: 1. Corinth. 15. Postquam per hominem Mors, etiam per hominem fit resuscitatio mortuorum. Item, Dominus inquit, Omne iudicium dedit filio.

Regnum Christi incoatur in prima promissione.

Est igitur Messiæ Regnum longè aliud, quàm Politica Regna, & colligitur in

tur in hac uita ex diuersis gentibus,ubi sunt diuersæ Politiæ,sicut inquit Paulus Colos. 2. Induite nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem secundum imaginẽ eius,qui condidit eum,ubi non est Græcus,nec Iudæus, nec seruus, nec liber,sed omnia & in omnibus Christus,id est,dans omnia bona suo merito,scilicet, Remissionem peccatorum & reconciliationem, & simul efficiens in credentibus nouam lucem, iusticiam & uitam.

Hæc distinctio regni Christi & Politiarum mundi primùm cogitanda est,postea cogitandum,quare ad tempus fuerit instituta politia Moisi, quæ duRauit annos 1582. Tot enim sunt anni ab exitu ex Aegypto ad ultimam destructionem Ierosolymæ sub Tito. Voluit enim Deus certam esse sedem illius populi,in quo uoluit nasci Messiam,palàm concionari, pati,reuiuiscere ex morte, testimonia ostendere. Hæc ut certa essent, uoluit Deus distinctam esse gentẽ & Politiam à cæteris gentibus. Postea postquam exhibitus est Messias, deleta est hæc politia,ut sciretur,aliud esse Regnum Christi, aliud Politiam Mosaicam. *Politia Moisi quare ad tempus instituta.*

Ex his fontibus intelligi potest, nos non alligatos esse ad Ceremonias & ius positiuum Moisi, sed singulos in suis politijs uti posse Legibus cum ratione congruentibus, quas sanxit eius politiæ ordinaria autoritas de negocijs politicis, sicut dissimilibus dierum spacijs utimur.

Quartus Gradus est liberatio à traditionibus humanis in Ecclesia,ut Paulus inquit,Colos.2.Nemo uos iudicet in cibo,potu,uicibus festorum.Item,Quę sunt secundum mandata & traditiones hominum.Et ex eodem fonte hæc libertas oritur, ex quo oritur liberatio à Ceremonijs Mosaicis. Cùm Christi obedientia sit meritum remissionis peccatorũ, nulla humana opera, ac multò minus mactationes pecudum,aut ritus satisfactionum,aut ieiunia inEcclesia merentur remissionem peccatorum.Item,Cùm Regnum Christi sit uita, lux, sapientia & iusticia æterna in cordibus, quæ incoatur in hac uita per ipsum ministerio Euangelij, & donato Spiritu sancto, Non est obseruatio externorum rituum, mactationis pecudum,aut ieiuniorum,aut uestitus. Ideo Paulus inquit, πολίτευμα nostrum in cœlis est,id est,Regnum Christi non est externa & interitura Politia,Sed noua lux in anima duratura in tota æternitate. IIII. *Regnum Christi non est obseruatio rituum.*

Hoc fonte considerato,rectius intelligi possunt hi gradus libertatis. Postea necesse est scire discrimina traditionum,quæ in Ecclesia factæ sunt humana autoritate, (non enim iam loquimur de legibus Politicis, quæ ad defensionem societatis corporalis & honestam pacem in Imperijs factæ sunt) sed de ritibus Ecclesiasticis,horum tres sunt gradus. *Rituum Ecclesiasticorum 3. gradus.*

Primus, Aliquæ traditiones per sese pugnant cum præceptis Dei, ut edictum Nabuchodonosor,quod iubebat adorari statuam. Tales traditiones sunt inuocatio mortuorum, adoratio statuarum, Missæ Papisticæ, satisfactiones Papisticæ.Item,Lex de cœlibatu,quia sine peccatis non potest obseruari.De his traditionibus omnibus necesse est tenere regulam:Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Necesse est igitur tales leges & ritus simpliciter abolere. I.

Secundus gradus est rituum,qui etsi sunt rerum, quarum usus per sese non pugnant cum præceptis Dei, tamen obseruatio fit impia, cùm additur opinio cultus aut necessitatis, Vt discrimen ciborum,uestitus,temporum.In his necesse est taxare falsas opiniones,&ostendere qui sint ueri & necessarij cultus.Ac prorsus aboleri possunt ipsi ritus, qui non prosunt ad bonum ordinem, ut stulti ritus discriminis ciborum, cùm quidem & doctrinam obscuret obseruatio. II.

III. Tertius gradus est rituum, qui non pugnant cum præceptis Dei, & sunt utiles ad bonum ordinem, & fiunt sine opinione cultus & necessitatis. Quia enim natura rationalis intelligit ordinem, & scit causas, propter quas ordo a-mandus est, præcipitur ut & in Ecclesia omnia ordinè & decenter fiant, sicut inquit Paulus. Semper igitur Ecclesia etiam primorum Patrum temporibus distinxit festos dies accommodatos Historijs, Sic & lectiones & cantilenas distinguimus. Deus mandauit agnum Paschalem eo ipso tempore edi, quo in cruce filius uictima futurus erat. Sic ad Historiam futuram accommodata est temporis distinctio.

Ecclesia semper distinxit festos dies.

Cynesias contraria festa celebrauit.

Fuit Athenis quidam petulans homo Cynesias, qui solitus est contrariâ festa publicis celebrare, Si quis talem petulantiam in Ecclesia exerceret, nequaquam sequeretur dictum Pauli: Omnia fiant ordinè & decenter in Ecclesia. Possunt igitur aliqui tales ritus ordini utiles retineri, Et temporum distinctio commonefactio est de historia. Sed semper in conspectu sit Regula, Illi obseruationi nequaquam addendam esse opinionem cultus & necessitatis, nec cogitandum esse, peccare eos, qui sine scandalo tales ritus omittunt. Hæc doctrina traditur à Paulo in capite sequenti.

De Scandalo.

Scandalum unde.

VOcabulum scandali dicunt esse à σκάζω, quod significat claudico, uel à σκάμβος, quod est curuo, ut in Prouerbio dicitur, σκάμβον ξύλον οὐδέποτε ὀρθὸν γίνεσθαι. Significat enim scandalum propriè tigillum in instrumentis, quibus capiuntur lupi, aut uulpes, aut mures. Et Hesychius expressè inquit: σκάνδαλον τὸ ἐν μυάγραις. Et commentarius Aristophanis inquit: σκανδάληθρα sunt curua ligna in decipulis. Rectè igitur redditur nomen σκάνδαλον uocabulo tendiculæ, Inde Ecclesia nomen transtulit ad insidias, seu tendiculas, uidelicet, praua dogmata & praua exempla, quæ capiunt homines, sicut tendiculæ bestias.

Scandali species 3.

1. Pharisaicum.

Vsitatè autem & docendi causa offensiones discernuntur. Offensio Pharisaica dicitur indignatio in impijs, qui offenduntur uera doctrina, & exemplis à Deo adprobatis, Quia ægrè ferunt labefactari suam potentiam, aut impediri quæstum. Vt cùm Pharisæi offenduntur, taxante Christo quæstum in templo, & falsas opiniones de sacrificijs, De hac offensione dicitur Matth. 15. Pharisæi audientes sermonem hunc, scandalizabantur. Inde nomen usurpatur Pharisaicum scandalum, pro Pharisaica offensione.

Tenenda est autem Regula: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Item, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo cœlesti. Quare necesse est uera docere, & facere mandata à Deo, etiamsi fremant & tumultuentur, & turbent imperia Tyranni.

Primum præceptum omnibus bonis corporalibus anteferendum.

Nec languefiant animi rectè docentes, & recta facientes offensione Pharisaica, sicut Christus inquit. Omittite eos, cœci sunt, & duces cœcorum. Hanc consolationem aduersus Pharisaicas offensiones primùm tenere necesse est. Nec fieri quidem potest, quin moderati homines doleant, cùm uident, taxatis erroribus, oriri dissidia, & turbari imperia. Sed tamen primum præceptum, Non habebis Deos alienos, maximè necessarium est, & anteferendum uitæ nostræ, tranquillitati patriæ & omnibus bonis corporalibus. Hanc consolationem sæpè repetit Dominus: Si quis diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et Deutero. 33. in benedictione tribus Leuiticæ: Qui dixerit patri suo

ſuo & matri ſuæ, neſcio uos, hi cuſtodiunt legem tuam, benedic Domine eis, percute dorſa inimicorum eius,& qui oderunt eos, non conſurgant. Ibi addita eſt conſolatio, ne languefiant pĩj propter Phariſaica iudicia, odia & ſæuitiam.

Ac nobis omnibus hoc tempore etiam neceſſaria eſt hæc admonitio de Phariſaicis ſcandalis. Quia impĩj uociferantur turbari publicam tranquillitatem propagatione noſtræ doctrinæ, coniugio Sacerdotum & reprehenſione cultuum,quos impiẽ defendunt.Itaq; aduerſus iniuſta iudicia mundi confirmemus nos mandatis diuinis: Fugite Idola. Ac præcipuè hoc fulmine moueamur: Si quis dixerit blaſphemiam contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei. Nequaquam igitur adiuuandi ſunt hoſtes Euangelĩj.

II. *Scandalum datum.*

Aliud ſcandalum propriè ſic dictum,quod nominatur Datum,de quo inquit Dominus, Væ mundo à ſcandalis, eſt impia doctrina, ſeu impium exemplum, quod alĩj imitantes fiunt deteriores.

Plenæ ſunt exemplorum omnes ætates,Quia ſemper multi impĩj ſunt,qui praua dogmata uel gignunt uel confirmant.Item:Qui dant mala conſilia.Item, Qui exemplis trahunt alios ad ſocietatem ſcelerum, Vt Catilina mouens iniuſtum bellum: Vel ad imitationem, ut multi libidinum, helluationum, rapinarum,uſurarum exempla imitantur.

Scelera ſecuta lapſum Dauidis.

Talia facta cùm per ſeſe ſint horrenda peccata,fiunt eò atrociora,qũia plures ſecum trahunt & à Deo auellunt, & ſunt ſemina aliorum ſequentium ſcelerum.Sicut lapſus Dauidis primùm polluit ſanctam matronam, Deinde impulit illum ad praua conſilia de uiro interficiendo, poſtea ſecutæ ſunt pœnæ, in quibus Abſolon,& magna pars populi multipliciter offenderunt Deum.Quia in ſeditione ſunt innumerabilia ſcelera,ut notum eſt dictum Thucydidis,ὧν πάσα ἰδέα κακοῦ ἔστι.

Sæpè igitur de hoc genere ſcandalorum cogitemus triſtiſſimam concionem:Væ mundo à ſcandalis,& ſciamus eam complecti ingentes confuſiones in toto genere humano,falſa dogmata,exempla publica & priuata nocentia moribus,initia iniuſta diſſidiorum & bellorum,praua ſodalitia:ſimus circumſpectiores in docendo,in conſilĩjs dandis,& in omnibus actionibus,iuxta dictum: Vigilate,& orate, ne intretis in tentationem. Item, Omnia quæ facitis,ad gloriam Dei facite,& ne offendatis Eccleſiam.

III. *Scandalum uitandum in rebus indifferentibus.*

Alius gradus eſt ſcandali uitandi in uſu rerum indifferentium, uel apud infirmos dociles,uel apud pertinaces aduerſarios Hypocritas. Eſt autem apud infirmos dociles ſic uti libertate,ut ſubita nouitas deterreat eos à doctrina: Aut ſi inuitentur nondum confirmati, poſtea incidant in periculoſas dubitationes: Vt Paſtor cuiuſdam Eccleſiæ, qui cum magna contentione docuerat, carnium uſum conceſſum eſſe,poſtea ægrotans iuſſit peti ab Eccleſia,ut ſaltem tunc in ieiunio abſtinerent,ne ipſe eſſet autor mutatæ uetuſtæ conſuetudinis.

Regulæ duæ de moderando uſu libertatis.

De hoc tertio genere Paulus hîc monet prudenter iudicandum eſſe, quomodo moderandus ſit uſus libertatis, de qua ſuprà dictum eſt, & Regulæ ſunt duæ:Infirmi dociles non turbentur ſubita nouitate, ſicut hîc dicitur: Infirmum in fide aſſumite &c. Sed contra aduerſarios pertinaces exemplis doctrinæ de libertate utendum eſt, ut Apoſtoli uiolabant traditiones Phariſaicas &c.

Vnuſquiſq; in ſua mente certus ſit.

Deſt, nihil fiat dubitante conſcientia, Sit autem conſcientia confirmata uerbo Dei. Hæc doctrina ualde neceſſaria eſt, Nihil faciendum eſſe contra con-

ſcientiam, Nihil item faciendum eſſe dubitante conſcientia. Et infrà repetita eſt hæc doctrina: Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.

Enarratio dicti, omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.

Id dictum Papiſtæ tantùm enarrant legaliter, Videlicet, Quicquid pugnat cum lege peccatum eſt, Quod rectè dicitur, ſed nondum reddit integram Pauli ſententiam. Non enim ſatis eſt, facta cum lege congruere, ſed oportet præ lucere agnitionem Chriſti, & totam obedientiam regi fiducia filij Dei, ita, ut & ſciamus, quæ facta placeant, & quomodo placeant, Placent autem facta congruentia cum lege, cùm Perſona placet iuſta fide, Gratis propter Mediatorem, & deinde ſcit obedientiam incoatam requiri, & placere eam propter Mediatorem quanquam Legi non ſatisfacit.

Dubitatio Papiſtarum.

Hîc neceſſe eſt taxari tetrum errorem Papiſtarum, qui docent, ſemper dubitandum eſſe, an ſis reconciliatus, & hanc dubitationem non eſſe peccatum. Huic errori opponendum eſt hoc dictum Pauli: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Verbum πληροφορεῖσθαι ſignificat certum eſſe, ut apud Iſocratem πληροφορηθεὶς ἐμὲ ἐξαρνοῦν εἶναι, id eſt, cùm certus eſſet me negare. Sic prorſus uſus eſt eo uerbo Paulus, Rom. 4. de Abraham. Cùm certus eſſet, Deum poſſe ſterilem matrem fœcundam facere. Et Lucæ capite 1. & Coloſ. 2. πληροφορία, ſignificat certitudinem, quaſi dicas, Plenam aſſenſionem.

Obiectio, dubitatio eſt naturalis &c.

Sed dicat aliquis: Glorioſè iactatis, uos Deo placere, cùm tamen hæc naturalis caligo ſemper ſentiat dubitationes & diffidentiam? Reſpondeo. Verum eſt, dubitationes & diffidentiam hærere in animis hominum in hac deprauatione naturæ: Sed hanc ipſam ob cauſam Deus edidit uocem Legis & Euangelij.

Deus uult nos & de ira & de gratia certos eſſe.

Vult nos de utraq; re, de ira & de gratia certos eſſe. Vult certò ſciri, Deum uerè & horribiliter condemnare non conuerſos ad filium, ſicut ſcriptum eſt, Ioh. 3. Qui non credit in filium, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Vult rurſus etiam immenſa bonitate nobis certò notam eſſe reconciliationem donatam propter filium credentibus.

Certitudo fidei unde petatur.

Hanc ipſam ob cauſã edita eſt promiſſio de filio, & de gratia ſtatim ab initio, cùm ignota eſſet omnibus creaturis, ideo inquit Dominus: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Et hanc promiſſionem uult notam eſſe, & rectè intelligi, & fide accipi. Quorſum enim attineret reuelatam eſſe, ſi non eſſet fide accipienda. Sic igitur inquit Paulus, Ideo ex fide, gratis, ut ſit firma promiſſio: Quare additum eſt iuramentum, niſi ideo, ut nobis conſolatio certa ſit. Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Sit igitur in nobis conuerſio, & fide apprehendatur gratuita promiſſio, ut conſolationem teneamus contra deſperationem & dolores inferorum. Ideo de utraq; re dicitur Marci 1. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio.

Dubitationi repugnandum.

Quanquam autem hæret dubitatio in omnibus hominibus in hac deprauatione naturæ: tamen huic dubitationi mentes conuerſæ repugnent & opponant uocem promiſſionis, & accendatur talis fides, quæ credat, non tantùm alijs dari remiſſionem peccatorum, ſed tibi ipſi quoq;, & hac fide accedas ad Deum, & elucteris ex dubitatione, ut poſſis inuocare Deum. De hac fide erigente & conſolante corda in ueris doloribus loquitur Paulus, cùm ait: Iuſtificati fide pacem habemus. Item, Ephe. 3. Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius.

Alibi

Alibi sæpè enarratum est dictum Salomonis, quod impiè citant Monachi ad confirmandam dubitationem: Nemo scit, an amore uel odio dignus sit, quia iustis & iniustis similia accidunt, uidelicet, in hac uita. Id dictum simpliciter hoc uult, De uoluntate Dei iudicandum esse ex uerbo ipsius, non ex rebus secundis aut aduersis in hac uita. Achab non existimet se Deo placere, quia habet florens Regnum, & est uictor, Nec Dauid existimet se abiectum esse à Deo, quia est pulsus Regno, Sed uterq; ex uerbo Dei iudicet, Prorsus igitur congruit Salomonis sententia nobiscum, quia deducit nos ad uerbum Dei.

Enarratio dicti: Nemo scit an amore uel odio dignus sit.

Regnum Dei non est esca & potus, sed iusticia, gaudium & pax in Spiritu sancto. In his seruiens Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.

VSitatissima hypocrisis est, de qua concionatur Dominus, Matth. 23. inquiens, Væ uobis scribę & Hypocritæ, qui colatis culicem, & deuoratis Camelum: Cùm uidelicet neglectis præceptis diuinis, & quidem præcipuis, aliqui retinent Ceremonias aliquas, & ritus ab hominibus traditos, & eas externas obseruationes sentiunt esse iusticiam coram Deo, & necessarios cultus Dei, & neglectionem cogitant esse impietatem, & hac opinione acerrimè defendunt suos ritus, & crudelitatem exercent aduersus alios rectè sentientes.

Traditiones humanas hypocritæ retinent neglectis præceptis diuinis.

Vt autem in omnibus rebus necesse est discernere necessaria à non necessarijs, ita in Ecclesia maximè necessarium est discernere fundamentum à stipulis, sicut inquit Paulus: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Item Psal. 50. Si esuriero, non dicam tibi, Inuoca me in die tribulationis &c. Et Ieremiæ 7. Non præcepi eis de holocaustis, sed hoc præcepi, audite me: & Ecclesiastæ 4. Melior est obedientia quàm uictimæ stultorum, quia nesciunt, quantum faciant mali. Hæc querela de quantis peccatis loquatur ostendunt exempla.

Fundamentum à stipulis discernendum.

Magna pars hominum cogitat oblationem in Missa præcipuum cultum esse, & eo cultu maximè confidit, cùm ibi horrenda Idolomania sit. Hi non intelligunt quantũ faciãt mali. Opponit igitur Paulus regulam ex definitione regni Dei: Regnum Dei non est esca & potus, id est, non externa obseruatio in cibis & uestibus, Sed est iusticia, pax & gaudium in Spiritu sancto. His appellationibus comprehendit omnes necessarios cultus Dei, ut alibi: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Regula ex definitione regni Dei.

Tradit & Oseas similem sententiam: Misericordiã uolo, non sacrificium, agnitionem Dei magis quàm holocausta. Zacharias inquit. Diligite ueritatem & pacem. Ita passim uox diuina monet Ecclesiam de discrimine uerorum cultuum, & falsorum cultuum.

Vt autem alibi Daniel inquit: Messiam allaturum esse iusticiam sempiternam, Ita hîc intelligatur iusticia de toto beneficio filij Dei, quod in hac uita incoatur fide, id est, fiducia Mediatoris, qua sumus iusti, id est, accepti Deo, qua & filius Dei uiuificat credentes, & ostendit Patrem, dat Spiritum sanctum, ut incoetur noua obedientia, quæ postea erit integra in uita æterna, cùm erit Deus omnia in omnibus. Est igitur reipsa Regnum Dei iusticia æterna, ut Daniel nominat, id est, talis uita reddita per filium, fide, quæ deinde fit integra obedientia post resurrectionem.

Iusticia intelligitur de toto beneficio Christi.

Pax significat reconciliationem cum Deo, sicut alibi inquit Paulus: Iustificati pacem habemus apud Deum, id est, habentes fidem iam sumus reconciliati,

Pax.

liberati ab ira & à damnatione, & placemus Deo. Hanc pacem comitatur lætitia in corde acquiescens in Deo, & hanc nominat lætitiam in Spiritu sancto, id est, quæ accenditur à Spiritu sancto, qui est amor & lætitia substantialis. Ideo tales motus accendit, qualis est ipse. Cùm autem accendat motus congruentes omnibus præceptis Dei, complectitur hîc Paulus incoatam obedientiam, iuxta omnia præcepta Dei, lætitiam in inuocatione, in dilectione Dei, gratiarum actionem & confessionem, obedientiam in dilectione proximi, Castitate & alijs uirtutibus, sicut enumerat fructus Spiritus, Galat. 5. & alibi.

Lætitia in Spiritu sancto.

Enarratio dicti: Qui in his seruit Christo, placet Deo &c.

De his ueris cultibus postea dicit, Qui in his seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Hîc meminerimus tradi testimonium, quod expressè adfirmat bona opera Renatorum placere Deo, sicut suo loco copiosius dicetur. Petrus inquit, Offerte hostias Spirituales placentes Deo per Iesum Christum.

I.

II. Secundò, nominatim inquit: Qui seruit Christo, ut significet, se de his operibus loqui, quæ fiunt in agnitione & fiducia Mediatoris.

III. Tertiò, Vult & ad hunc finem referri obedientiam, ut præstetur non propter nostram gloriam, aut propter uentrem, sed propter ipsum filium Dei, scilicet, quia sentimus ei hunc honorem deberi, & hoc honore ostendimus, nos fateri, quòd hic sit Deus & saluator, & eum celebramus. Deniq; hîc complectamur uniuersam doctrinam, in qua exponit quomodo bona opera Deo placent.

Obiectio de odio impiorum aduersus sanctos.

Sed quare addit: Est probatus hominibus, Cùm tamen in plurimis hominibus horribilis acerbitas sit odij aduersus sanctos, ut multi crudelissimè interficiuntur, qui tamen sunt ornati testimonijs diuinis, ut ipse filius Dei, qui resuscitauerat mortuos, Abel, Esaias, Ieremias & alij?

Respondeo, Paulus loquitur de iudicijs Ecclesiæ, Semper habent sancti testimonia uera in Ecclesia, Sicut Syracides Cap. 44. inquit: Laudem ipsorum nunciabit Ecclesia: & Deus ipse inquit: Benedicam benedicentibus tibi. Taxat autem Paulus quorundam arrogantium tyrannidem, qui cogitant se facturos esse, quod imaginantur ipsis concessum esse, & nolle impediri suam libertatem, etiamsi sciant intempestiuis exemplis bonorum hominum animos & oculos offendi, & sequi scandala, uel propter imitationem, uel propter alienationem uoluntatum ab Euangelio. Ideo 1. Corinth. 10. eadem Regula traditur: Quicquid facitis, facite ad gloriam Dei, & non sitis scandalo Ecclesiæ. Vult igitur respici iudicia Ecclesiæ, ideo & de tuenda fama sæpè præcipitur, ut Syracides 41. Cura de bono nomine, antecellit enim multis thesauris: & sit notus uersiculus:

Arrogantium tyrannis in usu libertatis.

Leuis est, nec illum stimulat gloriæ decus.

CAPVT XV.

CVM Christi exemplo ostendit infirmos tolerandos esse, & dictum Psalmi recitauit, mox addit generalem admonitionem de usu scripturarum. Iubet, ut per patientiam & scripturarum consolationem spem teneamus. Repetit hoc loco Paulus usitatum præceptum, uidelicet, alligandas esse mentes ad uerbum Dei reuelatum & comprehensum in scriptis Propheticis & Apostolicis, Et nō iudicandum esse de Essentia & uoluntate Dei, iuxta imaginationes humanas, sine uerbo Dei. Item, In nostris doloribus intuendas esse promissiones & statuendum, eas ad nos quoq; pertinere, etiamsi in genere omnes alloquuntur.

De Deo ex uerbo iudicandum.

Multi

Multi ferunt Stoicas & Enthusiasticas opiniones, & deducunt mentes ad hanc dubitationem: Cùm scripserit Deus Catalogum electorum, ad hos pertinet promissio gratiæ, fortassis ad te non pertinet, cùm nescias an sis in eo Catalogo. *Catalogus electorum.*

Aduersus hanc dubitationem hęc manifesta regula opponenda est: Vtraq; concio est uniuersalis, prædicatio pœnitentię, & promissio gratiæ. Accusat Deus omnes propter peccata, Et offert omnibus credituris remissionem, Gratis, propter filium, ac misit filium, ut hoc arcanum decretum proferat.

Nec sunt in Deo fingendæ contradictoriæ uoluntates. Nec cogitandum est. Fortassis aliud uult de te, quàm sonat promissio. Ab hac imaginatione reuocandæ sunt mentes ad ipsam promissionem, & constantissimè statuendum est, Filium ideo missum esse, ut hanc uoluntatem æterni Patris ostendat, & ueracem nuncium esse. Sic cùm promissione nos sustentamus, simul Filius Dei est efficax, & in corde dicit consolationem ipsa Euangelij uoce, & patris uoluntatem ostendit, quia dicit: Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui filius uolet reuelare.

Hæc tota doctrina, quæ iubet à uerbo reuelato ordiri, nec extra uerbum uagari, & quærere illuminationes, seu raptus, tenenda est contra multos fanaticos, Stoicos, Manichęos, Enthusiastas & Anabaptistas, qui se & alios implicant dubitationibus, relicto uerbo & excussa fide. *A uerbo ordiendum est.*

Nec tribuimus uim magicam uerbo, sed dicimus Deum uelle hoc ordine cognosci, & non aliter, & uelle nos adhibere considerationem, & simul in ipsa consideratione filium efficacem esse, iuxta dictum: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Disertè igitur inquit Paulus: Per consolationem scripturarum, ut intelligamus eum loqui de uerbo externo, seu audito, seu lecto.

Hîc ridet Stenkefeldius, & dicit cogitationem uerbi scripti seu auditi tantùm esse externi hominis occupationem, ut fuit abstinere à suilla carne, Non uult esse instrumentum, quo filius Dei ipse est efficax. Sed nos hæc perspicua dicta Pauli opponamus. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item, Euangelium est ministerium Spiritus, id est, quo, cùm homines se sustentant, filius Dei ipse est efficax, & effundit Spiritum sanctum in corda. *Stenkefeldius ridet efficaciam uerbi.*

Quia uerò mentio fit consolationis, nominatur etiam patientia, ut significetur, Ecclesiam in hac uita semper cruci subiectam esse, & monet, Causas cogitandas esse, quare sit subiecta ingentibus ærumnis. Monet item, Qualis obedientia in cruce necessaria sit, & quomodo differat Ecclesia ab imperijs mundi. Ecclesia autem non tantùm de ærumnis loquitur, ut Philosophi, sed etiam de liberatione. Ideo Paulus coniungit patientiam, consolationem & spem, Differunt igitur patientia Philosophica & Christiana obiectis & fine. *Patientia, consolatio, Spes, coniunguntur. Patientia Philosophica.*

Patientia Philosophica, est obedire rationi in perferendis aduersis, quæ ratio iubet ferre, & sæpè est sine ulla spe liberationis aut auxilij, sicut in Socrate nec spes auxilij in præsentia est, nec spes liberationis certa post mortem. Fert autem supplicium sic, ne impellatur dolore, ut opus externum contra iusticiam aut modestiam faciat. Cato contra iusticiam sibi mortem conscisit. Cicero oppressus dolore facit contra modestiam &c. Socrates etsi foris est placidus, tamen in corde habet tristes fremitus, & fluctus dubitationum de prouidentia.

Sed patientia Christiana est obedire Deo in aduersis, quæ Deus iubet ferre, & semper huic obedientiæ mixta est spes auxilij diuini seu fiducia præsentiæ diuinæ, & spes liberationis, qua spe erectum cor lætatur aliquo modo in Deo. *Patientia Christiana.*

Hæc lætitia non est in Philosophica patientia, quæ est plena fremitus in corde, etiamsi foris non addit tragicos gestus.

Paulus summis calamitatibus opponit scripturas.

Iam cogita, quantis calamitatibus, morti, morbis, inopiæ, odijs Tyrannorum & Hypocritarum, factionibus uenenatissimorum Sophistarum, exilijs calumnijs, supplicijs, quid opponat Paulus, Videlicet scripturas.

Obiectio Stenkefeldij de uerbo uocali.

Hîc rident non solùm Tyranni, sed etiam Stenkefeldius, & similes Enthusiastæ. Num literis & syllabis mortem, morbos, Tyrannos, aut supplicia tolles aut lenies? Respondeo non hæc intelligas magicè de figuris, sed de cogitatione huius ipsius uerbi, in quo se Deus patefecit, quod uoluit literis mandari, in cuius cogitatione filius Dei simul adest, & dicit consolationem in corde credentis, & accendit fidem, spem, lætitiam & inuocationem. Vincimus igitur uincente filio Dei agnito per uerbum, Ideo in Psalm. dicitur: Sustinuit anima mea in uerbo eius, Sperauit anima mea in Domino. Item, Psal. 118. Liquefacta est anima mea in angustia, confirma me uerbo tuo. Sic coniungit Paulus scripturas & spem, ut

A scripturis deducimur ad ipsum Deum.

sciamus, nos à scripturis cogitatione uerbi, in quo se Deus patefecit, deduci ad ipsum Deum, quem spes intuetur agnitum uerbo. Hæc tota doctrina fit illustrior in ueris doloribus & uera inuocatione.

Ideo assumite vos, sicut & Christus adsumsit nos.

COnclusio est admonitionis de usu ceremoniarum, & de concordia. Rursus autem adduntur testimonia de uocatione Gentium, ut & conuersi ex Gentibus confirmentur, & Iudæi studiosius cogitent de regno Christi, Sciant non esse politiam Mosaicam, sed aliud Regnum, in quo bona æterna credentibus restituuntur, siue sint in politijs Ethnicis, siue in Mosaica politia, sicut ad Philippenses dicitur, πολίτευμα nostrum in cœlis est, id est, uera lux, qua Deum rectè agnoscimus & rectè inuocamus, incoatio iusticiæ & uitæ æternæ sunt res cœlestes, nec impediunt, quò minus corpora in hac uita sint in diuersis politijs.

πολίτευμα nostrum in cœlis.

Citatur autem dictum Esaiæ maximè insigne, quod & summam doctrinæ Euangelij continet, & testimonium est de passione & resurrectione Christi.

Et erit illo die radix Iessæ, quæ stabit, vt sit signum populis, ad eam Gentes confugient, & erit requies eius gloria.

PAulus sumit uerba, ut leguntur in Græca interpretatione, quæ illo tempore usitata fuit. Nihil autem discrepat sententia: Erigetur, ut imperet Gentibus, in eo Gentes sperabunt. Eadem enim sunt, esse uexillum populi, & esse Ducem. Hîc primùm teneatur definitio.

Definitio regni Christi.

Regnum Christi, est filium Dei missum esse ad Ecclesiam initiò, prolata promissione, & colligere ac seruare Ecclesiam, & deinde adsumta humana natura post resurrectionem exaltatum esse, & iam hanc Personam, quæ est Deus & Homo, seruare & restituere ministerium Euangelij, & colligere ac uiuificare Ecclesiam uerbo & dato Spiritu sancto, & protegere eam mirabiliter contra Diabolos & Tyrannos, & post hanc uitam resuscitare eam, & dare æternam salutem. Quæ beneficia, quanquam sunt actiones diuinæ naturæ, tamen fiunt à filio in natura adsumta, & sunt iam actiones communes huius Personæ, quæ est Iesus Christus, sicut & prima promissio inquit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et ad Corinthios inquit Paulus: Mors delebitur per hominem Christum.

Beneficia Christi sunt actiones communes illius personæ.

Sic etiã nominatur caput Ecclesiæ, omnia in omnibus perficiens. Etsi enim uiuifica-

uiuificatio est propria diuinæ naturæ, tamen fit à filio in natura adsumta. Ita hæc Persona est caput Ecclesiæ.

Idem autem regnum, quod nominatur regnum Dei, Item Regnum æternum Christi, Paulus ita discernit ad Corinthios cùm ait: Tradet Regnum Deo & Patri. Vt intelligamus Regnum idem esse, sed modum differre. *Regnum Dei & Christi idem est, sed modus differt.*

In hac uita dicitur propriè Regnum Christi, Quia per ministerium Euangelij Deus efficax est immediatè per hanc secũdam Personam, quæ est λόγος, quę immediatè protulit Euangelium ex sinu æterni Patris, & immediatè in ministerio est efficax, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi filius, & cui filius uolet reuelare. Apprehenditur ergo Deus uerbo, & nondum conspicitur palàm essentia Diuinitatis.

Sed post hanc uitam conspicietur essentia Diuinitatis immediatè, non per ministerium Euangelij. Id nominat Paulus regnum Dei & Patris. Quia tunc essentia Diuinitatis conspicietur, & aget immediatè, non per ministerium Euangelij, & erit Deus omnia in omnibus. *Essentia diuinitatis conspicietur immediatè in uita eterna.*

Diligenter autem singulæ particulæ in dicto Esaiæ considerentur: In ipso Gentes sperabunt. Paulus urget adpellationem Gentium, ac citat inter testimonia, quæ adfirmant Euangelium non tantùm ad eos pertinere, qui nati sunt ex semine Iacob. Deinde uerbum sperandi opponatur damnationi, & comprehendatur summa promissionum, uidelicet, mitti filium Dei, ut caput Serpentis conterat. Item, ut destruat regnum Diaboli, deleat peccatum & mortem, & restituat iusticiam & uitam æternam. Hæc dona dantur propter filium Dei, & per eum credentibus in ipsum, Ideo inquit: Sperabunt in eum, uidelicet, ut hæc bona accipiant, sicut & in Psalmo dicitur: Beati omnes qui confidunt in eo. Est ergo regnum consolationis, non damnationis. Et cultus proprij huius regni sunt, fides, spes, confessio, gratiarum actio, inuocatio, propagatio Euangelij. Nam uocabulo sperandi omnia hæc comprehenduntur, fides, spes, inuocatio & uicini motus. Et in inuocatione accendantur & confirmentur de hoc regno, fides, spes, inuocatio & gratiarum actio. *Dictum Esaiæ 11.* *Verbum sperandi.* *Cultus regni Christi.*

Additur autem: Mors eius erit gloria. Vbi significat, Messiam reuicturum esse ex morte, atq; ita aboliturum esse mortem, non tantùm in proprio corpore, sed in omnibus credentibus in eum, ac redditurum eis iusticiam & uitam æternam. Alexandri mors non est gloria, sed finis est iam omnium actionum Alexandri. Nominat enim uox diuina gloriam non spectacula aut famã, quam non sentit is qui celebratur, ut Alexandri cadauer magna pompa ducitur ex Babylone in Aegyptum collocatum in auream sellam: Sed nominat gloriam uiuentis personæ actiones. Vt Christus post mortem reuiuiscit, & uiuens colligit æternam Ecclesiam, uerè deprecatur pro ea assiduè apud Patrem in arcano consilio Diuinitatis, adest, seruat ministerium Euangelij prolati ex sinu æterni Patris, est efficax uoce Euangelij, dans dona hominibus, id est, uiuificans credentes, dans Spiritum sanctum, & resuscitans homines ex morte, & restituens nobis iusticiam & uitam æternam, defendens etiam Ecclesiam mirabiliter in hac uita, cùm sit Emmanuel & caput Ecclesię, omnia perficiens in sanctis. Hæ actiones sunt uera gloria, non umbræ spectaculorum, aut inanis fama. *Mors Christi gloria.* *Gloria, uiuentis personæ Christi actiones.*

Certus sum &c.

FInita tota admonitione de Ceremonijs, addit oratorio more mitigationem, si qui præferoces aut morosi se durius obiurgatos esse existimarent. Nam aliqui *Mitigatio.*

aliqui ferociores ægrè ferunt libertatem reſtringi, alij moroſi ægrè ferunt uſitatas ceremonias negligi, placat igitur utroſq; tribuens eis laudem bonitatis & eruditionis, ac petens, ut & hanc admonitionem boni conſulant, cùm ſint placidi, candidi, non facilè irritabiles, & ſint intelligentes. Nam apud candidos & intelligentes eſt cognoſcendi & ignoſcendi locus, ſicut uerè dicitur, ὡς ἀνὴρ σωφρονῶν χρηστὸς κεκραμένη. Alij indocti & iracundi facilè irritantur, & ſemel irritati ſunt implacabiles, ut dicitur: Imperito homine nunquam quidquam iniuſtius. Et Salomon inquit: Iram ſtulti magnum onus eſſe. Ita lenit utroſq;, cùm ait, placidos, non iracundos, non moroſos eſſe, & præterea rectè doctos eſſe, Tales enim libera admonitionem boni conſulunt.

Intelligentes cognoſcunt & ignoſcunt.

Propter gratiam quæ data eſt mihi.

ET ad placandos lectores, & ad augendam autoritatem admonitionis conducit mentio officij & miraculorum quam addit, quaſi dicat, moueor Apoſtoli officio, ut uos doceam & commonefaciam, & Deus tribuit teſtimonia meæ doctrinæ. Quare me placidè audiatis, & mihi aſſentiamini ſine dubitatione.

Apoſtolica autoritas.

Hîc conſiderandum eſt rurſus, qualis ſit autoritas Apoſtolica, Quòd uidelicet certum ſit, Apoſtoli doctrinam eſſe diuinam, & ei credendum eſſe, ſicut uoci Dei de cœlo ſonanti immediatè inter manifeſta miracula, ſicut Decalogus promulgatus eſt, & ſæpè alibi de Apoſtolica autoritate copioſius dictum eſt.

Miniſterium ornatur uocabulo ſacrificij.

Ornat autem miniſterium uocabulo ſacrificij, ait ſe miniſtrum eſſe ſacrificantem Euangelium, Noua hæc forma ſermonis eſt, ſed erudita, ſumta ex collatione & interpretatione ſacrificiorum Leuiticorum.

Dictum eſt autem alibi, quod ſit diſcrimen politiæ Moiſi, & æternæ Eccleſiæ, quæ uoce promiſſionis de filio Dei colligitur, & quare politia Moiſi conſtituta ſit, & quid ſint ſacrificia, quod ſit diſcrimen inter ſigna & uera ſacrificia, quia Lex in hac uita ordinat utraq;.

Signa.

Ordinat ſigna, quibus homines teſtantur hunc eſſe uerum Deum quem inuocant, & his ritibus diſcernunt eum à commentitijs numinibus.

Sacrificia.

Ordinat autem & alia interiora & externa ſacrificia, in quibus ſeſe Deus ipſe nobis communicat & eſt efficax, Quia oportet aliquas res eſſe copulantes nos cum Deo. Talia ſunt ſacrificia, uera agnitio Dei lucens in mente, & tota nouitas, qua homo fit templum Dei, & qua ſeſe Deus nobis communicat, & uiciſſim homo celebrat Deum. Sic enim Deus ſe communicat rationali creaturæ, cùm rectè agnoſcitur, quia eſt lux lucens in ſanctis. Fit autem celebratio in hac uita docendo, confitendo, inuocatione, gratiarum actione, conformitate cordis & lætitia in Deo. Hæc incoantur in hac uita, & præterquam quòd modus docendi in miniſterio non eſt talis in uita æterna, cætera omnia manent eadem, ſcilicet, Confeſſio, gratiarum actio, conformitas cordis & lætitia in Deo. In his ipſis actionibus ſeſe communicat Deus in tota æternitate, cùm erit omnia in omnibus.

Miniſterium docendi non eſt in uita æterna.

Locus Oſeæ 4.

Scriptum eſt igitur Oſeæ 4. Omnem auffer iniquitatem, & benefac nobis, & reddemus uitulos labiorum noſtrorum, id eſt, tu Meſſia, da beneficia iuxta promiſſionem tuam, gratiam & uitam æternam, & reddemus ſacrificia, non ſigna, ſed uera ſacrificia, miniſterium docendi, inuocationem, confeſſionem gratiarum actionem, lætam obedientiam in corde, Ita hîc Paulus inquit: Sacrificare Euangelium Chriſti, id eſt, docendo præſtare Deo uerum cultum. Et facit Paulus utrumq;, ipſe offert Deo cùm docet, id eſt, celebrat Deum, & tribuit

buit ei honorem. Simul autem præparat alias hostias, id est, auditores, ut hi quoq; offerant Deo ueros cultus. Sicut duo erant officia distincta Leuitarum & Sacerdotum. Leuitæ ceu lanij mactabant pecudes, præparabant hostias. Sacerdotes autem offerebant. Nunc idem Paulus & offert ipse, & præparat alios, quia uoce eius alij ad Deum conuertuntur. Ideo hîc additur de sacrificio auditorum. Vt oblatio gentium fiat accepta Deo, id est, ut & Gentes ipsæ fiant hostiæ, & æterna sacrificia Deo offerant, ueram fidem, ueram inuocationem, confessionem, gratiarum actionem, conformitatem cum Deo & lætitiam cum eo in tota æternitate, non offerant commẽtitijs numinibus, Baccho, Veneri &c.

Oblatio gentium accepta Deo.

Sit autem hic totus locus Pauli notior & gratior, quia testimonium est de ministerio Euangelij. Primùm consolatur docentes & discentes, affirmans placere Deo hunc laborem, cùm nominetur sacrificium, qua appellatione significatur excellentia operum, quòd uidelicet opus sit bonum Deo placens, & tale, quo iudicat Deus sibi honorem tribui.

Labor docentium & discentium sacrificium est.

Huc accommodentur dicta. Offeremus uitulos labiorum. Item, Esaiæ 61. Vos Sacerdotes Domini uocabimini, ministri Dei nostri. Et Psal. 118. Voluntaria oris mei beneplaceant tibi, id est, sacrificia docendi & inuocandi, Item discendi, placent tibi.

Discant & auditores reuerenter sentire de ministerio Euangelij, cùm has laudes audiunt, sicut sæpè præceptum est, Et 1. Thessal. 5. dicitur: Oro uos fratres, ut excellenter diligatis eos, qui præsunt uobis in Domino, propter ministerium ipsorum. 1. Timoth. 5. Presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni sunt, præcipuè qui laborãt in sermone & doctrina. Duplici, inquit, id est, reuerentia & uictu, Complectitur autem uictus defensionem, Reuerentia uerò obedientiam in his, quæ sunt propria ministerij propter Deum, cui honos primùm debetur, Et cum obedientia sit coniuncta honorifica opinio, quæ intelligat nos ministerio propter Deum subiectos esse, & dilectio & uoluntas anteferens ministerium alijs negocijs uitæ.

Presbyterum duplex honor.

Sciamus autem præcipuam causam esse, propter quam doctrinam, & ministerium oportet audiri & conseruari, quia sic Deus colligit Ecclesiam, & non aliter, scilicet, uoce & cogitatione scripti Euangelij, cùm auditur aut legitur, ut Rom. 10. dicitur: Quomodo credent sine prædicante. Item, Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. 2. Corinth. 3. Euangelium est ministerium spiritus, id est, Deus est efficax cogitatione Euangelij auditi aut lecti, Et conuertit corda in cogitatione Euangelij.

Ministerium cur oporteat conseruari.

Ac prorsus execrandus est error Stenkefeldij, qui expressè scribit, Deum non esse efficacem per cognitionem Euangelij auditi aut lecti, Ac fingit alias illuminationes extra Euangelium, & sine Euangelio, Tales furores olim Marcionis, Manichæorum & Enthusiastarum fuerunt, & errones Anabaptistæ similia portenta circumferunt. Sciant autem bonæ mentes præcipi, ut discamus & cogitemus uerbum Dei, iuxta dictum, Hunc audite. Item, Osculamini Filium, Et certò sciamus Deum per huius scripti Euangelij cogitationem efficacem esse, ut dicitur Roman. 10. Fides ex auditu est. Item, Pater sanctifica eos in ueritate. Sermo tuus est ueritas.

Error Stenkefeldij.

Nunc autem proficiscor Ierosolymam, vt seruiamus sanctis.

CVM antea de suo officio dixerit, obiter narrat & peregrinationes suas, & beneuolentiam suam ergà Ecclesiam, quæ Romæ fuit, significat, & spem

spem eis aduentus sui facit. Nunc uerò ait, in Iudæam se proficisci ut sanctis egentibus adferat pecuniam, quam in Macedonia & Achaia contulerant Ecclesiæ, ut egentibus in fame opem ferrent. Notissimum est enim in historia Claudij Imperatoris in Asia, Græcia & Italia eo tempore magnam sterilitatem aliquot annorum fuisse, & multos homines passim fame extinctos esse.

Sterilitas sub Claudio imperatore.

De ea fame in Actis dicitur cap. undecimo, Et Eusebius scribit modium tritici sex drachmis uenditum esse. Et in sexto capite Apocalypsis inter pœnas numeratur fames, in qua futurum dicit, ut Chœnix denario sit emendus. Fuit autem commune precium Modij mediocribus annis, tres aut quatuor sestertij, ut Cicero scribit, modij precium lege fuisse tres sestertios, id est, nostrates nummos Misnicos quatuor & uiginti. Iam si modius in fame emtus est sex drachmis creuit precium quintuplo, cùm mediocribus annis usitatum precium esset drachma, aut circiter. Erant autem in modio octo Chœnices: & Chœnix erat unius diei farina. Fuit igitur mediocribus annis farina unius diei pro quatuor Misnicis numis, Tantùm farinæ in fame emebatur denario, hoc est, numis Misnicis triginta duobus. Creuerat igitur precium septuplo.

Modij precium mediocribus annis.

Harum computationum consideratio utilis est, & ad intelligendam historiam, & ad hanc animaduersionem, qui ordo fuerit in uictu congruens homini. Et adparet inde, frugalitatem & temperantiam tantam fuisse, quæ tamen naturæ congrueret, & uictum non sordidè datum esse seruis.

Erant autem præcipuè in Iudæa magnæ calamitates eorum, qui Euangelium amplectebantur. Multi enim interficiebantur, plurimi ex possessionibus propriis excutiebantur, cogebantur exulare. Ad has miserias tunc accessit communis fames in tota Asia & Europa. Vt igitur alicubi pauperes familiæ iuuarentur, Paulus in Græcia & alibi pecuniam collegit, quam in Iudæam attulit. Has temporum circumstantias & Ecclesiæ ærumnas, & Apostolorum curas in iuuandis pauperibus, & alenda beneuolentia Ecclesiarum considerare utile est.

Calamitates Christianorum in Iudæa.

Simul autem intexit hîc admonitionem de mercede debita ministris Euangelij, de qua tamen concionatur copiosius primæ ad Corinth. 9. ubi expressè inquit. Sic Dominus ordinauit, ut hi qui Euangelium docent, ex Euangelio uictum habeant. Et adduntur multa argumenta. Quis militat suis stipendijs? ubi usus est nomine ὀψώνιον. Sic enim usitatè stipendia nominabantur, quia militibus in prouincijs stipendij loco, frumentum, carnes, uinum, oleum, poma, fici dabantur. Quia Romani occupati prouincijs initiò tantùm hoc onus indicebant, ut decimas imperio penderent, ut scribit Appianus. Inde præsidijs dabantur res terra natæ, quarum nomen ὀψώνιον pro stipendio usurpatum est.

Merces debita ministris.

ὀψώνιον.

Est autem ὄψον ab ἕψω, quod est Elixo, & à uerbo ὠνέομαι, quod est emo, Significat enim escas, quæ præter panem adduntur, quarum pleraq; elixatione coquuntur.

Cùm autem Deus immensa bonitate colligat æternam Ecclesiam uocem doctrinæ, & non aliter, & seueriſſimè præcipit conseruari doctrinam, quod ut fiat, necesse est esse docentium & discentium cœtus. Et quidem ipse filius Dei missus ab æterno Patre, ut per eum Ecclesia colligatur, sua potentia & doctrinam seruat, & instituit ministerium docendi, & omnibus temporibus exsuscitauit Doctores, & exsuscitat, quos uult esse organa sonantia uocem Euangelij, qua flectit corda non repugnantium Euangelio ad ueram Dei inuocationem, & ad æter-

ad æternam ſalutem,& in hac tanta militia fideliter ſeruientibus, id eſt, Paſtoribus & Doctoribus uult dari uictum. Hoc præceptum ſæpe repetitum eſt, Et additæ ſunt promiſsiones ampliſsimæ premiorum,quæ certiſsimum eſt tribui & in hac uita & poſt hanc uitam pijs, qui benefici ſunt erga fideles Doctores, Et exempla illuſtria recitantur in hiſtorijs Propheticis, Nec deſunt exempla noſtræ ætati. *Præmia tribuuntur pijs,qui beneficiunt Doctoribus.*

Matth. 10. Qui dederit potum aquæ uni ex minimis iſtorum, propter doctrinam, Amen dico uobis,habebit mercedem.

1.Corinth. 9. Sic ordinauit Dominus,ut hi,qui docent Euangelium, ex Euangelio uiuant.

Prouerb. 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia,& de primitijs omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & muſto exundabunt torcularia tua.

Syracidæ 7. Tota anima tua reuerere Deum,& honore adficito Sacerdotes eius,& des eis partes, quas Lex dari præcipit, primitias & hoſtias,ut tibi uiciſſim Deus benedicat.

Eſaiæ 49. Reges erunt nutritores tui & Reginæ nutrices, id eſt, Principes & Reſpublicæ curent, ut miniſtri Euangelij habeant uictū & defenſionem.

Ad hæc præcepta & ad has promiſsiones exempla addantur. *Exempla eorum qui benefecerunt docentibus.*

Deus benefecit hoſpitibus Abrahæ.

In Aegypto Deus benefecit obſtetricibus, quæ non interfecerunt infantes Iſraëlitarum.

Sareptanam hoſpitam Eliæ mirando modo aluit, & ornauit reſtituto filio ex morte.

Abdias abdidit Prophetas in ſpecum & eis cibum præbuit.

Ieremiæ captiuo opitulatus eſt Regius Eunuchus, cui promittitur incolumitas in excidio Ieroſolymæ, Et Rex Aegyptius Apryes interfector Ieremiæ ſtrangulatus eſt ab Amaſi præfecto.

Moueamur ergo & præceptis Dei, & promiſsionibus præmiorum & promiſsionum exemplis, ut in hoc genere beneficentiam piè exerceamus.

Etſi autem Tyranni & alij prophani homines uociferantur,has adhortationes de beneficentia erga miniſtros Euangelij,eſſe Aucupia auariciæ, & ſimiles eſſe has conciones Luporum concionibus, quas habere finguntur ad Anſeres, tamen nos uoluntatem Dei intueamur, & ſciamus eum ſeueriſsimè præcipere conſeruationem miniſterij Euangelici. Semper etiam Deus aliquorum hominum pectora ad hanc beneficentiam flectit,Sicut Paulo præbent hoſpitium Sergius Proconſul, Oneſiphorus,& paſsim alij. In naui etiam Paulus uelut Nauarchus & præcipuus gubernator auditur à Centurione,militibus & nautis,& hi ſingulari eum beneuolentia complectuntur. *Pauli benefactores.*

Conſideremus autem & huius temporis mores. Sunt aliqui Principes & priuati homines benefici in hoc genere, qui docentibus & diſcentibus opem ferunt. Sed plurimi Reges,Principes, Epiſcopi defenſores Idolorum,horribilem ſeuitiam in miniſtros Euangelij exercent. Memini uirum excellentem ingenio, eruditione,& pietate Henricum Sutphanienſem, qui in Ditmarſia, quia rectè docebat, crudeliter interfectus eſt, Nec alia fuit ulla cauſa necis eius. Fuit Tubingæ Iohannes Crœſus Theologiæ Doctor, uir modeſtiſsimus,& ſtudioſus ueræ doctrinæ,qui poſtea in Tillingen adfectus eſt ultimo ſupplicio. Nec ullū crimen *Henricus Sutphanienſis interfectus. Iohānes Crœſus adfectus ſupplicio.*

crimen ei obiici potuit, quàm quòd sacerdos in cõiugio castè uiuere maluerat, quàm in cœlibatu se uariè polluere. Et possem longum Catalogum recensere talium præstantium uirorum, qui innocentes tantùm propter ueritatis confessionem interfecti sunt. Nec sæuitiæ finis est in Italia, Gallia, Britannia, Belgico, & alibi. Hanc crudelitatem haud dubiè sequentur nouæ pœnæ & magnæ mutationes imperiorum.

Reditus Ecclesiæ olim distributi in quatuor partes.

I.
II.
III.
IIII.

Paulatim uerò & Principes, & priuati homines locupletes, qui uoluerant doctrinam Euangelij conseruari & propagari, attribuerunt olim Ecclesijs reditus, qui initiò in quatuor partes distributi fuerunt. Ex prima parte dabantur mercedes, & alimenta ministris Euangelij, Pastoribus, eorum collegis, qui publicè in templis docebant. Secunda pars erat docentium in Scholis & pauperum scholasticorum. Ex tertia parte consulebatur inopiæ egentium, qui propter morbos non poterant laboribus suis uictum quærere. Quarta pars conferebatur in ædificationes, & mercedes nunciorum. Nunc Episcopi, & Abbates fruuntur illis opibus, & negligunt ministerium Euangelij, & studia doctrinæ, sicut prædictum est in Epistola Iudæ, Helluabuntur de Eleemosynis uestris.

Hæc mala deploremus, & interea in nostris Ecclesijs hortemur pios gubernatores, ut reditus Ecclesiarum piè collocari curent, ac præsertim ut uictum præbeant familijs pastorum rectè docentium, & opem ferant pauperibus scholasticis. Hæc officia gubernatores debent Ecclesijs, iuxta dictum Esaiæ, Reges erunt nutritores tui, & Reginæ nutrices. Id dictum cùm in inspectione Ecclesiarum Fridericus Myconius, & Iustus Menius & ego recitassemus in literis

Donatio Electoris Saxoniæ Iohannis.

scriptis ad optimum Principem Ducem Saxoniæ Electorem Iohannem, in quibus petebamus annuas pensiones mediocres ex certis fundis, quos nominaueramus, attribui Ecclesijs, ita delectatus est optimus Princeps hac sententia, ut statim Esaiam ipse inspexerit, & lecto toto capite lætus responderit, se semper huius sententiæ memorem fore, & reditus illos Ecclesijs, de quibus scripseramus, liberaliter donauerit, & iusserit donationem publicis literis mox confirmari.

CAPVT XVI.

IN postremo Capite adscriptæ sunt salutationes, & deinde admonitio, Ne recipiantur opiniones pugnantes cum hac norma quam tradidit, sicut alibi inquit: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit.

De salutationibus, etsi non multa dicam, tamen hoc monere uisum est. Hæc longa nomenclatura ostendit, qualis fuerit Ecclesia. Etsi enim hîc non legimus multorum Regum & Principum nomina, tamen adparet fuisse cœtum honestorum hominum, & multas honestas familias. Talis est Ecclesia sparsa in diuersas regiones, consentiens de Euangelio, rectè agnoscens & inuocans Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, etiamsi nec habet imperia mundi, nec continetur unius regni limitibus, ut tunc colligebatur Ecclesia, non tantùm in Romano imperio, sed etiam in regno Parthorum & alibi. Est omnino mœsta species Ecclesiæ in hac uita, quòd non continetur unico & eodem imperio, nec habet certa præsidia Politica, sed est uelut agmen scholasticum sparsum in diuersas regiones sine potentia, sine opibus, sine armis, sine Rege, denique ut uidetur, sine ordine. Hæc deformitas alienat animos Regum & potentum, sed sciamus in hac uita talem cœtum esse Ecclesiam. Et tamen interea circumspiciamus, quales sint homines, quales familiæ, quæ testimonium dicunt de doctrina. Non est enim Cyclopum, aut Centaurorum exercitus, sed aliquis

Ecclesiæ forma.

ordo

ordo est, & sunt studia doctrinæ, & exempla uirtutum. Et sunt aliquæ honestæ familiæ, & rectè sentientium aliqua coniunctio est, Vt quamuis in Iudæa diuersæ Sectæ erant, quæ inter se dimicabant, Pharisæi & Zadducæi. Et Rex Herodes & aulica turba erant Athei, tamen erant Ecclesia hæ familiæ, Zachariæ, Simeonis, Ioseph, Zebedæi, & multæ aliæ. Et hæ de doctrina cõsentiebant, & eadem uoce Deum inuocabant, & celebrabant, & coniunctionem suam tuebantur, non dimicabant inter sese ut Cadmęi fratres, aut Centauri & Lapithæ. *Ecclesia non est Cyclopum exercitus.*

Cùm igitur Pauli salutationes legimus, Ecclesiam pingi nobis existimemus, sciamus aliquem honestum cœtum uisibilem, & honestas familias multas fuisse, & in eis doctrinæ lucem fuisse, & ueram Dei inuocationem, & mutuam beneuolentiam & studium tuendæ coniunctionis. Vult enim Deus per fidem & cæteras uirtutes Ecclesiam fulgere, non uult Doctores ambitione cauillationes non necessarias, aut Sophismata serere ad turbandum pium consensum, sed uult candorem in iudicando adhiberi. Non uult propter priuata odia distrahi populum in diuersas factiones, sed uult nos dicti huius memores esse, Deus dilectio est, Qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. Ad hoc studium tuendæ coniunctionis pertinent hæc exempla salutationum, de quo multa cogitare bonas mentes & propter gloriam Dei, & propter Ecclesiæ utilitatem necesse est. *Salutationes Pauli pingunt Ecclesiam.*

Per blanditias & benedictiones &c.

IVBET cauere, ne decepti recipiant corruptelas ueræ doctrinæ. Duo autem artificia nominat, quibus Hypocritæ capiunt hominum animos, χρηστολογίας & εὐλογίας. Significant autem χρηστολογία blandos sermones in genere, Et blanditiæ aliæ sunt in moribus, aliæ in ipsis dogmatibus, quæ alludunt ad iudicia & adfectus eorum quorum societas quæritur. In moribus Simulatio humilitatis & patientiæ grata est hominibus, quia cùm simus natura superbi, magis amamus eos, qui uidentur sese infra nos abijcere. Vsitatum est etiam augere admirationem iactandis colloquijs cum Deo, seu Enthusiasmis, seu simulanda Ecstasi, seu uidendis Spectris. Hæc artificia & olim norant Monachi, & nunc multi impostores circumferunt. In urbe Monasteriensi fuit quidam Nebulo, qui sæpe in publicis ujjs, & hominũ frequentia subitò lapsus est, & aliquandiu iacens oculos in cœlum sustulit, & miros gestus edidit, Postea protulit certa mandata ad populum, quasi oracula tradita in colloquio Dei. Tales impostura multæ leguntur in Mahometicis & Manichæis historijs. Cùm autem tales gestus de industria simulati sunt, ut facilè deprehenditur simulatio, digni sunt odio, quia sunt manifesta mendacia. Cùm uerò diaboli sic cient membra ignorãtiũ, quid agant, præstigiæ & insidiæ diabolicę intelligendæ & detestandæ sunt. *Duo artificia quibus Hypocritæ decipiunt. Blanditiæ in moribus.*

Sed in ipsis dogmatibus multò plures sunt κολακείαι. Has existimo hîc propriè nominari χρηστολογίας. Sunt autem ubiq; obuia exempla. Grata erat oratio Rusticis tempore seditionis, cùm turbulenti doctores uociferarentur Christianam libertatem esse, non pendere legitima tributa Dominis & magistratibus. Ad Anabaptistas multos ignauos attrahit blandum dogma, cùm audiunt se ibi alienis facultatibus frui posse. Ita multos culinæ attraxerunt ad monasteria. Nunc quoq; blandum dogma est Antinomorum, qui dicunt perseuerantes in delictis contra conscientiam, tamen Deo placere, si interea fingant se credere Euangelio. *Blanditiæ in dogmatibus. Antinomorum blandum dogma.*

Deniq; latè patet res, Placent assentationes, quia amamus nos ipsos & uijs no-

cĳs noſtris fauemus, delectamur ergo iĳs, qui adfectus noſtros adſumunt, & nos laudant, Nec difficile eſt conſiderare, quas opiniones, quos homines illi probent, quibus quiſq; ſeruit, & eaſdem opiniones, & eoſdem homines ornare, Contraria uerò uituperare, Et notus eſt uerſus: Nempe cocus domini debet habere gulam. Cumq; opes & potentiam hæc ſimulatio adferat, uſitata eſt in aŭlis & in Eccleſĳs. Quàm multi contra conſcientiam tetra Idola adorant & defendunt, & iniuſtam ſæuitiam, quæ exercetur contra innocentes, laudant & adiuuant, ut Principum aut populi fauore creſcant.

Idola multi defendunt ut hominum fauore creſcãt.

Eſaias damnat adſentationes.

Apud Eſaiam Cap. 30. grauiſſimè accuſantur utriq;, & populus, qui non uult audire niſi adſentatores, & ipſi Doctores qui cupiditatibus dominorum ſeruiunt, Loquimini nobis placentia, uidete nobis errores. Hæc mala ſemper in mundo uſitata fuiſſe & eſſe res ipſa oſtendit. Monet igitur Paulus, ut caueamus, ne decipiamur κενολογίαις, & ſic nominat artificioſas adſentationes, quæ pertinent ad uicium pugnans cum ueritate, uidelicet, ad blanditias omnes decipiendi cauſa ſimulatas.

Εὐλογίαι.

Sed Εὐλογίαι Ebræa phraſi ſignificant benedictiones, id eſt, bonas imprecationes & dulces promiſsiones, ut Monachi promittunt ſalutem animarum pro ſacrificĳs Miſſæ, ut nominant. Hoc artificio confirmata eſt inuocatio mortuorum hominum, ut inuocantibus Annam promiſſę ſunt diuitiæ, Georgium uictoriæ, & alĳs attribuitur aliorum morborum ſanatio. Papa damnat omnes, qui aduerſantur idolis & erroribus Pontificĳs, Et nunc Monachi incendunt Reges & principes contra ueritatem his promiſsionibus, ſi opprimant hanc doctrinam, quæ ſonat in Eccleſĳs noſtris, Deum daturum eſſe ipſis ingentia præmia, uictorias & noua Regna & mundos alios.

Εὐλογίαι Pontificiorũ.

Tales promiſsiones hîc nominari propriè εὐλογίας iudico. Hæ plus ualent quàm ſimplices blanditiæ, quia additur adſeueratio de præſentia Dei, de præmĳs & de pœnis. Hac adſeueratione etiam abſurda dogmata ſæpe confirmantur, quæ non blandiuntur rationi, quia ſunt quædam monſtroſa ingenia, quæ gignunt & defendunt, ſeu ambitione, ſeu tantûm naturæ peruerſitate opiniones pugnantes cum omnium ſanorum iudicĳs. Talem noui eſſe Thammerum, qui adhuc paſsim uagatur, qui contendebat eum, qui iuraſſet ſe facturum eſſe iniuſtam cædem, oportere eam cædem facere. Poſtea defendebat Stoicam neceſsitatem, adfirmabat omnia neceſſariò fieri, bona & mala, Et cùm obĳceretur, Deum non eſſe cauſam peccati, ille reſpondit, Deum non teneri ſua lege, ſed uelut Tyrannum facere quicquid uellet. Cohorreſco hos furores recitans, non igitur addam plura exempla, ſed qui talia abſurda defendunt, cùm deſunt eis argumenta, decurrunt ad fulmina execrationum, maledicunt diſcentibus. Sed de talibus execrationibus, ſeu maledictionibus iniuſtis tenendum eſt dictum Pſalmi 108. Maledicent illi, & tu benedices.

Thammerus.

Studium & precatio præmuniunt nos aduerſus corruptelas doctrinæ.

Enarratio dicti: Attende lectioni &c.

Præmuniamus autem nos aduerſus omnes corruptelas doctrinæ his duabus rebus. Diligentia rectè diſcendi, & ardẽti precatione. De priore modo inquit Paulus: Attende lectioni, doctrinæ & conſolationi. Et ad Coloſſenſes: Sermo Chriſti habitet in uobis opulenter in omni ſapientia, & docete, & emendate uos mutuò. Hæ duæ grauiſsimæ admonitiones ſemper in conſpectu ſint, & diligenter conſiderentur. Primùm nominat Paulus lectionem, quia doctrina Eccleſiæ diſsimilis eſt Philoſophicis doctrinis. Initium Arithmeticæ non eſt à lectione, ſed à notitia naturali numerorum, Sed decretum de filio

filio Dei, & de reconciliatione & restitutione uitæ æternæ, omnibus creaturis ignotum fuit ante patefactionem, in qua ipse filius Dei promissionem gratiæ ex sinu æterni Patris protulit. Hanc autem postea per Prophetas scribi uoluit. *Doctrina.* Orditur ergo Paulus Ecclesiæ doctrinam â lectione, deinde lectio illustranda est doctrina, id est, uocabula enarranda sunt, quid Deus, quid filius Dei, quid Lex, quid peccatum, quid remissio peccati, gratia, iusticia, Euangelium, Ecclesia, Politiæ, uita æterna, significent, Hæc ordine ad docendum accommodato exponi necesse est.

Nominat & consolationem, quia finis doctrinæ in Ecclesia est Consola- *Consolatio.* tio, uidelicet, qua reconciliati Deo fiducia Mediatoris, efficimur templa Dei & accipimus initia uitæ æternæ, ad quam resuscitabimur ex morte, & erit tunc Deus omnia in omnibus beatis, communicans nobis sese, suam lucem, sapientiam, iusticiam & lætitiam in tota æternitate. Talem uitæ exitum non ostendit Philosophia, quæ est particula Legis diuinæ, & uidet ac deplorat ingentes calamitates generis humani, & hortatur homines ad modestiam, sicut Plato inquit: Philosophiam esse μελέτησιν θανάτου. Sed uox Euangelij est, Omnis qui cre- *Plato de Philosophia.* dit in filium, habet uitam æternam. Vult sciri Deus filium missum esse, ut colligat æternam Ecclesiam, & semper eum adesse Ecclesiæ, uult peti, & expectari à filio auxilium, defensionem, & deinde restitutionem ex morte. Vult fidem & inuocationem exerceri, & propagari uocem Euangelij, ne totum genus humanum frustra conditum sit, sed pars magna sit æterna Ecclesia, quæ ipsum in hac uita agnoscat, & cui in tota æternitate bonitatem suam communicet. Res igitur maximas Paulus in illo breui dicto complexus est, distinctionem doctrinæ, quæ est Ecclesiæ propria, & sapientiæ rationalis seu Philosophiæ. Item doctrinæ initium & finem. Et simul hortatur nos ad discendum, & alligat nos ad hæc certa scripta per Prophetas & Apostolos tradita. Refutat etiam Stenckefeldium & alios Enthusiastas, qui abducunt homines à lectione, & iubent uoli- *Enthusiastæ.* tare in cœlum humanis cogitationibus, & uera exercitia fidei intuentis uocem diuinam, obruunt. Moueamur igitur Pauli dicto, & nos ad lectionem exuscitemus. Altera sententia etiam legendi & discendi curam nobis commendat his exaggerationibus: Sermo Christi habitet in uobis opulenter in omni sapien- *Sermo Christi habitet in uobis &c.* tia. Necesse est fontes doctrinæ rectè disci, quia Hæretici non tractant sermonem Christi sapienter, ut Anabaptistæ damnantes ordinem Politicum, distinctionem dominiorum, Magistratus & iudicia, insipienter & furenter corrumpunt dicta Euangelij. Necessaria sunt igitur doctrinæ studia. Sed hoc loco non addo longiorem explicationem, tantùm obtestor omnes timentes Deum, ut ament lectionem diuinorum librorum, & propter gloriam Dei, & propter propriam salutem. Accedat autem inuocatio Dei, ac lectioni, & cogitationi misceantur gemitus & uota, & petamus nos à filio Dei, qui est λόγος æterni *Lectioni misceantur gemitus.* Patris erudiri, sicut hoc petere iussit: Orate ne intretis in tentationem. Et quidem ipse pro Ecclesia assiduè precatur, sicut inquit, Sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas. Ad huius summi Sacerdotis nostri precationem adiungamus & nostra uota. Te igitur fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate, λόγε ἡμῶν ἀΐδιε ἀϊδίου πατρὸς, Sedens ad dextram æterni Patris, ut des dona hominibus, supplex oro, ut nos doceas & gubernes, & harum regionum Ecclesias protegas, Amen.

Θεῷ δόξα.

BREVIS ET VTILIS COMMENTARIVS IN PRIOREM EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS, ET IN ALIQVOT CAPITA SECVNDÆ, SCRIPTVS A PHILIPPO MELANTHONE.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. VVOLFGANGO COMITI PALATINO AD RHENVM, DVCI BAVARIÆ, COMITI VALENTIÆ ET BIPONTII, Domino suo clementissimo: Paulus Eberus Kitthingensis, Pastor Ecclesiæ Vitebergensis S. D.

DIV DVBITAVI, VTRVM HVNC COMMENTARIOLVM EPISTOLÆ ad Corinthios, quem Reuerendus & incomparabilis virtutis & eruditionis vir Dominus PHILIPPVS MELANTHON, Præceptor noster & Pater piæ memoriæ, mihi ante annos decem post susceptam domi meæ explicationem Grammaticam Epistolarum Pauli, succisiuis horis dierum Festorum in hunc vsum scripsit, vt eum priuatim auditoribus meis dictarem, quod feci, in publicum emitterem: an verò prorsus supprimerem & occultarem, cùm & exilior sit, quàm qui requirentibus prolixas & declamatorias singulorum dictorum enarrationes, satisfacere queat, & præterea etiam mutilus sit, vix tria secundæ Epistolæ capita explicans.

Præcipuam verò dubitandi causam mihi præbuit huius seculi peruersitas, quæ eò morositatis & iniquitatis processit tandem, Vt nihil tam sincerè scribi aut dici ferè iam possit, quod non in aliquorum sciolorum reprehensionem, sæpè etiam condemnationem incurrat, quæ sanè licentia, ipsa impunitate indies vires acquirens, imò ab aliquibus non modò cum applausu excepta, uerùm etiam mercede & præmijs alicubi confirmata, magnum adhuc malum dabit Ecclesiæ, si non iam ante tristissimum, & propemodum insanabile vulnus eidem inflixit. Bonos certè, & à rixandi studio alienos meritò absterret, ne quid suarum lucubrationum cum tanto periculo publicè communicent, quæ tamen plus fortassis & doctrinæ & consolationis continerent, quàm ista pugnacia & mordacia quorundam scripta, quæ in alios tantùm impetum vehementem faciunt, & alienas sententias omni conatu euertere nituntur: de veris autem Fundamentis, & quid de re integra firmiter sentiendum sit, aut nihil aut parum docent, ex quibus si conuicia & alia ex acerbissimis inuectiuis, vel scurrarum potius circulis accersita pigmenta sustuleris, nuda ea & inania prorsus deprehendes.

Hæc me solicitudo, & metus talium reprehensionum hactenus cunctantiorem fecit ad editionem huius vtilis scripti, quem tamen tandem vicit & excussit mihi assidua flagitatio multorum piorum & eruditorum hominum, qui hunc commentarium perlegerant, obiurgantium me, quòd studio uitandi iniquorum iniustas, & malicioſas cauillationes, quas neque effugere quisquam quantumuis cautus vnquam potuisset, neque sibi conscius recti curare deberet, pergerem pietatis & veritatis amantes viros fraudare Lectione huius diu expetiti & expectati Commentarij, qui etsi breuis esset, tamen res præcipuas ita perspicuè explicaret, vt inter aliorum eruditorum hominum protixiores & accuratiores commentarios etiam suum locum & suam laudem haud dubiè apud intelligentes & rectè iudicantes sit habiturus.

Talibus

Talibus & pluribus alijs argumentis impulsus sum, vt neglectis eorum incursationibus, qui alienis scriptis hoc infelici seculo quasi ἐφεδρεύοντες, obtrectatione præstantiorum qualicunq; nomen sibi & applausum quærunt, hoc tempore hunc quamuis imperfectum commentariolum publicarem, quod sanè factum fuisset & tempestiuius & tutius, & vtilius adhuc ipso PHILIPPO viuente, cuius præsentis autoritas efficacius commendare hoc scriptum Lectori potuisset. Neque ego quidem animaduerti vnquam, ipsum abhorrere ab editione huius sui operis. Sed quia mihi semper spes erat, fore, vt id, quod explicationi secundæ Epistolæ adhuc deest, aliquando ab autore adjceretur, distuli consultò editionem: Verùm cùm, vt suprà dictum est, Philippus mihi priuatim explicanti aliquibus Epistolas Paulinas, hanc scriptionem instituisset, & hæc priuata exercitia nostra, sicut & publicas operas, interturbasset lues pestilis anno 1552. cogens nos Torgam secedere, talia postea tempora & tam inquieta consecuta sunt, tot profectionibus partim ipse, partim ambo impediti fuimus, vt commentarius ab autore, dum vixit, compleri nequiuerit. Visum tamen est plurimis consultum, vt potius mutilus edatur, quàm prorsus supprimatur. Fore enim aiebant hæc ipsa fragmenta grata multis, quæ priorem Epistolam totam, & secundæ tria capita in hac ipsa breuitate egregiè illustrent.

Sciunt autem intelligentes, inter omnes Pauli Epistolas, has quæ ad Corinthios scriptæ sunt, ac præsertim priorem, propter causarum quas tractat, & quæstionum de quibus pronunciat Paulus, varietatem, obscuriores esse, & requirere eruditam enarrationem, quam etsi fateor ex aliorum doctissimis lucubrationibus sumi posse, tamen affirmare ausim, pium lectorem etiam huius scripti lectione ad rectius intelligendas Pauli disputationes & responsiones nonnihil adiutum iri, & si nihil aliud, certè vel breuitatem huius commentarij, omnes ociosas, ac intempestiuas declamationes præcidentem, probaturum esse.

Quam autem sit hoc tempore pijs necessaria & vtilis lectio Epistolæ præsertim prioris ad Corinthios, experiuntur illi, qui intuentes hanc tristissimam faciem Ecclesiæ, serio dolore commouentur, & suæ mœstitiæ ex verbo Dei mitigationem quærunt. Quis verò est sana mente præditus, cui & religio & æterna salus curæ est, qui non cohorrescat, aspiciens hæc præsentia vulnera & pericula Ecclesiæ? Vt enim nihil iam dicamus de hostibus Filij Dei, Turcis & alijs, qui ex professo Ecclesiæ bellum inferunt, & excidium minantur: in eo cœtu, qui Christi nomen profitetur, & titulum Ecclesiæ gerit, maxima & potentissima pars, florens sapientia, dignitate, opibus, & gloria ordinariæ successionis, puræ doctrinæ Euangelij acerrimè aduersatur, & cùm sit polluta multiplici idolatria, adeo ferre non potest taxari suam impietatem, vt exquisita suppliciorum immanitate eam stabilire, & delere funditus verum intellectum doctrinæ cœlestis, imò omnem vsum Propheticorum & Apostolicorum scriptorum pijs ex manibus extorquere conetur.

Ab his persecutoribus veritatis, falsò sibi titulum Ecclesiæ arrogantibus, premitur reliqua exigua multitudo, quæ vocem Dei incorruptam amplectitur, & legitimum Sacramentorum vsum retinet, ipsa inermis, imbecilla, dispersa, alicubi tamen nidulos suos & defensores habens, Vbi & sub quibus tutos congressus in publico celebret, quæ cùm verè sit Ecclesia & populus Dei, in quo haud dubiè multi sunt renati, & domicilia Dei, cum ipso victuri in æterna consuetudine, tamen tot & tantis confusionibus & scandalis deformatur totus cœtus, vt nihil videatur minus esse, quàm quod profitetur.

Nam si ad docentes respicias, videas quosdam vel ambitione, vel æmulatione, vel curiositate doctrinam corrumpere, & falsa dogmata audacter spargere, aut pertinaciter

tueri, aliquos non necessaria certamina serere & fouere implacabilibus odijs, Aliquos religionem inflectere, fingere ac refingere ad nutum & cupiditates vel Dominorum, vel cœtuum, quorum gratiam pluris faciunt, quàm gloriam Dei & veritatis propagationem, Aliquos verò vniuersum id, quod vera docendo extruxerunt, morum licentia, & turpitudine vitæ rursus destruere. Hi nœui conspecti in ordine profitentium doctrinam cœlestem, non possunt non contristare pios, & multos ab Euangely studio reddere alieniores.

Rursus si ad auditores oculos conuertas, videbis religionis & libertatis Christianæ fœdissimum abusum, contemtum & neglectionem sancti ministerij, disputationum profanitatem, direptionem bonorum Ecclesiæ, ingratitudinem erga fideles ministros Verbi, disciplinæ laxationem, effrenem contumaciam iuuentutis, & aliorum viciorum segetem indies vberrimam succrescentem, quæ mala intuens, non potest non vehementer animo percelli, & interdum quassari fluctibus dubitationum, ambigens, an hic cœtus possit esse Ecclesia, in quo tantum sit distractionum, confusionum, & enormium viciorum.

Augetur hic dolor pijs, cùm vident his scandalis & distractionibus veræ Ecclesiæ confirmari & roborari in vna parte Pontificios, vt inde prætextus arripiant, quibus & parricidia sua excusent, & Idolomaniam suam speciosius tegant, & aliquos imbecilles ab agnita veritate ad suam impietatem retrahant: In altera parte fanaticos spiritus, & sectarios, vt suos errores pestiferos spargere efficacius & venditare vulgo plausibilius possint, monstratis vicijs, dissidijs, & profanitate huius partis, quæ de possessione incorruptæ doctrinæ sola gloriatur.

Hac miserabili specie, & summa deformitate Ecclesiæ in hac postrema senecta mundi, cùm piorum animi haud dubiè horribiliter excrucientur, muniendi sunt veris consolationibus, vt & causas considerent, vnde hæc mala existant, ne ea verbo Dei, & sanctissimo ministerio illius imputent, sed credant aspergi Ecclesiæ à Diabolo per homines leues, superbos, curiosos, profanos, & securos.

Deinde sciant filium Dei, & ipsius Apostolos, hæc ipsa mala prædixisse, & quidem ventura cumulatius præmonuisse circa postrema tempora mundi, & tamen simul promisisse perpetuitatem Ecclesiæ, aduersus quam nullæ portæ inferorum sint præualituræ.

Omnium autem efficacissimum, meo quidem iudicio, remedium aduersus has dubitationes de Ecclesia, ortas ex conspectu præsentium confusionum & malorum, sumitur ex Apostolorum ac præcipuè Pauli scriptis, ita pingentis sui temporis Ecclesias, vt constet eas non modò sine infirmitate & nœuis non fuisse, sed etiam deformatas fuisse tetris scandalis & confusionibus.

Vt enim nunc nihil dicam de Ecclesijs Galatarum, quæ post discessum diui Pauli, à quo sinceram Euangelij doctrinam acceperant, à Pseudoapostolis ita turbatæ fuerant, vt totæ ad Iudaicam superstitionem recidérent, & persuasæ essent, Legis ac ceremoniarum obseruationem ita necessariam esse, vt sine illa, quantumuis credens in filium Dei, salutem consequi non posset: In Ecclesia Corinthiaca, in qua tamdiu & Paulus & Apollos, & alij præstantes Spiritu & pietate viri, Euangelium sincerè docuerant, quantæ enormitates, quàm fœda scandala extiterint, ambæ Epistolæ ad Corinthios scriptæ perspicuè ostendunt.

Nam ex responsis Pauli apparet, & inter doctores fuisse æmulationes & certamina de eminentia, quam alij æstimari volebant à Præceptorum, hoc est, Apostolorum dignitate, à quibus singuli instituti, & quibus familiares fuerant: alij propter donorum excellentiam, quibus ornati fuerant, cæteris vel præferebantur ab auditoribus, vel ipsi sese anteferr

anteferri volebant, quas æmulationes inter Doctores, vt fit, sequebantur factiones, schismata, rixæ, mutuæ condemnationes, & hostilia odia in auditoribus. Cúmque inciperent magis acutè disputare de doctrina, quàm eam vera fide seriò amplecti, & morum pia gubernatione & virtutum studio efficacem ostendere, laxabant frenos cupiditatibus, aliqui more & affectibus & artificijs Ethnicorum litigabant coram iudicibus Ethnicis, relabebantur aliqui ad consuetas prius corporis voluptates obscœnas, Aderant aliqui sacrificijs & epulis Ethnicis, cum graui offensione imbecillium Christianorum, & confirmatione Idolatriæ Ethnicæ, aliquis abutens libertate Christiana, ita se omnibus Legis vinculis solutum credebat, vt putaret sibi licere nouercam suam vxorem habere, Aliqui superstitione coniugium prorsus fugiebant, tanquam vitæ genus prohibitum, aliqui in matrimonio abstinendum sibi prorsus à coniugibus esse censebant, aliqui coniuges de religione non consentientes deserere, & alias ducere ex numero credentium suadebant, Erat curiositas in alijs immodica, iam hunc, iam alium ritum, quem natura tamẽ sanxerat, abolens, & noui aliquid instituens, inuaserat in Ecclesiam Cœnæ sacratissimæ Domini profanatio, & abusus tantus, vt pœnas publicas accerseret, Aliqui donorum spiritualium varietate ad ostentationem, & aliorum mediocrium contemtum & oppressionem vti malebant, quàm ad ædificationem & vtilitatem auditorum, Aliqua leuia & profana ingenia eò audaciæ processerant, vt fundamentum quodammodo fidei nostræ subruere conarentur, & disputarent resurrectionem mortuorum promissam, allegoricè intelligendam esse de emendatione morum, & conuersione in hac vita, non esse expectandam veram resuscitationem horum corporum, in cineres redactorum, ad æternam vitam & consuetudinem cum Deo.

Hæc profectò & errata & vicia illius Ecclesiæ nec parua, nec friuola, sed tanta fuisse, vt & Paulum multósque alios pios vehementer conturbarint, & Ecclesiam fœdissimè deformarint, & Euangelij cursum non parum impedierint, apparet ex responsionibus Pauli, tanto spiritu, commotione, vehementia etiam taxantis & damnantis, & corrigere studentis illa scandala.

Si igitur illa prima Ecclesia, quæ Doctores habuit ipsos Apostolos, immediatè à Christo vocatos, & miraculorum inimitabilium testimonijs certitudinem & doctrinæ suæ & vocationis confirmantes, non potuit esse immunis & libera ab enormibus & fœdis his erroribus & scandalis, turbantibus haud dubiè, & miserè excruciantibus piorum animos: qua fronte, vel Pontificum assentatores, vel fanatici errones, apud nos, qui verè Dei beneficio gloriari possumus, incorruptam Euangelij doctrinam in nostris templis & Scholis sonare, quærere & postulare audent talem Ecclesiam, quæ meris constet Angelis, nihil habeat labis, nihil infirmitatis, nihil dissensionum, nihil disputationum, nihil etiam lapsuum, & scandalorum aliorum, cùm sciant autorem horum malorum Diabolum patrem mendaciorum, dissidiorum, cædium, & horribilium lapsuum, nec dum funditus deletum esse, nec dormire aut interquiescere, sed circumire more rugientis & famelici leonis, & quidem circa postremam ætatem mundi grassari furentius, sentientem accedere tempus iudicij, & æternæ damnationis, & supplicij inæstimabilium & in infinitum augendorum tormentorum pleni: Sciant etiam hominum naturam post lapsum miserè corruptam, & cum ætate mundi etiam ipsam languidiorem factam ad extremum, facilius nunc à Diabolis impelli ad curiositatem, ambitionem, inuidiam, superbiam, cupiditatem vindictæ, odia, & profanitatem, ex quibus adfectibus oriuntur deinde omnes illæ pestes, quibus Ecclesiam turbari, & Euangelij

cursum

cursum & efficaciam impediri, & imbecilles alienari, pios etiam & fortes consternari & excruciari experimur.

Non patrocinamur erroribus, vicijs, & scandalis, quorum autoribus scimus grauue iudicium subeundum, & horribiles pœnas soluendas esse, iuxta grauissimam Christi comminationem, Matth: 18. Væ homini illi per quem venit scandalum: & Pauli Galat. 5. Qui conturbat vos, portabit iudicium, quicunq; est. Sed dicimus cum Christo tamen: Necesse esse, vt veniant scandala, quòd in Lucæ 17. cap. maiore cum vehementia dicitur: Impossibile esse, vt non veniant scandala. Et Paulus illustribus quidem & veris, vt experientia testatur, sed admodum tristibus coloribus præsentis seculi homines depingit, 2. Timoth. 3. cùm Timotheum suum præmonet: τοῦτο γίνωσκε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται καιροὶ χαλεποί. ἔσονται γὰρ οἱ ἄνθρωποι φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι, ἀνόσιοι, ἄστοργοι, ἄσπονδοι, διάβολοι, ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, προδόται, προπετεῖς, τετυφωμένοι, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. Loqui autem Paulum de ijs, qui in Ecclesia sunt, & expressè complecti simul Doctores, ex eo manifestum est, quod dicit de ijs aliquos esse, qui irrepant prætextu communicandæ doctrinæ in domos, & maximè se insinuent mulieribus in Gynæceis, & aliorum potentum domibus, quarum animos cum occuparunt semel doctrina falsa, intelligunt postea se etiam facilè studia & defensionem maritorum habituros esse.

Tales cùm sint homines huius postremæ ætatis mundi, & cùm furor Diaboli ad extremam acerbitatem eruperit, mirum videri nemini debet, ibi existere scandala, dissensiones, & alia tetra facinora, vbi purior Euangelij doctrina traditur, quam odit & extinctam cupit diabolus, cùm similia his, aut certè non multò leuiora extuterint Apostolorum temporibus in prima Ecclesia, illa sedatiore, & firmiore, & vegetiore ætate mundi, quæ opponamus & fanaticis spiritibus Anabaptistis & Stenckfeldianis, & perfidis apostatis, qui nunc Pontificis pedes (indignatio penè aliud mihi verbum expresserat) osculantur, cuius prius vniuersam potentiam & dignitatem de suggesto in his ipsis Ecclesijs publicè damnarunt, & diris deuouerunt.

Propter hanc necessariam consolationem commendatissima & gratissima hoc tempore pijs esse debet lectio cùm Epistolarum Pauli ad Corinthios scriptarum, tùm etiam huius commentarioli, qui de multis partibus doctrinæ cœlestis grauissimas commonefactiones continet, id quod non dubito testaturos esse pios & eruditos viros, & ex hoc ipso quoque quantumuis breui scripto, & cognituros & admiraturos esse autoris pietatem, ingenij felicitatem, iudicij rectitudinem, confessionis constantiam, in communicanda sana doctrina benignitatem & facilitatem, & alia ipsius ingentia dona, quibus claruit vitus, & Ecclesiæ Dei vtiliter seruiuit, nihil sibi quærens, nullos captans vel Regum ac potentum fauores, vel vulgi applausus, vel dignitatum accessiones, vel opum cumulos, quarum virtutum testes reliquit plurimos omnium ordinum viros fide dignissimos, inter quos præcipuè appellare visum est Celsitudinem tuam, Illustrissime Princeps, quæ Dominum PHILIPPVM, de quo nunc ago, fortassis, (vt existimo) de facie ignotum, sincero ac constanti amore semper dilexit, propter admirationem donorum & præstantiam virtutum ipsius, quarum αὐτόπτης, & fide dignissimus index præter innumeros alios tuæ Celsitudini esse potuit, & fuit haud dubiè, vir eruditione, virtute, prudentia ac fide præstantissimus, Doctor HVLDERICVS SIZINGERVS, Celsitudinis tuæ Cancellarius.

Ea de

Ea de causa hunc Domini PHILIPPI libellum tuæ Celsitudini offerre potissimum volui, vt perlecto eo, & cognita sinceritate in doctrina, & in communicatione fida, patrocinium suscipiat huius tanti viri, qui quasi parum à suis alumnis & discipulis esset flagellatus dum viueret, etiam mortuus conquiescere non potest, quin ex ijs, quos in sua mènsa diu aluit, quibus cum non modò publicè doctrinam, sed priuatim etiam quæ habuit & potuit, consilia, & secreta sua communicauit, quibus etiam cor suum, si licuisset, ex pectore exemtum impertiuisset, aliqui in exangue corpus sepulti sæuiant, vindictæ studio tanto, & acerbitate tanta, vt credam, si coram ipsis miserum & iam putrescens cadauer PHILIPPI expositum sit, eos dentibus more canum irruituros, & frustulatim carnem eius laceraturos esse.

Quid enim aliud censeas, si legas scriptum, quod recèns quidam suæ doctrinæ & famæ tuendæ causa, vt videri vult, in vulgus sparsit? Aduersus quam iniuriam verò sese is defendit? Aut quæ potest esse Præceptoris fidissimi, imò Patris εὐεργοτάτου & benignissimi, iniuria tam atrox, quæ tantam mereatur acerbitatem, vt eius mortui cadauer propemodum ex tumulo refossum ita crudeliter laceretur?

Scripsit PHILIPPVS secretò rogatus consilium à Principe Electore, sub cuius ditione natus est, paucula de Cœna Domini, magis vt rixas de illa Edelbergæ ortas, & publicè de suggesto mutuis concionatorum conuicijs cumulatas, suaderet quoquo modo sopiri & dirimi, quàm vt de ipsa controuersia pronunciaret, indicans formam loquendi ex Paulo, qua tutissimum esset vti interea, donec de tota controuersia in Synodo statueretur. In illa pagella ad vnum scripta, secretò scripta, non in hoc scripta, vt vulgaretur, & tamen contra voluntatem autoris, & quidem post mortem demum publicata, fit mentio D. HESHVSII paulò inclementior talis, vt eius autoritas summis in Ecclesia & antiquissimis scriptoribus postponatur. Hæc est iniuria illa, hoc facinus Patris tam atrox, vt omnium acceptorum beneficiorum priuatim & publicè præstitorum, omnium virtutum memoriam penitus aboleat & extinguat, & animum cupiditate uindictæ tanta accendat, vt ea, nisi hoc modo defensionis atrocissimæ & contumeliosissimæ satiari non possit.

Sed si non voluit habere rationem suæ existimationis, quam certum est apud intelligentes nonnihil minui hac tanta asperitate, qua vsus est in mortuum, in optimè meritum, in Præceptorem, imò in parentem: æquissimum erat parcere ipsius honestissimæ & nunc adflictissimæ familiæ, à qua multis est affectus beneficijs, parcere huic Scholæ, versanti in acerbissimo luctu propter orbitatem, parcere miseræ iuuentuti, desiderio amissi rectoris studiorum languenti, parcere Ecclesiæ & posteritati, parcere denique Deo, cui cum bona conscientia seruijt PHILIPPVS, ne ita deformaret & doctrinam, & mores, & actiones huius viri, quasi veteratoriè luserit in doctrina cœlesti, & blasphemias scripserit, aut dixerit in Filium Dei, néue alijs conuicijs eum proscinderet, in sepulcro quiescentem, imò in sinu & complexu Fily Dei Iudicis & Vindicis omnium scelerum, & inprimis ingratitudinis, perfruentem læto conspectu & colloquio Dei.

An hic sit Spiritus Dei, debacchari in talem tanta acerbitate, iudicent alij. Paulus 2. Timoth. 2. certè suos ministros aliter instruit, cùm inquit: δοῦλον δὲ κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς ΠΑΝΤΑΣ, διδακτικόν, ἀνεξίκακον, ἐν πραΰτητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, &c.

Sed spero tuam Celsitudinem & omnes alios pietate, modestia, prudentia, & virtute præstantes, literarum amantes, veritatis studiosos, posteritatis curam agentes, de conseruatione & propagatione doctrinæ incorruptæ solicitos, non moueri eiusmodi paucorum

inuectiuis

inuectiuis, vt desinant amare, magnificere, & grata memoria prosequi hunc virum, quem tot vtilia monumenta, tanti labores exhausti publicæ vtilitatis causa, tantus summarum virtutum concentus & constantia, tot in multos priuatim, & omnes publicè merita nobis commendarunt.

Imò spero hanc istorum acerbitatem multis causam præbituram, vt pluris eum faciant, eiúsque scripta studiosius cognoscant, & ab hac ingrata cohorte se quàm longissimè seiungant.

Spero Deum quoque ipsum veritati aliquando testimonium præbiturum, quando igne examinabit, quid ædificantium quisq; extruxerit super Fundamentum solidum, quod est vnicus Dominus noster IESVS CHRISTVS, & hic crucifixus & resuscitatus, & regnans ad dexteram patris, qui solus dat idoneos & salutares ministros, & ipsorum labores non sinit esse irritos, nec dissolui vnquam, quod ex ipso est.

Super hoc fundamento scimus extruxisse Philippum, mà cum Luthero & post Lutherum, optima fide, integrum Corpus doctrinæ, bona & perspicua methodo, studio vitasse omnes inutiles & periculosas disputationes, & abstinuisse etiam suo consilio à non necessarijs flagellationibus & damnationibus aliorum, & simul illustrasse scriptis & voce omnes reliquas artes, quæ ad explicationem doctrinæ cœlestis necessariæ sunt.

Hæ lucubrationes conferantur cum aliorum chartis, qui sibi videntur præ cæteris sapere, & plurimum laborasse, & effecisse in Ecclesia, nunc verò occupati sunt in eo, quomodo huius viri scripta carpant, ac suspecta & inuisa alijs reddant, & verè conspicietur discrimen longè euidentius, quàm inter aurum & stipulas est, quas tamen isti super eodem fundamento, vt iactitant, extructas, æquari auro Lutheri, & longè præferri argento Philippi volunt. Sed vt dictum est, ignis arguet vniuscuiusque opus, eo die, quo Dominus iudicabit Fabrorum suorum structuram, quod tempus patienter expectent homines modesti, nec temerè ac præcipitanter applaudant istorum pomposis & artificiosè pictis & miro zelo veritatis tuendæ fucatis clamoribus.

Hunc igitur libellum cæteris vtilibus monumentis Philippi adiungendum, ad te mitto, Illustrissime Princeps Palatine, eo consilio, vt sicut Philippum semel tuo iudicio, vt Dei ministrum & vtile organum, amore non aulico complexus, ad extremum vsque dilexisti, ita eius mortui etiam famam & autoritatem contra talium hominum indignos morsus tuearis & protegas.

Deinde etiam commendo tuæ Celsitudini, huius viri honestissimam familiam, quæ hoc anno dupliciter orbata, gemini luctus grauissimas causas breui, hoc est, nouem Mensium interuallo accepit, mortuo viro sapientia, eruditione, & virtute præstantissimo, Domino D. GEORGIO SABINO, Genero Domini PHILIPPI & multorum liberorum patre, quibus, sicut & Socer, suis, præter famam eruditionis & virtutis, & excellentia ingenij monumenta, & bonorum virorum studia, parum admodum reliquit, quorum amborum orphanis principum munificentia subueniri æquissimum est, quam Deus largissimis præmijs compensabit, sicut testatur Syracides: Esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut Filius altissimi obediens, & diliget te magis, quàm mater tua. Ei verissimo et certissimis testimonijs patefacto Deo, æterno Patri Domini nostri IESV CHRISTI, conditori generis humani & conseruatori, Celsitudinem tuam cum omnibus suis supplex commendo, & hunc ineuntem annum felicem & tranquillum ex animo opto. Data Vuitebergæ.

Calendis Ianuarij. Anno M. D. LXI.

ARGV.

ARGVMENTVM ET BREVIS EXPLICATIO PRIORIS EPISTOLAE AD CORINTHIOS, SCRIPTA A PHILIPPO MELANTHONE.

PRIMA EPISTOLA AD CORINTHIOS, NON EST VNA PERPEtua disputatio, ut Epistola ad Romanos, Sed multas dissimiles materias coaceruat: Totum tamen corpus ad genus Suasorium pertinet, quia sunt obiurgationes, commonefactiones, præcepta de diuersis negocijs, & intertextæ sunt alicubi conciones, quæ sunt doctrinæ pertinentes ad genus Didascalicon.

Occasio epistolæ ad Corinthios.

Vt autem consilium Pauli intelligatur, occasio scribendi primùm considerandum est. Cùm Ecclesiam in Corintho collectam reliquisset rectè eruditam de uniuersa doctrina Euangelij, de beneficijs Filij Dei, de Fide, de usu libertatis, de coniugio, de Sacramentis, de resurrectione mortuorum, & de alijs articulis, & multi ibi antecellerent donis: Statim ibi, ut in Græca ciuitate, Superbia & Curiositas pepererunt dissidia. Alij ab alijs baptisati retinebant aliquos ritus eorum, à quibus baptisati erant. Alij uerecundiores, nolebant accedere ad cognatos Ethnicos inuitati, cùm familiarum usitati conuentus essent, in quibus prius sacrificabant, & postea ex Victima comedebant. Alij liberiores, accedebant: Aliquis tantùm libertatis sibi sumsit, ut duceret Nouercam. Aliqui instituebant Cœnam Domini peculiarem, neglecta communi. Aliqui elati dono linguarum, contemnebant alios, & inter hos ipsos, qui ornati erant hoc dono, erant φιλαυτίαι & æmulationes. Aliqui audaces & curiosi disputabant contra resurrectionem mortuorum.

Errores Corinthiorum.

Talis erat eius temporis confusio profectò non leuis, nec minor, quàm fuerunt multæ nostro tempore. Et tamen omnes hi Corinthij ualdè tumebant persuasione sanctitatis, & sibi placebant, sese mirabantur, & se afflatos esse Spiritu sancto iudicabant, cùm tamen multum in eis esset uanitatis, superbiæ, Græcæ leuitatis, & curiositatis. Ad hæc uicia redierant, etiamsi habuerant Spiritum sanctum, & aliqui adhuc habebant initia, quæ tamen paulatim extinguebant, cùm suis affectibus & ineptijs indulgerent.

Multa uidit hæc ætas exempla similia, ideo hæc facilia sunt intellectu.

Summa primi & secundi capitis.

Paulus igitur in primo Capite initiò obiurgat auditores, quòd excitent dissidia. Deinde ut radicem dissidiorum euellat, reprehendit admirationem propriæ sapientiæ, & curiositatem, propriam leuibus ingenijs, ut si nunc concionaretur Serueto, Campano & similibus.

De Deo iudicandum ex uerbo.

Intexit igitur hunc locum communem: Non est iudicandum de Deo ex humana sapientia, Sed reuocandæ sunt mentes intra hanc metam, uidelicet, ad Verbum, in quo se patefecit Deus, nec extra hanc metam nostris speculationibus euagentur ingenia, & ludant suo arbitrio. Deus immensa misericordia se patefecit, dedit Euangelium, instituit ministerium Euangelij, Illud audiri, & intra illud nos concludi DEVS uoluit. Ita ingressus in hunc locum conionatur, quæ sit principalis & necessaria doctrina, & addit doctrinam de ministerij dignitate.

Est igitur grauissima concio contra humanam sapientiam in primo & secundo capite, reuocans nos ad Verbum Dei & patefactiones diuinas. Huiu præcepti necessitas quanta sit, rudes & imperiti non considerant. Sed petulan tia humanæ mentis horrenda est, quæ quàm audacter fingat opiniones de Deo, & cultus, tota mundi historia inde usque ā primis Idolorum initijs ostendit. Quærunt humanæ mentes concinnas opiniones, & cùm ratione congruentes, & fugiunt absurda, ut Samosatenus, Mahomet, Pelagius fecerunt. Alij alio modo furentes, fingunt portentosa, ut qui humanas hostias mactarunt, Aegyptij, qui serpentes & feles coluerunt, Manichæi, qui duo æterna pugnantia numina finxerunt.

Vetat igitur Paulus gignere doctrinam de Deo proprijs imaginationibus, & deducit nos ad Euangelium, ac docet, agnoscendum esse Deum sicut se patefecit, & in omni cogitatione & inuocatione hunc Deum intuendum esse, qui se patefecit dato hoc Euangelio, & misso Filio, sicut Filius ipse dicit: Qui uidet me, uidet & Patrem.

III. CAPVT.

Deus pariter efficax est per ministerium docentium.

IN tertio capite primùm ait, ministros idem Euangelium docere, & Deum pariter efficacem esse per uocem Euangelij, cuiuscunque lingua sonet. Damnat igitur arrogantiam eorum, qui se alijs anteferunt, quasi suum ministerium sit efficacius, quàm aliorum, ut finxerunt Pontifices de Indulgentijs, se plura peccata remittere, quàm alios, imò se educere animas ex purgatorio. Simul autem testatur hic locus, DEVM esse efficacem per ministerium Euangelicum, ut Rom: 1. dicitur: Euangelium potentia Dei est ad salutem omni credenti.

Fundamentum esse retinendum.

Postea addit præceptum de doctrina principali Euangelij retinenda, & regulam ualdè utilem tradit: Retinendum esse fundamentum, id est, Articulos fidei, & ibi Ecclesiam Dei esse, ubi fundamentum retinetur. Interea tamen in hac infirmitate hominum alios magis alios minus purè docere. Quam ob

Omnes ætates retinent aliquos nævos.

causam omnes ætates in hac uita aliquos nævos, hoc est, aliquas incommodas opiniones retinent. Hæc est sententia horum uerborum: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Sed alius supra fundamentum extruit aurum, argentum, gemmas, alius ligna, stipulas &c. id est, alius illustrat articulos fidei uera & perspicua doctrina, dicit cur Filius Dei uocetur λόγος, quid sit peccatum Originis, quid interſit inter Legem & Promissiones, quomodo detur homini remissio peccatorum, quid sit Gratia, quid Fides, quæ opera placeant Deo, quæ sint discrimina peccati regnantis & non regnantis.

Stipulæ Pontificiorum.

Alij uerò stipulas supra fundamentum extruunt, ut statim initiò scriptores obscurauerunt doctrinam de Iustitia fidei, & auxerunt Ceremonias, & finxerunt esse peculiares cultus, fuerunt duriores quàm oportuit in præcipiendo cœlibatu, miscuerunt aliquam adhuc uerecundam inuocationem mortuorum: Ora pro me sancte Petre. Tales stipulæ multæ omnibus ætatibus condonantur retinentibus fundamentum.

Vbi sit Ecclesia.

Vtilis igitur admonitio in hoc capite proponitur, uidelicet, ut sciamus ubi sit Ecclesia, uidelicet, ubi fundamentum retinetur. Nec sunt Ecclesiæ membra, qui

bra, qui Idola pertinaciter defendunt, & aliquem articulum fidei pertinaciter damnant.

Deinde ut sciamus in uera Ecclesia manere aliquas incommodas opiniones, quæ ab eruditioribus emendandæ sunt, nec propter eas imbecillia membra damnanda sunt, si tamen doceri se sinant, & absit peruicacia.

Ideo inquit: Dies declarabit: uidelicet, non tantùm extremi iudicij, Sed quocunque tempore, cùm doctrina illustratur, ut nunc dies declarat inuocationem mortuorum falsam & commentitiam esse.

Et quod addit: In igne reuelari, significat tentationes, ut Bernardus, Bonauentura in uera tentatione discunt acquiescere fiducia Filij Dei, non suorum operum. Ita ignis, id est, tentationes & multa certamina purgant, & instaurant doctrinam.

In eodem tertio capite post medium, cùm ait: Non scitis uos Templum Dei esse? redit ad extenuationem humanæ sapientiæ in iudicanda uoluntate DEI, & acriter obiurgat tumentes persuasione sapientiæ, qui uidelicet, humano iudicio uolunt amplecti concinna, & fugere absurda. Quid autem absurdius est humano iudicio, quàm Filium Dei crucifigi? Quare & innumerabiles homines abhorruerunt ab Euangelio, moti hac absurditate, quam & exagitauerunt multi scriptis, ut Lucianus, Iulianus, & alij. *Humanæ sapientiæ extenuatio.*

Ideo Paulus hîc ait, Cùm sitis Templum Dei, in quo scilicet uera luce Spiritus Sanctus iam habitat, uidete ne hanc lucem extinguatis accersitis humanis opinionibus, & ita corrumpatis Templum Dei, sicut Iulianus abijciens ueram doctrinam, ex Dei Templo factus est organum Diaboli. Quàm multi deficiunt hodie ab Euangelio moti humana sapientia uel in iudicio dogmatum, uel propter scandala. *Iulianus.*

Humana sapientia est, cùm disputant, nihil mutandum esse in ritu Missæ, quia populus hoc cultu teneatur, quo amisso, populus omnino fiet prophanus.

Humana sapientia est, quòd iubent aliqui pacem anteferre ueræ doctrinæ, & prætexunt hanc causam: Quia si erunt bella, sequentur uastationes, in quibus delebitur doctrina. Et melius esset, aliquam fucosam religionem retineri, quàm nullam. Hæc humana consilia omnia pugnant cum mandato Dei: Non habebis Deos alienos. *Humanæ sapientiæ exempla.*

Quanti furores sunt hodie multorum, qui dogmatum conciliationes aut ἐπιεικείας fingunt, & Veritatem corrumpunt? *Dogmatum cõciliationes.*

Denique quotidiana exempla sunt in conspectu omnibus ætatibus. Multa enim & horrenda peccata sunt humanæ sapientiæ, non rectè iudicantis de Deo. Ideo tam asperè aduersus eam hîc concionatur Paulus, & iubet eos, qui uidentur sibi sapientes in hoc mundo, id est, Sequentes humanæ rationis iudicia, ut fiant stulti, id est, agnoscant hanc sapientiam non esse sapientiam Euangelij: Sed de Dei essentia & uoluntate ex ipsius patefactione iudicandum esse, & sicut ijsdem Corinthijs in Secunda Epistola scribit, oportere captiuamduci rationem ad obediendum Christo.

IIII. CAPVT.

Ministri quo ad Ministerium sunt æquales.

IN Capite quarto, Postquam antea in genere omnes obiurgauit, humanam sapientiam sequentes ac discedentes à meta Euangelij, nunc nominatim ministris concionatur, & eos, quo ad Ministerium attinet, facit æquales potestate & efficacia, & simul docet, quales esse oporteat, scilicet fideles. Ac breuiter hîc significat ministerium esse efficax per Christum, non humanis uiribus. Sed minister sit fidelis, id est, rectè intelligat, & rectè doceat doctrinam, non habeat affectatam ignorantiam, nec sit negligens, ut multis seculis Episcopi ferè in toto orbe terrarum, nec intellexerunt doctrinam, nec rectè doceri curauerunt. Ex qua negligentia præcipuè nunc existit hæc horrenda perturbatio orbis terrarum.

Proponitur autem hîc regula necessaria ad gubernandas omnium conscientias in uita priuata, & quacunque administratione. Quærit enim Conscientia: Quomodo satisfaciam officio meo, cùm difficultas sit maxima? & multa, quæ erant facienda, prospici non possint? Et sæpè bonis consilijs non respondeant euentus? Sicut errat Iosias, mouens bellum infelix.

Regula in omni gubernatione necessaria.

Consolatio hîc dulcissima proponitur: Satis est esse fidelem, id est, bona Conscientia rectè docere, & facere, quæ recta esse iudicas, re mediocri diligentia, bona Conscientia deliberata. Accedat autem Fides, qua sumus iusti, id est, qua persona placet & petimus, ut Deus nos gubernet. Hæc regula præluceat omnibus uitæ actionibus.

Simul autem hîc inseritur doctrina de Iustificatione, quòd simus iusti Fide, propter Christum, non propter iusticiam nostræ Conscientiæ, quanquàm adesse & hanc oportet, Sed multa reliqua sunt peccata ignorantiæ, & omissionis, & multi uicioſi affectus, quæ mala condonantur credenti propter Mediatorem.

Deinde obiurgat sese alijs præferentes uel potestate, uel efficacia ministerij, uel propter alias causas, Etsi sunt ministri rectè facientes officium, postea Deo iudicium relinqui iubet, qui priuatim antecellant, Id non est nostri iudicij. Sed nos de doctrina singulorum iudicemus.

Apostoli præ reliquis subiecti cruci.

Et sequitur rursus asperrima obiurgatio eorum, qui se præferunt alijs, ubi proponit exemplum Apostolorum, quod ipsum continet consolationem insignem. Ait Apostolos uoluntate Dei ita regi, ut præ reliqua Ecclesia subiecti sint cruci, sint spectacula Angelis & Hominibus, Imò ducantur esse καθάρματα & περιψήματα.

κάθαρμα & περίψημα.

Hæ sunt appellationes omnium tristissimæ, significantes acerbissima odia hominum. Nam κάθαρμα & περίψημα significat idem quod piaculum Latinis, id est, rem talem, quæ nisi tollatur, totas gentes polluat, & iram DEI aduersus totas gentes irritet. Vt Oedipus est piaculum seu κάθαρμα, quia matrem duxit uxorem. Sic Hebræi maledictum dicebant. Et multa sunt similia uocabula apud Græcos, ut:

ἀποβόπαιος



Ex hoc exemplo Apostolorum discant nunc quoq; præcipui Doctores, ne cupiditate gloriæ aut potentiæ accendantur, sed antecellant alijs tolerantia, & studio humilitatis.

In eodem capite, cùm iam relinquit generalem admonitionẽ de sapientia humana, & in specie delicta quædam Corinthiorum taxare instituit, præfatur se rediturum esse, si possit, & superbiam quorundam sese admirantium, qui aut libertate abutuntur, aut spargunt corruptelas dogmatum, corâm castigaturum esse. Et attexit utilem sententiam: Regnum Dei non esse garrulitatem disputationum, & ludos ingenij, ut tunc Stoici, Epicurei, Academici, certabant argutijs, & in Ecclesia multum fuit & erit disputationum inutilium: Sed esse potentiam, id est, efficaciam Dei, incoantis in corde uerum timorem, & ueram fiduciam. *Regnum Dei quid.*

Hæc ubi sunt, rectum iudicium est mentis, in discernenda necessaria doctrina à non necessarijs disputationibus, ut pius Doctor dicit de uera agnitione Dei, de uera inuocatione, de pœnitentia, de fide, de bonis operibus, de æterna gloria, & æternis pœnis. Alius rixator quærit ex ueteribus Stoicis aliquod deliramentum, quod miscet Euangelio, contendit omnia necessariò fieri, aut nullos debere in homine affectus esse: Aut fingit ex Platone animarum purgationes post mortem, quæ liberandæ sint sacrificijs: Aut fingit Accidentia sine Subiecto in mutatione panis in Cœna Domini: Aut fingit in Ecclesia oportere recipi politiam Mosaicam. Denique infiniti furores sunt disputationum, qui tantùm quærunt materias, de quibus rixentur, non habent uera exercitia Pœnitentiæ, Fidei, Inuocationis, Crucis, in quibus uera lux accenditur. Hæc est summa quarti capitis. *Necessaria doctrina.* *Non necessariæ disputationes.*

V. CAPVT.

Accusatio abusus libertatis.

IN quinto capite iam in specie accusat abusum Libertatis, scilicet de eo, qui Nouercam duxerat. Est omnino tetrum exemplum. Nam & Ethnici improbarunt tales commixtiones, ut cùm pater SELEVCVS filio ANTIOCHO cessit Nouercam STRATONICEN Demetrij filiam. Et Theseus diris deuouet filium Hippolytum, accusatum, quòd solicitasset Nouercam Phædram ad stuprum.

Cumq; Apostolorum tempore Ecclesia deformata sit talibus næuis, cogitemus etiam alijs temporibus posse multa tetra exempla accidere, nec propterea deficiamus à Deo, sed deploremus infirmitatem nostram, & Diaboli insidias, & gubernatores corrigere ea studeant.

Lex moralis est immutabilis.

Cùm autem Corinthij putarent audita doctrina libertatis Christianæ, etiam leges Coniugij laxatas esse, Paulus reuocat eos ab hoc errore, & docet, præcepta moralia & naturalia æterna & immota esse. Leges diuinæ, quæ prohibent commixtionem certarum personarum seu graduum, sunt Leges sanctæ in natura, quas Deus uult ratas & perpetuas esse. Quare Deus inquit: Cananæos propter incestas libidines puniri & deleri, etiamsi tunc, cùm illi corpora sua talibus sceleribus contaminarent, Lex nondum per Moysen promulgata esset: Quia Deus naturæ lucem hanc esse uoluit, & statim initiò parentibus prohibuit commixtionem cum natis, cùm ait: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.

Cæterùm doctrina de libertate, aliâs integrè traditur, & postea rursus de ea dicendum erit. Nunc addatur doctrina de Excommunicatione.

DE EXCOMMVNICATIONE.

INcestum, cuius delictum fuit manifestum, Paulus ejicit ex Ecclesia. Hoc exemplo ostendit, quomodo puniendi sint in Ecclesia rei manifestorum scelerum: & cùm postea in secunda Epistola narrat hunc incestum, post conuersionem, in Ecclesiam rectè receptum esse, illustre testimonium proponit contra Nouatianos, quod ostendit, lapsis agentibus pœnitentiam uerè remitti peccata, eosq; in Ecclesiam recipiendos esse, de quo Articulo dicendum erit suo loco. Nunc doctrina de Excommunicatione consideretur, in qua primùm sciendum

Discrimen ministerij Euangelici, & potestatis politicæ.

est discrimen ministerij Euangelici, & potestatis politicæ. Cumq; eius discriminis multæ partes sint, nunc tantùm de pœnarum doctrina dicam.

Potestas politica coercet & punit ui corporali, & contumaces capitali supplicio afficit.

Sed Ministerium Euangelij coercet & punit tantùm uerbo, sed eo ordine, quem Christus Matth: capite 18. recitat. Primùm moneatur is, qui deliquit, Si non obtemperat, postea ejiciatur ex Ecclesia publica sententia, ut ibi dicitur: Dic Ecclesiæ, id est, præcipuis ministris & ijs, qui in cognitionibus adiunguntur.

Excommunicatio mos Leuitarum.

Hæc consuetudo non primùm instituta est à Messia, sed est uetus mos Sacerdotum Leuiticorum, qui suo loco disciplinam talibus iudicijs tutati sunt, etiamsi potestas politica alia iudicia & alias pœnas habebat, quæ ut solet, in disciplina tuenda negligentior erat, Nec dicam prolixius de hoc loco. Tantùm illud addo, hunc neruum disciplinæ non negligendum esse.

Quod

Quod uerò ait: Trado eum Satanæ ad uexationem carnis, ut Spiritus saluus fiat, Verè ita sentiendum est, Excommunicationem in Ecclesia non esse inane terriculamentum, sed efficax & diuinum fulmen, & sequi pœnas in corpore & rebus, quibus castigati ad pœnitentiam reuocãtur, sicut de uetustissima Excommunicatione dicitur ad Abraham: Maledicam maledicentibus tibi: Et cùm Ambrosius scribam Stilliconis tali sententia punijsset, Scribæ mota est mens per aliquod tempus, quo morbo admonitus, postea se emendauit, & ab Ambrosio rursus in Ecclesiam receptus est. *Excommunicatio efficax fulmen.*

DE PASCHATE.

VT ostendat Paulus hoc iudicium necessariò in Ecclesia retinendum esse, addit similitudinem: ut in Paschate Iudaico fermentum tollendum fuit, Sic nos ex Ecclesia fermentum tollamus. Deinde in enarratione Typi Paschatis aliquantisper commoratur, monet institutum esse esum Agni, ut mors Messiæ significaretur. Ac tota Paschatis Allegoria aliâs copiosius enarranda est. Hîc uocabula in textu obseruentur. *Esus Agni Paschalis.*

Celebremus Festum in azymis sinceritatis & ueritatis, Veritatem opponit mendacijs & falsis opinionibus, & uocat ueritatẽ ueræ doctrinæ de DEO agnitionem & confessionem. Sinceritatem opponit Hypocrisi, falsæ inuocationi sine Timore, Fide, Constantia. Et uocat sinceritatem, non fucatas uirtutes, Timorem, Fidem, Inuocationem, Constantiam fidei. *Veritas.* *Sinceritas.*

VI. CAPVT.

De litibus.

SVprà abusum libertatis & libidines taxauit, Nunc obiurgat litigantes, qui cùm certent odijs aut auaricia, uiolant præcepta Decalogi: Non occîdes, Aut Non furaberis. Non enim damnat iudicia, aut ullam iudiciorum partem, aut disputationem forensem. Nam hæ ordinationes politicæ sunt res bonæ, ordinatæ, & appprobatæ diuinitus, Sicut Roman. 13. clarissimè traditum est. Et Iosaphat inquit, Iudicium Domini exercetis. Aliud est autem Disputatio forensis, aliud odium aut auaricia in litigatore. Ac ut sancti rectè uti possunt coniugio, sic rectè uti possunt iudicijs, Sicut clarè dicitur Roma: 13. Magistratus est honori bonis. Potest igitur sanctus deferre causam in iudicium sine praua affectu. Et in ea re multæ insunt uirtutes. *Aliud iudicia sunt, aliud uicia quæ accedunt.*

1. Reuerentia erga Leges & Magistratus, quia iudicium illis permittit, cedens de sua sententia.
2. Amor iusticiæ, quòd non appetit alienum, sed quasi exuens rem suam, potestati iudicis & Legum relinquit, ut attribuant sua sententia cui uidebitur: Hoc non facit animus pleonecticus.
3. Amor ueritatis, quòd patitur conferri rationes & iudicari.
4. Amor pacis publicæ, quòd mauult à iudice suum alteri attribui, quàm turbari pacem publicam.

Virtutes in litigatore sancto.

Hæ uirtutes sunt in litigatore sancto.

Certum est igitur à Paulo obiurgari litigãtes propter odia & auariciam, Item, propter scandalum, quòd nõ modò litigabant coram Ethnicis, Sed etiam

Ethnicorum affectus & præstigias & calumnias miscebant. Hoc manifestum est ex Textu, quia dicit: Vos iniuriam facitis alijs, uos defraudatis. Sic intelligatur quod dicit: ἄτημα est in uobis. Non uult ipsam dubitationem fori, esse ἄτημα, Sed iniusticiam, cuius signum est forensis contentio. κρίματα ἔχετε, ergo est ἄτημα, non ipsum κρίματα ἔχειν, Sed ἀδικεῖν est ἄτημα. Quare κρίματα ἔχειν non intelligatur ut subiectum iungendum ad ἄτημα, sed ut pars Enthymematis, quia ab eo signo ratiocinatur in eis esse prauas cupiditates.

ἄτημα. Est & uocabulum ἄτημα mollius, quàm ἁμαρτία, id est, quiddam damnatum, & significat succumbere affectui alicui, ut dicimus: ἥττων ὀργῆς, ἥττων ἔρωτος.

μὴ πλανᾶσθε.

Ne erretis.

De abusu Libertatis, & de Scortatione.

Tempora Apostolorum qualia fuerint.

SAEpè cogitandum est, qualem inuenerint mundum Apostoli, non solùm quia prodest ea consideratio ad intelligendas conciones Apostolorum: Sed etiam quia eius temporis manifestæ turpitudines magis ostendunt, quanta sit miseria generis humani, quàm præsentis ætatis uicia, quæ etiamsi sunt multa & magna, tamen magis teguntur. Collatio tamen & nos de nostris uicijs commonefacit.

Semper magna pars hominum prorsus est athea. Sed tunc multi palàm docebant nullam esse prouidentiam. Reliqua multitudo horribiliter colebat Idola, & alij alia quotidie excogitabant.

Deinde contra secundam Tabulam non solùm usitatæ, sed etiam concessæ erant uagæ libidines multiplices. Concubitus seu mariti seu cœlibis cum ea, quæ corpus prostituerat, prorsus non reprehendebatur. Imò in Plauti Comœdijs patres & filij easdem amant. Plurimi palàm impunè etiam sexu abutebantur, de qua turpitudine etiamsi uetustas habuerat seueras leges, tamen illæ iam in Græcia, Asia & Italia, multis seculis conticuerant.

Contra Quintum præceptum recepta erat & gladiatorum consuetudo.

Contra Septimum concessæ palàm erant usuræ.

Sed illi furores contra Primum Præceptum, & contra Sextum, multò latius grassabantur, & magis tetri sunt.

Deus colligit sibi Ecclesiam ex turpissima mundi colluuie.

Talis cùm esset mundus, tamen Deus ex illa turpissima colluuie, immensa misericordia Ecclesiam sibi collegit, quod exemplum continet amplissimam consolationem, quam & hîc Paulus proponit, admonens nos de remissione peccatorum, cùm ait: Et hæc quidem aliqui fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Christi & Spiritu sancto. Quæ uerba meminisse ualdè prodest, & propter consolationem & propter doctrinam, quia de Iustificatione eruditè loquuntur, affirmant nos receptos esse propter Christum, & donatos Spiritu sancto.

Deinde cùm talis fuerit morum corruptio, facilè iudicari potest, quàm difficile fuerit, tot falsas opiniones confirmatas in Ethnicis, ex eorum animis euellere. Ac præcipuè consuetudo cum mulieribus prostitutis receptissima erat, confirmata non solùm temporibus, & communibus omnium exemplis:

Sed

Sed etiam sodalitiorum & conuiuiorum suauitate & Ludorum & Comœdiarum uenustate. Ideo tam prolixa concio hîc contra Scortationem instituitur. Et ne sit ambiguitas in uocabulo, disertè dicit se improbare consuetudinem cum muliere prostituta, non tantùm alias libidines turpiores.

Primùm autem regulam tradit contra abusum libertatis. Quia enim doctrinam de libertate nimiùm laxabant, & transferebant ad licentiam non concessam à Deo, Ideo hæc regula traditur: Libertas Euangelica non concedit uiolari præcepta moralia. Hanc regulam capite septimo expressè tradit: Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Quia nouum Testamentum exhibet iusticiam & uitam æternam, quæ est ipsa interior & exterior impletio moralium præceptorum, conueniens cum æterna & immota uoluntate Dei expressa in præceptis moralibus. Ideo hîc errores de libertate reprehendit, & nominatim prohibet delicta pugnantia cum primo præcepto, sexto, septimo & octauo. Nam præceptum Quintum de homicidio alioqui notum erat, & alibi additur. *Regula de libertate Euangelica.*

Et manifestè affirmat, non esse hæredes uitæ æternæ, qui perseuerant in tali uiolatione moralium præceptorum contra Conscientiam: Nolite errare, inquit, Scortatores enim non erunt hæredes Regni Dei. Ac ut intelligatur concio non de præteritis delictis, sed de perseuerantia, explicationem addit: Hæc fuistis, sed abluti estis. Hæc uerba infigamus animis, quia, ut dixi, doctrinam & consolationem dulcissimam continent.

Discrimen inter Necessaria, & ἀδιάφορα.

OMnia mihi licent, scilicet ἀδιάφορα, Et sunt ἀδιάφορα, quæ non sunt præcepta lege Morali. Quia lex Moralis est ipsa æterna lex in mente diuina, & uoluntas Spiritus Sancti in renatis, qui æternam obedientiam incoat, conuenientem uoluntati diuinæ, iuxta illud: Dabo Legem meam in corda eorum. Ceremoniæ uerò sunt obseruationes externæ, quæ sunt exercitia istius uitæ mortalis, non sunt iusticia interior & perpetua cordis. *ἀδιάφορα.* *Lex moralis.* *Ceremoniæ.*

Deinde sequitur correctio: Sed nulla res me redigat in seruitutem, id est, illa sunt concessa, quæ non retrahunt in seruitutem conscientiam auulsam à Deo, ut adulterium Dauidis in seruitutem retrahit eius Conscientiam auulsam à Deo. Est enim hæc seruitus, fieri reum coram Deo, excusso Spiritu Sancto, & damnante nos Conscientia, non posse inuocare Deum, quia contra eius uoluntatem scientes & uolentes lapsi sumus. Hanc conscientiæ seruitutem & hunc reatum, hîc uocat redigi in seruitutem. Negat ergo concessa esse talia, quæ ream faciunt conscientiam, id est, quæ excutiunt Spiritum Sanctum. Talia autem sunt, quæ pugnant cum Lege Morali, quia eadem est uoluntas Spiritus sancti, & Legis moralis, quæ est æterna & immota sapientia Dei. *Quæ sint concessa.* *Seruitus conscientiæ.*

Nunc cætera, quæ sequuntur, planiora sunt: Esca uentri, & uenter escis, Deus hunc & hanc destruet, id est, cibi & uenter seruiens uitæ mortali, sunt res perituræ, nec pertinent ad iusticiam Spiritus, aut conscientiam, nec sunt lucis aut iusticiæ æternæ initia in mente, nec impediunt Spiritum sanctum, Ideo sunt adiaphora. Hæc concessa sunt.

Sed Scortatio dissimilis est, quæ est personarum contaminatio contra uoluntatem Dei, ac propterea duorum conscientias à DEO auellit, & reas facit. *Scortatio.*

facit. Ideo Paulus dicit: Corpus autem non scortationi, sed Domino seruiat, id est, Venter creatus est ad cibos naturæ conuenientes sine discrimine. Sed corpus seu persona ordinata est, ut Deo seruiat, qui uagas libidines prohibuit, & horribiliter eis irascitur. Ideo cùm persona iam propria Dei esse debeat, non faciat libidinum confusiones, spreto ordine Dei, sicut fecerunt Nero, Ptolemæi, & ingens multitudo hominum.

Erit autem magis dilucida lectio Pauli, si σῶμα intelligas de Persona, ut olim loquebantur Græci, Et uult Paulus de usu ordinato personæ loqui.

Quæ sunt legis moralis, necessaria sunt.

Fundamentum autem dissimilitudinis de cibis & de uago concubitu, hoc est, quòd ea, quæ sunt legis Moralis, affirmat esse necessaria, quia lex Moralis est ipsa lex æterna in mente diuina, & uoluntas Spiritus sancti, qui obedientiam incoat similem uoluntati diuinæ, ut suprà dixi. Pugnat autem horribiliter cùm uoluntate Dei libidinum confusio.

DE DICTO:

Erunt duo in carnem vnam.

EX dicto Geneseos: Erunt duo in carnem unam, sumit Paulus argumentum à similitudine, quod postea recitabo. Necesse est enim prius teneri propriam & natiuam sententiam eius dicti, quod multi indocti putant ociosè positum esse, quasi tantùm hoc dicat, quod omnibus notum est, ita conditam esse naturam hominum, ut ex Maris & Fœminæ coniunctione genus humanum propagandum sit. Etsi autem eam sententiam complectitur etiam illa breuis Concio, tamen simul continet præcepta de modo generationis, hoc est, Sancit leges de Coniugio & prohibitione uagarum libidinum, & ueram, integram & eruditam definitionem Coniugij proponit.

Cùm enim præcipit iungi marem & fœminam, prohibet alias commixtiones cum hoc ordine naturæ pugnantes.

Cum ait: DVO, prohibet uagas libidines. Vnum marem uult alligatum esse ad unam fœminam, & unam fœminam uult alligatam esse ad unum marem. Talis fuit prima naturæ institutio, à qua postea aliquantulum discessit humana infirmitas, tolerante Deo, quando recepta est πολυγαμία, ita tamen, ut uni uiro adiungerentur plures mulieres, non uni mulieri plures uiri.

πολυγαμία recepta.

Postremò uult etiam coniunctionem illam maris & fœminæ perpetuam & indissolubilem esse, cùm ait: Erunt in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Vnitas enim significat Vinculum perpetuæ coniunctionis, & prohibet diuortia, qualia nunc sunt Turcica, & fuerunt olim omnium ferè gentium, imò & Iudæorum. Sed tamen & Moyses aliquantulum laxauit hanc particulam, tolerante Deo, propter ingentem infirmitatem hominum post lapsum. Nam hæc Lex in Genesi descriptio est pulcerrimæ societatis, qualis in natura integra fuisset, & esse debebat. Et Christus Ecclesiam de hac prima forma commonefacit Matth. 19. ut postea dicemus in capite septimo.

Etiam Moyses laxauit legem coniugij.

Nihil affingo concioni illi in Genesi, sed hæc sententia, quam recitaui, uera, simplex, & propria est eius loci, quam si quis considerabit, intelliget illud dictum non ociosè positum esse, sed de rebus maximis concionari, & hinc extrui definitionem Coniugij, quam in capite septimo recitabimus.

Nunc

Nunc intellecta natiua sententia, consideretur argumentum Pauli, qui transfert dictum Genesis ad Coniugium spirituale filij Dei & Ecclesiæ, ut facit etiam in Epistola ad Ephesios: Iuncti estis Filio DEI, & facti membra eius. Ergo non sitis membra scortorũ uagantia & aberrantia à Filio DEI. Maritus & Coniunx possunt esse membra Filij Dei simul, quia ea coniunctio approbata est à Deo. Et coniuges ambo possunt esse membra Filij Dei, imò sunt uelut unum membrum. Nec aberrat nec auellitur à Filio Dei maritus, habens consuetudinem cum coniuge, quia ea consuetudo est approbata à Deo, & non rumpit unitatem. Sed cùm uagatur libido contra præceptum Dei, tunc auellitur persona à Filio Dei, & polluitur, & fit membrum scorti & organum Diaboli, sicut Nero aut Ptolemæi horribiliter uagantur. *Coniugium spirituale Filij Dei.*

Ex hac enarratione utcunq; intelligi potest, quomodo Paulus transtulerit dictum in Genesi ad spirituale coniugium. Videtur autem obscura rudi lectori accommodatio, quam recensui. Sed tamen si quis eam attentè considerabit, agnoscet Paulum hoc uoluisse, quod recitaui. Vult enim in summa, ordinem à Deo constitutum non conturbandum esse. Hic est ordo, ut coniuges, qui sunt membra Christi, non uagentur libidinibus, quod cùm faciunt, desinunt esse membra Christi, & fiunt membra polluta scortorum & organa Diaboli. *Ordo coniugij.*

Nec ex dicto Genesis omnes particulæ congruunt ad Pauli argumentum. Nam particula VNVM propriè intellecta, ut in Genesi, non congruit, scilicet de Inseparabilitate. Sed altera particula congruit de commixtione, Antonius fit caro Cleopatræ. Hîc non manet illa Vnitas ordinata, de qua loquitur Genesis.

ὁ δὲ πορνεύων, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει.

Fornicans in proprium corpus peccat.

Exaggerat delictum ex obiecto. Plus peccat Cato, sese interficiens, quàm si alium interfeciſſet. Ita cùm omnis Scortatio polluat proprium corpus, id est, transferat ad usum alienum, contra ordinem à DEO institutum, & destruat Templum Dei in te ipso, non ducatur esse leue peccatum.

Quòd uerò inquit, cætera peccata extra proprium corpus fieri, id intelligatur de generibus delictorum, quæ sunt frequentiora. Homicidæ plerunq; in alios sæuiunt, Rariores sunt, qui sibi mortem conscisc unt, Hi quoq; in suum corpus peccant. Sed Pauli dictum cum quodam candore accipiatur, de ijs, quæ sæpius accidunt. *Peccata extra proprium corpus.*

Sed cur dicit, Extra corpus fieri, cùm singuli peccantes ardeant prauis affectibus in corpore suo, & organa adhibeant, ut Clodius sua manu cædem facit?

Dixi suprà, Obiectorum collationem fieri, non causarum formalium, aut organorum. Nam in quolibet peccato duplex fit destructio, Prior in peccante, qua se auertit ipse à Deo, & fit reus æternæ iræ & mortis. Vt Cain primùm ipse sese destruit. Altera destructio est obiecti. Vt cùm Cain interficit fratrem. Ita in scortatione prima destructio est in uoluntate & corde aberrante à Deo. Postea destructio sequitur obiectorum, quæ hîc sunt corpus proprium, & corpus alterius personæ. Vt autem corpus proprium obiectum est huius sceleris, ita plerunque postea hærent pœnæ in proprio corpore, uidelicet, sæui morbi, aut quia seminis abusus est, grassantur pœnæ in liberos, ut post Dauidis adulterium sequitur incestum stuprum filiæ, Deinde filiorum Tragici interitus. *Duplex destructio in quolibet peccato.*

Sicut

Sicut plerunq; pœnæ in ea re graſſantur, qua peccatur, & ut in libro Sapientiæ dicitur, Per quæ quis peccat, per eadem punitur. Id eò fit, ut ſciamus pœnas non accidere caſu, ſed uerè eſſe certorum ſcelerum uindices. Item, ut ſciamus nos à Deo commonefieri de illis ipſis delictis, ut redeamus ad pœnitentiam.

Quare autem maius delictum eſt proprij corporis abuſus? Ad id reſpondeo, quia maiore cura nos ipſos regere debemus, quàm alios, & magis à nobis depellere peccatum, quàm ab alijs, ſicut hoc ipſum facilius eſt. Et in uagis libidinibus multorum conſcientiæ à Deo auelluntur. Dauid ſuam & adulteræ conſcientiam polluit. Ideo hæc peccata nequaquam leuia ducenda ſunt.

DE CAPITE SEPTIMO.

IN Capite ſeptimo doctrina ualdè neceſſaria toti Eccleſiæ traditur de Coniugio, quam ordinè recitabimus.

Occaſio autem harum reſponſionum initiò conſideretur.

Magna apud Ethnicos confuſio fuit libidinum, & crebra fuerunt diuortia. Quare alij, ut fit, in nouo ſtudio acceptæ doctrinæ & conuerſionis, prorſus diſſuadebant coniugia, Alij prætextu Religionis diuortia faciebant. Reſpondet igitur Paulus, & aliquot neceſſarias regulas tradit, quas ordinè recitabo, Primùm Definitione Coniugij conſtituta, ſicut inſtitutum eſt Geneſis 2.

Definitio coniugij.

Coniugium eſt unius maris & unius fœminæ, quæ legitimè iungi poſſunt, coniunctio indiſſolubilis, inſtituta à Deo, propter generationem, & ad uitandas uagas libidines.

Hanc definitionem uerba huius Capitis confirmant, quòd ſit coniunctio indiſſolubilis, teſtantur hæc uerba: Præcipio non ego, ſed Dominus, mulierem à uiro non diſcedere, & uiro, mulierem non dimittere. Quòd hic finis etiam Deo placeat, ut ducatur uxor, ſi non prolis cauſa, tamen ad uitandas uagas libidines, id quoq; hîc expreſſè dicitur, & doctrina ac conſolatio pijs neceſſaria eſt: Vitandæ ſcortationis cauſa, unuſquiſq; ſuam habeat uxorem.

Regulæ de coniugio.

Sequuntur regulæ. Prima. Coniugium non ſolùm non prohibendum eſt, ſed etiam ijs, qui non ſunt idonei ad continentiam, neceſſarium eſt. Sicut inquit Paulus: Melius eſt ducere uxorem quàm incendia pati. Hæc regula contra ſuperſtitioſos poſita eſt, qui cùm uagas libidines Ethnicorũ uiderent, nouo ſtudio caſtitatis etiam coniugium fugiebant, & improbabant, quæ ſuperſtitio Eccleſiam tunc ualdè exercuit. Ideo & Paulus & Apoſtolorum diſcipuli grauiſſimas ſententias oppoſuerunt, quæ & nunc Legi pontificiæ, & doctrinæ Monachorum opponendæ ſunt. Sic enim ſcripſit Ignatius: Virginitatis iugum nemini imponito. Periculoſa eſt enim poſſeſsio & difficulter retinetur, quando coactis imperatur. Iunioribus concede coniugium, priuſquam corrumpantur conſuetudine proſtitutarum. Verba hæc ſunt: παρθενίας ζύγον μηδενὶ ἐπιτίθει. ἐπισφαλὲς γὰρ τὸ κτῆμα καὶ δυσφύλακτον, ὅταν κατὰ ἀνάγκην γένηται. τοῖς νεωτέροις ἐπίτρεπε γαμεῖν, πρὶν διαφθαρῶσιν εἰς ἑταίρας.

Ignatij dictum de coniugio.

Et hîc Paulus unumquemq; iubet ſuas uires, ſeu dona ſua conſiderare, ac iudicare, an idoneus ſit ad cœlibatum, aut non ſit, Ideo inquit: Vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius aliter. Hæc admonitio bis repetita ſignificat Apoſtoli ſolicitudinem, qui præuidit ſecuturam magnam perniciem animarum ex imprudentia eorum, qui ſe temerè oneraturi erãt cœlibatu.

Deinde

Deinde sequuntur Regulæ de ipso Coniugio, sed in Scholis prius de desponsatione dicitur, quæ personæ coniungi possint, & quando contractus ualeat.

Prohibitio de Personis extat Leuit: 18. Ea prohibitio diuina est, & obligat omnes gentes, tanquam ius Naturæ, quia Deus hanc reuerentiam cognati sanguinis in natura sanxit, ne fiant commixtiones cum proximis, & horribiliter punit incestas libidines, ut ibi de Cananæis dicitur, Et exempla pœnarum Oedipi, & Aegyptiorum regum iram Dei ostendunt. *Reuerentiam cognati sanguinis Deus sanxit.*

Postea qui Gradus probabili ratione additi in Ecclesijs rectè institutis seruentur, considerandum est.

De Contractu & hoc seruauit uetustas, quod honestum, pium, & ad explicandas controuersias desponsationum accommodatius est, ut desponsationes sine perspicuo & expresso consensu parentum factæ iudicentur irritæ. Quare in Institutionibus dicitur: Consensum parentum habeant, quorum sunt in potestate. Nam hoc fieri debere & Ciuilis & Naturalis ratio suadet, in tantum, ut iussus parentum præcedere debeat. Et Ambrosius in historia Rebeccæ uult accedere consensum parentum, idq; ait adeò honestum & naturæ consentaneum esse, ut etiam Poëtæ idem docuerint. Et citat dictum Euripidis, apud quem in Andromache, cùm Orestes petit coniugium Hermiones, hæc respondet, Eam rem pertinere ad arbitrium patris. Versus hi sunt. *Desponsationes sine consensu parentum irritæ.*

Νυμφεύματων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς,
μέριμναν ἔχει, κ̓ οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

Cum hoc ueteri more congruunt uerba Pauli in hoc capite: Qui elocat, rectè facit. Nam hæc uerba significant, consensu parentum de coniugijs paciscendum esse. Sic Lex Moysi locuta est, Cùm duces filio uxorem.

Hanc uetustam consuetudinem nunc quoque sequantur Ecclesiæ, omissa recenti Lege, quæ inextricabiles Labyrinthos peperit in dijudicandis arcanis desponsationibus. *Lex recens de desponsationibus omittēda.*

Sed tamen ubi duriores sunt parentes, pij Magistratus suam autoritatem interponant, Sicut etiam uetustæ leges præcipiunt.

Discrimen etiam est inter sponsalia de futuro, & de præsenti, quod sumatur ex aliorum longioribus scriptis. A sponsalibus de futuro, recedi potest, nisi accesserit concubitus. Sed sponsalia de præsenti, sunt iam re ipsa matrimonium seu coniugium, quia consensus facit coniugium, Nec de hoc discrimine subtilius disputabo. Non enim hæc recenseo, ut plus rixarum seramus, sed ut rudiores teneant præcipuas regulas huius Contractus.

De conditione honesta & possibili adiecta, etiam hæc regula teneatur, ut cùm dicitur, Ducam te, si dabis mihi centum. Talis conditio impedit coniugium, si non impleatur. Sed tales conditiones concubitu abolentur. Omitto autem disputationes de conditionibus inhonestis & impossibilibus, quia in communi uita exempla rariora sunt.

Hactenus de Contractu præcipuas disputationes recitaui. Nunc addantur regulæ de officijs coniugalibus, & de accidentibus in Coniugio. Paulus in Textu mentionem facit officij coniugalis, quod honesta appellatione ornat, nominans debitam beneuolentiam. Hinc regula sumatur: Officium Coniugale opus iustum esse, & superstitiosas opiniones damnandas, quæ falsò fingunt id opus displicere Deo, cùm sit conditum, & certo ordine institutum à Deo. *Officium coniugale.*

Ex his uerbis: Vir non habet potestatem sui corporis, aliqui etiam ratiocinantur improbari πολυγαμίαν, de qua suprà breuiter dixi: Primùm institutam esse societatem unius maris & unius fœminæ, Ab hoc ordine postea infirmior natura discesserit, quod quatenus permiserit Deus, Lex ostendit, Sed Euangelium nos de prima institutione commonefacit.

Prohibitio diuortiorum. Secunda regula prohibet uulgaria diuortia, quæ ut nunc apud Turcas, ita tunc apud Iudæos, & Ethnicos sine discrimine prorsus, ut libuit, fiebant.

Hanc licentiam restringunt Christus, Matth: 19. & hoc loco Paulus, & uolunt Coniugium esse perpetuam & indissolubilem coniunctionem. Ideo inquit: Non ego, sed Dominus præcipit, ne uxor à marito separetur, & ne maritus uxorem deserat. Hanc regulam in Ecclesia uult Deus seruari. Sed accidunt ibi quoque diuortia non uoluntate piorum, sed alterius coniugis delicto. Et tantùm duo casus expressi sunt, Alter à Christo, alter à Paulo.

In quibus casibus concedantur diuortia.

I. Adulterium. Persona quæ admisit adulterium, rumpit fœdus Coniugij. In eo casu etsi reconciliatio tentanda est, tamen cogi innocens Persona non potest, ut pollutam recipiat.

Cùm igitur petit innocens pronunciari de diuortio, iudex damnat nocentem, quę rupit fœdus coniugij, & pronũciat innocentem personam liberam esse, quę cùm sit prorsus liberata à nocente, potest aliud coniugium contrahere.

Diuortia Romana. Tale diuortium non fit cupiditate aliqua innocentis, sed alterius delicto, quæ iam uinculum coniugij dissoluit. Facilè igitur intelligi potest, hoc diuortium Iudaicis aut Romanis dissimile esse. Cato cedit uolens Martiam Hortensio. Agrippa uolens dimittit Marcellam, ducturus Iuliam Augusti filiam. Tiberius Nero uolens cedit Liuiam Augusto.

II. Desertio. Alter casus à Paulo expressus est, cùm coniugem sine crimine uiuentem, alter coniugum re uera deserit, ita ut uoluntas deserentis ex causis fugæ & tempore & errationibus, & alijs circumstantijs iudicari possit, ut Vlysses non est desertor. Theseus relinquens Ariadnen, est desertor. Demophoon desertor est Phyllidis mulieris Thraciæ, quæ fuerat coniunx.

In hoc casu etiam Apostolus dicit, personam innocentem desertam, liberatam esse. Eodem igitur modo ut suprà inquiritur deserens, quantum fieri potest, & reconciliatio tentatur, quæ si non procedit, iudex pronunciat desertam esse liberam. Ac manifestum est & in hoc casu desertam non dissoluere coniugium sua uoluntate, sed fœdus antea ruptum est perfidia desertoris.

De his duobus casibus apertè loquitur textus Matth: 19. & in hoc capite.

Quanquam autem Canones recentes fatentur, diuortia concedi in his casibus, tamen deinde personę innocenti prohibent coniugium. De hac quæstione dissimiles sunt etiam ueterum sententiæ. Sed exempla sunt apud Iustinum & Hieronymum, quæ ostendunt, primam Ecclesiam concessisse coniugium innocenti personæ, Idq; sentio iustum & pium esse, & consentaneum dictis Christi & Pauli. Cùm enim fiat diuortium, necesse est intelligi diuortium, quod re ipsa, non inani appellatione sit diuortium, hoc est, in quo uerè persona innocens libera sit, & possit aliud coniugium contrahere, sicut ipsa Lex Moysi intelligit uocabulum diuortij. Cùm igitur Christus in casu, de quo dictum est, concedat diuortium, necesse est tale uerum & non commentitium diuortium intelligi. Et sic iudicasse antiquitatem ex Iustino apparet, qui, ut recitat Eusebius, narrat mulierem honestam & piam cum marito adultero & obscœno diuortium

Coniugium concedendum personæ innocenti.

Iustinus.

tium feciſſe, ut tunc fiebat. Et Hieronymus Fabiolam excuſat, quòd diuortio facto cum primo marito adultero, nupſerit ſecundo, ubi de priore marito dicit: Tanta prior maritus uicia habuerat, ut ne ſcortum quidem & uile mancipium ea ſuſtinere potuiſſet. *Hieronymus.*

Etſi igitur ſuperſtitione quadam recentes Canones duriores ſunt, tamen Eccleſiæ emendatæ rectè concedunt coniugium perſonæ innocenti. Perſona nocens iudici politico relinquitur, qui eam punire, aut tollere debebat. *Canones recentes.*

Dictum eſt de duobus caſibus, quorum exempla cùm ſint crebra, prodeſt ſcire, quid iudicandum ſit.

Nunc dicamus de Quæſtione, quam & Paulo propoſitam eſſe hîc uidemus, & poſtea ſæpiſſimè agitatam eſſe in Eccleſia, oſtendunt Canones. Quærebatur enim: an liceat marito pio retinere coniugem impiam, ſeu Idola colentem, & contrà: an liceat mulieri piæ manere in coniugio uiri impij, ſeu Idola colentis. *Quæſtio.*

Non fuit leuis quæſtio. Nam & Lex Moyſi prohibet habere coniugem manentem in profeſsione impia. Et manifeſtum eſt ex diſſenſione de cultu Dei oriri atrociſsimas diſcordias, quia cùm de re magna ſit diſſenſio, maius eſt incendium animorum in colloquijs, & maior dolor, Et multa contumelioſè dicta pij audiunt, propter quæ maiore dolore afficiuntur, quàm ſi mors oppetenda eſſet. Non poſſunt igitur non alienari uoluntates. *Diſſenſio de Deo parit diſcordias inter coniuges.*

Erant enim uſitata familiarum ſacra, ad quæ cognati omnes conueniebant. Et hi congreſſus uincula erant mutuæ beneuolentiæ, & diſciplinæ iuniorum. Huc ſi paterfamilias ueniebat ſine coniuge & liberis, aut Materfamilias ſine marito, aut liberorum aliqua diſtractio erat, iam cõgreſſus erat inſuauior. Deniq; in quotidiana conſuetudine plurimæ offenſiones oriuntur ex tanta diſſenſione de Deo. Præcipuè uerò inſtitutio liberorum diſsimilis parit diſcordias, ut exempla uidemus hac ætate quotidiana.

Non dubium eſt igitur, magnam de hac quæſtione dubitationem inter prudentes fuiſſe, ut poſtea etiam Canones non eodem modo decreuerunt.

Sed Paulus ſapientia ſingulari iudicat, non eſſe diuellenda hæc coniugia, quia iuſtitia Euangelij eſt iuſtitia cordis, & æterna, non impediens leges uitæ Politicæ, Ideo interea uult alia fœdera ciuilia ſeruari. Sicut igitur poteſt Eccleſia eſſe ſub Atheis regibus, Sic poteſt pia Coniunx manere in familia coniugis impij. Deinde cur talia coniugia diuellerentur, cùm ſemper inter hos, qui dicuntur membra Eccleſiæ, aliqui ſint coniuges impij? Nabal erat impius, Abigail pia. Et magis ad publicam pacem conducit, non diſtrahere coniuges. Semper autem gubernatorum conſilia ſint συμβιβαστικὰ, & quantum fieri poteſt, ea magis ſequantur, quæ coniungunt uoluntates ciuium, ſicut & Platonicum illud, ſi dextrè intelligatur, monet, ὅλῃ δεῖ ἓν ποιεῖν τὴν πόλιν. *Euangelium non abolet Politias.*

Poſtremò ſcandali etiam ratio habenda fuit. Si Euangelium diuulſiſſet coniugium, quantò magis ab eo omnes moderati homines abhorruiſſent.

Reſpondet igitur Paulus, coniugia propter diſsimiles ſententias de Deo, non diuellenda eſſe, ſi modò perſona impia non abijciat alteram, & conſolationem addit ſeu rationem: Sanctificatur uir infidelis, per mulierem fidelem, de quo dicto uariæ interpretationes confictæ ſunt. Sed uera & natiua hæc eſt: Sicut aliâs inquit, cibum ſanctificari, pro eo quod eſt uſum ſanctum, hoc eſt, à Deo conceſſum eſſe credentibus: Ita hîc loquitur, Vſum coniugis ſanctum, & *Coniugia diſſentientium de Deo non diuellenda.*

Sanctificari uirum infidelem quid.

à Deo concessum esse. Cùm pius tenet doctrinam Euangelij, & statuit se fide iustum esse propter Mediatorem, & Ecclesiam esse sparsam in hanc confusionem generis humani inter malos, & tamen politicam societatem retinendam esse, ut colligi Ecclesia possit, & Inuocationem & dilectionem politicis officijs exercendam esse: rectè & piè coniuge Ethnica utitur, & consuetudo illa Deo placet. Sicut Esther piè utebatur coniugio Assueri. Et Monica Augustini mater piè utebatur coniugio mariti Ethnici, Et soror Constantini coniugio Licinnij. Et congruit hæc sententia cum illo Pauli dicto: Omnia munda mundis.

Augustini sophisma.

Posterior ætas diuulsit Coniugia dissentientium de Deo, ac addit Augustinus Sophisma: Licet adulteram dimittere, Licebit igitur colentem Idola dimittere, cùm Idolorum cultus etiam uocetur adulterium. Verùm has recentiorum disputationes, quæ extant in titulo de diuortijs, & apud Gratianum in causa 28. omittamus, & potius Pauli doctrinam sequamur, quæ consolationem proponit omni tempore pijs salutarem. Semper enim multa sunt coniugia, in quibus de Deo & de inuocatione dissensiones sunt.

Lex Theodosij de diuortijs.

Extat autem Lex Theodosij in Codice, quæ fieri diuortia concedit, non tantùm propter adulteria & desertionem, sed etiam propter sæuitiam & insidias uitæ structas. De his causis quæri potest, & Canones de uitæ periculis aliquid statuerunt. Etsi autem nolo magis laxari uinculum coniugij, tamen cùm Lex diuina diuortium propter impios & indomitos concesserit, sapiens Magistratus dicens ius impijs & indomitis, posset conscientiæ & uitæ pij hominis ex ea lege consulere. Apparet enim illam Theodosij legem graui consilio latam esse. Cùm enim antea fierent diuortia sine grauibus causis, ut cuilibet libebat more Turcico, & fierent re non iudicata, Theodosius hac Lege illam Ethnicam licentiam astringere uoluit, & causas nominatim recenset, propter quas solas concedi uult diuortium, & uetat ea fieri re non iudicata. Quòd autem plures causæ nominantur quàm duæ, eius consilij aliqua ratio fuit non uituperanda. Sed hæc iudicio sapientum Magistratuum & Pastorum commendanda sunt, qui etiam quærant, ex quo fonte consulendum sit illi, qui propter Lepram carere consuetudine coniugis cogitur.

Hæc de præcipuis quæstionibus coniugiorum inserui huic præfationi, ut usus Paulini textus magis conspiciatur, Nunc ad textum redeo.

Alioqui filij vestri essent immundi.

ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτα ἐστίν, νῦν δὲ ἅγιά ἐστιν.

Immunda, id est, prohibita.

INterpretatio Septuaginta sic loquitur, ἀκάθαρτα uocat immunda, id est, prohibita, ut dicimus, fuillam carnem Lege Moysi immundam esse, hoc est, prohibitam, aut puerperam immundam esse, hoc est, cuius contrectatio prohibita est.

Connexio autem argumenti hæc est. Si non placeret consuetudo coniugalis, filij uestri essent Spurij, & eatenus immundi, ἀκάθαρτοι. At filij uestri non sunt Spurij, Ergo consuetudo coniugalis Deo placet.

Quomodo autem Spurij peculiari modo fuerint immundi, ostendit Lex Deut: 23. Non ingreditur מַמְזֵר in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem, id est, ad nullam functionem in Ecclesia admittatur.

Sit igi-

Sit igitur hæc simplicissima sententia: Nati non sunt Spurij, & non arcendi, ut Lex Moysi arcebat, Igitur & consuetudo coniugalis placet Deo.

Anabaptistarum error de peccato Originis.

Quòd uerò ex hoc loco Anabaptistæ ratiocinantur, nihil esse peccatum Originis, & ex Sanctis nasci sanctos, id est, fœtum non reum, & sine labe Originis, Hæc non possunt ex hoc textu effici, & refutantur in alijs locis perspicuè. Iohan. 1. & Iohan. 3. clarè dicitur, neminem esse hæredem uitæ æternæ, nisi renatum ex Spiritu sancto. Hæc testimonia opponenda sunt Anabaptistis.

Cur igitur Paulus hîc uocat infantes sanctos? Simplicissima est enarratio, de immunditia, de qua Lex Moysi dicit: Non sunt Spurij arcendi ab Ecclesia.

Lustratio infantium apud Ethnicos.

Deinde si quis contendat, plus dici, intelligatur dictum de his, qui inserti sunt Ecclesiæ Dei, uel per Baptismum, uel per Inuocationem Filij Dei, super eos, quia utrunque certum est, Apostolos incoasse Baptismum infantum, & mulieres credentes non amplius usas esse Ethnica inuocatione, & lustratione infantum, ut semper inter gentes etiam ritus aliqui manserunt, quibus recèns editi fœtus Deo commendati sunt, ut γενέθλια indicant, quæ omnes celebrabant.

Non dubium est igitur puerperas, quæ ueram Inuocationem norant, etiam uero Deo commendasse sobolem, imò aliqui nati baptizabantur, aliqui ad Ecclesiam adferebantur propter communem precationem. Tales sunt inserti Ecclesiæ, & in eis fuit efficax Spiritus sanctus. Ideo ad eos pertinet dictum: Talium est regnum cœlorum.

Affirmat igitur Paulus, & Consuetudinem piæ coniugis cum Ethnico marito, & liberorum procreationem Deo placere, quia propter fidem alterius coniugis concubitus sit mundities, & procreati mundi, Imò nati etiam fiant sancti inuocatione piæ matris aut pij patris. Cogitemus magnum ardorem fidei in illa prima Ecclesia fuisse, & pios uehementer abhorruisse ab Idolis. Ideo ualdè consentaneum est, Ethnicos ritus, quibus infantes lustrabantur, statim abiectos esse.

ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι.

Circumcisio nihil est.

Moralia, Ceremoniæ & gradus uitæ politicæ discernuntur.

IN hac parte Capitis discernit Moralia & Ceremonias, & Gradus uitæ politicæ, sicut sæpè aliâs repetitum est hoc discrimen, ut ad Galatas 5. in Christo Iesu nec Circumcisio aliquid ualet, nec præputium, sed fides, quæ per dilectionem est efficax.

Refutatio Antinomorum.

Bona opera Moralia, eodem modo necessaria sunt in omnibus. Hæc uocat in hoc loco mandata. Et meminerit Lector hoc dictum ad refutandos Antinomos, qui fingunt, in Ecclesia nulla esse mandata, nullam legem. Ideo autem moralia necessaria sunt, quia sunt iusticia cordis, congruens cum mente diuina, cuius imago esse nostra Mens & Voluntas renata debet, iuxta illud: Dabo Legem meam in corda eorum.

At Ceremoniæ Leuiticæ nihil ad nos pertinent, quæ ad tempus in politia Mosaica institutæ fuerunt.

Deinde gradus uitæ politicæ, Dominus, Seruus, Diues, Pauper, & similes, sunt ἀδιάφορα, & possunt in bonis & malis esse. Verùm hoc seruetur, ut suæ quisque uocationi obtemperet. Item, ne abutamur his gradibus. Plorans, non

succumbat dolori, deficiens à Deo. Lætus non efferatur, ut oblitus Dei indulgeat cupiditatibus, ut fit in rebus secundis, ut dicitur:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis.

Figura mundi, id est, gestus.

Tandem igitur addit: Præterit figura huius mundi, id est, gestus mundani, uarij gradus uitæ, dominia, seruitutes, contractus.

Obserua etiam hîc approbari contractus, & rerum dominia, cùm approbat emptionem. De his omnibus facilè est iudicium ijs, qui norunt iusticiam, de qua concionatur Euangelium, esse nouam & perpetuam lucem, iusticiam, & uitam in cordibus: Interea tamen in hac consuetudine ciuili utendum esse politicis ordinationibus eorum locorum, ubi uiuimus, si tamen congruant cum Lege naturæ.

CAPVT VIII.

πρῳὶ δὲ ἀφ' ἑσπέρας ὠδάμασεν.

INitiò mos consideretur, quem acceptum à Patribus Ethnici, postea etiam amissa uera doctrina retinuerunt.

Mos Ethnicorum in sacrificijs.

Cùm in diebus Festis sacrificium fiebat, pars uictimæ incendebatur, pars erat propria Sacerdotum, pars communis patrifamilias & cæteris, qui uictimas dederant. Et erant multa peculiaria certarum familiarum sacrificia, in quibus cognati frequentes conueniebant, & à Sacello uictimæ partes in suas domos afferebant, ut senex apud Aristophanem in Pluto, uictimæ partem domum affert. Aliqui etiam ad Sacella unà cum Sacerdotibus conuiuabantur. Credibile est autem, aliquos, qui iam abiecerant cultum Idolorum, tamen à cognatis ad conuiuia uocatos esse. Et uix fieri potuit, quin mariti Ethnici conuiuio interesset uxor pia.

In talibus casibus uidemus Paulum aliqua ἐπιεικείᾳ usum esse ac permisisse, ut proximi interessent non sacrificijs, sed conuiuijs. Aliqui autem, ut fit, illam permissionem nimiùm laxabant, & uictimarum carne uescebantur malo exemplo, id est, inuitabant alios imbecilliores, ut ipsi quoq; uescerentur, quorum conscientiæ postea turbabantur. Damnabant enim sese, quasi consuetudinem impiam confirmarent. Quandocunque autem conscientia sese damnat, iudicat se contra Deum facere. Quare Fides excutitur, & impeditur inuocatio.

Nunc igitur Paulus illam permissionem astringit, & hîc tantùm de Scandalo concionatur, postea rursus in genere astringit, quia quoquo modo excusetur, tamen aliquid in exemplo mali est. Nam consuetudo colentium Idola confirmatur.

Eruditi offendebant imbecilliores.

Sed hîc nominatim fit mentio huius scandali, quòd eruditi mouebant imbecilliores, ut uescerentur, Et horum postea fauciebantur conscientiæ, ut uarij casus nostro tempore acciderunt, ubi imitatione libertatis etiam in rectè factis imbecilles conscientiæ ualdè turbatæ sunt.

In non necessarijs moderatio seruanda est.

Obiurgat igitur Paulus doctos sibi placentes, & audaces in rebus non necessarijs, ut sunt multi propter ostentationem suæ eruditionis, & sapientiæ. Et Regulam Roman: 14. traditam, hîc repetit: Docet necessaria facienda esse: In non necessarijs uerò, quæ tantùm licita sunt, eam moderationem seruandam esse, ne exempla nostra lædant aliorum conscientias, aut labefactent communem concordiam, sicut regula Iurisconsultorum rectè docet: Quod tibi non nocet,

nocet,& alteri prodeſt, id præſtandum eſt. Iuſtum eſt igitur aſtringere libertatem propter aliorum ſalutem, ut in itinere faciendo robuſtus minus properat propter imbecilles comites.

Hæc regula,quæ monet ſeruandum eſſe diſcrimen inter neceſſaria & non neceſſaria, magnum uſum habet in uniuerſa uita, & coercet multa uicia, πολυπραγμοσύνην, arrogantiam, & alia.

Hæc eſt ſumma capitis, quam recenſui. Cæterûm dicta multa inſerta ſunt, quæ doctrinam eximiam continent: Scientia inflat, Dilectio ædificat, Hoc dictum monet, Cognitionem non eſſe uirtutem, nec opus placens Deo, ſine obedientia uoluntatis, ut etiam Philoſophia docet, Cognitionem non eſſe uirtutem. Sed neceſſe eſt accedere uoluntatis conuerſionem ad Deum, qua uoluntas Deo ſubijcitur, & habet προαίρεσιν, ſeu,ut loquuntur uſitatè,bonum propoſitum rectè faciendi, iuxta illud: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Cognitio non eſt uirtus.*

Extat hîc etiam teſtimonium de uero Deo patefacto in miſſione filij,crucifixi, & reſuſcitati, diſcernendo ab omnibus alijs numinibus, quæ extra hunc Deum cogitantur aut coluntur. Nam huius teſtimonij ſententia excluſiua eſt, præter hunc patefactum Deum nihil aliud eſſe numen æternum. Deducit igitur nos in agnitione Dei ad hunc unum,qui ſe patefecit datis promiſsionibus, editis miraculis, & miſſo filio. In hunc uult nos intueri inuocantes, & uult nos ſeparare inuocationem noſtram ab Ethnica,& alijs, Ideo ſic locutus eſt: Vnus eſt Deus, Pater, ex quo ſunt omnia, & unus Dominus Ieſus Chriſtus, quaſi dicat,uolo excludi à diuinitate, gentium commentitios Deos, & affirmo unum eſſe Deum, Quem uerò, & ubi agnoſcendum? Hunc inquam, qui eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & qui ſe patefecit miſſo filio. Cogitans igitur Deum, intuere hunc patrem & filium. Tribuit enim & filio diuinitatem,cùm inquit: Per quem ſunt omnia, Nec excludit Spiritum ſanctum, ſed, ut dixi, excluſiua opponitur omnibus commentitijs numinibus, ſicut plerunq; in Prophetis dicitur: ut Eſaiæ 44. Præter me non eſt Deus, dicit Iehoua rex Iſraël, id eſt, præter me patefactum in Iſraël. *Vnus Deus quis.*

CAPVT NONVM.

PRima pars & longior conſumitur in hoc præcepto: Docentibus Euangelium deberi uictum, idq; præceptum confirmat multis exemplis, & allegoria Moſaica & mandato Chriſti. *Victus debetur Euangelij miniſtris.*

Allegoria Moſaica hæc eſt: Non ligabis os boui trituranti. Hanc imaginem ritus ſeruandi in armento eleganter transfert ad homines, qui faciunt operas: Vt neceſſe eſt armentum paſci, ita multò magis hominem, cuius laboribus fruimur ali neceſſe eſt.

Quòd autem inquit: Num boues Deo curæ ſunt? non tollit prouidentiam, ſed hoc tantùm dicit: Non ſcribi leges boum cauſa,ſed diſciplinæ hominum cauſa, uidelicet ut homines diſcant iuſta officia.

Addit autem Paulus, ſe hoc iure non uſum eſſe, ut ali ſe à Corinthijs peteret,ne maleuoli hac calumnia Euangelium deformarent,circumferri doctrinam, quæ Doctoribus aucupium eſſet quærendæ pecuniæ, & ut uitet calumnias,ait ſe etiam multa tolerare,quæ non neceſſe erat ferri,ubi ſuo exemplo do-

Officia gubernatoris.

cet, gubernatorem oportere & necessaria facere, & perferre non solùm sæuitiam Tyrannorum, quam depellere non potest, Sed etiam iniurias amicorum, quibus cùm aduersari posset, tamen eas condonet communi tranquillitati, ne alienentur uoluntates, quæ retineri & prouehi possunt. Ideo πάντα στέγομεν, quod significat, aut onus impositum sustinere, ut columnæ sustinent fastigium, aut Capere, ut uas capit congium uini. Sed prior significatio de onere ferendo hîc est accommodatior. Non solùm tolero sæuitiam Neronis & Pharisæorum, sed etiam sustineo aliud onus, scilicet fratrum morositates & ingratitudinem,

Επιείκεια necessaria gubernatori.

& meum dolorem dissimulo. Docet igitur exemplo suo illustri, necessariam esse gubernatori ἐπιείκειαν, multas multorum infirmitates & iniurias tolerantem. Sicut postea dicit: Omnibus omnia factus sum. Et sæpè citatur dictum illud contra nimiam seueritatem, quod extat in Græcis Epistolis: ἴσθι μιμούμενος τὰ ὄργανα, ἃ διαφωνεῖ μᾶλλον ἀνειμένα, ἐκρήγεται δὲ μᾶλλον ἐπιτεινόμενα. καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν θεραπαινῶν ταυτὸν. ἡ μὲν γὰρ ἄνεσις διαφωνίαν ἐμποιεῖ τῇ παιδαρχείας, ἡ δὲ ἐπίτασις τῆς ἀνάγκης, διάλυσιν τῆς φύσεως. καὶ ἐπὶ τόπου δὲ νοεῖν, μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.

De hac ipsa Aequitate sæpè præcipit Spiritus sanctus, ut Ecclesiastæ 7. Ne sis iustus nimis. Et Paulus de sese inquit: Sapientibus & insipientibus debitor sum, id est, attemperare me ad captum imbecillium debeo, nec statim acerbè perfectionem postulare. Et 1. Thessal: 2. Vt nutricula foui infantes. His concionibus de æquitate obtemperemus, & amicorum infirmitates toleremus publicæ concordiæ causa, ut usitatè dicitur: Mores amici noueris, non oderis. Hanc sententiam in hoc capite, & postea aliquoties repetit Paulus, interim tamen retinet regulam, oportere necessaria facere. Ideo dicit: Væ mihi, si non Euangelizauero. Et hoc ipsum dictum testatur, obedientiam præceptorum necessariam esse, & non quiddam ἀδιάφορον, ut Antinomi fingunt.

πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος.

Omnis autem qui certat.

POstquam antea multa dixit de æquitate attemperante ἀδιάφορα ad utilitatem eorum, inter quos uiuimus: Nunc generalem regulam in omni uita necessariam addit, quæ continet doctrinam de Diligentia, quæ est prudentia in prospiciendo fine, & mediis ad finem, & intentio animi in mediis illis parandis & tuendis. Estq; hæc regula: Sic curras, ut metam prospicias, & media ad eam metam rectè ducentia. Hæc commonefactio etiam in Ethicis proponitur, & cùm in tota uita necessaria sit, tamen sæpè stulticia nostra aut prauis cupiditatibus contra eam facimus, & quasi extra uiam currimus. Hos errores intelligi necesse est, ut caueri possint. Sit igitur uirtus DILIGENTIA, ut dixi, deliberatio de fine, & de mediis, & quædam uoluntatis contentio, & constantia in tuendis mediis.

Diligentia quid.

Diligentiæ oppositæ.

Vicia opposita sunt, Ignauia & πολυπραγμοσύνη orta ex uariis causis, ex natura inquieta, ex pertinacia, ex ambitione, ex auaricia, ex cupiditate dominandi, ex æmulatione & similibus morbis.

Scipio in suo cursu hunc finem intuetur, ut patria sit beata, eligit media, labores militiæ, & legitima imperia, & non concupiscit potentiam contra leges, aut ulla extraordinaria commoda, Imò ne turbet patriam cedit turbulentis ciuibus, & iniurias accipit.

Habet

Habet eundem finem propositum Pericles, ut beata sit patria, & antecellat reliquæ Græciæ: Sed media non rectè eligit, & peccat iniusta pertinacia, cùm duriora edicta proponit aduersus Aeginetas, & irritat Lacedæmonios. *Pericles.*

Alcibiades, Pompeius, & multi alij, de fine & de medijs errant. Se uolunt summos esse, non beatam patriam, & multis contrarijs consilijs ipsi sibi exitium accersunt. Alcibiades nunc cum ciuibus, nunc cum Lacedæmonijs sentit, nunc Tissapherni, nunc Pharnabazo amicus est. *Alcibiades.*

Iam conferamus exempla in Ecclesia: Ieremiæ, Baptistæ, Paulo, meta proposita est, ut doctrina purè propagetur, propter gloriam Dei, & ut ipsi salui fiant. Ad hunc finem eligunt media, sustinent labores docendi, ubi possunt, inuitant bonis exemplis auditores, confirmant dociles, tolerant rudiores, frenant omnes cupiditates, ne aut doctrinam deforment, aut turbent Ecclesiam, aut Deum offendant.

Econtrà Carolostadius etsi finem propositum habet, ut doctrina Euangelij purè propagetur, tamen de medijs sæpè errat, tumultuatur de articulis aut falsis, aut non necessarijs, damnat omnia forensia officia, & leges Romanas, pugnat de necessitate Stoica, sæpè obsequitur suis cupiditatibus, iracundiæ, ambitioni, auaritiæ, & alienat auditores, & offendit Deum. Etsi igitur studium habet inconsultum, tamen ad metam non peruenit. *Carolostadij errores.*

Plus peccant, qui nec finem iustum intuentur, nec media rectè quærunt, ut Monetarius, rex Anabaptisticus, pontifices, qui non hoc quærunt, ut doctrina rectè propagetur, aut ut Ecclesia beata sit, sed ut ipsi potentiam aut opes sibi parent, aut defendant, aut ut uoluptatibus tutò fruantur, & ad multa contraria & impia consilia decurrunt. *Monetarius.*

Iam facilè est intellígere Textum: Omnes currunt, sed unus accipit præmium, scilicet qui direxit mentem, consilia, & uoluntatem ad iustum finem, quem infrà nominat: Omnia ad gloriam Dei facite, & non sitis scandalo Ecclesiæ, id est, qui præcipuè hoc uult, ut Deus uerè inuocetur, ut Ecclesia beata sit. Et media rectè eligit, rectè docet necessaria, frenat cupiditates priuatas. Et sic currit Paulus, ὡς οὐκ ἀδήλως, non cœco impetu, sine cogitatione finis, non sine prudentia eligente media salutaria, non inconsulto studio, ut currere his annis multos uidimus, non malos homines, sed media non rectè eligentes, ut Huttenum & alios. *Huttenus.*

οὕτως πυκτεύω.

Sic pugno.

VT prior similitudo à uago cursu sumta est, ita hæc sumitur à pugile, qui non ferit Antagonistam, sed aberrans, cæstum incutit uicino aëri. Sed sententia eadem est. Significat enim & hæc similitudo eos, qui aut nullo fine proposito tumultuantur, ut multi fanatici, & alij leues homines: aut etiamsi uerum finem intuentur, tamen media uel negligunt, uel non rectè adhibent. Tales cùm frustra laborent, dicuntur & ipsi aërem uerberare. Vt in publica gubernatione aërem uerberant Doctores, qui de non necessarijs & incertis dimicant, cùm interea relinquant necessaria, ut qui litigant de forma uestis in Liturgia: Aut in priuata uita Monachi quærebant multos inutiles ritus. Vt abstinentia Carthusiana à carne, prorsus est aërem uerberare. *De non necessarijs dimicantes aërem uerberant.*

Rursus

Rursus laxare frenum ambitioni, aut maleuolentiæ, & tamen præ se ferre studium religionis, etiam est aërem uerberare.

Hæ imagines cursus, & pugilum certamen, pingunt diligentiam prospicientem finem & media, quia cursorem oportet intueri metam, Pugil feriat antagonistam.

Et utercp uideat media, suo certamini necessaria.

Iam igitur de medijs loquitur, dicit se frenare uiciosas cupiditates, ambitionem, cupiditatem uindictæ, auariciam, incendia libidinum. Vsus est autem insignibus uerbis: Multò plus est ὑπωπιάζειν, quàm frenare: Nam ὑπώπιον significat tumores ortos ex plagis. Inde est ὑπωπιάζω, adeo duriter tundo corpus, ut partes quassatæ tumescant, & fiant liuidæ, quorum utrumcp eò fit, quia percussione sanguis ex propriis uasis excutitur, & circa locum ictum concurrit, ubi destitutus suo calore fit pus. Etsi discrimen traditur inter hæc, ὑπώπιον macula, ὑπόπυον purulentum, & πελιώματα liuores, tamen uicina sunt, sicut effectus coniuncti sunt, scilicet putrefactio, & cutis pallor seu liuor. Significat igitur Paulus duras repressiones affectuum, quę cum aliquo dolore fiunt. Vt tolerantia in dissimulanda obtrectatione, & in ferendis iniurijs, quæ reprimit gloriæ aut uindictæ cupiditatem, non potest prestari sine acri sensu doloris, ut inquit Iuuenalis:

ὑπωπιάζω.

At uindicta bonum est, uita iucundius ipsa.

Reprehendit aliquis ualens autoritate sententiam à te rectè traditam, & uidetur aliquid de tua autoritate detrahere, hanc iniuriam sæpè prodest dissimulare, sed sine dolore id fieri non potest. Ita cæteri affectus ardentiores non sine dolore reprimuntur, Ira, Amor. Si es incensus iniusto amore, uitanda est consuetudo, oculi regendi, auertenda mens est labore aliquo seu studio, quod assiduitatem aut intentionem flagitat. Hæc omnia uocat duriter tundere corpus, & in Seruitutem redigere, id est, cogere, ut mentis iudicio facilè obtemperent cor oculi, lingua & cætera membra. Hæc se facere inquit, ne amittat hæreditatem uitæ æternæ. Hîc rursus admonet, nouam obedientiam necessariam esse, nec esse quiddam ἀδιάφορον.

Adfectus non reprimuntur sine dolore.

Noua obedientia non ἀδιάφορον.

Cùm autem nonnulli hunc locum citarint ad confirmanda Monachorum exercitia, pauca etiam de ea accommodatione dicenda sunt.

Paulus in genere loquitur de necessaria & seria cupiditatum repressione, non loquitur de Ceremonijs & Simulatione. Vt non ideo reprimit ambitionem Tecelius, quia sordidam uestem Monachorum gerit. Sic non ideo reprimit flammas amoris, quia non comedit carnes die Sexto. Vera ac seria diligentia coercendi uiciosas cupiditates semper est necessaria. Vt Temperantia semper est necessaria, inedia certorum dierum non est necessaria, sed suo cuiusq; iudicio relinquatur. Loquitur autem de uirtutibus necessarijs, & serijs earum exercitijs, de reprimenda ambitione, φιλονεικίᾳ, iracundia, æmulatione, auaricia, de extinguendis incendijs libidinum, & alijs malis.

Tecelius impurus.

CAPVT DECIMVM.

POSTQVAM ingressus est in hanc commonefactionem de diligentia bene operandi, iam attexit longam concionem, in qua confert Ecclesiæ tempora, lapsus, & pœnas, ut nos excitet ad studium retinendæ iusticiæ, & ad cauendos lapsus. Estcp hæc sententia: Vt patres perierunt ruentes contra conscien-

Noua obedientia necessaria.

conſcientiam,ita & uos peribitis,ſi ſimiles lapſus admittetis.Igitur magna cura & uigilantia retinete iuſticiam uobis donatam. Hæc eſt argumenti ſumma.

Primùm igitur docet, in reconciliatis nouam obedientiam neceſſariam eſſe,ut ſæpè dictum eſt.

Secundò monet,omnibus temporibus eſſe Eccleſiam Dei ſimilem,ſcilicet cœtum, in quo ſonat miniſterium Euangelij de Mediatore, & per quod multi reconciliati fiunt hæredes uitæ æternæ. Et quanquam uox miniſterij eadem eſt, tamen externa ſigna differunt, ut Circumciſio & Baptiſmus. Mutantur enim,ut nouitas ſigni ſit commonefactrix de noua inſtauratione doctrinæ.Sunt etiam diſſimiles politiæ diuerſis temporibus. Sed ærumnæ ſunt ſimiles,& gradus hominum,Alij perſeuerant in fide,alij labuntur,& in his aliqui lapſi rurſus conuertuntur,ut Aaron,Dauid, Aliqui lapſi pereunt,ut Saul, Chore, Dathan & alij. Hanc imaginem Eccleſiæ ueteris uult nos intueri. *Eccleſia ſimilis omnibus temporibus.*

Hinc tertiò diſcimus uerè reconciliatos poſſe labi,& rurſus amittere Spiritum ſanctum, Gratiam & Fidem, quia hîc clarè dicit, omnes baptizatos eſſe, id eſt, receptos externis teſtimonijs, nube tegente populum, & undis ſtantibus in mari.Hæc miracula fuerunt Sacramenta,teſtificantia hunc populum recipi. Et Paulus utrunque facit Typum Baptiſmi. *Reconciliati poſſunt labi.*

Quod autem inquit: In Moyſen baptizatos eſſe,intelligatur,miniſterio Moyſi baptizatos eſſe,quia neceſſe eſt ſcire, Verbum,quod amplectimur,diuina autoritate traditum eſſe. Ideo nominatur in ea Eccleſia Moyſes,qui illuſtribus teſtimonijs uocatus erat. *In Moyſen baptizati.*

Et omnes eundem cibum ſpiritualem manducarunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt.

Hîc clarè affirmat credentes in Eccleſia Moyſi uerè reconciliatos eſſe, & ã Spiritu ſancto renatos. Interpretatur enim potum: Biberunt ex ſpirituali comitante eos Petra,Petra autem erat Chriſtus. Hîc affirmat,filium Dei affuiſſe populo, & dediſſe potum, non modò corporibus, fluentem ex rupe, ſed etiam mentibus ſpiritualem, ſcilicet Spiritum ſanctum. Expreſſè enim inquit, petram unà euntem fuiſſe Chriſtum. Hoc teſtimonium neceſſe eſt meminiſſe,ut ſciamus ſemper Eccleſiæ interfuiſſe, intereſſe, & interfuturum eſſe Filium Dei, Sicut ipſe dicit: Pater meus uſque modò operatur,& ego operor. Item, Maneo uobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi.Nominat autem eum petram, alludens ad iuga montium, ad quæ iter fecerunt, ex quibus flumen aquæ erupit, ipſo Meſsia fundente eos fontes, qui aderat. Eſt autem Chriſtus rupes fundens fontes,quibus redditur nobis uita æterna. *Filius Dei ſemper adeſt Eccleſiæ.*

ἀλλὰ οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ θεός.

Sed non in pluribus eorum beneplacitum erat Deo.

CVM antea dixiſſet receptos eſſe omnes, ſcilicet credentes, cùm illa ingentia miracula exhibita eſſent, quibus Deus teſtificatus fuerat uerè hunc populum Eccleſiam ſuam eſſe. Nunc addit alteram ſententiam de lapſis, multos ſcilicet lapſos non placuiſſe Deo,ſcilicet propter delicta,quę poſtea ſecuta ſunt, ut deinceps Paulus delicta quædam recitat.

At Phraſis ſimpliciter intelligatur: Multi diſplicuerunt Deo, ſcilicet propter lapſus. Nam εὐδοκεῖν eſt bene affici erga aliquem, ſeu delectari aliquo, εὐδοκεῖν,

ut

ut εὐδόκησε τῷ ξένῳ, bene afficiebatur erga hospitem. Sic & illud accipiatur: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Affirmat enim pater, se & amare filium, & lætari hoc filio, quæ cùm cogitamus, abijciantur Stoicæ imaginationes de Deo, & statuamus, ut in hominibus sunt σοργαὶ erga natos & parentes, ita uerè esse in patre æterno & filio amorem, lætitiam, etiamsi nescimus, quomodo hæc in diuina natura flagrent. Esse tamen, non dubium est, & σοργαὶ in nobis sunt uestigia diuini amoris erga filium, nobis insita, ut aliquo modo commonefaciant nos de Deo, qualis sit, & quomodo erga filium & erga suas creaturas affectus sit.

In Deo patre & filio sunt amor, lætitia &c.

Hæc de uocabulo εὐδοκεῖν obseruanda sunt, de quo uariæ interpretationes ab alijs traduntur.

In recitatione delictorum exempla populi Israël & pœnas proponit, ut significet, similia peccata subinde uagari in Ecclesia, & sequi pœnas similes.

Etsi autem uniuersaliter in uno delicto multa insunt, seu uni multa copulata sunt: Tamen genera discernuntur, quia dissimiles occasiones sunt, quæ miscent aliâs alia facta cæteris peccatis, quæ alioqui concurrunt.

Peccata populi in deserto.

In omnibus delictis populi in deserto sunt horrenda ingratitudo, diffidentia, impatientia seu fremitus aduersus Deum. Sed aliâs accedunt alij lapsus. Et hîc nominantur ordinè hæc genera.

I. Intemperantia.
II. Idolorum cultus.
III. Scortatio.
IIII. Tentare Deum.
V. Et murmuratio.

Intuetur autem Paulus historias populi Israël, ut dixi, quia simul nos de pœnis commonefacit.

De Intemperantia extat historia apud Moysen in Numeris capite 11. ubi populus fastidiens iam Manna adpetit carnes, Nec esus carnium taxatur, sed fastidium præsentis doni. Et concurrunt multa peccata ut dixi: Ingratitudo populi, qui cùm à Deo tantis miraculis eductus esset ex Aegypto, & sciret iam se in terram promissam Patribus duci, ubi pulcerrimam politiam tanquam sedem Ecclesiæ certam Deus conditurus erat: Nunc nec Deum nec miracula recordantur, sed tædio itinerum fracti irascuntur Moysi, queruntur se humano consilio, & ipsius Tyrannide ex Aegypto eductos esse. Sunt & inobedientes, ut ostendit impatientia, quia mediocrem laborem itinerum recusant ferre. Cumq; mediocris copia sit uictus, nec laborent fame, fruuntur enim Manna, non contenti sunt hoc dono Dei, sed appetunt delicias.

Hanc intemperantiam, cùm quidem & alia peccata accedunt, punit Deus. Et similia peccata subinde in Ecclesia accedunt, ut nunc, quia difficultates in re familiari, & potentum aduersus nos odia & contemtum experimur propter professionem Euangelij, multi appetũt suaue illud ocium & splendorem, quem habuerunt ante emendationem doctrinæ. Imò aliqui abutuntur Euangelio ad augendam intemperantiam, & auariciam, & ad ostentationem, & splendoris amplificationem. Secutæ sunt igitur pœnæ, bella & aliæ calamitates.

Multi deficiunt ab Euangelio fracti cruce.

Secundò nominatur adoratio Idolorum. Et uerba sumuntur ex Moyse capite 32. Exodi, ubi populus ociosus & securus iubet fabricari Idolum. Nec dubium est populum Israël imitatione Aegyptiorum fabricasse uitulum, quia Agyptijc

Aegyptij coluerunt APIN ſpecie tauri, propter agriculturam. Et ſæpè hominesad uſitata Idola relabuntur. Præcipuè uerò hîc conſideretur, quanta ſit hominum miſeria, quòd poſt tanta miracula populus tamen recipit Idoli cultum, quem ſciebat à Deo damnatum eſſe, & quòd Aaron aſſentitur. *Vitulus imitatione Ægyptiorum factus.*

Cauſam uerò narrat: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ludere. Id eſt, in luxu & in ocio homines frigidius inuocant Deum, & maiore audacia fingunt opiniones de Deo, ut ſæpè accidit in Eccleſia. Samoſatenus, Arius & ſimiles, cùm in magna ſecuritate uiuerent, nouas opiniones petulanter excogitarunt: Et his proximis annis multi furores opinionum extiterunt. Et illi ipſi, qui antea uehementiſsimè uociferati ſunt contra Ceremonias, nunc reſtituunt Miſſam, in qua ſciunt manifeſtum Idolum eſſe.

Tertiò de Scortatione intuetur Paulus hiſtoriam in Numeris cap. 25.

Quartò nominat peccatum: Tentare Chriſtum, cuius exemplum eſt in hiſtoria in Numeris cap. 21. Vbi fit mentio ſerpentum, & Exodi 17. uſus eſt Moyſes his uerbis: Cur tentatis Dominum?

Etſi autem hoc peccatum, tentare Deum, ualdè atrox eſt, & ſæpè accidit, tamen quia obſcurius eſt, declarationem addemus ex collatione hoc modo.

Differunt Murmuratio & tentare Deum. Murmuratio enim eſt impatientiæ, quæ eſt inobedientia iraſcens Deo in ærumnis aut pœnis. Hanc inobedientiam intelligimus utcunque, quia ſæpè & in ſanctis exiſtunt tales fremitus & indignationes, ut in Iob, Ieremia & alijs. *Murmuratio, et tentare Deum differunt.*

Sed tentare Deum addit aliud peccatum maius. Non tantùm eſt iraſci Deo, ſed etiam inſuper addere uel negationem, uel correctionem, fiducia propriæ ſapientiæ, ut in Exodo addunt negationem: Eſt ne Dominus inter nos, an non? Vbi contradicunt manifeſtis miraculis quaſi decepti ſint, Et tota hæc eductio, plena mirabilium teſtimoniorum DEI, fuerit impoſtura. *Tentare Deum.*

In Numeris capite 14. addunt correctionem horrendam ex ſua ſapientia, uolunt nouum ducem eligere, à quo reducantur in Aegyptum. Poſtea utcunque repreſsi, uolunt pergere & præliari cum hoſtibus, cùm quidem tunc Deus prohiberet. Ita ſæpè humana ſapientia peccat, quæ iubet DEVS, non uult facere, & quærit alia, quæ prohibet. Achas non uult parêre uoci Eſaiæ, in qua Deus promittit ei auxilium. Poſtea quærit impiorum Regum auxilia, quæ ſunt ipſi & regno pernicioſa. Eſaias dicit: In ſilentio & ſpe fortitudo ueſtra. Sed multi propter impatientiam & diffidentiam quærunt remedia iniuſta. Tales correctiones ſunt tentare Deum. *Quærere remedia iniuſta eſt tentare Deum.*

Hæc interpretatio congruit cum ſententia, Matth: 4. Vbi cùm Diabolus eſſet ſuaſor, ut Chriſtus omiſſis gradibus deijceret ſe de faſtigio templi per aërem, reſpondit Chriſtus: Non tentabis Dominum Deum tuum. Perſpicuum eſt enim hoc uelle Chriſtum: Non ſunt faciendæ correctiones ordinationis diuinæ humana curioſitate, ſed homo ſciens mandatum & ordinationem Dei manere inter has metas reuerenter debet, & Deo gratias agere, & ei obedire. Vt cùm ſciamus mandatum & ordinationem Dei eſſe, ut homo uitam cibo & potu foueat, ut in primo & ſecundo capite libri 1. Moyſi ſcriptum eſt, faceret peccatum huius generis, id eſt, tentaret Deum, ſi quis nollet uti cibo & potu. *Correctiones ordinationis diuinæ.*

Sic ſine ulla dubitatione peccant & tentant Deum, qui omiſſa diuina ordinatione coniugij, quærunt cœlibatum, & quidem fingunt, id opus eſſe excellentem cultum Dei.

Sic & in Actis cap. 15. inquit Petrus: Quid tentatis Deum, imponentes iugum super ceruices discipulorum? Hîc manifesta est correctio. Sciunt ex Euangelio remitti peccata, & reconciliari homines, reputari iustos, sanctificari, & fieri hæredes uitæ æternæ propter Filium Dei GRATIS, Fide, non propter Ceremonias Moysi, sciunt finem esse politiæ Mosaicæ, sciunt promissionem Gratiæ pertinere ad Israëlitas & ad gentes. Sciunt etiam nequaquam homini licere cultus instituere, sicut scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominum. Quanctz autem hæc omnia norunt, tamen aliqui humana sapientia uolunt stabilire & amplificare politiam Mosaicam, cogitant pulcrum esse, Ecclesias gentium imitari fontem, esse similes ritus, & hanc Pædagogiam esse honestiorem, sicut ingenioſi inter conuersos ex Iudæis, & amantes patriam pro sua imaginatione multa concinna argumenta excogitare poterant, Tales correctiones ortas à sapientia humana contra sapientiam Dei iam Ecclesiæ patefactam, nominat Petrus tentare Deum.

Non credens Euangelio tentat Deum.

Sic tentat Deum is, qui audito Euangelio de remissione peccatorum gratuita propter Mediatorem, non uult acquiescere, sed currit in Eremum, excogitat Monachatum, aut similia opera. Tales correctiones prorsus sunt tentare Deum.

Hæc exempla non obscurè declarant hanc appellationem, tentare Deum, ac sciendum est, id peccatum esse non ignorantiæ lapsum, sed scientis, qui ἐκ προαιρέσεως fiducia suæ sapientiæ, iusticiæ, aut uirium, discedit à mandato & ordinatione diuina, tanquam certans cum Deo, sapientia aut uiribus propriis, uidelicet, aut negans esse Deum, aut opera Dei, cùm sit aliter conuictus, aut corrigens ordinationem Dei humanis consilijs. Negant Israëlitæ, se à Deo eductos esse, & contradicunt manifestis testimonijs Dei, propterea, quia non omnes euentus respondent ipsorum imaginationibus. Peccant igitur impatientia, quia Deo nolunt obedire, & deinde addunt nouum & atrocius peccatum, negant esse opus Dei, de quo conuicti erant certissimis miraculis, negant Moysen esse ducem à Deo constitutum, sed uociferantur eum esse impostorem.

In quibus tentemus Deum.

Talia peccata sæpè accidunt priuatim & publicè, in cultibus, actionibus & doctrina.

I. De cultibus exempla manifesta sunt, Monachi relicta uia à Deo ordinata, fingunt sua uota meliores cultus esse, & mereri remissionem peccatorum, & esse perfectionem.

II. De actionibus uia ordinata est à Deo, ut Pastores rectè doceant Euangelium, nec quærant imperia, nec moueant bella prætextu ministerij Euangelici, sicut Romani Pontifices fecerunt & faciunt, & sicut Struthio & Monetarius ferebant nouas leges, & mouebant seditiones, ac somniabant se pulcrum statum uelle constituere.

III. De doctrina curiositas omnibus temporibus habet exempla. Semper enim multi discedunt à Verbo Dei, & quærunt uel concinniores opiniones, uel argutiores, ut Samosatenus corrumpit dictum Iohannis: In principio erat uerbum. Monachi corruperunt dictum, Fide iustificamur, scilicet formata.

Samosatenus.

ἀπώλοντο ὑπὸτοῦ ὀλοθρευτοῦ.

TExtus in Numeris capite 14. inquit: Exploratores omnes præter Iosuam & Caleb subita nece coram populo diuinitus interfectos esse, & consentaneum

neum est, multos seditiosos alios simul extinctos esse. Hæc facta sunt per Angelum, quem nominat ὀλοθρευτὴν. Et sumtam esse appellationem existimo ex 12. capite Exodi, ubi dicitur: Non sinet ingredi percussorem מַשְׁחִית, quo uerbo & in historia de Sodomis textus utitur, & significat propriè ὀλοθρευτὴς perdentem & delentem aliquid. Ideo ad Ebræos undecimo usus est eodem uerbo de Angelo eunte per Aegyptum.

Exequitur autem Deus pœnas etiam per sanctos Angelos, ut in historia de Sodomis manifestè dicitur. *Deus punit etiam per Angelos bonos.*

ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις.

Cur inquit, Typi, cùm hæ pœnæ non fuerint figuræ, sed manifesta supplicia scelerum? Item, Cur dicit, ipsis accidisse ut Typos?

Respondeo: Vocabulum, Ipsis, non est necesse referre ad Typos, sed ad uerbum, Acciderunt. Hæ pœnæ obruerunt ipsos, id est, inter ipsos hæc facta sunt.

Sed cur nominat Typos?

VEL generaliter dicit typos pro exemplis, uel quia omnes corporales pœnæ sunt typi, id est, signa æternarum pœnarum, quæ sequuntur, nisi fiat conuersio ad Deum. Quia corporales pœnæ principaliter ad hoc ordinatæ sunt, ut sint commonefactiones de iusticia & ira Dei, postea etiam sunt ad hoc ordinatæ, ut prosint ad pacem inter homines. *Corporalium pœnarũ usus.*

Hoc igitur uult dicere Paulus: Illæ pœnæ, quas recitat historia, fuerunt figuræ significantes, Deum uerè irasci similibus peccatis in Ecclesia omnibus temporibus, & æternas pœnas secuturas esse, nisi fiat conuersio, sicut uniuersaliter docet uox diuina, corporales pœnas esse commonefactiones de Pœnitentia, ut infrà Paulus inquit: Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Item, Vexatio dat intellectum.

ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ.

Ideo qui se existimat stare, videat ne cadat.

ADmonitio utilis est, in qua primùm hoc considerandum est, renatos posse labi, & amittere gratiam & Spiritum sanctum, ut manifestè inquit Christus in parabola Matth: 12. Et exempla manifesta sunt, Adam, Aaron, Saul, Dauid, & aliqui resipiscunt, ut Adam, Aaron, Dauid, aliqui sine pœnitentia perseuerant in suis furoribus, & ruunt in æternum exitium. *Renati possunt labi.*

Tumultuantur autem de hac quæstione Anabaptistæ multis modis. Aliqui negant electos labi posse, Aliqui negant eos effundere Spiritum sanctum, etiamsi labantur, Aliqui dicunt Saulem & alios non electos, nunquam habere ueram fidem.

Sed his omnibus opponamus hoc commune dictum Pauli: Qui stat, uideat ne cadat. Electos posse labi & amittere Gratiam & Spiritum sanctum, testantur tristissima exempla Adæ & Aaronis, de quo dicitur Deut: 9. capite. Aduersus Aaron ualdè iratus est Dominus, & uoluit conterere eum. Et sunt ualdè multi plurimorum Sanctorum tristes et atroces lapsus, ut Dauidis, Salomonis, Petri & aliorum, ex quibus tamen reuocati per pœnitentiam fide eriguntur, & rursus donantur Gratia & Spiritu sancto, & fiunt hæredes uitæ æternæ. *Electos posse labi.*

Et Christus sciens ingentem imbecillitatem hominum, iubet remittere Septuagies septies, Matth: 18.

Errores Catharorum explodendi.

Itaque explodendi sunt errores Catharorum, & non sunt extenuandi sanctorum lapsus, Sed potius doctrina tota de pœnitentia cognoscenda & exercenda est.

Quòd autem in aliquibus, qui initia fidei habuerunt, & postea lapsi non redeunt, fides illa, priusquam excutitur, uera sit, dictum Petri testatur 2. Pet. 2. Illecebris capiunt eos, qui uerè effugerant, τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας. Item, Cùm enim hi, qui effugerant contaminationes mundi in agnitione Domini & seruatoris Iesu Christi, rursus ijsdem implicati succumbunt, fiunt eis postrema deteriora prioribus.

Saul uerè iustus fuit.

Et Matth: 12. Dominus expressè dicit, expulsum fuisse immundum Spiritum, & domum purgatam & ornatam. Hæc de uerè iustificato dici, non dubium est. Et Saul uerè iustus fuit, quia Textus dicit: Spiritus Domini recessit à Saul. Nec tales dicerentur lapsi, si nunquam iusti fuissent. Hac breui admonitione hoc loco contenti simus.

πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν, εἰ μὴ ἀνθρώπινος.

Tentatio uos non apprehendit, nisi humana.

ANtithesis cogitetur tentationis humanæ & Diabolicæ. Ac mitigat Paulus obiurgationem Corinthiorum, ut eos consoletur, ne fracti desperatione prorsus à Deo deficiant.

Quanquam autem erat atrox peccatum, quod suprà recitauit de incesto, qui cum Nouerca consuetudinem habuit, & alij alia peccata admiserant, certabant æmulatione & odijs: tamen uult hæc peccata discerni à blasphemijs, sicut Iohannes discernit peccata ad mortem, à peccatis non ad mortem.

Tentatio Diabolica.

Tentatio Diabolica est, quando Satanas in cor ingreditur, uel, sicut in Luca dicitur, quando Satanas rapit Verbum Dei ex corde hominis, ut Epicureus contemtus Dei, ut in Rabsace, aut odium & ira aduersus Deum, ut in Saule, seu oppugnatio ueritatis, seu rabiosa propugnatio impij dogmatis. Tales fuerunt tentationes Cain, Saul, Iudæ, Samosateni, Arij, & similium, accensæ Diabolo impellente mentes, & confirmante tenebras, & sicut de Iuda scriptum est, Diabolo ingresso in corda eorum.

Etsi autem hoc ingens malum non comprehendi potest iudicio rationis, quanta miseria sit, dominari Diabolum in corde hominis: tamen cùm manifesta sint dicta in narrationibus Propheticis & Apostolicis, expauescant omnes homines, cogitatione tanti mali, & petant, ut filius Dei depellat Diabolos, iuxta illud dictum: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Tentatio humana.

Tentatio humana est dubitatio, uel error uel lapsus ab humana infirmitate ortus, nondum ita confirmato furore, ut mens sit Epicurea, ut accedat persecutio agnitæ ueritatis aut odium Dei. Valdè tristis lapsus fuit Dauidis, & Diabolus ei non leuiter insidiatus est, sed tamen non potuit eum impellere ad Epicureum contemtum uel odium Dei, ut Saulem impulit.

Discrimẽ lapsus Diaboli, et primorum parentum.

Fortasis intuetur Paulus in hac ipsa descriptione discrimen primi sceleris Diaboli, & primi lapsus hominum. Scelus Diaboli fuit blasphemia, quia cùm propius nosset Deum, & non aliundè impelleretur, suo consilio & arbitrio superbè contemsit Deum & filium Dei.

Sed

Sed primi parentes aliundè impulsi ceciderunt.

Etsi autem hominibus ualdè difficile est ista dijudicare, tamen utcunque discrimen considerandum est, & cogitandum, quàm uarij & horrendi lapsus sint sanabiles & insanabiles, & excitandæ mentes sunt ad timorem Dei, & ad inuocationem, sicut præcipit Petrus: Sobrij estote, & uigilate quia aduersarius uester Diabolus, tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in Fide.

πιστὸς δ' ὁ θεὸς ὃς οὐκ ἐάσει.

Fidelis autem Deus est, qui non sinet, &c.

ANtea tradidit seueriſsimam admonitionem, ut simus uigilantes, & illecebris cupiditatum ac Diabolo repugnemus. Nunc consolationem de protectione diuina, & auxilio Dei addit. Et est argumentum à possibili; Cùm & debeatis & possitis repugnare prauis illecebris, non sitis ignaui. Potestis autem uincere, quia Deus & pericula maiora arcet, & uobis in uestris certaminibus opitulatur. Ideo inquit: Fidelis Deus, qui non sinet uos tentari, suprà quàm ferre potestis, imò & cum tentatione dabit euentum, ut uincere possitis.

Fidelis est beneficus & uerax. Miseretur infirmitatis nostræ, & promisit auxilium. Ideo uerè nobis adest, sicut protexit & adiuuit Abraham in periculis uxoris, & Ioseph tentatum ab adultera, & postea coniectum in carcerem, & Moysen in tota gubernatione aduersus Pharaonem & seditiosos, ne uel opprimeretur ab hostibus, uel fractus desperatione à Deo deficeret. Et experiuntur omnes pij hanc præsentiam DEI omnibus temporibus, sicut clamat Dauid Psalmo 27. Dominus adiutor meus & protector meus, in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. Et Psalm: 90. Cùm ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Et Psalmo 144. Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos. *Præsentia Dei in Ecclesia.*

Hęc & similia dicta proprijssimè congruunt cum dicto Pauli in hoc loco.

Sed cùm tam multi superati à Diabolo, & sua infirmitate, ruant in exitium, ut maxima pars populi in deserto, & parabola de semine Matth: 13. significat plurimos deficere à Deo: Quomodo congruit ad hæc dicta, quòd tanta multitudo non protegitur? *Obiectio.*

Respondeo: Semper in Ecclesia duæ sunt partes. Vna habens initia timoris & fidei, quæ quanquam infirma est, tamen habet exercitia Pœnitentiæ & Inuocationis, & retinet timorem Dei & Fidem, de qua parte dicitur: Habenti dabitur. Item Psalmo 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in Veritate. Item, Quantò magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Item, Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad contritum Spiritu & trementem sermones meos. *Duæ partes in Ecclesia.* I.

Altera pars est secura sine exercitijs pœnitentiæ & inuocationis, ebria uoluptatibus, aut admiratione & fiducia suæ sapientiæ & iusticiæ, ut Saul Achitophel, Absolon, & alij innumerabiles. Hi superantur à Diabolo, quia sunt sine timore Dei, sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei. Non igitur accusent Deum, quòd non proteguntur, sed seipsos, quia ipsi suo furore arcent Deum, iuxta illa dicta: A non habente etiam id quod habet auferetur. Item, Matth: 12. Et ueniens, inuenit domum ociosam. Tunc alios II. *Securi arcent Deum.*

septem Spiritus assumit nequiores se, & fiunt nouissima peiora prioribus. Et 2. Pet. 2. Si cùm effugeritis contaminationes mundi, rursus eis implicabimini, fiunt posteriora deteriora prioribus.

Non furentes securitate Deus sustentat.

Ex his & similibus testimonijs manifestum est, dictum in Paulo intelligendum esse de his, qui habent exercitia pœnitentiæ, & inuocationem: Fidelis est Deus, nec sinet nos tentari, suprà quàm ferre potestis, Vos uidelicet, non furentes securitate, sed habentes exercitia pœnitentiæ & inuocationis, sicut & Salomon inquit: Beatus qui semper est pauidus. Et Zacha: 1. dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, Et Esaiæ 1. Definite mala facere, & discite bene facere. Si fuerint peccata uestra sicut coccinum, eritis candidi sicut nix. Hos igitur protegit Deus, hos sustentat uelut subiecta manu, ut nutantes, aut labentes non ruant in exitium. Et in horum tentationibus regit euentus, & dat placidos exitus, sicut hîc dicitur, Dat cùm tentatione exitum seu liberationem, ut uincere possint.

Sed de securis, qui non habent exercitia pœnitentiæ, dicitur Prouerb: primo: Quia uocaui & renuistis, & increpationes meas neglexistis, ego quoq; in exitio uestro ridebo.

Hac distinctione considerata securitatem corrigamus, & inuocationem excusitemus. Ita nobis dulcissimam consolationem in his dictis Pauli propositam esse sciamus.

φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρίας.

REdit ad speciales admonitiones, ac primùm generaliter prohibet, ne polluantur ullis contagijs cultus Idolorum, id est, ne accedant ad sacrificia Ethnica, item ne scientes ueniant in conuiuia, in quibus usitatum erat, uesci parte carnium consecrata. Habebant enim certæ familiæ sua quædam Sacrificia, & dies festos, in quibus cognati cognatos uocabant.

Erat autem impia & tetra confusio, profiteri agnitionem ueri Dei, & uel interesse sacrificijs Idolorum, uel conuiuijs, ubi pars consecrata quasi religione quadam proponebatur.

Pompa circumgestationis panis.

Hanc confusionem fieri prohibet, sicut nunc quoque tetra confusio est, interesse pompæ, in qua panis adoratur, & intelligere, panem in ea pompa esse Idolum. Considerentur hîc & alia similia exempla.

Cùm autem fiat mentio conuiuiorum, Paulus Antithesin facit Cœnæ Domini, & sacrificiorum ac conuiuiorum Ethnicorum, & expressè inquit, non faciendam esse talem confusionem mensæ Christi & mensæ dæmonum. Hæc est summa huius Loci. Nunc uerba Pauli ordinè considerabimus.

τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν.

Calix benedictionis, quem benedicimus, &c.

Calix benedictionis.

MAnifestum est loqui Paulum de Cœna Domini. Est igitur Calix benedictionis, calix, quo sumitur sanguis Christi, sicut sonant uerba de institutione Cœnæ apud Matthæum, Marcum, Lucam, & infrà cap. 11.

Nominat autem Calicem benedictionis, & addit, quem benedicimus, ut discernat hunc calicem à profano potu, qui hauritur sitis causa, cùm hic potus hau-

tus hauriatur non propter corporis nostri rigationem, sed ut sit commonefactio de sanguine Christi pro nobis effuso.

Hæc ut planius intelligantur, cõsideretur usus uocabuli benedicere, quod aut significat gratias agere, ut cùm dicitur, Psalmo 33. Benedicam Domino omni tempore. Et Dauid 1. Reg: 25. Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit te hodie in occursum mihi. *Vsus uocabuli benedicere.*

Aut significat bona precari: aut cùm Deus benedicit, significat benefacere, quia Deus dicendo efficit, ut Genesis 48. scriptum est: Benedixit Iacob filijs, id est, bene precatus est. Et postea in eodem loco, Benedicat Deus pueris istis, Id est, dicendo benefaciat eis, det eis bona. Item, Benedictio Domini diuites facit, Id est, Deus bona dicendo auget, & custodit facultates.

Hæ sunt præcipuæ significationes uerbi Benedicere, quarum exempla ubique obuia sunt, Et in lectione prudenter iudicandum est, quæ sit simplex & natiua significatio.

Promiscuè autem usurpata sunt in Matthæo & Marco de Cœna Domini uerba εὐλογήσας & εὐχαριστήσας. Et uerbum εὐχαριστήσας ostendit, Dominum uelle in cœna fieri Gratiarum actionem. Itaque simplicissima erit enarratio: Calix benedictionis, id est, calix gratiarum actionis, ex quo bibentes agamus gratias Deo, & Domino nostro Iesu Christo, quòd sanguine Christi redemti simus, Id est, agnoscamus & celebremus hoc beneficium, & uera fide statuamus, nos recipi, & pro immensa misericordia & mirando consilio redemtionis reuerenter agamus gratias, & sit uera gratitudo, qua corda se Deo subijciant, & uerè eum inuocent. Cæteras interpretationes omitto. *Calix gratiarum actionis.*

Ita quod sequitur: Quem benedicimus, Id est, apud quem dicimus uerba tradita à Domino, item gratiarum actionem & precationem, quæ omnia simul sunt ritus discernens hanc cœnam à profana cœna, quæ pascit corpus nostrum. Nam hæc cœna non est ad hunc Physicum usum instituta, sed habet alium finem. *Ritus discernens Cœnam Domini à profana.*

Vsitata est alijs interpretatio, quem benedicimus, id est, quẽ consecramus. *Consecrare.*

Hæc interpretatio dextrè intellecta, non uituperanda est. Consecramus, id est, addimus sacra uerba & gratiarum actionem, ne sit usus profanus, seu Physicus, sed sit consolatio animæ. Sed sacrificuli dicunt, consecramus, id est, facimus uirtute uerborum mutationem substantiæ.

Adest autem Christus suo Sacramento, non quia sacerdos faciat ibi mutationem, aut quia sit uis in uerbis mutans res, sed quia liberrimè uult ad esse ritui quem instituit, sicut Spiritus sanctus liberrimè ad est in baptisando. *Christus cur adsit Sacramento.*

οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ χριστοῦ ἐστίν.

ID est, est illa res externa uisibilis, qua sanguis Domini nobis exhibetur.

Sic panis quem frangimus est illa res externa uisibilis, qua efficimur socij & membra corporis Christi. Sicut dicitur, Euangelium est potentia Dei, Id est, illa res seu instrumentum, quo Deus est efficax.

Recentior ætas Monachorum finxit transsubstantiationem, quam ita nouo nomine nuncuparunt, de qua priusquam dico, quædam de ratione Sacramentorum dicenda sunt. *De Sacramentis.*

Exordiar autem à primo initio.

Ecclesia Dei colligitur uoce promissionis inde usque ab initio, mox post

Deus semper addidit promißioni Sacramenta.

editam primam promissionem, qua recepti sunt Adam & Eua, Ac semper addidit promissioni Deus externa signa. Ac de signis ante diluuium non multa scripta sunt. Sed tamen signum erat ipsa agni inflammatio.

Deinde cùm promissio renouata est, & restricta ad posteritatem Abrahæ, additum est signum, scilicet Circumcisio.

Et deinceps in Ceremonijs Leuiticis multa signa fuerunt, mactatio agni Paschatos. Et postremò post aduentum Messiæ, Baptismus & Cœna Domini.

Ita Ecclesia semper uoce Promissionis & Sacramentis constituta est, & à cæteris gentibus distincta, & Patres & Prophetæ, & eorum auditores pij & eruditi intellexerunt doctrinam de promissione Gratiæ, & fide, & uero usu signorum. Sed magna multitudo semper omnibus ætatibus oblita est doctrinæ de promissione & de iusticia fidei, & signorum usum multis modis deprauauit.

Abusus signorum.

Alij signa uerterunt in numina seu Deos, ut Chaldæi & Persæ, ignem finxerunt esse ipsum Deum, quia audierant igni delapso ex cœlo incensas esse uictimas.

Alij finxerunt ritus esse opera, quæ mererentur remissionem peccatorum. Et hac opinione cumularunt illa opera, & non solùm nouas Ceremonias, sed etiam noua numina & nouos Deos excogitauerunt.

Sic Pharisæi putabant se mereri remissionem suis sacrificijs, & iubebant populum sæpè facere mactationes, ut hoc modo peccata delerentur.

Hi errores uagati sunt in genere humano omnibus ætatibus.

Ita circumferunt Papistæ panem, & affirmant esse Deum. Et de Missa, de Monasticis ritibus dixerunt, hæc opera mereri remissionem peccatorum. Et populus hac persuasione fascinatus, magna pecunia cumulari tales Ceremonias curauit.

Prophetæ taxant abusus Papistarum.

Hos tetros errores necesse est in Ecclesia taxari. Et uidemus Prophetas grauissimis & asperrimis concionibus hos furores damnare, ut Psal: 49. Non in sacrificijs tuis arguam te. Et Esaiæ 1. Et Iere: 7. Non præcepi de holocaustis, ubi certè ludæis uidebatur Propheta expressè pugnare cum Lege. Et Oseæ 6. Misericordiam uolo, non sacrificium: Et agnitionem Dei magis q̃ holocausta.

Denique passim in Prophetis obuiæ sunt tales conciones. Hæc uerò loca tantùm eò indicaui, ut illa uetera certamina iuniores considerent, & agnoscant similia esse præsentium.

Reiectis uerò abusibus, extet in Ecclesia doctrina pura & integra de iusticia fidei, quòd homo accipiat remissionem peccatorum, & reputetur iustus Fide propter Filium Dei GRATIS, non propter propriam dignitatem, opera, aut uirtutes.

Duo fines Sacramentorum præcipui.

Deinde sciendum est, Duos esse potiores fines Sacramentorum. Alter est, ut sint signa Promissionis. Alter, ut sint signa Confessionis, & distinguant Ecclesiam Dei à cæteris gentibus. Vt circumcisio primùm erat signum Promissionis. Nam Promissio facit mentionem Seminis. Igitur in ea parte signum institutum est. Atque ita testimonium est de uoluntate Dei erga nos, sicut ipsa promissio, Et rectè inquit Augustinus: Sacramentum est uerbum uisibile, id est, idem monet quod promissio, sed incurrit in oculos, cùm promissio accipienda sit auribus, & mens intuens signum, commonefiat de uoluntate Dei erga nos, hoc est, de promissione, & statuat se iuxta promissionem receptum esse. Et nitatur fides ipso Mediatore, non hoc opere aut signo.

Sacramentum uerbum inuisibile.

Addidit

Addidit autem Deus talia signa promissionibus, ut firmior & durabilior memoria esset promissionum, quia spectacula incurrentia in oculos magis mouent animos, & facilius retinentur, quàm nuda dicta. *Signa cur addita promissioni.*

Alter finis est, ut sint signa confessionis & distinctionis Ecclesiæ. Sed hic finis nec primus nec solus esse ducatur, ut Anabaptistæ fingebant, Baptismum tantùm fuisse ritum inuentum, ut discerneret Ecclesiam ab alijs hominibus. Imò prior finis est, ut sit signum uoluntatis Dei erga nos, uidelicet promissionis, monet certò nos mergi in mortem filij Dei, & propter eum ac per eum ablui peccata nostra. *Anabaptistarum error.*

Deinde accedunt alij fines. Et quædam signa propriè sunt nerui publicorum congressuum, quia semper Deus uoluit exaudiri uocem Euangelij in genere humano, ac propterea ut latè spargi uox Euangelij posset, uoluit audiri & conspici Ecclesiam, & honestos congressus publicos doctrinæ propagandæ causa instituit, & hos immensa bonitate omnibus ætatibus seruat, frementibus Diabolis. Et ut tales congregationes fierent maiore grauitate, Ceremonias addidit, tanquam ritus Panegyricos, quæ essent uincula & nerui illorum congressuum. *Signa sunt nerui publicorũ congressuum.*

Hæ grauissimæ & uerissimæ causæ rituum publicorum considerentur, & procul remoueantur imaginationes, quæ fingunt Idola & meritum.

Deinde & hæc sententia uerissima teneatur, nihil habere rationem Sacramenti extra usum institutum, quia Sacramenta sunt actiones in Ecclesia ordinatæ certo modo. Cùm ritus mutatur, aut extra institutum ordinem transfertur ad alios usus, non est Sacramentum, sed actio superstitiosa, aut Idolum, ut si Baptisatio fieret ad tollendam lepram, talis mersio non esset Sacramentum, sicut Circumcisio Iudæorum hoc tempore, nec Mahometica Circumcisio ullo modo rationem habet Sacramenti. *Nihil habet rationem Sacramenti extra usum.*

Ita panis, qui circumgestatur, nullo modo rationem habet Sacramenti, & adoratio prorsus est Idoli adoratio, sicut adoratio ignis Chaldaici aut Persici, quem fingebant esse Deum, & nominabant Orimasda, id est, sacrum lumen. Sic & in Papistica oblatione adoratio est Idoli adoratio, quia cultus ille extra institutionem conflictus est. Hanc tam tetram profanationem & Idolomaniam cùm piæ mentes cogitant, non possunt non horribiliter dolere. *Orimasda.*

Et ualdè consentaneum est, Danielem de hoc ipso Idolo loqui, cùm inquit, colet Deum Maozim auro & argento. Nec nomen Maozim procul abest à nomine Missa, quod nomen etiam affine est nomini Mazon, quod cibum significat. Sed filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum assiduis gemitibus oremus, ut propter suam gloriam omnia Idola, & omnes errores ex Ecclesia tollat, & in mentibus nostris ueram inuocationem accendat. *Deus Maozim*

Remotis igitur abusibus dicamus de uero usu.

Actio recitatur à Matthæo, Marco, Luca, & Paulo, quæ sic fiat, sicut ibi describitur. Et sit primus finis, ut hæc sumtio sit nobis tanquam pignus, quo confirmati credamus uerè nos esse & fieri membra filij Dei, & ablutos esse sanguine Filij DEI. Atq; ita statuamus nobis certissimè dari remissionem peccatorum, non propter hanc sumtionem, sed propter filium Dei, qui fuit Victima pro nobis, & nunc regnat, colligit, & sanctificat Ecclesiã. Ita fit applicatio beneficiorum Christi propria fide, & sumtione propria, non aliena oblatione Sacerdotis, quia manifestum est, institutam esse sumtionem singulorum, sicut dicitur: *Sumtio pignus.*

Accipite,

Accipite, manducate. Nec existimetur hoc spectaculum esse simile Tragœdiæ Herculis aut Thesei, ut profani homines imaginantur, ubi mortuorum & absentium recordatio fit, sed uiuit filius Dei & regnat, & uult adesse Sacramento in hoc usu institituto, & nos sibi tanquam membra copulat, & sine ulla dubitatione ibi efficax est in ijs, qui fide sumunt, & hac consolatione se sustentant.

Cœnæ Domini fines.

Postea sunt alij fines huius totius actionis.

I. Primus ille est, quem dixi, Vt Fides excitetur, applicans nobis beneficia. Sicut Abraham cogitatione Circumcisionis excitabat Fidem, lætabatur promissione seminis.

II. Secundus, Gratiarum actio, quia beneficij recordatio simul accendere gratitudinem debet. Hinc est usitata appellatio εὐχαριστία. Et Cyprianus complectitur utrunque finem, adfirmat accipienda esse beneficia Christi, & uicissim agendas esse gratias: Pietas inter data & condonata tanti beneficij largitori gratias agit.

III. Tertius finis est, Vt sit neruus publicæ congregationis, in qua uult Deus sonare & conseruari uocem Ministerij Euangelici. Ideo dicit: Quotiescunque facietis, mortem Domini annunciabitis. Ac semper uoluit Deus honestos & publicos Ecclesiæ congressus esse, & eos sua bonitate conseruat & tuetur.

IIII. Quartus finis, Vt in publico congressu sit testimonium confessionis, quia uult Deus per hanc sumtionem conspici, quam doctrinam, quos cœtus approbemus.

V. Quintus finis, Vt sit mutuæ dilectionis & quasi fœderis signum, sicut usitatissimum fuit sancire fœdera simul edendo in sacrificijs.

Sed prudenter discernendi sunt tot fines, ac semper principalis retinendus est, ne deprauetur usus Ceremoniæ.

Num igitur dico, quòd Idolum aliquid sit?

REfutatio est argutæ excusationis, qua defendebant aliqui suam licentiam: Cùm Idolum nihil sit, licet rebus uti, quales sunt natura, ut Rahel Idola patris aurea secum auexerat, ut uiaticum haberet, non ut coleret.

Refutatio obiectionis de Idolo.

Hanc callidam elusionem Paulus refutat: Etsi nihil est reipsa Idolum, tamen necesse est opinionem & cultum in Ethnicis aperte taxari. Nam horum furores, qui Idola uel excogitant uel stabiliunt, sunt magna & tetra peccata, quibus aduersari necesse est, quia dictum est: Non habebis Deos alienos.

Illi autem, qui intersunt uel sacrificijs uel conuiuijs sacrificantium Idolis, confirmant eorum opinionem, cùm non ostendant se abhorrere ã talibus sacrificijs. Sicut nunc, si qui comitantur dominos in circumgestatione panis, uidentur illam adorationem non improbare, quæ certè pugnat cum dicto, Non adorabis Deos alienos.

Exemplum Rachel.

Multum differt exemplum Rahel à Corinthiorum conuiuijs. Nam cùm Rahel aufert statuas, hoc ipso ostendit, se nolle eas à patre coli, nec ipsa colit, sed aurum in uiaticum collatura est, sicut Irene filia Imperatoris Licinij Statuas aureas in Sacello patris destruxit. At familiaritas Corinthiorum cum sacrificantibus similis erat collusioni. Certissimum est autem, uelle Deum uitari Idolorum cultus & confirmationem.

Confirmatio Idolorum uitanda.

Non

Non obscura est Pauli sententia, sed fiet magis perspicua, cùm transferemus eam ad exempla eorum, qui nostra ætate intersunt circumgestationi panis, aut Idolorum cultibus in inuocatione mortuorum, aut Missis funebribus & similibus.

πάντα μοὶ ἔξεστιν, ἀλλὰ οὐ &c.

Omnia mihi licent, &c.

REfutat aliam obiectonem ex doctrina de libertate Christiana sumtam: Libertas Christiana tollit discrimina ciborum, Cur igitur interdicis mihi in amicorum conuiuijs his cibis, quos scio creaturam Dei bonam esse, nec mutari per stultas consecrationes, sicut aurum, ex quo facta sunt sacra pocula, non mutatur? *Obiectio.*

Respondet Paulus, addens restrictionem ad generalem doctrinam de Libertate: Quanquam licent omnia, scilicet in hoc genere, quæ dicuntur media, ut in usu cibi, potus, dierum: Tamen addenda est hæc restrictio de scandalo: Non utaris libertate, ubi confirmat cultum Idolorum, aut ubi adducit conscientias imbecillium in dubitationem, sed seruias utilitati aliorum. *Vsus libertatis.*

Postea rursus addit Paulus confirmationem doctrinæ libertatis. Omne quod in macello uenditur, comedite, non inquirentes propter conscientiam, quia Domini est terra & plenitudo eius. Nihil in his locis dicitur de distinctione politica rerum. Libertas Christiana non concedit conturbari dominia, & rapi aliorum coniuges aut pecudes. Quia hanc ciuilem societatem uult Deus regi politicis ordinationibus. Non de ciuili societate hîc dicitur, sed de conscientia singulorum erga Deum, in usu rerum propriarum. Hoc quæritur, an sit peccatum coram Deo, uesci carne Leporis, qui iure tuus est. Hîc respondet Paulus, non esse peccatum. Et accommodat dictum ex Psalmo: Domini est terra & plenitudo eius. *Libertas Christiana non tollit dominia rerum.*

In Psalmo non dubium est hanc simplicissimam esse sententiam: Cùm alloquatur reges, Attollite portæ capita uestra &c. Initiô præponit Antithesin. Domini est terra, quasi dicat, non est Regum & Principum, sed Dei. Vestrum est ei obedire, & sic uti terra, ut placet Domino, Et quidem uult Dominus ex tota terra colligere Ecclesiam. Hæc est natiua sententia. Paulus generalem sumsit de Creatione, cuius etiam mox fit mentio: Ipse super maria fundauit eam, Dominus condidit terram, & res nascentes in ea, & quidem condidit, ut frueretur Ecclesia, & sunt res bonæ. Et bona conscientia omnibus conuenientibus rebus usurus erat Adam. Hoc dominium nunc redditur Ecclesiæ, Omnibus conuenientibus rebus bona conscientia nunc Ecclesia uti potest. Nam uincula legis remota sunt, & res ideo conditæ sunt, ut eis Ecclesia fruatur. *Psal. 23.*

συνείδησιν δὲ λέγω &c.

Conscientiam autem dico &c.

VOcabulum est forense, ἀνακρίνοντες, quod significat scrutantes, interrogantes seu inquirentes, sicut in iudicijs examinantur litigatores aut testes. Paulus igitur tanquam prudens monitor, ut occasiones multarum quæstionum præcidat, mauult omitti interrogationes. Nam si qui uescerentur inscij, non erat futura disputatio, sed ignorantia pariter omnes excusabat.

Addita

Regula de Adiaphoris.

Addita est autem utilissima admonitio de rebus medijs, ut quocunque tempore sic eis utamur aut non utamur, ne alienas cõscientias saueiemus. Talis est enim natura hominum, ut aliqui aut inscitia aut infirmitate turbentur, & in dubitationem adducantur: Aliqui uerò morositate ægrè ferant fieri aliquid contra suas opiniones, & contra suam consuetudinem. Postea languefiunt fides & inuocatio tùm dubitatione, tùm indignatione. Et sequuntur ex his paruis offensionibus magnæ & pernicioſæ discordiæ & defectiones.

Occasiones dißidiorum uitandæ in doctrina libertatis.

Siue igitur infirmitas, siue morositas, siue malicia causa est dissensionum, Paulus ut sapiens monitor suadet uitari occasiones talium dissidiorum, & mauult doctos non uti sua libertate, ne spectatores irritent qualescunque sunt, seu infirmi, seu stulti, seu morosi. Est omnino sapienter cogitata Pauli admonitio, ut postea in conclusione ostendet eius argumentum, quod opponit obiectioni eorum, qui uolunt perhiberi doctiores. Hi opponunt morosis hæc dicta: Quare libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? Quare morosi sumunt sibi iudicium de nobis, & nos condemnant propter usum rei concessæ, propter uestem aut ordinem cantionum? (Nam hæc uerba μιμηλικῶς legenda sunt.)

Fines omnium actionum duo.

Etsi autem Paulus hac ipsa obiectione etiam taxat morosos, tamen ut sapiens monitor, potius uult sapientes alienæ infirmitati & morositati cedere. Et regulam tradit, quæ monstrat summos fines omnium deliberationum, quorum consideratio omnes actiones in tota uita regere debet.

I. Primus & summus finis est omnium creaturarum, præsertim intelligentium, ut omnia faciant ad illustrandam noticiam Dei, & ornandam eius gloriam, & confirmandam inuocationem. Hîc finis in primo præcepto continetur, & lex naturæ aliquo modo eum monstrat. Et filius Dei inquit: Luceat lux uestra, ut glorificetur pater uester cœlestis. Ita hîc inquit: Omnia ad gloriam Dei facite.

II. Deinde sequitur altera regula: Non offendite Ecclesiam Dei. Post illam primam curam de gloria Dei, sit proxima cura, non quod nobis suaue est, aut pulcrum uidetur, sed quod fouet communem concordiam, & non turbat inuocationem. Talis circumspectio necessaria non est solùm in Ecclesia, sed etiam in uita ciuili, Sicut Plato inquit: Omnium Legum fines esse oportere hos duos, ut ciues honesti sint, & inter sese amici.

Legum fines duo.

Hæ regulæ ex fontibus sapientiæ sumtæ, diligenter cogitandæ sunt in omnibus uitæ actionibus. Et homo considerans, quibus rebus uel foueatur uel turbetur communis concordia, intelligit harum regularum uim maximam esse.

CAPVT VNDECIMVM.

PRima admonitio est in hoc capite, ut unam normam doctrinæ & cultuum traditam à Domino nostro Iesu Christo sequamur. Ideo Apostolus inquit: Imitatores mei estote, sicut ego sum Christi. Nequaquam uult doctrinam aut cultus alios recipi, nisi quos accepit traditos à Christo. Et laudat auditores, quòd retineant doctrinam & ritus, sicut ipse tradidit. Et uocabulum παραδόσεις intelligatur de doctrina & ritibus præcipuis, quorum testimonia exstant in scriptis Apostolicis. Et rituum usus intelligatur iuxta doctrinam Apostolorum, sine superstitione.

Doctrina & ritus traditi à Christo recipiendi.

Etsi au-

Etsi autem occasio quæstionis de mulieribus non uelatis, sciri hoc tempore non potest, præsertim cùm in his regionibus alia nunc sit consuetudo: tamen adparet ortam esse eam quæstionem ex sermonibus de libertate. Aliæ ueteri more ueniebant in publicam congregationem uelatæ, sicut Iudaicæ & Romanæ mulieres incedebant: aliæ liberiores incedebant non uelatæ. Et credibile est, seueribus displicuisse hanc libertatem, quæ fortassis imitatio erat Ethnicarum mulierum, ut ex comœdijs iudicari potest. *Quæstio de mulieribus non uelatis.*

Igitur Paulus ritum seueriorem adprobat, & quærit rationes in ipso ordine in creatione instituto, sicut in moralibus regula seruanda est, ut ordinem naturæ conuenientem iuxta creationem sequamur. Abstineat uir à muliere menstrua, Abstineat à puerpera, propter naturæ debilitatem. Ita hîc argumentatur: Natura mulier ornata est prolixiore coma, ut sit tecta, Et turpe & alienum à natura est, mulierem conspici sine ulla coma. Ergo inquit sit tecta. *Ordo naturæ conueniens retinendus.*

Ab hac conuenientia naturæ sumitur argumentum, & uult Paulus fieri id, quod est honestius, quia naturæ magis congruit, sicut nos nunc dicimus, honestius esse in publico congressu uestitum esse mediocri ueste, quæ nates tegit, quia naturæ congruit eas partes tegere.

Et uox ualdè digna est consideratione & memoria, cùm ait: An non docet uos natura? Hîc sciamus in moribus considerandum esse legem naturæ. Dissertè enim dicit: An non docet uos natura? non uult nos cupiditates seu affectus huius deprauatæ naturæ sequi, sed uult intelligi, quid doceat natura, id est, legem seu noticias monstrantes ordinem uult aspici. Hoc discrimen diligentissimè considerandum est. Et sæpè in moribus hæc regula proponi potest: In contractibus seruato æqualitatem, quia natura docet hanc æqualitatem iusticiam esse Deo placentem, & necessariam communi societati, Et nisi seruetur æqualitas, exhauriri unam partem & interire. Ac multa exempla recitari possent. Sed satis sit monitum esse lectorem, ut hanc regulam obseruet, de natura docente. Et tamen sciendum est, loqui Paulum de moribus & de lege, non de promissione Euangelij aut alijs materijs extra conspectum rationis humanæ positis. Imò & in his moralibus sciamus etiam nobis circumdatas esse metas per expressam legem Dei, quia ratio in aliquibus negocijs, præsertim in hac naturæ deprauatione uagatur longius, ut Lamech ausus est plures uxores ducere, & deinde Aegyptij duxerunt sorores. Etsi igitur considerandum est, quid doceat natura, tamen Deus ideo legem quoq; tradidit, ut uagabundæ rationi frenos iniceret. Anteferenda est igitur lex Dei expressa. *In moribus consideranda est lex naturæ.*

Hæc in summa de hac quæstione dicta sint, de qua tamen Paulus ipse ostendit, se non uelle hæc superstitiosè intelligi, non facit cultum, non opus necessarium, hanc uelandi consuetudinem: Sed uult contentiones uitari, & monet, quid sit honestius.

Viri Caput est Christus.

REcitauimus præcipuam in hac admonitione sententiam: Imitatores mei estote, sicut ego sum Christi. Vult nos amplecti doctrinam à filio Dei traditam, & prorsus nihil recipi contra Euangelij sententiam.

Deinde in quæstione de uelandis mulieribus utitur duobus argumentis, quæ non superstitiosè accipienda sunt. Et in altero perspicuitas maior est. Nam natura comam prolixam mulieri addidit, & significat magis eam tegendam esse, quia *De mulieribus uelandis duo argumenta. I.*

se, quia minus debet uenire in conspectum populi. Viro non est addita talis coma, quia uirum in gubernatione, in acie, in Senatu, in dicendo conspici oportet. Ergo mulier sit uelata. Enthymema oratorium est, & à signis in natura & iudicio naturali rectè sumtum. Et homines sani huic argumento tam aptè sumto ex natura, non refragantur.

II. Alterum argumentum obscurius est, quod cùm dextrè & sine cauillationibus accipitur, congruit ad hanc quæstionem, & doctrinam continet utilem. Gradus facit: Deus est caput Christi. Christus est caput uiri. Vir est caput mulieris. Hîc cauillator obijciet: Imò Christus & mulieris caput est, sicut certissimum est, mulieres & uiros pariter hæredes esse uitæ æternæ, & pariter recipi fide propter Mediatorem, Et scriptum est: In Christo nec mas est nec fœmina, nec προσωποληψία est. Sed uerè & dextrè sic respondeo. Paulus non loquitur hîc de remissione peccatorum utriusq; sed de ministerijs. Ita sine ulla Sophistica congruit ordo in gradibus recitatis. Deus est caput Christi, non de essentia dicitur, sed de Ministerijs. Filius Mediator accipit ministerium à consilio diuinitatis, Sicut sæpè inquit: Pater misit me. Fit hîc mentio non arcanæ essentiæ, sed ministerij, ad quod filius singulari modo missus est. Deinde congruit: Christus est caput uiri. Certissimum est, uirum in toto genere humano primùm accipere ministerium docendi & gubernandi publicum cœtum, Cùm quidem uelit Deus semper esse publicos congressus & uocem docentium in publico cœtu exaudiri à toto genere humano, sicut dictum est: In Ecclesia magna laudabo te. Est igitur regulare hoc, uiri esse hanc gloriam, docere & regere cœtum publicum, & politias, & mulierem propriè gubernatricem œconomicam esse, sicut inquit Homerus, λόγῳ δ' ἄνδρεσι μελήσει.

Vir caput mulieris. Obiectio.

Deus caput Christi.

Vir doceat publicè.

Mulier regat œconomiam.

Sequitur ergo gradus œconomicus, Vir est caput mulieris, id est, uir primus accipit ministerium docendi & regendi, deinde partem attribuit mulieri in œconomia. Mater docet & regit sobolem, sicut Rebecca docet filium Iacob. Hæc interpretatio uera, plana, & perspicua est. Et uir in publico cœtu doctor est, & gubernator & præliator. Hunc conspici oportet, Ideo non sit uelatus. Mulier non docet in publico congressu, nec est gubernatrix politica nec præliatrix: Ideo in publico conuentu sit uelata, Hæc aptè congruunt, quia oratorem, gubernatorem, ducem, in acie conspici oportet, sicut & domi in œconomica gubernatione matremfamilias conspici oportet.

Sunt ergo perspicua hæc dicta: Vir in publico congressu stans uelatus in precatione publica, aut concione, deformat caput, id est, non seruat ordinem, non uult conspici, sicut Christus se præbet conspiciendum.

Dux qui non uult conspici, spernitur ab exercitu. Et semper fuit & est usitatum, duces habere singularia signa in acie, ut cerni & agnosci possint.

Actio dominatur in uultu.

Sic oratoris actio, si diceret uelatus, ridicula esset. Actio enim dominatur in uultu & in oculis. Rectè igitur scriptum est, deformat caput, se & Christum.

Econtrà mulier deformat caput, si non sit uelata, quia etiam non seruat ordinem, Et intexitur membrum ex altero argumento: Natura eam texit coma.

Vir est imago & gloria Dei.

AN non & mulier est Imago Dei? Verissimum est, ita conditum esse genus humanum marem & fœminam, ut sint naturæ intelligentes, æternæ, agnoscentes

scentes Deum, ornatæ iusticia, & collocatæ in mundum, ut certis officijs celebrent Deum, & eius noticiam tradant nascentibus ex ipsis. Ita uterq; est imago & templum Dei, uterq; est natura intelligens, ornata agnitione Dei & iusticia.

Sed tamen gradus sunt. Vir est prior muliere, & mulier mirando consilio ex ipso condita est, & tamen similis uiro, & seruiens suo loco in simili officio, quia uoluit Deus hanc ipsam creationem typum esse Ecclesiæ nascentis ex filio. *Vir prior muliere.*

Sine ulla dubitatione proxima imago est æterni patris, filius, id est, est natura intelligens, habens radios in se transfusos essentiæ, sapientiæ, iusticiæ & uitæ æterni patris, & est gloria patris, id est, ostendens & celebrans patrem in genere humano.

Deinde sicut ex Adam sumitur costa, unde, ut ibi scriptum est, ædificatur Eua: Ita sumitur Ecclesia ex ipso corpore filij Dei, id est, ex natura socia filij Dei redemta per ipsum. Et hæc est imago domini, natura intelligens, accipiens ab ipso immediatè uerbum, agnitionem Dei, sapientiam & iusticiam, & est gloria celebrans eum. Et quia est os ex ossibus eius, & caro ex carne, mirabile incendium est amoris mutuum inter hunc dominum & inter Ecclesiam. *Ecclesia sumitur ex ipso corpore Christi.*

Hic typus illustrat dictum Pauli, imò totam doctrinam de Creatione. Vt Christus est imago æterni patris: Ita uir est proxima imago Dei seu Christi, id est, natura intelligens, ornata agnitione Dei & iusticia, & ordinata ad publicum ministerium, ad celebrandum Deum.

Postea & mulier cùm sit ex uiro sumta, proximè est imago & gloria uiri, sed tamen simul copulata Deo, quia quæ uni tertio æqualia seu similia sunt, inter sese sunt æqualia seu similia. Itaq; & mulier est natura intelligens, ornata agnitione Dei & iusticia, & ordinata ad certũ ministeriũ, sed angustius ministerium uiri, scilicet, ad institutionẽ & gubernationẽ œconomicam. Et tamen simili sapientia & iusticia inuocãt & celebrant Deum. Ideoq; mirando incendio diligit uir mulierẽ, & mulier uirũ, quia mulier ex uiro sumta est, & est similis, id est, natura intelligens, ornata simili agnitione Dei, sapientia & iusticia. Et amorem accendunt cognitio & similitudo, quæ tunc perfecta est, cũ copulati sunt in Deo, sicut & initiò ante lapsum Mas & Fœmina pariter in Deo copulati erant. Ex his fontibus sumenda sunt uera & miranda argumenta consociationis maris & fœminę, & coniugij, & amoris mutui. Non sic amat uir statuam, quia nec cognata est, nec similis est, id est, non est res intelligens, nec ornata simili sapientia & iusticia, ac simili ministerio. Sed mulier est cognata, & est similis, id est, est res intelligens, ornata simili agnitione Dei & iusticia, & seruiens in eodẽ ministerio, quanquam angustiore, & socia generationis, & opitulatrix uiro in multis uitæ officijs & periculis. Ideoq; & gloria uiri est, quia est cognata, similis, socia generationis, & opitulatrix in uita. Huius mirandi ordinis sapientia & bonitas, nunc post lapsum nec intelligi, nec uerbis enarrari potest, sicut intelligi & enarrari poterit, cùm hæc consilia Dei considerabimus in illa æterna consuedine Dei, ad quam sine ulla dubitatione conditi & redemti sumus. *Mulier gloria uiri cur.*

At Paulus res maximas breuiter attigit, nec uoluit tantùm puerìliter rhetoricari, sed grauissimè concionatus est de mirando fœdere & ordine Dei, Christi, maris & fœminæ. Ego summa rei utcunq; indicata, lectorem ad-

hortor, ut de his rebus maximis piam meditationem adhibeat.

συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν.
Conuenientibus vobis in Ecclesia, audio Schismata inter vos esse.

DIctum est suprà, Deum uelle, ut fiant honesti congressus publici, in quibus sonet uox Euangelij, & neruum nostrorum congressuum esse cœnam Domini, quia uult Deus Ecclesiam conspici & audiri, ut filius in toto genere humano agnoscatur, & nota sint beneficia, quæ propter filium generi humano donantur. Hos igitur publicos congressus hîc ordinat Paulus. Et quomodo eos ordinet, & quomodo discesserit ab hac forma Pauli recentior ætas, posteà dicemus.

Deus non est causa peccati.

Prius admonendus est lector de hoc dicto: Oportet hæreses esse. Nota sit doctrina ex alijs manifestissimis testimonijs, Deum non esse causam peccati, nec uelle nec adprobare, nec efficere nec adiuuare peccata, luxta illud: Deus non uolens impietatem tu es. Nec in Deo sunt contradictoriæ uoluntates, quia uerax est. Et Iohannis 8. dicitur: Cùm mendacium loquitur, ex propris loquitur.

Oportet hæreses esse, necessitate consequentiæ.

Ex his fundamentis, quæ sunt uerissima & firmissima, sumatur interpretatio dicti: Oportet hæreses esse. Nequaquam enim intelligenda est necessitas aliter, nisi de necessitate consequentiæ, scilicet, quia cùm Diabolus ardens odio filij Dei, non desinat turbare Ecclesias, & leuia ingenia facilè impellat, non cessant causæ horribilium dissidiorum. Ita sequitur, ut multæ oriantur hæreses, etiamsi Deus uerè his furoribus irascitur, & nequaquam necesse est uoluntates humanas eis implicari. Sed pij inuocantes Deum, & ueritatem quærentes, possunt eas uitare, sicut hîc quoq; significat Paulus discrimina uoluntatum esse: Talibus signis, inquit, discernuntur Sinceri à fucatis. Sinceri amant ueritatem & constanter eam retinent. Alij leues, aut ambitiosi aut auari facilè impelluntur, ut noua dogmata amplectantur.

Ordinatio cœnæ Domini.

Hac uera admonitione de dicto Pauli hoc loco contenti simus. Nunc uideamus quomodo cœnam Domini ordinet.

I. Primùm uult esse communem, & prohibet particulares cœnas in uno loco. Fuit igitur una communis cœna, & non unius oblatio. Quare hoc testimonio improbari consuetudinem priuatæ Missæ posteà natam, manifestum est.

II. Posteà uult addi concionem, Ideo inquit: Quoties editis panem hunc, & hoc poculum bibetis, mortem Domini annunciate.

III. Tertiò uult omnes adferre pœnitentiam, & prohibet manducationem fieri ab ijs, qui perseuerant in delictis contra conscientiam, Ideo inquit: Qui indignè manducat, reus est corporis & sanguinis Domini. Item, Probet homo seipsum, & sic de pane manducet, & de poculo bibat. Cùm enim hæc cœna nominetur, & sit ritus noui testamenti, id est, nouæ promissionis obsignatæ morte filij Dei, & sit testimonium remissionis peccatorum, nec remittãtur peccata perseueranti in delictis contra conscientiam, & contemnenti remissionem, manifestum est, contemni hoc testimonium remissionis à talibus.

Cœna Domini quid.

Itaq; sciant bonæ mentes, quid sit indignè manducare, & qualis exploratio requiratur.

Dignè

Dignè manducat, qui mortem filij Dei cogitans, agnoscit iram Dei aduersus nostra peccata, & agit pœnitentiam, & simul agnoscit placatam esse iram Dei, & remitti peccata propter filium, & hanc mirandam promissionem Dei esse nouum testamentum, confirmatum morte filij Dei, & hac consolatione erectus, credit se recipi, & placere Deo, & hunc ritum statuit testimonium esse huius beneficij diuini. *Dignè quis manducet.*

Requiritur ergo & hæc scrutatio: An sit in nobis malum propositum, an sit pœnitentia, an sit fides, qua remitti nobis peccata nostra statuamus, & an hac consolatione erecti ad Mediatorem accedamus. *Quomodo se probet homo.*

Cæterùm nota sit doctrina communis, quæ peccata sint in Sanctis in hac uita, quæ non sint. Non sic intelligatur dignitas, quòd nulla sint in nobis peccata, sed quòd oporteat deponi peccata contra conscientiam.

Quartò pœna consideretur. Manifestè hîc dicit Paulus, multos ægrotare, & multos mortuos esse propter abusum cœnæ. Ergo etiam in sanctis punitur negligentia, Multò magis uerò punientur præsentibus & æternis pœnis omnes illi, qui cœnam Domini uerterunt in horrendum cultum idolorum, & qui quæstus causa finxerunt sacrificium, pro uiuis & mortuis. Horum maximorum scelerum magnitudo conspicietur post hac uitam. Et ibi agnoscemus, hæc scelera multarum calamitatum in hac uita causas fuisse. Oramus autem ardentibus gemitibus filium Dei, ut ipse his magnis uulneribus Ecclesiæ medeatur. *IIII. Abusus cænæ domini punitur.*

Nunc uerba consideremus.

In textu est, Quod pro uobis frangitur. In narratione apud Lucam scriptum est, quod pro uobis datur, id est, quod est uictima pro genere humano. Ideo & hîc alij interpretantur, frangitur pro laceratur. Id non reprehendo. Sed simplicius uidetur fractionem intelligendam esse distributionem, sicut Ebræi loquebantur: Frange esurienti panem tuum. Et hoc uerbum Paulo in mentem uenit propter morem distributionis, præsertim cùm uelit esse cœnam communem. *Frangitur, id est, laceratur uel distribuitur.*

τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν.

Hic est Calix, qui est nouum Testamentum in meo sanguine.

HAEC narratio apud Lucam ijsdem uerbis posita est. Sed addita sunt hæc uerba, qui pro uobis effunditur. Syntaxis apud Matthæum & Marcum alia est. Hic est sanguis meus noui Testamenti, Nec subtiliter quærenda est differentia. Eodem modo utraq; lectio intelligenda est: Hic est calix noui Testamenti, id est, ritus & pignus seu sigillum noui Testamenti. Nam Testamentum principaliter & propriè significat ipsam promissionem remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiæ, & uitæ æternæ. Deinde hæc beneficia sunt res donatæ hoc Testamento, id est, hac Promissione. Et accedunt externi ritus, qui sunt huius promissionis signa & pignora: Baptismus & Cœna Domini. Ideo Matthæus dixit: Hic est sanguis meus noui Testamenti. *Calix noui testamenti quid. Testamentum quid.*

Cùm autem Lucas & Paulus dicunt: Hîc est calix, nouum testamentum, μετωνυμία est, ut si dicam: Fasces sunt imperium Romanum. Hac breui admonitione de Syntaxi hoc loco contenti simus. *Calix est nouum testamentum: per Metonymiam dicitur.*

Deinde ualde necessaria est consideratio, cur hîc expressè facta sit mentio noui testamenti, & quidem in ea narratione, ubi fit mentio sanguinis.

Testamentum est promissio morituri. Ideo usurpata est hæc uox de promissione filij Dei donantis sua beneficia, ut significaretur uentura mors, sicut ad Ebræos scriptum est. Addita est igitur hæc particula disertè huic narrationi, quæ de fundendo sanguine loquitur. Et opponendi sunt typi sanguinis uictimarum in ueteri Testamento, qui omnes fuerunt signa huius futuræ mortis.

Vetus Testamentum.

Iam & Antithesis consideranda est ueteris & noui Testamenti. Vetus Testamentum est promissio politiæ, cum obligatione ad seruandam legem per Moysen traditam, quæ politia constituta est, ut in ea conseruaretur promissio de Messia, & ibi Messias exhiberetur, propter quem & semper ibi aliqua electorum Ecclesia fuit.

Nouum Testamentum.

Sed nouum Testamentum est promissio bonorum æternorum, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiæ & uitæ æternæ, quæ propter Messiam Gratis exhibentur, non propter legem.

Affirmat igitur Dominus, iam hæc bona exhiberi, & hunc calicem huius exhibitionis pignus esse. Magna igitur consolatio uniuersæ Ecclesiæ proponitur. Exhibito hoc calice, scias certò exhiberi bona æterna, propter sanguinem filij Dei effusum in ipsius morte. Nec opus ullius hominis meretur illa æterna bona legata propter filij mortem. Non igitur hic ritus sacrificium est, quod mereatur facienti & alijs hæc bona, sed testatur ea exhiberi, & fide ea accipi oportet, quæ nititur ipsius filij Dei sacrificio, non ullis nostris meritis.

Hæc amplissima doctrina comprehensa est in hac appellatione noui testamenti, quam hîc integram conplecti non possumus, Tantùm breuiter admoneo, huius doctrinæ fontes requirendos esse, quoties de cœna Domini cogitamus, & quoties ad eam accedimus.

Ritus cœnæ Domini non est sacrificium &c.

Manifesta refutatio est Sacrificulorum & Anabaptistarum. Cùm sit ritus nouæ promissionis, quæ est gratuita, non est sacrificium, quod alijs mereatur. Item, cùm sit ritus testamenti, nobis exhiberi legata à filio testatur, & pignus est uoluntatis Dei erga nos, non tantùm est Ceremonia mutuæ dilectionis inter conuiuas, ut Anabaptistæ dicunt.

Est & hæc particula insignis, quòd hunc ritum seruari iubet, donec Christus uenerit. Hæc uerba sunt perspicuum testimonium, Deum semper in hac uita usq; ad resuscitationem mortuorum seruaturum esse Ecclesiam, publicum ministerium Sacramentorum, publicos congressus, & aliqua Ecclesiarum hospitia. Hæ dulces consolationes in hac breui particula continentur.

ἔνοχος ἔσαι τ σώματος καὶ αἵματος.

Reus erit corporis & sanguinis.

MAgnitudinem peccati in abusu cœnæ Domini describit, cùm ait, abutentes reos esse corporis & sanguinis, id est, contumelia afficere corpus & sanguinem Domini, sicut latrones crucifigentes Dominum contumelia eum afficiebant. Et gradus sunt. Contumeliæ sunt, cùm profani accipiunt propter consuetudinem, sine pœnitentia, & sine fide petente remissionem. Sed maiores contumeliæ sunt, cùm fingitur usus esse Sacrificium, quod mereatur alijs. Item cùm

Gradus abusuum Cœnæ Domini.

confertur

confertur in quæstum, & mutatur in Idolum. Propter hæc horrenda peccata, multis ingentibus calamitatibus, bellis & uastationibus totæ gentes puniuntur & hi qui non agunt pœnitentiam, opprimentur æternis pœnis. Oremus autem Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam suam liberet ab omnibus erroribus & Idolis, & lumen ueritatis, ueram inuocationem, & ueros cultus accendat.

εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα.

Si nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur.

HAnc sententiam Monachi ad satisfactiones transtulerunt. Sed manifesta concio est de tota pœnitentia. Simul culpa & pœna æterna propter Filium Dei Gratis remittuntur, iuxta illud: O mors ero mors tua, & pestis tua ô inferne. Item, Qui credit in Filium, habet uitam æternam.

Deinde uerum & hoc est, præsentes pœnas propter totam pœnitentiam mitigari uel tolli, ut testatur historia Ionæ. Et Esaiæ 1. cap. dicitur: Si peccata uestra fuerint ut coccinum, eritis candidi, sicut nix. Cùm enim uelit Deus in hac uita, quanquam ærumnosa, seruare Ecclesiam, mitigat pœnas, ut aliqui homines sint superstites, conseruetur generatio & educatio sobolis, & ministerium Euangelij publicum, & sint Ecclesiæ hospitia politiæ & œconomiæ. Et sciamus propter hunc finem mitigari pœnas, ne Ecclesia funditus in hac uita deleatur. Et hunc finem intuentes, petamus mitigationem, sicut precatur Ecclesia in Psalmo: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Non mortui laudabunt te Domine.

Pœnæ corporales propter pœnitentiam mitigantur aut tolluntur.

Pœnæ cur mitigentur.

Deinde Paulus generalem doctrinam de afflictionibus tradit: Cùm iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. In Ecclesia necesse est sciri causas, quare natura humana, cùm antecellat omnibus animantibus, subiecta sit morti & tantis ærumnis, ac deinde, quare hæc pars, quæ est Ecclesia Dei, magis etiam onerata sit.

Philosophi dicunt, mala quædam oriri à materia, quædam à nostris erroribus & uoluntatibus. Hi loquuntur de propinquis causis. Sed cur materia hominis obnoxia est corruptioni? Cur tanta caligo in mente humana? cur in uoluntatibus & corde tanta contumacia est? Hîc principalem causam sola uox Dei in Ecclesia monstrat, quæ narrat peccatum esse causam mortis & aliarum miseriarum in toto genere humano, ut in Genesi scriptum est. Et Paulus inquit, Per peccatum mors.

Philosophis quæsit causa malorum.

Præterea cùm Deus uelit in Ecclesia conspici suam iram aduersus peccata & uelit nos commonefieri de pœnitentia, & de promissionibus, magis etiam exercet Ecclesiam. Et sunt aliæ plures causæ, quæ suo loco recitantur. Communissima est autem hęc, quam Paulus hoc loco recitat, de qua & Psalm. loquitur: Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discã iustificationes tuas. Ex his fontibus sumuntur præcipuæ consolationes, de quibus alibi copiosius dicitur. Hîc tantùm adscribam collationem Philosophicarum consolationum, & Christianarum, quam habere in conspectu utile est.

Cur magis exerceatur Ecclesia.

Philosophicarum consolationum loci sunt quinque.

Philosophicæ consolationes.

I. Necessitas.
II. Virtus anteferenda dolori.
III. Bona conscientia.

IIII. Exempla.
V. Causæ finales.

Primus locus est necessitas. Cùm enim mutari malum non potest, frustra augemus dolorem repugnando, sicut dicitur: μὴ πρὸς κέντρα λακτίζειν.

Secundus, quia ratio & lex naturæ iubent anteferre uirtutem dolori, Non faciamus aliquid inhonestè, fracti dolore, ut Cato iniustè facit, quòd sibi mortem consciscit propter dolorem.

Tertius, magna leuatio est bona conscientia, ut dicitur: Est aliquid magnis crimen abesse malis: quia minus dolent Palamedes, Socrates, Camillus & similes, quia conscientia non est saucia. Econtrà Iudas & similes magis dolent, quia intus & foris cruciantur, & conscientiæ Erinnyes multò maiores cruciatus afferunt, quàm ulla externa corporis laceratio.

Conscientiæ Erinnyes.

Quartus, Exempla ideo utcunq; leniunt dolorem, quia honestorum tristes casus ostendunt, ipsam calamitatem non esse turpitudinem. Feruntur autem facilius ea, quæ uidentur esse sine turpitudine, ut facilius fert exilium Cicero, quia scit in eadem republica antea uiros optimos expulsos esse, ut Camillum, Rutilium, alios etiam interfectos, ut Antonium oratorem & alios.

Quintus, Causa finalis bona minuit dolorem, ut quando alijs prodest nostra calamitas, ut Codrus oppetit mortem pro patria.

Consolationes Ecclesiæ.

Hæ consolationes, etsi utcunq; deliniunt animos, tamen relinquunt eos in morte, nec ostendunt uitam & liberationem ex miserijs. Ideo his languidis consolationibus opponantur Christianæ, quarum loci aliqui sumti ex lege Dei congruunt cum Philosophicis, sed aliqui sunt proprij Euangelij.

I. Primus est, Necessitas, uidelicet Lex Dei, quæ sanxit pœnas. Ideo etiam dictum est, Humiliamini sub potenti manu Dei.

II. Secundus, Virtus anteferenda dolori. Sumitur & hæc consolatio ex lege, quia lex diuina præcipit, ne fracti dolore contra iusticiam faciamus, ut Cato uiolauit legem: Non occîdas.

III. Tertius, Bona conscientia. Sumitur & hic locus ex lege diuina, quia & lex diuina præcipit dolorem propter scelera, & de bona Conscientia scriptum est: Secura mens iuge conuiuium.

IIII. *Præcipua consolatio in omni dolore.*

Quartus, agnitio misericordiæ, & præsentiæ Dei, & auxilij diuini. Hæc consolatio propria est Euangelij, in quo certum est promissam esse remissionem peccatorum & pœnæ æternæ, & auxilium Dei in hac uita. Dauid pulsus in exilium meminit sui lapsus, sed tamen sustentat se, & acquiescit in Deo, quia scit sibi remitti peccata & pœnas æternas. Scit se à Deo receptum esse, & se à Deo exaudiri iam & protegi, Sicut Esaias inquit: Deus habitans cum contrito & humiliato Spiritu, ut uiuificet Spiritum humilium. Præcipuam oportet esse hanc consolationem in omni dolore, ut rectè instituti in Euangelio norunt.

V. Quintus, Spes liberationis aut mitigationis, & tandem æternæ salutis. Hæc consolatio cum proxima coniuncta est. Cùm corda erecta remissione peccatorum acquiescunt in Deo, & certò statuunt, se exaudiri à Deo, norunt iam promissam esse liberationem ab æterna morte, sciunt etiam Deum uelle in præsentia opem ferre, & uel prorsus tollere ærumnas, uel mitigare. Hæ duæ consolationes uerè superant dolorem, quia donec mens tantùm intuetur ærumnas, & mortem seu interitum, uincit dolor. Sed quando obiectum est res

est res bona, uidelicet Deus propicius, & uolens opem ferre, & mitigare præsentes miserias, & tandem liberare ab omnibus malis. Hoc obiectum, quod est res bona, causa est gaudij. Tunc igitur uincitur dolor, cùm hæc bona obiecta mens intuetur. Iob uincit dolores suos, quia scit propositam esse ultimam liberationem, sicut inquit: Etiamsi occîdet me, tamen sperabo in eo: & tamen expectat in præsentia quoque mitigationem. Palamedes, Socrates, etsi minus dolent, quia conscientia non est sauciata, tamen nihil nisi interitum cernunt. Sed Baptista, Stephanus intuentur uenturam uitam in dulcissima consuetudine æternæ Ecclesiæ. Hoc bonum spe iam possident. Et spes lætitiæ causa est, Sicut in uersu de Stephano dicitur: Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat, Id est, lætus, & quia libenter Deo obediebat, & quia iam spe Ecclesiæ cœlestis ciuis erat.

Obiectum, Deus propicius est causa gaudij in malis.

Stephanus.

Sextus, Exempla in Ecclesia etiam magis leniunt dolorem, quàm apud Ethnicos, quia in Ecclesia causæ notæ sunt, Quare subiecta sit cruci: & scimus non tantùm interitum, sed liberationem propositam esse. Et exempla sunt illustriora. Cùm filius Dei, cùm alia præcipua membra Ecclesiæ sustinuerint ingentes ærumnas certo consilio Dei, quod Ecclesiæ ostendit, non uelimus nos seiungi à reliqua societate in afflictionibus & liberationibus. Et inæqualitas ac superbia esset, si uellemus nobis melius esse, quàm filio Dei, quàm Abel, Ieremiæ, Baptistæ & similibus. VI.

Et hîc causæ afflictionum notæ sint. Propter peccatum nobiscum nascens generi humano uniuersaliter mors imposita est, & morbi & aliæ multæ ærumnæ. Deinde singulares afflictiones, sunt aliâs pœnæ certorum delictorum, ut Dauidis exilium: aliâs exercitia, ut carcer Ioseph: aliâs testimonia confessionis & immortalitatis, ut neces Abel, Baptistæ, Stephani. Et cùm exẽpla nobis proponimus, simul considerãdæ sunt causę. Vt in alijs doctrinis non satis est exempla intueri, sed etiam considerari oportet exemplorum rationes & discrimina. Et de exemplis rectè accommodatis dici potest illud uetus dictum: κοινὸν ναυάγιον πᾶσι πλαμύδιον.

Genera afflictionum.

Septimus, Causæ finales. Communissima causa finalis hæc est: Bonum mihi, quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Affligit Deus non ut perdat, sed ut uel retrahat homines ad pœnitentiam, ut affliguntur Dauid, Osias, Manasses: uel exerceat & confirmet suos, ut affliguntur Ioseph, Daniel & similes, Et Paulus huius causæ mentionem facit hoc loco: Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. VII.

Cur affligat Deus.

Sunt & in Ecclesia aliæ causæ, de quibus iam dixi.

Lenitur etiam dolor, quando nostra confessione scimus alios confirmari, de qua causa loquitur Paulus ad Philippenses 2. cùm inquit, Se lætari, quòd immoletur, ut ipsi in sacrificio & ministerio fidei confirmentur. Hæc breuis admonitio de collatione consolationum, aliquid lucis adfert huic loco Pauli. Et lectores mente intueantur ea, quæ de cruce alibi copiosius dicuntur.

CAPVT DVODECIMVM.

MAgna infirmitas est naturæ humanæ, magna naturarum dissimilitudo. Quare etiam in parua societate facilè existunt æmulationes, dissidia, lapsus & offen-

& offensiones, sicut Demosthenes ait, Errores & contentiones communes morbos esse omnium ciuitatum, & necessariò accidere: κοινὰ τῶν ἀναγκαῖα ἁμαρτήματα πλίζικά, ἀγνοίας καὶ φιλονεικίας. Ita in Ecclesia Corinthia acciderant lapsus & alia incommoda. Erant dissensiones de doctrina, incestus erat abusus libertate, alii qui accedebant ad conuiuia in Ethnicorum sacrificijs, mouebant aliqui quæstiones de diuortijs non credentium, quidam turbabant ordinem cœnæ Domini. Quidam nolebant conferre ad alendos fideles ministros. His offensionibus hactenus in hac Epistola mederi studuit. Nec est unum perpetuum argumentum, ut res ipsa ostendit, Et lector diuersas occasiones consideret.

Incommoda Ecclesiæ Corinthiorum.

In hac sequenti parte de duabus materijs scribit: De ordine lectionum & interpretationum in publico congressu, & de resurrectione mortuorum. Græca natio delectabatur dono linguarum, & multi in publico congressu suam eloquentiam ostentabant. Inde etiam æmulationes oriebantur. Paulus igitur in genere concionatur de usu donorum, & postea addit præcepta de ordine lectionum & interpretationum, utilia omnibus ætatibus. Imò & forma iudiciorum in Synodis hinc sumenda est.

οἶδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε.

Scitis quòd quando gentiles eratis.

ANntequam dicit de singulorum donis diuersis, primùm monet unum commune donum præcipuum in omnibus esse oportere, & id præ cæteris donis quærendum esse in singulis, & tuendum, uidelicet, Spiritum sanctum confitentem Iesum esse Dominum, sicut & suprà dixit, unicum esse fundamentum, Iesum Christum.

Spiritus sanctus commune donum omnium sanctorum

Hoc Fundamentum ait necessarium esse in omnibus, oportere omnes abhorrere ab Idolis, & oportere in omnibus ueram Inuocationem Dei, & agnitionem Mediatoris esse. Id initiò iubet omnes tueri, ne ruant, sicut antea cùm non regerentur luce Euangelij & Spiritu sancto, ad muta Idola quócunq; impellebantur.

Hîc igitur multa monet, ostendit horrendam esse cœcitatem omnium hominum, qui non reguntur luce Euangelij, & à Spiritu sancto, sicut exempla ostendunt. Ethnici quotidie nouos cultus excogitabant, Athenienses bello Xerxis instituerunt sacrificia Boreæ, & dicebant esse ipsis amicum, quia olim ex Orithyia genuisset filios. Meretrices in illa ipsa urbe Corintho pro salute Græciæ commune uotum fecerunt. Denicq; nullus fuit finis talium furorum. Et similia acciderunt & adhuc fiunt, ubi curritur ad statuas, & inuocantur mortui & uaria Idola.

Furores hominum qui non reguntur à Spiritu sancto.

Tradit igitur regulam eandem, dupliciter faciens Antithesin, quia plerunq; scelus magis conspici potest: Nemo habens Spiritum sanctum, dicit Anathema Iesum. Certissimum est, uel palàm maledicentes filio Dei, uel quoquo modo præbentes significationem contemtus & odij, non esse membra Ecclesiæ Dei, Et facilè hæc deprehendi possunt, quia postquam exarsit odium in persecutione, fit ingens & non obscurum incendium. Non diu occultat odium Iudas. Nam accedit impulsor Diabolus, sicut scriptum est: Satanas intrauit in cor eius. Statim igitur fiunt magni furores, ut in Iuliano, Ario, & in horum

Odium erga Christum citò erumpit.

horum recentium temporum historia conspicitur, Cùm semel exarsit odium, fit ingens furor, ut in Eccio, Latomo, Hofmeistero, qui etiam furentes ante mortem suæ desperationis signa ostenderunt. Et Berlini monachus, quem hîc multi nouerunt, inter maledicendum in ipsa concione subitò collapsus, statim postea extinctus est.

Vult igitur Apostolus discerni hostes Christi à cæteris, & signum monstrat, quo discerni sine ulla ambiguitate possunt. Et simul monet, ut tales lapsus uitemus, & horrendæ pœnæ cogitatione expauescamus, ne ruamus sicut Iudas, Arius, Latomus, Hofmeisterus & similes.

Altera pars in Antithesi uidetur obscurior, cùm ait: Nemo potest fateri Iesum esse Dominum, nisi in Spiritu sancto. Obijciet enim aliquis innumerabiles hypocritas, Monachos & similes, qui etiam uideri uolunt Iesum adorare. Et ipse alibi inquit: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Sed explicatio facilis est. *Obiectio.*

Paulus loquitur de confessione perseueranti, & in tota doctrina. Hypocritæ citò deficiunt, & cùm reprehenduntur ipsorum errores, fiunt acerbissimi hostes Euangelij, ut nunc in Episcopis, Monachis, & Sacrificulis fieri cernimus. Nec unquam hypocrisis diu latêre potest.

Vt igitur odium aduersus Christum, & maledicta sunt certissima signa, mentis impiæ & captiuæ Diabolis, ita econtrà Spiritus sancti testimonia sunt, inuocatio Christi, non fugitans, sed libenter ad eum accedens, & in eo acquiescens, & amor totius doctrinæ, & studium discendi, & constantia in Confessione. Hæc rectissimè congruunt ad hoc dictum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Ac potest uniuscuiusq; conscientia iudicare de propria inuocatione. Deinde & alij cernere robur animi in confessione possunt, & multa signa sunt, quibus hypocrisis à uera fide discerni potest. *Testimonia Spiritus sancti.*

διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσί.

Diuisiones donorum sunt.

ANtea dixit de communi dono, quod in omnibus ueris membris Ecclesiæ esse oportet, scilicet de uera inuocatione Dei & agnitione filij Dei, & de fugiendis Idolis.

Nunc dicit de alijs donis, quæ accedunt, in alijs alia. Vt de dono linguarum, de dono sanationis. Et initiò præfatur, hæc quoq; dari à Deo, ut sint testimonia Spiritus sancti, & prosint Ecclesiæ. Obseruentur autem discrimina nominum. Vocat has dotes χαρίσματα διακονίας & ἐνεργήματα. Διακονίαι sunt, quæ immediatè seruiunt aliorum utilitati, ut sanationes. Ita sunt διακονίαι singularis felicitas in re militari aut gubernatione. Vt Samson & Salomon excelluerunt διακονίαι. *Dona in alijs alia.* *διακονίαι.*

Nomen ἐνεργήματα significat alias mirandas effectiones, ut resuscitare mortuos, item uerbo occidere, sicut Petrus reuocauit in uitam mulierem in Ioppe, occîdit uerbo Ananiam. *ἐνεργήματα.*

Generale est χαρίσματα, ut Prophetia, prædictio futurorum, ut Agabus. *χαρίσματα.*

Quòd autem dicit: Idem Deus est, qui efficit omnia in omnibus, manifestum est hîc tantũ dici de bonis actionibus in Ecclesia. Non igitur detorquenda

est

est hæc sententia ad Stoica deliramenta, quæ fingunt Deum causam esse pariter malarum & bonarum actionum.

Quòd uerò hîc ad tres personas accommodata sunt nomina, πνεῦμα, κύριος, θεὸς, id & Luthero placebat.

λόγος σοφίας.

σοφία & γνῶσις differunt.

σοφία. σοφία est cognitio totius doctrinæ de Deo, & experientia terrorum in contritione, & consolationum fidei, illustrans doctrinam, & dijudicans dogmata. Vt experti, Dauid, Ezechias, Paulus aliter intelligunt dictum: Fide iustificamur, Aliter intelligit Origenes.

γνῶσις. γνῶσις est prudentia dans consilia in rebus agendis, ut in Salomone iudicante, cuius esset infans mortuus, erat γνῶσις. Erat γνῶσις, quando Paulus iudicabat, ubi seruaret ritus Iudaicos, ubi non seruaret, Quando dabat consilia de conijugijs. In Zacharia dissuadente, ne bellum moueretur contra Romanos, quam quam eripiebant templo didrachmum.

πίστις. πίστις generale donum fide faciendi miracula, uel in proprijs periculis uel alienis, ut πίστις fuit, quod in Actis capite 27. scriptum est, Seruatur nauis & totus cœtus simul nauigantium propter fidem Pauli. Et uerba sequentia ostendunt nomen πίστις generale esse, quia dicit, Si habuero omnem fidem, ut montes transferam.

Donationes sanationum quid significent, perspicuum est.

χαρίσματα dixi suprà effectiones excellentes esse, qualis est resuscitatio mortuorum.

Prophetia. Prophetia hoc loco est prædictio futurorum, ut diximus de Agabo. Infrà etiam erit recta & dextra interpretatio concionum, quæ sunt diuinitus traditæ in Prophetis & Apostolis.

διάκρισις πνευμάτων. Proximè additur διάκρισις πνευμάτων, dijudicatio & dogmatum & Spirituum, ut initiò primi autores & propagatores Anabaptisticę superstitionis magnam speciem religionis offundebant oculis hominum, iactitabant singulares reuelationes, & narrabant quales in corde motus sentirent. Hæc noua species apud multos, ut apud Carolostadium, pariebat eis admirationem. Sed Lutherus statim animaduertit fucum, quia non docebant doctrinam de iusticia fidei, sed efferebant suam sapientiam & sua exercitia. Et in urbe Monasteriensi in VVestphalia, priusquam erupissent manifesta scelera Anabaptistarum, acerrimè aduersatus est eis initiò Hermanus Buschius, uir nobilis & poëta, cùm segregationem facere inciperent Ecclesiæ puræ à reliquis, quorum mores reprehendebant.

Lutherus animaduertit fucum Anabaptistarum.

γένη γλωσσῶν. γένη γλωσσων est nosse multas diuersas linguas.

ἑρμηνεία γλωσσῶν. ἑρμηνεία γλωσσῶν est facultas docendi, & ordine ac planè exponendi controuersias intricatas. Vt quanquam Capnio nouit multas linguas, tamen non potuisset controuersiam de iusticia fidei, aut potestate Episcoporum exponere, ut Lutherus.

Postea addit Paulus præceptum, ut hæc diuersitas donorum conferatur ad communem utilitatem. Et repetit gradus.

Docentium gradus. Apostoli. Apostoli sunt, qui immediatè à Christo ad docendum Euangelium uocati sunt, & testimonia habent, quòd non errent in doctrina, & habent uniuersalem uocationem, ut docere ubiq; possint, nec sunt uocati ad politicam gubernationem, ut Samuel, Elisæus, Ieremias. Pro-

Prophetæ hîc sunt interpretes, qui ad instaurationem doctrinæ singulari dono instructi sunt, ut Augustinus suo tempore, Lutherus nostro tempore. Prophetæ.

Doctores sunt, qui doctrinam ab his accipiunt, & alijs fideliter tradunt sine corruptelis, non sunt Apostoli, aut primi instauratores collapsæ doctrinæ, Sed tanquam δεύτερα λέγοντες, consentientia cum Apostolorum & Prophetarum uoce. Doctores.

Δωράμεις nominat idem quod suprà χαρίσματα. Δωράμεις.

Ἀντιλήψεις, auxilia, liberationes ex magnis periculis, ut Paulus liberat simul nauigantes. Esaias liberat obsidione Ierosolymam. Iacobus Episcopus Nisibin, cùm oppugnaretur à Rege Persico, ut narrat historia tripartita, Et multa similia exempla leguntur. Ἀντιλήψεις.

Κυβερνήσεις, id est, gubernationes, ut officia Diaconorum, magistratuum. Κυβερνήσεις.

CAPVT TREDECIMVM.

VNiuersalis regula tenenda est in omnibus deliberationibus & actionibus: Necessaria anteferenda sunt non necessarijs. Sunt autem necessaria, quæ præceptis Dei propriè flagitantur, uidelicet, uera agnitio Dei, Fides, Timor, uera Inuocatio, Dilectio proximi. Ideo dictum est, Matth: 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata. *Necessaria facienda sunt.* *Præcepta Lege Dei necessaria sunt.*

Matth. 22. Quod est mandatum maximum in lege? Diligas Dominum Deum tuum. Secundum autem simile huic, Diligas proximum sicut te ipsum.

Et 1. ad Timoth: 1. dicitur, Summa mandati est, dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Item, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.

Et Matth: ultimo, Docentes eos seruare omnia, quæ mandaui uobis.

Et in capite ultimo Ecclesiastæ, Deum time, & mandata eius seruato. Hoc ad omnes homines pertinet.

Micheæ 5. Indicabo ô homo quid sit bonum, & quid Dominus postulet abs te: Facere iudicium & diligere misericordiam, & solicitum ambulare coram Deo tuo.

Et Ezechielis 20. In præceptis meis ambulate. Ac magis illustria sunt dicta negatiua.

In prima Epistola Iohannis capite 3. Omnis qui odit fratrem homicida est. Et scitis, quòd omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem.

Et eodem capite expressè recitatur uera & artificiosè constituta definitio peccati: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, peccatum est non obedire Legi. Est enim priuatiuè oppositа definitioni iusticiæ uniuersalis: τὸ δίκαιον νόμιμον, ut Plato, Xenophon, & Aristoteles loquuntur. Iusticia est obedientia legibus omnibus debita. *Definitio peccati.*

Et Galat. 5. Fructus spiritus, dilectio, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Contra talia enim non est Lex. Vbi etiam normam tradit, scilicet Legem, & adprobat actiones congruentes ad hanc normam, & damnat contrarias, ut eodem loco dicit: Manifestæ sunt actiones carnis, adulterium, scortatio, Idolorum cultus, talia agentes regnum Dei non possidebunt.

Constitutis igitur his regulis: Necessaria facienda esse, & præcepta Lege diuina, necessaria esse: perspicuè sequitur, dilectionem proximi necessariam esse, *Dilectio necessaria est.*

esse, & anteferendam donis, quæ sunt ornamenta non singulis necessaria, ut non necesse est singulos scire multas linguas.

Pauli concio de necessitate.

Hanc admonitionem de necessitate utiliter hîc inserit Paulus, taxans eos, qui libertatem ita laxabant, ut arbitrarentur se non peccare, etiam cùm scientes faciebant contra mandata Dei. Seuerissimè igitur concionantur de necessitate: si linguis hominum & angelorum loquar, dilectionem autem non habeam, sum æs sonans. Etsi omnem fidem habeam, ita ut montes transferam, dilectionem autem non habeam, nihil sum.

Obiectio de iustificatione.

Hîc magnæ contentiones sunt, de iustificatione. Cùm necessaria sit dilectio, cur non dicimus homines dilectione iustos esse? Respondeo: Aliud est causa iustificationis, Aliud est necessarium, ut effectus sequens iustificationem. Vt si dicam: Aliud est uitæ causa, aliud est necessarium in uiuente, ut effectus sequens. Vt motus in uiuente necessarius est, non ut uitæ causa, sed ut effectus sequens. Hoc exemplum aliquid lucis addit huic declarationi, Manifestissimum est, contritionem, dilectionem, bonum propositum nõ esse causas iustificationis, id est, remissionis peccatorum & imputationis iusticiæ, & donationis Spiritus sancti & uitæ æternæ. Sed causa efficiens, uidelicet iustificans, est Deus propter solius filij meritum. Fides autem est instrumentum, quo fit applicatio. Nam fide accipiuntur remissio peccatorum, imputatio iusticiæ, donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ.

Deus causa efficiens iustificationis.

Postquam autem acceptus est Spiritus sanctus, iam in renatis sunt motus tales, qualis est Spiritus sanctus. Et si quis fingit in aliquo Spiritum sanctum esse, & non esse ibi dilectionem, pugnantia fingit, ut si quis fingeret in aliquo aquam esse, & nihil humoris esse.

Necessaria est igitur dilectio in renatis, ut effectus necessariò sequens. Vt in uiuente dicimus necessariò motum esse, qui tamen non est uitæ causa. Hæc perspicua sunt dextrè & non calumniosè iudicantibus.

Obiectio de dilectione.

Sed uociferantur aliqui multò uehementius. Cùm Paulus dicat, etiamsi omnem fidem habeam, dilectionem uerò non habeam, nihil sum: negat hominem iustum esse, etiamsi adsit fides, nec tamen accedat dilectio. Nec aliud argumentum speciosius opponitur contra exclusiuam, Sola fide iustificamur.

Fides, pro dono miraculorum.

Vsitata responsio est, Paulum loqui de dono miraculorum, non de fide iustificante. Sed hîc rursus quæritur, an donum possit esse in his, qui non sunt iusti, qui excutiunt Spiritum sanctum?

Valdè deploranda & detestanda est hæc hominum peruersitas, quòd monstrata ueritate, tamen non acquiescunt, nec Deo gratias agunt, nec transferunt eam ad usum, sed quærunt cauillationes sine fine. Siue dona manent aliqua ex parte, siue non manent, uera est propositio: si dilectionem non habeam, nihil sum. Quia nemo est iustus propter donum miraculorum. Et consentaneum est, aliqua dona manere in Hypocritis, ut in Matthæo dicitur: In nomine tuo multas uirtutes fecimus.

Aliqua dona manent in Hypocritis.

Cæterùm quocunque modo uocabulum fidei hîc intelligitur, prorsus uera & immota est Pauli oratio: sine dilectione nihil sum. Oportet enim in reconciliato seu iusto, id est, in eo, qui acceptus est Deo, esse dilectionem. Vt suprà dictum est: Spiritus sanctus tales motus ciet, qualis est ipse. Nec aliud uult Pauli dictum, quàm illud Iohannis: Qui non diligit, manet in morte. Vera est oratio, quia in reconciliato est conuersio & incoata obedientia, iuxta illud:

Viuo

Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Hîc in ipso iuramento fit mentio conuersionis. Et notissima sunt dicta. Dabo Legem meam in corda eorum. Item, Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non dubium est igitur, hæc dicta Pauli & Iohannis, quæ affirmant necessariam esse dilectionem, postulare dilectionem, ut effectum, qui sequitur fidem, nec est causa aut meritum remissionis peccatorum aut iustificationis. Hęc cùm manifestissima sint rectè institutis, non ero prolixior. Cætera in hoc capite grammatica sunt. *Dilectio fidei effectus.*

ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ.

ANtea dixit, in reconciliatis necessariam esse dilectionem, quæ est, propter Deum iuxta Mandata Dei diligere proximum. Nunc recenset opera dilectionis, ut discerni possint diligentes à non diligentibus. Et exorsus est Paulus ab opere notiore cæteris, uidelicet à remissione uindictæ. Semper conspectiora sunt uicia. Ideo ex contrario sumatur declaratio. Cupiditas uindictæ manifestè pugnat cùm dilectione, cum uidelicet aliquis putans se lęsum esse, ardet odio & ira, & uult illis nocere, à quibus se læsum esse existimat. Vt ciuilia bella ingentia ex cupiditate uindictæ inter Marium & Syllam orta sunt. Remissio uindictæ sedauit bella, ut cùm Thrasibulus sanxit ἀμνησίαν. Scipio cessit Tribunis, ne maiores motus in republica orirentur. Maximianus uictor fecit pacem cum Venetis, ne attraheret Turcos. Arius dolore repulsæ in electione Episcopi, mouit postea certamen de filio Dei. Et uidimus ipsi his annis quosdam inflammatos cupiditate uindictæ noua dogmata spargere & mouere rempublicam. *Cupiditas uindictæ.*

Hunc affectum reprimere magna uirtus est, quæ hîc nominatur μακροθυμία, id est, patientia. Vt Dauid, cùm quidem magnas causas haberet tollendi Saulem, tamen iniuras perfert, & est illustre exemplum huius dicti: Dilectio est patiens, id est, non cupida uindictæ. Est autem hæc patientia uirtus pertinens ad præceptum, Non occîdes. Et est iusticia, aut uicina iusticiæ æquitas, alijs, etiamsi uideatur esse nocendi causa, tamen propter Deum & salutem publicam parcens, ut Dauid parcit multis ciuibus seditiosis, ut calamitas publica mitigetur. *Patientia quid.*

χρηστεύεται.

BEnigna est seu benefica. Reprimere uindictam, cùm uidearis læsus, patientia est, & est uel iusticia, uel æquitas uicina iusticiæ. Sed benignitas seu beneficentia insuper est benefacere seu amicis seu inimicis. Lenitatem alij uertere runt, quæ est non facilè irritari. Sed id perspicuum est, cùm benefit etiam inimicis, ut Camillus non alienatur à ciuibus dolore iniuriæ, sed benefacit eis, & redit ad patriæ liberationem, quanquam iniustè expulsus. Ioseph benefacit fratribus, quanquam perdere eum conati fuerant. *Beneficentia. Lenitas.*

ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ.

NON est æmulatrix seu inuida. Aemulatio est uelle alium tollere, non quia læsit, sed quia dolemus eum nobis antecellere. Vt Cain, Saul, Chore, Datan, Abiron, Imò & Aaron & soror accenduntur æmulatione. Id malum proximè oritur ex superba, quæ amorem nostri prima comitatur. Singuli enim uolumus antecellere alijs, & esse Dei similes, ut inquit Serpens ad Euam. Ideo *Æmulatio.*

tollere eos conamur, qui uidentur anteferri. Hoc uicium nominatur æmulatio & inuidentia. Hinc illa dicta sunt: Omnis cura uiris, uter esset induperator. Item Cicero, Labes est seculi, inuidere uirtuti.

ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται.

Non agit insidiosè.

Insidiari. ÆMulationi & inuidentiæ proximum est insidiari, quod est arte alios pellere aut tollere, sicut Pericles arte expulit Cimonem. Et Aeschines conabatur expellere Demosthenem, & usitatum est non solùm aulicis, sed & concionatoribus, inuenire τέχνας ad extrudendos collegas, ut Maximus arte extrudit Gregorium Nazianzenum. Græci usurpant uocabulum περίπτους de Cecropidibus, qui cùm essent latrones, singulari astutia uiatores opprimebant. Quare uocabuli significatio petulantiam & insidias complectitur. Nomen Perperi extat in explicatione Prouerb: apud Erasmum: In Melampygum ne incidas.

Perperi.

οὐ φυσιοῦται.

Non inflatur.

Superbia. SI ordinem uiciorum consideres, primum est Superbia, id est, admiratio sui, præferens sese cæteris, quia in hac deprauatione naturæ homines sese plurimum amant, sua dona mirantur, & se ab alijs magnifieri & coli postulant, & uolunt esse sicut Dij, ut inquit Serpens ad Euam. Ex hac superbia sequuntur odia aduersus eos, qui uidentur nos obscurare. Et cùm hos repellere conamur, magnæ contentiones & dissidia oriuntur. Hic ordo uiciorum facilè intelligi potest. Prius autem Paulus de illis manifestis uicijs locutus est, quæ magis conspici possunt, & ex superbia oriuntur, de cupiditate uindictæ, de morositate, quæ est oppositа lenitati, & de insidijs. Nunc de radice loquitur. Ait dilectionem non inflari, id est, alienam esse à superbia & fastu despiciente alios, & quasi regnum in alios exercente, qui est malum tyrannicum, etiam cùm præterea non accedit sæuitia: Tamen ferre despicientem & euehentem sese nimiùm supra Collegas, & quasi regnum gerentem, molestum est. Et molestius est, cùm accedunt contumeliæ aduersus alios, ut cùm Romanus Episcopus Alexandertertius Friderici Imperatoris collo pedem imposuit. Fuit nostra memoria insignis superbia Cardinalis Eboracensis in Anglia, qui cùm esset Lanij filius, medius incessit inter Carolum V. Imperatorem, & Henricum regem Anglicum, utrique usque humero manum imponens. In tali gestu utcunq; agnosci hoc malum potest. Est autem proprium dilectionis subijcere sese alijs, & dona ad aliorum utilitatem conferre, & se tanquam ministrum & inferiorem alijs gerere, ut filius Dei formam serui induit. Et minimum fuit superbiæ in Cyro & in Scipione, qui etiam erga infimos studuerunt esse officiosi, nec præbuerunt significationē, quòd se alijs anteferrent. Laboribus & uirtute student antecellere, non fastu.

Dilectio non inflatur.

Alexander tertius.

Superbia Cardinalis Eboracensis.

Proprium dilectionis.

οὐκ ἀσχημονεῖ.

Exempla inanis ostentationis. SUperbiam multi indecori gestus comitantur, quorum hîc fit mentio. Primus est inanis ostentatio, ut Philippus Macedo iusserit suam statuam gestari inter Deorum statuas. Alexander incessit uelut Iupiter Hammon. Episcopi Romani

Romani geſtantur corona triplici ornati, & præcedit equus geſtans panem conſecratum, ſicut ignis uehebatur ante Perſicos reges, ut ſimul fieret adoratio. Et multi ſunt alij indecori geſtus Romani pontificis, ut quod præbet pedes oſculandos.

Longum eſſet differentias geſtuum deformium recitare, quorum alij prope priè pleni ſunt ſcurrilitatis, ut gallicæ ſaltationes Cardinalium. Alij oriuntur ab ira, ab æmulatione, odijs, cupiditate uindictæ, ut conuicia, obtrectationes, faſtidia, calumnioſæ delationes, crudelitas ſuppliciorum, ut defenſor Arianæ impietatis Gregorius Epiſcopus Alexandrinus iuſsit uirgines duci nudas ad ſupplicia, quę retinebant Confeſsionem ueręque doctrinæ, Immiſit & equitum cohortem ad interficiendos homines, qui in alio templo conuenerant. Et multa ſunt talia tyrannica exempla omnium ætatum. Faber Epiſcopus Viennenſis Grynæum, qui placidè eum allocutus fuerat, auditis monſtroſis erroribus in concione habita in conuentu Spirenſi, Anno 1529. ſtatim per lictores quæri iuſsit, ut in carcerem duceretur. Denique mediocriter iudicari poteſt geſtuum deformitas in ſummis & infimis.

Deformes geſtus.

Gregorij Epiſcopi Alexandrini crudelitas.

οὐ ζητῶ τὸ ἑαυτῆς.

Deſt, non eſt πλεονεκτική, ſed amat æqualitatem, nec appetit extraordinaria cõmoda, nec alios onerat laboribus, ſed potius in ſeſe plus onerum transfert, quia inæqualitas, quę alijs eripit commoda, uoluntates alienat, ut dicitur: ἴσα πόλεμον οὐ ποιῶ.

Ideo ſtudioſè Cyrus, etſi plurimum laboris ſuſtinet, tamen regem Cyaxarem reuerenter honore adficit, tanquam Dominum, & iubet eum ab alijs honore adfici.

οὐ προπετεύεται.

Deſt, primùm nõ ſinit ſe irritari falſis aut friuolis delationibus, Imò nec propter ueras cauſas uehementius iraſcitur. Primùm autem conſtat, ſæpiſsimè falſis criminationibus & calumnijs fieri pernicioſas diſtractiones uoluntatum, unde poſtea diſcordiæ in republica & bella ſequuntur. Et notum eſt dictum Salomonis grauiſsimum: Calumnia conturbat ſapientem, & frangit robur cordis eius. Eſt autem Calumnia una ex peſtibus aulicis precipua, de qua dixit quidam Alexandri κόλαξ μάδιον: Calumniare audacter, quia ſemper aliud hęret.

Calumnia peſtis aulica.

De ira etiam & cupiditate uindictæ ſuprà dictum eſt. Ac uidemus moueri reſpub: cùm gubernatores laxant frenos iræ & cupiditati uindictæ, ut tollant eos, quibus ſuccenſent. Ideo ueriſsimum eſt dictum Iacobi. Ira uiri non operatur iuſticiam Dei. Et contra tenaces offenſionum opponantur dicta: Remittite & remittetur uobis, quod uerſibus Nazianzeni egregiè recitatur:

εἰσὶ ὀίδας ὄφλων καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον,
ὄικτῳ γὰρ ὄικτος κρὶς θεῷ σαθμίζεται.

Huc & decretum Atticum pertinet, μὴ μνησικακῆν.

οὐ λογίζεται τὸ κακόν.

Id eſt, non ſuſpicax.

Eſt autem pernicies magna uitæ communis eſſe ſuſpicacem, & uicium uicinum amori calumniarum. Pugnat enim & ſuſpicio cum ueritate & candore.

Suſpicio.

Candor. Veritas tantùm credit certa & explorata. Candor ambigua interpretatur in meliorem partem. Suspicio sæpè falsis, & plerunq; incertis assentitur: Est igitur uicium dignum odio, & cùm pariat distractiones uoluntatum, magna cura uitandum est. Claudianus laudat Theodosium, quòd non fuerat suspicax.

οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ.

ἐπιχαιρεκακία. Id est, est sine ἐπιχαιρεκακίᾳ. Est autem ἐπιχαιρεκακία uicium maximè proprium Diabolo, lætari in calamitate iniusta bonorum, ut Semei lætatur in calamitate Dauidis, & eum uenenatis sarcasmis exagitat. Fuluia adeò lætata est nece Ciceronis, ut linguam exemptam ex interfecti capite aciculis confoderit. Et in Belgico imagines captiui DVCIS & filiorum, publicè contumelia adfectæ sunt, & nunc multi aduersarij lætantur nostra calamitate. In hoc uicio multa concurrunt: Iniusticia & crudelitas. Nam iusticiæ erat bonis bona operi tare. Et misericordia est, dolore adfici in calamitate mediocrium hominum, & lenire aliquo modo ærumnas, ut Theseus inquit apud Euripidem: οὐκ αὐχρὸν ἀνθρώποσιν ἀλλοίλων κακά. Item, εἰ μὴ γὰρ ὧν ἄνθρωπος ἀνθρώπου τύχαις ὑπακρετήσω, οὐ φανήσομαι φρονῶν.

Misericordia.

συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ.

ODio personæ nolle adprobare ueritatem, quam tamen tacitè probas, aut specie aliqua reprehendere, usitatissimum uicium est, ut uidimus quosdam tantùm odio personæ Lutheri & studio partium damnasse ueras causas, & homines rectè sentientes, cùm reipsa aliter sentirent. Hoc uicium est προσωποληψία, propter personam iniustè de rebus iudicare. Sed huic uicio opponuntur Iusticia & Veritas, quæ uirtutes uera & iusta adprobant, & damnant iniusta & falsa sine ullo personarum respectu, & sine ullis peregrinis affectibus. Sicut Ionathas constanter approbauit causam Dauidis contra patrem. Aristides probauit consilium Themistoclis, quanquam inter eos æmulatio erat. Sempronius quanquam inimicus Scipionum, tamen Scipionem Asiaticum liberauit, cùm in carcerem duceretur.

προσωποληψία.

πάντα στέγει.

Quatuor uirtutes necessariæ in gubernatione. SEquuntur uirtutes quatuor maximè necessariæ in gubernatione. Prima est ἐπιείκεια, quæ est mitigare aliquid ex summo iure, ferre aliquas imbecillitates eorũ, qui sunt sanabiles, sicut cõiuges & amicos oportet inter sese hac ἐπιεικείᾳ aliqua, quæ offendunt, obruere, ut usitatè dicitur: Mores amici noueris, non oderis. Nec possibile est Collegas sine hac uirtute concordiam inter sese tueri. Et in eandem sententiam suprà capite nono dixit, πάντα στέγομεν. Qui sit autem modus huius uirtutis, alibi dicitur. Dissimulandæ & tolerandæ sunt morum infirmitates, non uicia enormia, aut corruptelæ ueritatis.

I. ἐπιείκεια.

Sequitur Candor:

πάντα πιστεύει.

II. Candor. Ἐπιείκεια uicina est Candori. Vt enim remittit ἐπιείκεια aliquid ex acerbitate iuris: Ita Candor interpretatur ambigua in meliorem partem, & non est diffidens, non suspicax, non liuidus. Nec propter leues & friuolas suspiciones credit alium sibi insidiari aut aliquid mali moliri, donec argumenta uera habet, ut Alexander noluit diffidere medico Philippo, cuius ei fides perspecta erat, tametsi Parmenio monuerat ab eo periculum esse. Veritas & Candor uirtutes sunt in me-

in medio, Extrema sunt, esse prorsus incautum, & contrarium Diffidentia, quæ sine probabili ratione, tamen omnibus diffidit quadam naturæ maleuolentia, sicut Dionysius Tyrannus, Alexander Phereus. Inter hæc media uirtus est, considerare uoluntates hominum, & probabili ratione confidere ac diffidere. Ita hæc uirtus retinet metas, & obtemperat huic dicto: μέμνησο ἀπιστεῖν, ne sit incauta, & ne obliuiscatur dicti: Maledictus qui confidit in homine. *Diffidentia.*

πάντα ἐλπίζει.

TErtia uirtus est lenitas sperans emendationem, quę uirtus gradus est, quem in gubernatione sæpè ad priores accedere oportet. Vt Dauid tolerat mores Ioab, etsi quædam facit iracundius, quædam ut candor postulat, in meliorem partem Dauid interpretatur. Tandem etiam cùm præstantes uiros Abner & Amasam hic uetus dux Ioab interfecisset, tamen Dauid non properat ad pœnam, Sed adhuc sperat eum fidelem fore. Sed consuetudine confirmata, impietas non facilè mutatur. Vt igitur semper Ioab fuit inquietus & turbulentus, ita ad extremum naturæ inquietæ specimen ostendit, spreta autoritate Dauidis, conatur seditiosè regem creare Adoniam suo arbitrio. Quare postea interficitur. III. *Lenitas.* *Ioab inquietus.*

Alexander diu parcit Philotę filio Parmenionis contumeliosè de ipso loquenti. Tandem cùm proferuntur signa coniurationis, eum interfici iubet. Sic & Dion, cùm Heraclidis socij iniurias diu toleraſſet, tandem eum interfici permisit. Et Augustus Cornelium Gallum.

Sed omnium maximè illustre exemplum est lenitas in Deo, qui diu multa magna peccata nostra tolerat, quæ non ignorat, sed eò tolerat, ut spacium nobis ad pœnitentiam concedat, ut in parabola de ficu, Lucæ 13. dicitur & Roman. 2. *Lenitas in Deo.*

πάντα ὑπομένει.

PAtientia in omnibus his gradibus necessaria est. Multi magni dolores perferendi sunt propter iniurias & delicta aliorum in gubernatione. Et quædam ἐπιείκεια eorum, qui sunt meliores, sanari possunt, ut Fabius corrigit errata Minutij. Ideo autem postremo loco nominat hanc tolerantiam, & quia superioribus gradibus mixta est, & quia aliquando hæc patientia retinenda est, etiam cùm uidemus insanabiles esse Collegas, & non est spes emendationis, ut Ionathas magno cum dolore tolerat patris furores, quem uidet iam sanari non posse. Hæc particula non est ἐπιείκεια leniens uel excusans scelera patris, sed magno cum dolore ea tolerat, & à Deo mutationem expectat. IIII. *Patientia.* *Ionathæ patientia.*

ἡ ἀγάπη οὐδέποτε ἐκπίπτει.

QVidam sic interpretati sunt: Dilectio non excidit, id est, non frustratur, non est inutilis uirtus. Cætera dona sæpè inutilia sunt habenti uel alijs, ut eloquentia sæpè nocet oratori & populo. Sed Paulus de perpetuitate loquitur. Dilectio manet in ijs, qui sunt hæredes uitæ æternæ in omni æternitate, & ut suprà dictum est, Virtus est necessaria in omnibus. Aliorum donorum, ut doni sanationis, non est usus post hanc uitam. Dilectionem uerò æternam esse oportet, quia illa æterna iusticia erit Legis impletio, quæ, ut notum est, præcipit dilectionem. Et qualis esset æterna uita in consuetudine Dei & Ecclesiæ, sine dilectione? Imò dolores apud inferos erunt horribilis indignatio aduersus *Dilectio est æterna.*

Deum,& totam Ecclesiam, & odium Dei & Ecclesiæ, quod nunc quoq; cogitantes expaueſcere debemus.

Grauiſsimè igitur monet Paulus,ut æternitatem intueamur,& hanc uirtutem exerceamus, quam in omni æternitate in nobis fulgere oportet.

εἴτε δὲ προφητεῖαι καταργηθήσονται.

COmmoratur in collatione uirtutum, & in declaratione proximi dicti, quo ſignificat dilectionem neceſſariam, & perpetuò duraturam, anteferendam eſſe uirtutibus & donis, quæ in hac fugacitate uitæ ſeruiunt Eccleſiæ, & poſtea ceſſatura ſunt.

Prophetiæ ceſſabunt.

Prophetiæ,inquit, ceſſabunt, quod uerum eſt, ſiue intelligas Prophetias de miniſterio interpretationis, ſiue de prædictionibus futurorum euentuum. Nam in uita æterna, ut poſtea dicit, coràm intuebimur fontem ſapientiæ Deum,& uidebimus euentus. Prophetiæ nunc ſunt: Mortui reuiuiſcent, Eccleſia ornabitur perpetua gloria,impíj abijcientur in æternas pœnas. Harum maximarum rerum noticia, poſt euentus multò erit illuſtrior.

Donum linguarum ceſſabit.

Ceſſabit & donum linguarum, quia non ut nunc ſuas linguas habebunt ſingulæ gentes,non intellectas ab alijs. Hoc non indiget declaratione.

Noticia abſtractiua ceſſabit.

Ceſſabit & cognitio ſeu ſcientia, id eſt, noticia obſcura, ſeu ut loquimur abſtractiua,de multis partibus doctrinæ Eccleſiaſticæ & naturalis, de Deo, de ſpirituali eſſentia,de anima, de natura cœleſtium corporum,denique de multis rebus, de miranda copulatione diuinæ & humanæ naturæ, quia tunc coram aſpiciemus Deum, filium Dei, Angelos, & perſpiciemus noſtras & alias ſubſtantias, & cùm in Deo intuebimur Ideam tantarum rerum,cauſas conſilij diuini diſcemus.

ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν.

COrrectio eſt. Nam cùm dixiſſet ceſſaturam eſſe cognitionem, ſtatim obijci potuit: Quid igitur hîc de Deo,de filio Dei,de anima,& de alijs rebus multa diſcimus, ſi hæc noticia penitus delebitur. An non hîc initia uera diſcimus, & eundem Deum cogitamus & alloquimur, quem & poſtea cernemus & alloquimur? Si extinguetur huius temporis noticia,cur dictum eſt: Hæc eſt uita æterna, ut agnoſcant te Deum uerum, & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum? Nónne uult Dominus in hac uita incoari agnitionem, duraturam in omni æternitate? Item, Cur inquit Daniel: Docti fulgebunt ut ſtellæ,ſi pariter in omnibus extinguetur lux in hac uita accenſa?

Obiectio.

Hæc obijci poterant,& ex hoc dicto Pauli malè intellecto,multi abſurdas diſputationes ſumſerunt. Addit igitur Paulus correctionem ſeu interpretationem: Non inquit penitus delebitur prior noticia, ſed imperfectio abijcietur, & ex noticia obſcura,umbratili,ac mixta dubitationibus fiet illuſtris & immota, & ut uocabulis notis utamur, ex abſtractiua fiet intuitiua, plena lucis & ſplendoris. Vt ſi quis aliquem in crepuſculo utcunq; conſpectum, poſtea in clara luce manifeſtius intuetur.

Ex abſtractiua fiet intuitiua noticia in uita æterna.

Inquit igitur: Ex parte cognoſcimus,id eſt,imperfectè,obſcurè,languidè. Eodem modo intelligatur quod inquit: Ex parte prophetamus, id eſt,imperfectè & obſcurè intelligimus tùm interpretationes, tùm prædictiones. Scimus filium Dei redditurum eſſe nobis corpora noſtra. Hæc Prophetia eſt, ſed ualdè obſcura. Nemo enim cogitare poteſt, quomodo toties diſſipata membra in halitus

in halitus,& in alia corpora inde usque à quinque millibus annorum rursus ad sua corpora reditura sint. Omitto exempla alia. De hac imperfectione & obscuritate se antea locutum esse inquit, cùm diceret, cessaturas esse prophetias & nostram cognitionem. Sed manebunt in nobis initia doctrinæ,quæ nunc sunt in alijs maiora, in alijs minora. Et uera erit sententia: Docti fulgebunt ut stellæ,ut infrà rursus dicemus. Scio iam qualis sit urbs Roma,uidi picturas,habeo qualemcunque obscuram imaginem urbis in mente. Hæc noticia non deletur, cùm Romam uenio, & omnia ædificia ac situm urbis coràm contemplor, sed cùm sit incoata noticia eiusdem rei, quam prius absentem cogitaueram, fit perfectior,ut eadem lux in aëre,quæ fuit in crepusculo,manet in aëre,sed plus lucis accedit, cùm sol iam supra terram altius euectus est. Hanc collationem imperfectionis & perfectionis declarat alijs exemplis & similitudinibus: Cùm essem infans,ut infans loquebar.

ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν.

MAnifestum exemplum est,quod ostendit,non deleri ea bona,quæ prius adsunt: sed imperfectionem abijci,ac bonis prioribus addi plus roboris. Vt cùm post teneræ ætatis balbutiem rectè loqui grandiusculus incipit,non amittit priores linguæ motus,sed habet iam faciliores & planiores. *Imperfectio abijcitur.*

Videmus iam per speculum, in ænigmate.

NON hoc dicit, incertam esse cognitionem in hac uita, sumtam ex uerbo Dei,sed quanquam sit certissima, tamen obscura est,& nequaquam ita illustris, ut erit lux illa in consuetudine cœlesti. Certissimum iam nobis est fide,in filio DEI Domino nostro Iesu Christo duas esse naturas, diuinam & humanam, Et inuocatio intuens filium Dei fatetur eum esse omnipotentem, sed hoc statuit iuxta uerbum. Hæc cognitio est adhuc obscura & similis ænigmati. Verbum enim est uelut inuolucrum illius arcanæ & mirandæ rei, quam in uita cœlesti coràm aspiciemus. *Cognitio in hac uita sumta ex uerbo non est incerta.*

Ita nunc uerbum de Resurrectione est uelut ænigma, id est, inuolucrum euentus postea secuturi,qui tunc clarè conspicietur. Ita fides expectans promissam liberationem cernit euentum inuolutum uerbo tanquam ænigmate.

Israëlitis promissa est eductio ex Aegypto. Hanc cernit Moyses in uerbo,et quanquam fides est firma,tamen qualis,aut quando sit futura non cernit.

Talia exempla utcunque ostendunt, uerbum aptè nominari ænigma, tanquam inuolucrum. Significat enim ænigma sermonem tectè aliud significantem. *Ænigma.*

Sed quid nominat speculum, seu uidere per speculum? Duo sunt,obiectum & ipsa uisio. Aenigma est obiectum, ut uerbum monstrans consolationem,uidelicet: Noli timere Abram, Ego protector tuus. Ipse uerò sensus consolationis, quem accendit Spiritus sanctus in corde Abraham credenti, & est lux & lætitia non ignota pijs, est hoc speculum, per quod intuentur Deum in illo uerbo seu ænigmate se ostendentem. Ita & 2.Corinth.3. dicitur, Speculantes gloriam Domini, id est, intuentes Deum in illa luce, & consolatione accensa per Euangelium,& per Spiritum sanctum. *Videre per speculum.* *Speculum.*

Sed hæc noticia nondum adeo illustris est,ut intuitiua in cœlesti cõsuetudine,

Videre facie ad faciem.

dine, quam hîc nominat Videre facie ad faciem, id est, coràm sine caligine ulla cernere Dei substantiam & uoluntatem, & in eo causas diuinorum operum.

ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην.

Verbum ἐπιγνώσομαι.

RECTÈ usus est uerbo ἐπιγνώσομαι, quia significat rem antea utcunque notam seu cogitatam, cûm postea uenit in conspectum, ex illa priore qualicunque Idea certò cognoscere, id Latini nominant agnoscere. Nunc utcunque obscurè cogitamus, quid sit Deus, quid sit anima, sed postea clarius eum cognoscemus, & congruere eum ad priorem cogitationem intelligemus. Monet autem ualdè perspicuam noticiam fore, quia talis erit, qualis est in Deo nos intuente, id est, clara & certa sine ulla caligine & ambiguitate.

Cæterùm ex hoc loco etiam hęc consolatio sumenda est in Inuocatione in hac uita. Dolemus, quòd non clarius cernimus Deum, & in Inuocatione libenter quasi complecti eum brachijs uellemus. Sed simus contenti hac qualicunq; cogitatione intuente Deum in uerbo & eius testimonijs, iuxta illa dicta: Beati qui credunt, cùm non uiderint. Item, Iustificati fide pacem habemus. Nondum fulget in nobis intuitiua noticia, sed acquiescamus fide in ænigmate, uidelicet in uerbo.

νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη.

Tres uirtutes Theologicæ.

HANC ipsam consolationem proponit Paulus, in hac uita iubet adprehendere Deum fide & spe. Cæterùm ex hoc loco sumta est usitata enumeratio trium uirtutum, quæ nominantur Theologicæ. Nec inconcinna est enumeratio, Nam uirtutes aliæ multæ in hæc membra includi possunt.

In quacunque enumeratione uirtutum prima res & præcedens est cognitio. Quia Ignoti nulla cupido. Ideo & primum præceptum ab agnitione Dei orditur: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, Primùm ibi nominatur Deus, & discernitur ab omnibus creaturis & commentitijs numinibus. Ita eruditè hîc ait Paulus, necessariam uirtutem esse Fidem, uidelicet cognitionem, & quidem talem, quæ sit fides, id est, assensio, qua uerbum Dei amplectimur de rebus non incurrentibus in sensum, nec ratione deprehensis.

Fides assensio est.

Fides propriè.

Hæc cognitio aut est historiæ, aut legum & comminationum, aut promissionum. Cùm uera adsensione leges & comminationes amplectimur, oritur timor. Cum autẽ promissiones amplectimur, oritur fiducia acquiescens in Deo, & uiuificans corda. Hæc uirtus propriè nominatur fides, quia tunc demũ accedimus ad Deum, cùm apprehensa est misericordia propter filium promissa. De hac fide dicitur ad Ephesios 3. Per quem habemus fiduciam, & audemus accedere per fidem eius. Complectitur autem hæc fides omnes articulos fidei, nec tantùm noticia est, sed est fiducia, qua cor acquiescit in filio Dei, & in Deo, iuxta promissionem. Quia cùm in ueris pauoribus articulum, Credo remissionem peccatorum, ita amplecteris, ut te quoque includas in promissionem uniuersalem, & statuas tibi remitti peccata, certissimum est in corde sequi fiduciam & lætitiam acquiescentem in Deo, ut experientia in uera consolatione ostendit, in qua rectè discimus, quid sit fides, & simul agnoscimus, oportere nos fide acquiescere in uerbo Dei, nec quærere alias illuminationes. Hanc admonitionem necessariam esse, etiam ostendit experientia.

Fides complectitur omnes articulos fidei.

Spes

Spes est expectatio uitę æternæ certa, propter filium Dei iuxta, promissionem in Euangelio expressam, & est expectatio mitigationis pœnarum seu calamitatum in hac uita iuxta consilium Dei. Cùm autem dicant aduersarij ueræ doctrinæ, non seruari à nobis discrimina uirtutum, fidei & spei, moneri iuniores de uera differentia necesse est. Fides accipit præsens beneficium, scilicet remissionem peccatorum, & reconciliationem, ut certissimum est ex dicto: Iustificati fide pacem habemus. At spes futuram liberationem intuetur, & expectat. Hæc doctrina perspicua est. *Spes.*

Sed quærunt, Cur affirmemus in Ecclesia fidem & spem uirtutes esse, cùm tamen fides sit notitia? Deinde etiamsi fiducia esse dicatur, tamen mirari aliquis potest, quomodo sit uirtus: Item, cur spes sit uirtus, cùm in uita usitatissimum sit, spe incitatos homines decipi, & ruere in maximas calamitates, ut dictum est: *Quæstiones de fide & spe.*

Fallitur augurio spes bona sæpè suo.

Et Pindarus inquit: Spes somnia esse uigilantium. Et dictum est Epicteti ualdè dignum memoria: Vt pedibus, ita spe accedenda sunt possibilia, ὥσπερ τοῖς σκέλεσι, οὕτως καὶ ἐλπίσι πρὸς τὰ δυνατὰ δεῖ βαδίζειν.

Respondeo: Fides & spes sunt haud dubiè uirtutes, quia sunt obedientia, quam postulat Deus præstari suo mandato. Vox diuina manifesta est: Hunc audite. Item, Hæc est uoluntas patris mei, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam. Fides igitur uirtus est, quia Deo obtemperat, & cùm est assensio amplectens omnes articulos fidei ac promissionem gratiæ, & cum ea cõiuncta est fiducia in DEO acquiescens. Nota sunt & de spe plurima præcepta 1. Petri 1. Firmiter sperate gratiam, quæ uobis exhibebitur, cùm Iesus Christus reuelabitur, uidelicet in iudicio, Et in eodem capite: Vt fides uestra & spes sit in Deum, Et Roman: 5. Spes non confundit. Et Rom: 8. Spe salui facti sumus. Est igitur uirtus Spes, quæ uerbo Dei obtemperat. *Fides & spes cur sint uirtutes.*

Et hinc sumatur responsio ad obiectiones suprà recitatas de spe fallaci: Vox diuina præcipit spem de ijs rebus, quas promisit, ac uitæ æternæ promissio propter filium certa & immota est. Non præcipit Pompeio sperare uictoriam, etiamsi ipse hac sua imaginatione mouetur: Causa iubet superos melior sperare secundos, quia iudicium Dei est, utra causa sit iustior. Et sæpè Deus punit homines propter priora delicta, etiamsi in præsenti negocio iustam causam habent, ut puniebat Israëlitas pugnantes cum tribu Beniamin, & sæpe aliâs. Est igitur fallax spes, quæ non regitur promissione diuina.

Reguntur autem promissione diuina spes uitæ æternæ, & spes mitigationis pœnarum & calamitatum in hac uita, ubi & doctrina tenenda est: Etiamsi præsentes calamitates non tolluntur, nec mitigari uidentur, tamen semper retinenda est spes uitæ æternæ, iuxta dictum Iob: Etiamsi occîdet me, sperabo in eum, ueruntamen uias meas coram eo arguam, & ipse erit mihi saluator, & non uenient ad eum omnes hypocritæ, id est, etiamsi in hac uita non tollentur calamitates, tamen spem uitæ æternæ retineant omnes, qui ad Deum conuertuntur. *Spes quæ regitur promissione diuina, certa est.*

Experimur autem ualdè languefieri animos in pœnis, & dubitare, an sit speranda & expectanda salus æterna, cùm nunc sentimus iram Dei in pœnis, & abijci uidemur. Aduersus hanc tristissimam dubitationem necesse est tenere in con-

Consolationes in pœnis. I.

in conspectu firmas consolationes, quarum hæc prima & præcipua est, quòd Deus uult nos, quocunque tempore ad se conuerti, & conuersos certissimè recipit propter filium Gratis, quia hæc promissio semper uera & immota est: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut OMNIS, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Ezechielis 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item, In quacunque die conuersus fuerit impius, non corruet in impietate. Matth: 19. Quoties remittam? Septuagies septies. Lucæ 15. Gaudium est Angelis de uno peccatore pœnitentiam agente. Et ibi recitatur conuersio filij prodigi.

II. Altera consolatio est: Hanc ipsam ob causam punit Deus, ut nos retrahat ad pœnitentiam, & conuersis det uitam æternam, non ut perdat nos. 1. Cor. 11. Cùm iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et in Psalmo: Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Esaiæ 28. Vexatio dat intellectum. Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad miserum & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Micheæ ultimo: Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Hîc expressè de pœna loquitur, & confitetur peccatum. Postea addit consolationem, in qua narrat se fidem & spem retinere: Cûm sedebo in tenebris, Dominus lux mea est. His dictis adde uocem filij Dei, quæ continet amplissimam & certissimam consolationem: Venite ad me OMNES, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et Rom. 8. Longa est concio de spe retinenda in summis doloribus & cruciatibus. Spe salui facti sumus. Spes autem, quæ uidetur, non est spes.

Spes uitæ æternæ, in pœnis retinenda.

Hæc dicta & similia teneamus, ne propter pœnas, quibus Deus in hac uita nos de ira sua commonefacit, spem uitæ æternæ abijciamus. Et sciamus hanc spem nequaquam esse irritam, quia præcipitur uoce diuina. Quanquam autem præsentes pœnæ in hac uita sæpè non prorsus tolluntur, quia Deus propter multas causas uult Ecclesiam cruci subiectam esse, tamen & mitigatio promissa est, quæ fit aliâs aliter. Cumq; promissa sit diuinitus, hæc spes etiam non est irrita. Nahum primo: Bonus est Dominus, & confortans in tribulatione, & respiciens sperantes in ipsum.

Ioelis 2. Conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia bonus est, & misericors, & mitigans pœnam.

Oseæ 11. Non faciam furorem iræ meæ.

Et Lucæ 21. Orate, ut possitis effugere uentura mala.

Pœnæ mitigantur.

Et illustria exempla sunt mitigationis pœnarum, seruata Niniue, restitutio Dauidis in regnum, sanatio Ezechiæ, reductio Manassæ, & non dubium est tales mitigationes in tota Ecclesia quotidiè fieri, sicut Psalm: 77. dicit, Et non accendit totam iram suam.

Ieremias in Threnis capite 3. Misericordiæ Domini quòd non consumti sumus.

Et alibi capite 46. Consumam cunctas gentes, ad quas eieci te, te uerò non consumam, sed castigabo te in iudicio, & ostendam te, quæ uideris innocens, non innocentem esse.

Et Abacuc 3. Domine in ira misericordiæ recorderis.

Hæc & similia dicta sæpè cogitemus, ut & ardentius petamus mitigationem pœnarum publicarum & priuatarum, & agnoscamus immensam Dei misericordiam, quòd uerissimè lenit pœnas, & nos sustentat, & ei gratias agamus.

Hanc

Hanc commonefactionem de fide & ſpe utiliſſimam eſſe manifeſtum eſt. Et ut ſit ardentior inuocatio, ſæpè cogitanda eſt.

Conſtat autem ex his, quæ dixi, rectè nuncupari fidem & ſpem uirtutes, quia ſunt obedientia, quæ regitur uerbo Dei, & ſunt cultus præcipui, ut Pſalm. inquit: Sacrificate ſacrificium iuſticiæ, & ſperate in Domino. Nec ſunt Philoſophis notæ hæ uirtutes, quia tantùm monſtrantur uoce Dei, quæ docet etiam, quomodo regendæ ſint. Fide accipimus remiſſionem peccatorum, Spe expectamus certò uitam æternam, non propter noſtra merita, ſed propter filium Dei Gratis. Hæc ita fieri oportet, quia in Euangelio Deus hanc ſuam uoluntatem certiſsimis teſtimonijs patefecit. Ac procul extra Philoſophiam hæc ſapientia poſita eſt. Nec Philoſophia fidem & ſpem inter uirtutes ponit, cùm non regunt. Philoſophi fidem & ſpem non ponunt inter uirtutes.
tur certa & firma noticia principiorum, experientia aut demonſtratione, ſed iudicat ſtulticiam eſſe aſſentiri incertis. Vt cùm ſperat Antonius uictoriam, quia inſtructior eſt Auguſto.

Sed Eccleſia certa eſt propter promiſſionem diuinam, & credit præter ſpem in ſpem, id eſt, credit & ſperat, ubi etiam diuerſum iudicio naturali apparet. Vt Pſalmo 71. dicitur: Liberauit pauperem, cui non erat adiutor. Et Pſal. 26. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem ſuſcepit me.

Etſi autem cæteræ uirtutes, ut timor uel reuerentia, obedientia in afflictionibus Deo debita, quæ eſt pars iuſticiæ, & nominatur tolerantia uel patientia, rectè comprehenduntur in dilectione, ut mox dicam: tamen ſciendum eſt, & his & cæteris fidem & ſpem prælucere. Quod ut fiat perſpicuum, fiat collatio patientiæ Philoſophicæ & Chriſtianæ, & conſolationum utriuſq; generis. Fides & ſpes prælucent cæteris uirtutibus.

Philoſophica patientia eſt utcunque obedire rationi in ferendis aduerſis, ita ut nihil contra iuſticiam, aut alias uirtutes facias. Vt Cato ſeipſum interficiens contra iuſticiam facit. At Socrates nec iuſticiam nec modeſtiam uiolat, cùm ſine ſeditione, & ſine deformitate ulla mortem oppetit. Nec in Philoſophica patientia ſpes incluſa eſt, ſed Palamedes rationi obtemperat, etiam cùm ſpes omnes ſalutis in hac uita, & poſtea extinctæ ſunt. Patientia Philoſophica.

At Chriſtiana patientia eſt, obedire mandato diuino in tolerandis aduerſis, ita, ne facias aliquid contra mandata Dei, ne Deo iraſcaris, ſed fide agnoſcas eum tibi propicium eſſe, & ſperes auxilium, mitigationem aut liberationem, & hac fide, & ſpe lenias dolorem. Patientia Chriſtiana.

Cernis hîc in definitione addi fidem & ſpem, ſicut ſuprà de utraq; uirtute mandata ſeueriſſima recitata ſunt, iuxta illud: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Item, Petrus: Firmiter ſperate gratiam, quæ uobis exhibebitur, cùm Ieſus Chriſtus reuelabitur. Ideo autem in Chriſtiana patientia lenitur dolor, quia tunc obiecta bona, fide & ſpe cernuntur.

Baptiſta ſcit ſe Deo carum eſſe, & Deum adeſſe in hoc ipſo agone, & uidet hanc mortem eſſe iter ad cœleſtem Eccleſiam. Hæc non uident Palamedes, Socrates, Theramenes, aut ſimiles. Non autẽ uerè lenitur dolor, donec tantùm triſtia obiecta mens intuetur. Quæ autem obiecta ad conſolandos animos proponantur in Philoſophia, quæ in Euangelio, ſuprà dictum eſt. Et ualde prodeſt collationem illam cauſarum ſemper meminiſſe.

ἀγάπη, τὰ δὲ εἰα ταῦτα, μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη.

Sequitur deſcriptio dilectionis, qua uniuerſa antiquitas complexa eſt obe-

dientiam uniuersalem, dilectionem Dei & hominum propter Deum, & iuxta ordinem à Deo institutum, sicut Paulus inquit Roma 13. Dilectio est impletio Legis. Et primæ Iohannis 5. Hæc est dilectio Dei, ut mandata eius seruemus. His dictis mota antiquitas, nomine dilectionis usa est, sicut alioqui utimur nomine iusticiæ uniuersalis. Hæc ideo recito, & ut dicta scriptorum magis perspicua sint legentibus, & ut recentium ineptiæ repudientur, qui in hoc textu Pauli contendunt tantùm de dilectione proximi & officijs erga proximum dici, non de dilectione Dei. Magna cœcitas est, has uirtutes diuellere, quia dilectio proximi nõ est ordinata, nisi regatur dilectione Dei, id est, nisi sit talis uoluntas, & sint talia officia, qualia Deus in suis præceptis ordinat. Item, Nisi ad hunc finem referatur, ut Deo præstetur obedientia, & simus in Deo copulati, sicut Dominus inquit: Vt unum sint in nobis. Sciamus igitur unam esse uirtutem dilectionem Dei & proximi, quæ gradus habet, sed tamen & ordinatur à Deo, & refert inferiores gradus ad Deum tanquam ad principalem finem. Abraham diligit Deum. Postea & Agar diligit, sed pluris facit Deum, quo iubente, dimittit ancillam Agar.

Dilectio Dei & proximi una uirtus.

Difficile est autem nobis in hac tanta duritie cordium tradere illustrem definitionem dilectionis. Si enim arderent corda sensu amoris Dei, sicut amantes incendia amoris inter sese sentiunt, minus obscurum esset, quid nominetur Dilectio. Ac profectò talia uera incendia erga Deum in corde esse deberent, sed quia ualdè languida sunt, etiam si qua sunt, obscurior est descriptio.

Definitio dilectionis.

Sed tamen constituamus hanc qualemcunq; descriptionem: Dilectio Dei & proximi est, postquam uera fide apprehensa est misericordia Dei propter filium donata, uicissim subijcere cor Deo, & facere mandata eius, cum quadam lætitia acquiescente in ipso. Vt quia scit Laurentius se Deo placere, uicissim ei obtemperat in confessione & alijs officijs, & lætitia acquiescit in Deo, quamquam corpus sentit magnos cruciatus. Hæc lætitia est effectus & indicium dilectionis, sicut sæpè scriptum est, ut Actorum 5. Ibant Apostoli à conspectu Synedrij gaudentes, quòd contumelia affecti essent propter Dominum. Hanc lætitiam utcunq; sentire mediocres homines possunt. Interdum uerò in cordibus piorum accenduntur subitæ flammæ dilectionis ardentiores, quas suæ cuiusq; experientiæ relinquamus. Hæc de descriptione dilectionis monuisse satis sit.

Addit autem Paulus enumerationi, Tria hæc, quasi significans, se præcipuas uirtutes nominasse, quod uerum est. Nam cùm dilectio sit iusticia uniuersalis, ut facilè intelligi potest, non est postea opus longiore enumeratione, sed aspiciatur Decalogus, & considerentur dilectionis officia iuxta singula præcepta. Ita si quis uolet distributionem uirtutum facere, iuxta præcepta commodè eas recitabit. Necesse est autem prælucere fidem & spem, quæ sunt uirtutes ortæ ex promissione Euangelij, Deinde dilectio est incoatio legis.

Decalogus in doctrina de dilectione aspiciendus.

Iuxta primam tabulam dilectio Dei complectitur timorem filialem Dei, id est, ueram reuerentiam Dei, confessionem, gratiarum actionem, patientiam in ærumnis confessionis, studium conseruandi ministerij Euangelici.

In secunda tabula in quarto præcepto amorem coniugis, sobolis, parentum, beneficiorum, magistratum, propter Deum.

In quinto præcepto iusticiam, quæ cauet, ne lædat corpus alterius, item, mansuetudinem frenatricem iræ & cupiditatis uindictæ, Item beneficentiam. In

manſuetudinem frenatricem iræ & cupiditatis uindictæ, Item beneficentiam.

In Septimo præcepto iuſticiam abſtinentem à rebus alienis, & liberalitatem iuuantem egenos. Hæc omnia eſſe officia dilectionis proximi perſpicuum eſt, quia ſunt uincula conſociationis generis humani, quæ eſt mutua beneuolentia. *Officia dilectionis iuxta Decalogum.*

In Sexto præcepto Caſtitas.

In Octauo Veritas, uirtutes ſunt neceſſariæ, etiamſi non prodeſſent proximis. Et tamen hæ quoq; multipliciter proſunt ſocietati communi.

Ex hac conſideratione iudicari poteſt, adpellatione dilectionis uirtutes cæteras comprehendi.

Sed cur inquit: Maxima inter has dilectio? Reſpondeo ſimpliciſſimè: Cùm uirtutes inter ſeſe conferuntur iuxta ſuam eſſentiam, ueriſſimum eſt, dilectionem Dei longè omnibus alijs antecellere. Sicut lex etiam ſummam uirtutem nominat: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. De quo præcepto cùm Dominus ipſe dicat: Hoc eſt primum & magnum mandatum, ſignificatur, & uirtutem, de qua loquitur, præcipuam eſſe. Et in uita æterna ſenſus amoris Dei erga nos, & uiciſſim noſter amor erga Deum erit ſummus gradus beatitudinis. Et ſemper amor complectitur noticiam, quæ quidem in uita æterna erit multò illuſtrior, non obſcura, ut nunc eſt fidei noticia. *Dilectio maxima uirtus.*

Non diſputabo autem ſubtilius de collatione harum uirtutum. Vtramq; ſciamus eſſe flammam à Spiritu ſancto accenſam, ſcilicet ueram fidem, & ueram dilectionem. Ideo utraq; magnifacienda eſt, etiamſi altera antecellit.

Sed argumentum hîc explicandum eſt, quod opponunt aliqui contra dictum, fide iuſtificamur:

Maxima uirtus potius iuſtificat.

Dilectio eſt maxima uirtus.

Igitur dilectio potius iuſtificat.

Reſpondeo: Maior uera eſſet, ſi iuſti eſſemus impletione legis. Sed quia Lege non ſumus iuſti, & in promiſſione oſtenditur alia iuſticia, ſcilicet, quòd propter filium Dei iuſti ſimus, imputata nobis ipſius iuſticia: nominatur fides quæ apprehendit Mediatorem, ſiue hæc uirtus ſit maior, ſiue minor dilectione, id ad rem non pertinet. Non enim ſumus iuſti propter noſtras qualitates, ſed propter filium Dei. Et tamen uerum eſt, quòd cùm fide apprehenditur filius Dei, corda uiuificantur, & filius Dei uerè in nobis efficax eſt, & accendit ſpiritu ſancto nouam lucem, dilectionem & cæteras uirtutes, quæ ſunt incoata impletio legis. Et tamen quia adhuc in hac miſera natura ſunt reliquiæ peccati, perſona eſt iuſta, id eſt, accepta Deo propter Mediatorem pro nobis interpellantem apud æternum patrem, & imputata nobis iuſticia Mediatoris, non eſt iuſta propter propriam dignitatem. Rectè igitur de utroq; dicimus, de renouatione & de imputatione, Neceſſe eſt fieri renouationẽ. Et filius Dei eſt in nobis, & eſt efficax. Et tamen hæc conſolatio omnibus neceſſaria eſt, quòd propter ipſum filium Dei certò placeamus Deo, fide, non propter dignitatem noſtram. Qui hos fontes huius doctrinæ conſiderant, poſſunt & dictum Pauli hoc loco rectè explicare, & multis alijs obiectionibus in hoc articulo reſpondere. *Imputata iuſticia ſumus iuſti.*

Addam & hoc, uſitatam reſponſionem eſſe: Dilectio eſt maxima, ſcilicet, quo ad actiones inter homines, quia ferè omnes actiones præceptorum ſecun-

dæ Tabulæ sunt opera dilectionis. Sed hanc responsionem omitto, etsi uerum est, ut suprà dixi, dilectionem proximi uirtutem simpliciter necessariam esse singulis, dona miraculorum non sunt singulis necessaria. Et de hac fide, quæ est donum miraculorum, præcipuè hîc Paulus loquitur, ut mox initiò in sequenti capite ostendit: Sectamini dilectionem, suscipite uerò Spiritualia. Vult singulos sectari, id est, appetere dilectionem, quæ est uirtus simpliciter necessaria singulis. Deinde uult dona cætera, quæ prosunt Ecclesiæ, & sunt motus & testimonia Spiritus sancti, magnifieri, etiamsi non est necesse singulis ea dari.

CAPVT XIIII.

Διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά.

DIctum est suprà, considerandum esse discrimen inter necessaria singulis, & inter alia dona, quæ etiamsi prosunt Ecclesiæ, tamen non dantur omnibus, ut dona Ioseph & Danielis sunt excellentia, & uniuersæ Ecclesiæ prosunt, & sunt illustria testimonia de præsentia Dei in Ecclesia. Sed tamen non omnibus tanta ornamenta tribuuntur. Id discrimen hîc indicat, cùm ait: Sectamini dilectionem, id est, Hæc talis est, quam expetere & possidere uos singulos oportet. Sed dona Spiritus admiramini, magnifacite, & agnoscite beneficia Dei esse, & doctrinæ testimonia, & Deo pro hac patefactione gratias agite. Et sicut ad Ephe: 4. dicitur. Dat alios Prophetas, alios Apostolos, scitote non similia esse ministeria & dona singulorum. Ideo de his usus est uerbo ζηλοῦτε, id est, admirami ea & magnifacite, & suo loco quisq; suo ministerio fungatur, & suo dono seruiat Ecclesiæ. Consideranda est autem Pauli prudentia. Corinthij studio donorum fiebant insolentiores, & negligebant dilectionem. Nunc cùm audiant anteferri dilectionem, ne studium & exercitia donorũ negligant, tribuit utrique generi locum conuenientem. Deinde omissis cæteris, loquitur de eo loco, cuius præcipuus usus est in docendo.

Dilectionem singulos habere oportet.

Dona singulorum dissimilia.

μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε.

Prophetia.

CErtum est Prophetiam in hoc capite significare sententiæ alicuius lectæ seu recitatæ enarrationem, ut Lutherus enarrans Paulum ad Romanos aut ad Galatas, Prophetiæ dono utitur.

Lingua loqui.

Lingua loqui, est diuersas linguas posse sonare. Id miraculum cùm ostentarent aliqui in publica congregatione, quia ut alioqui Græci homines amarunt eloquentiam, ita magis delectabantur cognitione multarum linguarum, quàm cæteræ gentes, & hoc studium amabant, & tanquam laudes seu precationes diuersis linguis recitabant: Paulus retrahit eos ad studium enarrationis. Et præsertim in publica congregatione tantùm sonare diuersus linguas, sine enarratione, nulla utilitas erat. Vult autem Paulus dicentes in publico cœtu non theatricam ostentationem instituere, ut apud Ethnicos fuit usitatum recitare Poëmata, aut Panegyricos in spectaculis: sed seruire utilitati discentium, & accendi pios affectus, & inuocationem.

Dicentes in publico seruiant utilitati auditorum.

Et hic uetus mos considerandus est. Lecta aliqua sententia in libris Prophetarum in Synagogis, plures ordine de ea dicebant, ut Lucæ 4. Dominus recitat sententiam ex Esaia, & in Actis cap. 13. Paulo datur locus dicendi. Nec tamen

tamen erant promiscui clamores, ut in uulgi suffragationibus, sed dabatur locus dicendi ab eo, qui præerat Synagogæ, ut in Actis dicitur: Et hîc discrimen est inter sedentes & reliquam multitudinem, ut de iudicijs dictum est:

Consedêre duces, & uulgi stante corona.

Ita Paulus hîc plures ordine sine tumultu iubet dicere, & enarrare lectas sententias.

Λαλῶ οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν.

COmmoratur in instituta admonitione. Loquens lingua, id est, dicens laudes, gratiarum actionem seu precationem uarijs linguis, aut peregrina lingua, non hominibus loquitur, Id est, non docet populum: Sed Spiritu, id est, dono Spirituali, quo cordis affectibus accensus est, loquitur bona quidem, sed tamen non intellecta cæteris. Sed prophetans, id est, enarrans, loquitur ea, quæ prosunt ad ædificationem, adhortationem, & consolationem. *Loquens lingua.* *Prophetans.*

Visitatum est Paulo, genera concionum partiri in has tres species, quę sunt præcipuæ. Prima species est διδασκαλική. Oportet enim initiò doctrinam de articulis fidei & de distinctione Legis & Euangelij, & alijs membris doctrinæ principalibus tradere. *Genera concionum.* I.

Alia species est adhortatio ad pœnitentiam & ad bona opera, quæ & obiurgationem complectitur, & similis est suasorijs materijs in Rhetoricis. II.

Tertia species est consolatio, quæ præcipuè sumitur ex Euangelio, quia fundamentum in omni uera & efficaci consolatione est, agnitio remissionis peccatorum, & reconciliationis cùm Deo propter filium, ut suprà de consolationibus dictum est. III.

Eodem modo Paulus distribuit genera doctrinarum in priore Epistola ad Timoth: 4. Assiduus esto in lectione, consolatione & doctrina. Hoc dictum prorsus congruit cum his uerbis, quæ recitantur in hac Epistola ad Corinthios, & sapienter docet, quæ sint præcipua genera concionum in Ecclesia, quod esse consilium in docendo oporteat, & ad quos fines referenda sit omnis oratio.

Primùm fit mentio lectionis, ubi considerandum est discrimen doctrinæ in Ecclesia, & artium cæterarum. Non ordimur Arithmeticam aut alias Philosophiæ partes à lectione, sed afferimus ad artium descriptionem initia nobiscũ nata, ut numerationem & alia. sed doctrina Ecclesiæ longè aliter discenda est. Ordiri necesse est à lectione. Quia cùm articuli fidei de tribus personis diuinitatis, & de duabus naturis in redemtore nato ex Maria uirgine, de Ecclesia, de gratuita remissione peccatorum, de resurrectione mortuorum, & alij articuli Euangelij nequaquam natura noti sint: Necesse est eos cognosci tantùm ex patefactione diuina, quam Deus immensa bonitate post primos parentes literis mandari uoluit per Prophetas, ac deinde per Apostolos. Ideo nos primùm ad lectionem deducit, id est, Vult in Ecclesia legi libros Propheticos & Apostolicos, quos uult esse fontes doctrinæ, & normam, ne recipiantur ullæ opiniones ab hac norma dissentientes, sicut ipse dicit: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Itaq; sit hoc primum concionatoris munus, ut libros Propheticos & Apostolicos populi legat, & legi curet, & moneat regulam doctrinæ in his contineri. *Officia concionatoris.* I. *Lectio.* *In doctrina Ecclesiæ ordimur à lectione.*

Secundum officium concionatoris est Docere. Est autem una & simplex uia docendi, in lectione genus sermonis enarrare, & deinde monstrare ordinem II. *Docere.*

rerum, quæ proponuntur, & membra distinguere, & uia quadam artium addere definitiones & collationes. Vt in principio libri Moysi necesse est monere lectorem, ubi de Creatione, ubi de Lapsu primorum parentum dicatur.

Postea discerni oportet Iusticiam & Peccatum, deinde legem & promissionem. Deniq; sani omnes intelligunt, in docendo adhiberi oportere Grammaticen, Numerationem, Dialecticen, & aliarum artium adminicula. Necesse est articulos fidei ordine populo proponi, discerni Legem & Euangelium, peccatum & redemtorem, iusticiam Philosophicam & aliam iusticiam, quæ aut propter filium nobis imputatur, aut in nobis restituitur.

Discerni oportet Ecclesiam & Imperia, Vetus & Nouum Testamentum, leges diuinas & humanas, æternas pœnas & æterna præmia.

Ædificatio Paulo quid.

Harum rerum enarrationem in Corinthijs nominat Paulus ædificationem. Et intelligat concionator, quæ materiæ sint principales ac necessariæ ad ædificationem, id est, ad confirmandam fidem in omnibus articulis. Has repetat, omissis peregrinis disputationibus, sicut iubet ad Timotheum eligi utilia ad ædificationem. Pertinent autem hæc duo genera lectio & doctrinæ explicatio ad genus Didascalicon.

III. *Consolatio. Finis doctrinæ in Ecclesia.*

Tertium genus est Consolatio. Non est finis doctrinæ in Ecclesia tantùm scientia, nec tantùm actiones nostræ, sed Deus se patefecit & Euangelium tradidit, ut liberet nos à peccato & æterna morte, & finis est, ut abolito peccato & morte, fruentes communicatione sapientiæ, iusticiæ, & lætitiæ Dei, in omni æternitate apud eum uiuamus, & uicissim eum celebremus. Est igitur genus extremum Consolatio.

Gradus consolationum.

Postquam igitur concionator proposuit lectionem & doctrinam, ostendat quomodo applicanda sit ad consolationem, & ad hunc effectum postremò orationem referat. Et gradus hîc considerentur.

Primùm erigenda est fides, id est, fiducia misericordiæ, qua cùm in Deo acquiescimus, sequitur pax & gaudium, ut scriptum est: Iustificati fide pacem habemus. Et proximi gradus sunt Inuocatio, Spes, & Gratiarum actio. Scimus enim Inuocationem nequaquam irritam esse. Leniuntur ergo dolores spe mitigationis calamitatum, aut liberationis, quam petimus & expectamus. Et Gratiarum actio accenditur, cùm ordine beneficia Dei utcunq; agnoscimus. Primùm remissionem peccatorum, deinde auxilium, & præsentiam Filij Dei nos sustentantis, postea mitigationem calamitatum uel liberationem.

Mox repetit eadem genera concionum: Si reuersus ad uos tantùm uarijs linguis sonarem meas precationes aut hymnos, quid prodessem uobis, nisi & concio accederet ex reuelatione, uel scientia, uel Prophetia, uel doctrina?

Nominat doctrinam lectionem, & dogmatum recitationem, ut suprà dictum est. Prophetiam enarrationem lectionis & dogmatum. Et hæc duo membra partim ad genus Didascalicon, partim ad alterum genus pertinent, quod nuncupauit consolationem. Scientia est admonitio de moribus & de externa

Scientia.

gubernatione, ut suprà capite duodecimo dictum est, ut de electione, & de potestate ministrorum Euangelij, de legum discrimine, quæ sint abolitæ, quæ sint perpetuæ, de usu libertatis, de iudicijs Ecclesiæ, de coniugio, de Vsu rerum politicarum, & similibus negocijs.

Reuelatio.

Reuelationem uerò nominat singularia testimonia doctrinæ ipsi exhibita, sicut ad Galat; inquit, Non ab homine accepi Euangelium, nec me quisquam homi-

hominum docuit,sed accepi reuelante Iesu Christo. Pertinent huc & prædictiones,sicut de postremis Ecclesiæ temporibus uaticinatur ad Thessalonicenses & ad Timoth. Item iudicia de fanaticis doctoribus, quales tunc quoq; multi uagabuntur,& iactitabant suas quasdam illuminationes, ac uarijs præstigijs fallebant & turbabant Ecclesias,ut in Actis capite 13. In Cypro Elymam punit cœcitate,& narrat ad Timotheum,se Hymenæum & Alexandrum tradidisse Satanæ,ut desinerent spargere blasphemias.

Vidimus & nostro tempore multò ante seditionem rusticanam fanaticum hominem Nicolaum Stork,natum Cygneæ, uagari in his regionibus, qui narrabat,sæpè angelos uisibili specie secum locutos esse, & ipsi prædixisse, fore eum ducem instaurationis Ecclesiarum. Loquebatur autem de cultibus more Enthusiastarum,dicebat iusticiam esse in cordibus nouam & cœlestem lucem, & nouos motus seu afflatus. Nec rectè de fide & consolatione in ueris pauoribus loquebatur,in quibus corda se sustentant imputatione iusticiæ filij Dei. Ex aggerans uerò illos Enthusiasmos,extenuabat usum Sacramentorum, & traditiones humanas prorsus reijciebat,Nec paucos admiratio rerum sublimium & ignotarum mouebat,ut eius sententias amplecterentur, quorum multos nominare possemus. Fuit autem inter præcipuos eius admiratores Thomas Monetarius,qui postea seditionis in Thuringia autor & dux fuit, qua seditione oppressa Monetarius supplicio affectus est,in quo ualdè fracto animo fuisse eum narrant. Nec multò pòst eius Magister Nicolaus Stork fugitiuus in Xenodochio Monachensi,in Bauaria mortuus est. Ita euentus refutauit horum furores. Sed multò antè Lutherus illam ipsam factionem coràm, & publicis scriptis damnauerat. Tales præstigiæ Diaboli non iudicari possunt sine singulari dono Dei. Quare & talia iudicia nomine reuelationis hîc complectimur.

Nicolaus Stork fanaticus.

Thomas Monetarius.

ὅμως τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα.

MVltis similitudinibus ostendit,non prodesse in cœtu peregrinis linguis recitare preces aut lectiones sine enarratione. Vt nihil prodest tuba edere sonos non intellectos militibus.

Lectiones recitatæ peregrinis linguis.

Non sunt obscuræ hæ similitudines, ideo non addo declarationem. Sed Lector admonendus est, ut hanc sententiam sæpè repetitam infigat pectori: Magnificite dona,ut ad ædificationem Ecclesiæ sitis locupletiores & instructiores. Item,omnia ad ædificationem Ecclesiæ fiant. Hoc præceptum in docendo sequamur,non ostentemus ingenia subtilitate disputationum de rebus non necessarijs. Non captemus plausus & studia principum aut multitudinis, blandientis aut peruersis eorum iudicijs,aut prauis cupiditatibus, sed regantur mentes & oratio hac regula: Omnia fiant ad ædificationem, id est, eligantur materiæ necessariæ, rectè enarrentur articuli fidei, rectè proponatur integrum doctrinæ corpus. Et postquam doctrina recitata est,semper ad hos fines referatur concio,ut in auditoribus excitentur timor Dei, ac deinde fides, erigens perterrefectas mentes,& accendens inuocationem,& gratiarum actionem. Has metas in concionando semper intueamur.

Concionum fines.

ἐὰν γὰρ προσεύχομαι γλώσσῃ, τὸ πνεῦμα μου προσεύχεται.

COmmoratur in instituta collatione, Etsi pium opus est, precationem dicere quacunq; lingua,tamen utilitati Ecclesiæ etiam seruiendum est,& addenda enarratio. Cùm lingua peregrina recito precationem, Spiritus meus orat, id est, affectus dono Spirituali accensus. Loquitur enim non de simulatis

lectionibus aut cantilenis, quales nunc sonant conducticij hypocritę in templis, sed de seria precatione piorum. Sed mens mea sine fructu est, id est, mens, quæ in hac pia meditatione cogitauit bonas sententias, quarum cognitio prodesset alijs, non impertit eas cœtui.

Inquit igitur se & Spiritu precationem seu Psalmum recitaturum esse, & mente, id est, se si ita sit occasio, uarijs linguis precationem seu hymnum compositurum esse, sed tamen additurum enarrationem utilem reliquo cœtui.

Illustrat argumentum, quod instituit, ab inutili. Si publicam precationem dicas lingua peregrina, quomodo possunt auditores in fine usitatam clausulam addere, qua significans se eadem petere, & coniuncta esse uota uniuersæ Ecclesiæ, uidelicet, cùm dicitur usitato more, AMEN, qua uoce & Moysi tempore hoc modo usam esse Ecclesiam, cùm populus respondens testabatur se eadem petere, apparet ex capite 27. Deutero. ubi sæpè repetita sunt hæc uerba: Et dicat omnis populus, AMEN. Id Græcus uertit, γένοιτο. Grammaticis enim est, Verum, id est, ratum & firmum sit, eueniat quod petimus, nec existimamus hæc nostra uota inane murmur esse, ut Ethnici uociferantur quidem ad Deum, sed dubitant quid inuocent: item an ulla numina respiciant homines, an ipsorum gemitus & lacrimas audiant & curent. In his dubitationibus eorum clamores irriti dissipantur in auras, & prorsus sunt, ut Seneca inquit:

AMEN.

Significatio clausulæ AMEN.

Rumores uacui, uerbaq́ inania,
Et par solicito fabula somnio.

Huic Ethnicæ opinioni opposita est confessio Ecclesiæ, cùm ait Amen. Quia est assueratio, quasi dicat, uera & rata sint hæc uota, & esse rata credimus. Scimus eum uelle hac fide coli & inuocari, qua credimus propter Mediatorem uerè nostros gemitus respici, & nostras preces exaudiri, & certo impetrare uel liberationes uel mitigationes.

Hæc de uocabulo satis sit hîc monere. Nam doctrina integra de precatione alibi traditur, & familiarissimè notam esse omnibus oportet, ut in quotidiana inuocatione sit in conspectu, & semper addas ipse hanc tuam assenerationem finita precatione: Credo Domine, hæc mea uota propter filium Mediatorem à te recipi, sed opem fer meę imbecillitati. Scio te uelle hunc honorem tibi tribui, ut credamus te uerè affici cura nostri, & nos exaudiri, nec promissiones tuas inanes sonos esse. In hoc nostro exercitio discimus, quare antiquitas semper addiderit precationibus, Amen.

Clausula addenda precationi.

Mos Ecclesiæ perpetuus in recitatione precum.

Ac uide morem Ecclesiæ perpetuum: Semper fuit unus aliquis in cœtu, qui sua uoce reuerenter recitauit publicam precationem. Postea uel populus, uel unus nomine populi respondit, Amen. Quid opus est, dicat aliquis? Respondeo, uult Deus consensum esse Ecclesiæ in doctrina, fide, inuocatione & petitione, Vult & publicos ac honestos congressus fieri, & in his uult consentientibus piorum pectoribus inuocari, iuxta promissionem Matthæi 18. Si duo ex uobis consenserint in terra, de omni negocio quod petent, fiet eis. Ideo seruatus est hic mos, ut populus adderet hanc significationem sui consensus. Et Paulus uult eam addi. Ait igitur de respondente: Quomodo implens locum idiotæ, dicet Amen, si te non intelliget? ἀναπληρῶν τόπον τοῦ ἰδιώτου, dicitur respondens, quasi precationem ab alio recitatam, postea complens expresso consensu populi. Ad hunc ipsum morem & multa alia dicta congru-

congruunt, ut Psalmo 117. prius nominat domum Aaron, & hanc iubet gratias agere & celebrare Deum, Dicat nunc domus Aaron, bonus est Dominus, & in seculum misericordia eius. Sit Sacerdos ἔξαρχος publicæ precationis, & quasi præeat populo sua uoce. Postea igitur additum est, Dicant nunc omnes qui timent Dominum, bonus est Dominus, & in seculum misericordia eius.

Fratres, ne pueri fiatis mente, Sed sitis infantes malicia, integri verò sitis mente.

INserit generalem admonitionem, ut rectè iudicent de usu donorum. Non inanis spectaculi causa dona exhibita sunt, sicut uidentur illi cogitare, qui tantùm ostentant donum linguarum recitando hymnum peregrina lingua, quem cœtus non intelligit. Hæc admonitio latè patet. Sacrificia in Israël instituta erant ad certos usus. At Sacerdotes transtulerunt ea ad pompam aut quæstum. Cœna Domini ad usum certum, uidelicet ad consolationem conscientiarum instituta est. Postea horribiliter prophanata est, & in magna parte generis humani celebratur ut spectaculum, aut quæstus causa. Certarunt Ecclesiæ de die Paschatos, & sæpè de alijs non necessarijs quæstionibus. De hoc toto genere monet Paulus, ut non uelut pueri spectaculis & ritibus capiamur, sed sapienter regamus actiones, & causas intueamur, & suum cuiq; locum tribuamus. Et regulam hîc sæpè repetit: Omnia ad ædificationem fiant. Cogitate quare donum linguarum attributum sit Ecclesiæ, non ut inane spectaculum, sed ut prosit ijs locis, ubi peregrinæ linguæ usus necessarius est. Sed in uestra Ecclesia recitetur lectio lingua intellecta populo, & enarratio utilis audientibus proponatur de aliqua doctrinæ parte.

Non capiamur ritibus ut pueri.

ὡ νόμῳ γέγραπται, οὕτω ὡ ἑτερογλώσσοις.

CAusæ tres sunt, propter quas donum linguarum Ecclesiæ attributum est. Prima & principalis, ut propagari Euangelium citò in multis gentibus posset, quarum non est una lingua. I.

Secunda, ut hoc ipsum donum esset testimonium Spiritus sancti, & præsentiæ Dei in Ecclesia, sicut alia magna miracula. II.

Tertia, Vt esset signum & testimonium, cæteras gentes etiam ad Euangelij societatem uocandas esse. III.

3. Causæ doni linguarum.

Hæc significat Esaias capite 28. unde hæc uerba citantur. Etsi autem sententię uariæ quæruntur apud Esaiam, tamen haud dubiè & hanc complectitur quam recitat Paulus, fore, ut Euangelium spargatur in multas gentes diuersis linguis, quod displiciturum sit huic populo, & populum tunc pœnas daturum esse contemtæ uocis diuinæ. Esaias longa narratione taxat cœcitatem Ecclesiæ fascinatæ falsis opinionibus & traditionibus. Omnes mensæ repletæ sunt uomitu, id est, Ferè ubiq; ebria & delira est Ecclesia magnis erroribus, & post reditum ex Babylone Pharisæi & Saducæi exorti sunt, quorum furores etiam accusat Esaias. Ita post Apostolos in Ecclesia grassatæ sunt hæreses, deinde Ponticum, Monachorum, & Sophistarum traditiones, de sacrificio Missæ, de adoratione panis, de inuocatione mortuorum, de dubitatione, de iusticia operum, de cœlibatu, & alijs stultis Ceremonijs, extincta luce Euangelij.

Mensas repleri uomitu quid sit.

Post hanc reprehensionem addit Esaias antithesin: Quem docebit scientiam? ablactatos à lactè, auulsos ab uberibus, id est, castigatos & non ebrios uoluptatibus, & opinionibus, quas peperit hæc cœca natura, & quas didicerunt

cerunt inter Pharisæos à puericia, sicut in eodem capite mox inquit: Vexatio dat intellectum.

Cumulatio mandatorum.

Postea sequitur Mimesis, quæ recitat eorum traditiones: Manda remanda, expecta re expecta, modicum ibi, quasi dicat: Ipsi mandata & glossas cumulant. Sed hæ glossæ erunt eis exitio. Addit igitur, me derident suis uel traditionibus uel Ironijs. Ego uicissim loquar eis lingua, quæ displicebit, seu derisoria, & uocabo gentes ad societatem Ecclesiæ diuersis linguis, & delebo ipsorum politiam. Hæc est simplicissima enarratio. In Hebraico legitur, Labijs subsannatorijs, & alia lingua loquetur ad hunc populum. Vbi antithesis consideretur, quasi dicat: Nunc ipsi meum Verbum derident, & mea lingua ipsis peregrina est seu barbara: Ego uicissim loquar eis lingua uerè peregrina, quæ tunc eis ingrata erit, colligam gentes ad societatem Ecclesiæ deleta hac politia.

Ex hac simplici recitatione manifestum est, Paulum rectè citasse hoc dictum, & inde ostendere donum linguarum signum esse prædicationis Euangelij. In Græca uersione Esaiæ legitur: διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας, &c. Reddidit enim לַעַג φαυλισμὸν, quod significat subsannationem. Deinde & altera uox additur in Ebræo & in Græco, uidelicet, alia lingua, quod conuenit ad Pauli sententiam.

ὥστε αἱ γλῶσσαι εἰς σημεῖόν εἰσιν, οὐ τοῖς πιστεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις.

Dictum est suprà, donum linguarum Ecclesiæ attributum esse, ut Euangelium inter gentes propagari posset. Simul autem fuit testimonium præsentiæ Dei, ut alia miracula. Hîc igitur Paulus inquit, linguarum uarietatem signum esse non credentibus, sed incredulis, uidelicet, ut moti hoc miraculo, sicut cæteri inuitentur ad Euangelium. Nec opus est longiore enarratione in hoc membro.

Interpretatio toti cœtui prodest.

Postea prophetiam ait prodesse credentibus. Manifesta sententia est, Ait interpretationem toti cœtui prodesse, in quo multi peregrinas linguas non intelligebant. Hi cùm audiunt sua lingua enarrationem alicuius Propheticæ concionis de summa doctrinæ, erudiuntur & excitantur ad timorem, fidem, spem, inuocationem, gratiarum actionem, tolerantiam, & ad alias uirtutes, sicut Paulus docet & confirmat credentes, citans & enarrans dictum ex Genesi: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Et in Epistola ad Ebræos erudiuntur credentes, enarratione dicti de sacerdotio filij Dei: Tues Sacerdos in æternum, &c. Huius testimonij explicatio ostendebat causas, cur Et Sacerdotium Leuiticum seu typicum post exhibitum Messiam desineret. docebat, quale sit Sacerdotium filij Dei, quo uerè placatur ira Dei aduersus peccatum, & annunciatur remissio peccati, & abolentur peccatum & mors, sicut ibi scriptum est: Vna oblatione consummauit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Deniq; omnibus temporibus pij erudiuntur & confirmantur talibus enarrationibus, quas hîc nominat Prophetias. Hoc igitur donum in Ecclesia unius linguæ magis uult exerceri, ubi si ueniant in cœtum ignari peregrinarum linguarum, & tantùm audiant ibi peregrinos sonos, mirari possent, quid ageretur, cùm illa recitatio nullam populo utilitatem adferat, sicut in dic

Græcæ cantilenæ in Ecclesia VVirtzburgensi.

Dionysij in Ecclesia VVirtzburgensi canuntur Græcæ cantilenæ scriptæ latinis literis, nec ipsis quidem canentibus intellectæ. Hæ pueriles ineptiæ nec grauitati Ecclesiæ conueniunt, nec prosunt canentibus aut populo. Hoc exemplum

Hoc exemplum utcunq; illustrat hæc uerba: Non ne dicent uos insanire? Cur igitur antea dixit, prodesse linguarum uarietatem tanquam miraculum? Verum est, prodesse ut miraculum apud eos, ubi usus est peregrinarum linguarum. Sed hîc loquitur de cœtu unius linguæ, in quo iam Ecclesia collecta indiget assidua enarratione. In tali cœtu ineptum est ostentare peregrinas linguas.

εἰσελθῃ δὲ τὶς ἄπιστος ἢ ἰδιώτης, ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων.

DIxi iam loqui Paulum de cœtu unius linguæ, in quo & infideli intelligenti linguam, & fideli prodest concio enarrantis præcipuos articulos doctrinæ in Ecclesia, ut consentaneum est sæpissimè hoc accidisse, ut homines modesti ex Ethnicis accesserint cum amicis ad conciones Ecclesiæ, uxores Ethnicæ cum maritis iam Euangelium profitentibus, aut fratres cum fratribus, filij cum parentibus. Horum aliqui cùm audiebant taxari idolorum cultus, & magnas tenebras Ethnicorum, certè flectebantur. Et sic paulatim collectam esse Ecclesiam manifestum est. Talibus nihil profuisset hymnus peregrina lingua compositus. In hanc sententiam hîc Paulus inquit: Si ingrediatur infidelis, Vt cùm ministri Cornelij Centurionis audiunt Petrum concionantem. Aut Idiota, id est, rudis, qui primùm cepit Catechismi doctrinam audire: Tales ait argui & conuinci ab omnibus, & occulta cordium patefieri, id est, audita doctrina, taxante Ethnica uicia, Epicureas opiniones, aut cultus Idolorum, libidines & alia scelera, & monstrante ueri Dei patefactionem, conuerti eos ad Deum, & agnoscere Ecclesiam uerè esse cœtum Dei, & hanc doctrinam non esse commentitiam. Et summa laus Ecclesiæ his breuissimis uerbis describitur: Agnoscit & fatetur uerè Deum inter uos esse, ἀπαγγέλλων, ὅτι ὁ θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστί. Hîc retro cogitentur historiæ de collectione Ecclesiæ. Hostes Euangelij malè loquebantur de congressibus Christianorum, ut scribit Tertullianus, & alij. Adducti sunt amici credentium, ut spectatores essent, & narrarent, quid ibi ageretur. Horum multi cùm & audirent optimam doctrinam, & honestissima exempla cernerent, mouebantnr, ut & ipsi Euangelium amplecterentur.

Occulta cordium patefieri quid.

Descriptio summæ laudis Ecclesiæ.

Et usitata sunt in Iustino Martyre, qui scribit ad Marcum Antoninum Imperatorem, & in alijs argumenta quatuor, quibus refutant Ethnicos, quæ in conspectu habere singulos utilissimum est.

4. argumenta quibus refutantur Ethnici.

Primùm: Manifesta absurditas & manifestus furor est Ethnicorum, Epicureas opiniones amplecti, aut probare cultus Idolorum, & multos Deos, aut probare nefarias libidines. Hæc uicia demonstrationibus naturalibus refutari possunt, quæ sæpè à pijs cogitandæ sunt, & refutatio multos Ethnicos mouit, ut aliam doctrinam quærerent. I.

Secundum argumentum: quod bonas mentes ualdè confirmat, & quod Iustinus maximè urget, sumtum est ab antiquitate. Quia manifestum est, historiam Ecclesiæ antiquiorem esse omnium Ethnicorum historijs. Series temporum, & imperiorum ostendit, Israëlitas & Patres eorum ante Monarchias fuisse, ante Assyriam, Persicam, Græcam & Romanam. Et multa uestigia apud gentes testimonia præbent antiquitati Ecclesiæ. Græci fatentur se ortos esse ab Iapeto, Persæ ab Elam. Et similia multa sunt. Nec ulla in toto genere humano extant scripta, quę à rerum initijs continuam seriem annorum monstrēt, nisi sola historia Ecclesiæ. Teneamus igitur regulam Tertulliani optimam: Primum quodq; uerissimum est. II. *Antiquitas. Historia Ecclesiæ antiquissima.*

Tertium

III. Miracula.

Tertium argumentum: Miracula assidua, resuscitatio mortuorum & alia, quæ nequaquam potest imitari Diabolus. Ac recenseo inter miracula prædictiones de Monarchijs, in Moyse, Esaia, Ieremia & Daniele. Id miraculum est illustre testimonium quocunq; tempore post euentum. Cùm uiderent multi tempore Romani Imperij talem fuisse successionem Monarchiarum, qualem Prophetæ prædixerant, fatebantur & hanc doctrinam à Deo traditam esse, & Deum regere tales imperiorum mutationes, & diuinitus conseruari genus humanum.

Idem argumentum nobis quoq; proponamus, ut firmissima assensione doctrinam Ecclesiæ amplectamur.

Perpetuitas Ecclesiæ miraculum.

Est & hoc miraculum assiduum, quòd non deleri potest Ecclesia, cùm omnibus seculis summi Reges, & antecellentes gloria & potentia, opprimere eam conati sint, ut Pharao, Nabugdonosor, Antiochus, Romani Imperatores multi, postea Turci & alij. Est igitur perpetuitas Ecclesiæ inter tantos fluctus illustre testimonium, quod ostendit, conseruari eam à Deo.

IIII. Genus doctrinæ.

Quartum argumentum sumitur ab ipso genere doctrinæ. Nulla gens habet legem honestiorem & rectius conuenientem iudicio naturali. Tota Philosophia fatetur imperfectionem suam, quòd uidet in ratione lucere ueras notitias, & tamen dissidium esse maximum uirium humanarum, id unde sit ignorat, nec remedia ostendere potest.

Videt absurda multa sequi, si animæ non sint immortales, Et tamen dubitat de immortalitate.

Nequaquam potest affirmare Philosophia, exaudiri etiam bonos, ut Palamedem aut Socratem, in calamitatibus.

Nulla gens extra Ecclesiam habet certam & expressam doctrinam de remissione peccatorum, de præsentia Dei apud uerè inuocantes, & de uita æterna, & de modo, quo accipitur uita æterna certò, cùm nemo legi satisfaciat, & nemo sit sine peccato.

Cùm hęc quatuor argumenta simul coniunguntur, mouent homines non Cyclopicos. Et cùm postea accedit sensus iudicij Dei in agnitione peccatorum, & consolatio ac uiuificatio in corde, agnito filio Dei, in his motibus Spiritus sanctus trahit & confirmat corda, ut iam conuinci se fateantur, & Euangelio assentiri firmius incipiant. Hæc ita fiunt in omnibus, qui exercitia pœnitentiæ intelligunt, & de hac confirmatione loquitur Paulus, cùm ait, 2. Corinth. 1. Deus est autem, qui confirmat nos in Christum, qui & unxit & obsignauit nos & dedit arrabonem Spiritus in corda nostra. Et Roman. 8. Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Et 1. Iohan: 2. Vnctio docet uos de omnibus. Et Hebræ. 11. Fides nominatur ἔλεγχος, quòd hoc modo, ut dixi, conuincantur mentes, & firma fiat assentio. Ita & in hoc capite inquit Paulus: aliquos audita summa doctrinæ in congressu Ecclesiæ, & facta collatione ad Ethnicos errores, trahi à Spiritu sancto, & flecti ad amplectendum Euangelium. Tales inquit fateri, quòd uerè Deus sit in Ecclesia, id est, sentiunt se à Deo trahi, terreri, & rursus erigi ac uiuificari, & fatentur doctrinam ueram esse, & amplectuntur eam.

Spiritus sancti testimonium in nobis.

Fides ἔλεγχος.

Hæc narratio ostendit, quomodo & collecta & aucta sit Ecclesia, cùm ueniebant Ethnici ad audiendam doctrinam. Et eodem modo colligitur Ecclesia omnibus temporibus.

πάντα

πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω.

REpetit præceptum, quod & suprà tradidit, ut considerent doctores, quid Ecclesiæ prosit, uidelicet, ad cognoscendam necessariam doctrinam de singulis articulis, Deinde ad flectendos animos ad pœnitentiam, ad corrigendam profanam securitatem. Postea ad consolationem piorum, ad excitandam Fidem, Inuocationem, Spem & lætitiam in Deo, ad ardens studium ueræ obedientiæ. Hæc & similia complectitur uerbo ædificationis, alludens ad extructionem ædificij. *Similitudo ædificij.*

Contrà non ædificant, id est, non iuuant Ecclesiam recitationes non intellectæ. Destruunt etiam tanquam ædificium curiosæ quæstiones & labyrinthi, quæ mentes implicant dubitationibus, & pariunt odium doctrinæ, tanquam incertæ & ambiguæ.

προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν &c.

HIC monet, ordinem seruandum esse in docendo. Et simul iudices constituit, quod ualdè dignum est consideratione. Non uult in Ecclesia concedi licentiam spargendi quaslibet opiniones, sed uult iudicari doctrinam. Hîc continetur ordo Synodorum & iudiciorum de doctrina, de quibus hæc quatuor consideranda sunt: *Quatuor in iudicijs de doctrina considerandа.*

I. Quæ personæ sint iudices de doctrina in Ecclesia.
II. Quæ sit norma, iuxta quam iudicandum est.
III. Quomodo iudicatum ualeat.
III. Quæ sit executio.

De prima quæstione, aliud est loqui de norma, aliud de personis. De norma, non dubium est, simpliciter normam esse capita doctrinæ tradita in scriptis Propheticis & Apostolicis, & cõprehensa in Symbolis. Et hæc norma est tanquam summus iudex. Sed quia iam de personis quæritur, ut & Paulus de personis loquitur, & in hac uita in refutatione errorum, in congregatione, personas aliquas oportet sua uoce & suo testimonio aduersari errantibus: Ideo disputatio est, quæ sint illæ personæ. Paulus inquit: Sedentes iudicent, id est, omnes auditores, non ut in seditione, sine ordine, sed suo quisque loco, ut postea inquit Paulus: Omnia fiant ordine. Item, Deus non est autor ἀκαταστασίας. Ita & Matth: 18. scriptum est, Dic Ecclesiæ. Hæc uerba non intelliguntur de impio cœtu, qui dominatur in Ecclesia titulis Episcoporum, & tamen est hostis ueræ doctrinæ, Sed de cœtu, qui non falsò tenet nomen Ecclesiæ, quales erant cœtus tunc à Paulo collecti. In hoc cœtu ordine dicantur sententiæ à docentibus, & senioribus, sicut in Actis capite 15. dicitur: Congregati sunt Apostoli & seniores, ut considerarent hanc causam. Postea in condendo decreto, non soli Apostoli aut seniores sumunt sibi potestatem ὀλιγαρχικὴν, sed totius Ecclesiæ consensus accedit, iuxta hæc uerba: Tunc uisum est Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia. Et postea rursus dicitur: Apostoli & Presbyteri & fratres. Non uoluit Spiritus sanctus in Ecclesia tyrannicam aut oligarchicam potestatem constituere, sed audiri pios uoluit etiam in gradibus inferioribus, sicut hîc inquit Paulus: Potestis singuli dicere, ut omnes discant. Item, Si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior. Item, 1. Thessalonicen: 5. Spiritum ne extinguite, Prophetias ne contemnite. Omnia probate, quod bonum est, tenete. Hoc modo ad refutandum Samosatenum priuato studio propter gloriam Dei conuenerunt procul Gregorius Neocæsarienſis & alij. Ac talia semper sunt ue- *Personæ iudices.* *Dic Ecclesiæ.* *Forma iudiciorum in Ecclesia.*

ræ Ecclesiæ iudicia, quandocunque sunt Ecclesiæ mediocriter restitutæ, Vt nos adhibitis alijs pijs ac eruditis uiris, hoc modo sæpè Anabaptistas refutauimus ac dãnauimus. De tali iudicio non Tyrannico Basilius loquitur, inquiens:

Basilius de iudicijs Ecclesiæ.

ἀλλά εἰσιν ἐπίσκοποι, κληθῶσι εἰς ἀκρόασιν. εἰ δὲ κλῆρος καὶ πᾶς ὁ τοῦ θεοῦ προϊστάμενος, σωφρονείτωσαν ὅτι ὁ ταπεινότατος, λεγέτω μετὰ παῤῥησίας ὁ βουλόμενος, ἵνα ἔλεγχος ᾖ τὸ γινόμενον, καὶ μὴ λοιδορία.

Secunda quæstio est de norma, iuxta quam iudicandum est. Hîc non dubium est normam esse ipsos libros Propheticos & Apostolicos & Symbola, in quibus præcipui articuli propositi in libris Propheticis & Apostolicis breuiter comprehensi sunt. Et cùm deliramentum aliquod pugnat cum perspicuo articulo tradito in libris Propheticis aut Apostolicis, aut Symbolis, manifesta est dijudicatio iuxta hanc regulam: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit, ut Manichæi furores, Item Pelagiani cum perspicuis articulis pugnabant.

Norma iudiciorum in Ecclesia.

Sed hîc obijciunt Sophistæ, multa esse dicta obscura & ambigua in libris Propheticis & Apostolicis. Quare uocem iudicis contendunt anteferendam esse libris Propheticis & Apostolicis. Hoc prætextu alij Synodos, alij Papam anteferunt his libris, sicut in quolibet regno, cùm in legibus deprehenditur obscuritas aut ambiguitas, antefertur uox Regis explicans obscurè uel ambiguè dictum. Et in imperijs necesse est acquiescere in ea explicatione, alioqui nullus finis esset litium. Hoc exemplum politicum transferunt Sophistæ ad iudicia Ecclesiæ.

Obiectio de obscuritate scripturæ.

Sed respondendum est: De doctrina necessaria, nulla est ambiguitas in libris Propheticis & Apostolicis & in Symbolis, si sine cauillatione & dextrè intelligantur, inspecta perpetua narrationum serie, & secum consentientibus membris, ut in quacunq; interpretatione fieri debet. Ideo 2. Corinth. 4. dicitur: Si uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt, uelatum est.

Scriptura non in ambigua.

Item cùm expressè præceptum sit: Nihil addas, nihil detrahas, & in Numeris capite 15. Non sequantur cogitationes suas, sed sint memores præceptorum Dei: Sequitur non esse ambiguitatem, cui humano iudicio possit addi interpretatio.

Etsi autem de lege, & de promissionibus & de articulis necessarijs, non est ambiguitas in scriptis Propheticis & Apostolicis, tamen quia in contentionibus etiam planè dicta diuersis interpretationibus transformantur in plures sententias, prodest audire testimonia purioris Ecclesiæ in aliquibus materijs, & ea conferre ad fontes, quæ cùm uidemus magis congruere cum fontibus, multum confirmamur & his ipsis testimonijs. Vt quanquam Samosatenus astutè disputat in dicto Iohannis ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, non intelligi personam nomine λόγος, tamen cùm legimus Irenæi, Gregorij Neocæsarienſis, & aliorum probatorum interpretum sententias, prosunt hæc testimonia ad nos docendos & cõfirmandos. Ideo enim Deus ministerium in Ecclesia seruat, ut Ephes. 4. scriptum est, ne circumferamur uarijs doctrinarum uentis, sed sint aliqui testes ueræ doctrinæ sine ambiguitate. Et iussit audiri Ecclesiam doctricem & monitricem, sicut inquit Samson: Nisi arassetis mea uitula, non inuenissetis. Et ad Petrum inquit: & tu conuersus confirma fratres tuos.

Testimonia Ecclesiæ audienda.

Samosatenus de λόγῳ.

Audienda est igitur uera Ecclesia ut doctrix & monitrix, sed fides nitatur uerbo Dei. Commonefacti igitur ab Ecclesia conferamus testimonia eius ad fontes. Et grata confirmatio est bonæ menti, scire se non discedere à consensu

ueræ

ueræ Ecclesiæ,& uno Spiritu & una uoce Deum inuocare cum uera Ecclesia,sicut Psalmo: 21. dicitur: In medio Ecclesiæ laudabo te. Item, Psalmo 110. Confitebor tibi Domine in concilio & congregatione iustorum. Et in fontibus ex tota narrationum serie unica & natiua sententia plerunq; inueniri potest. Sic & nunc adiuuamur in multis controuersijs à ueteri & sinceriori Ecclesia. Manifestum est in prima Ecclesia non fuisse priuatas Missas. Hunc morem cùm ad Pauli dicta conferimus,uidemus eum congruere cum hoc dicto: 1. Corinth: 11. Cùm conuenitis ad cœnam Domini, expectate cæteros. De Baptismo infantum etiam Augustinus citat primæ Ecclesiæ consuetudinem. Et Origenes expresse inquit 6. capite ad Romanos. Itaq; & Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis dare Baptismum. Et id magis congruit cum dictis in scriptura. Certum est promissiones ad paruulos,qui sunt in Ecclesia,pertinere, non ad alios extra Ecclesiam. Quare inserendi sunt Ecclesiæ per Baptismum.

Testimonia ueteris Ecclesiæ de Missa & Baptismo infantum.

Sunt igitur normæ iudicij scripta Prophetica & Apostolica & Symbola. Et in aliquibus controuersijs adiuuamur testimonijs ueræ Ecclesiæ. Ac rectè discernenda est uera Ecclesia ab indocta colluuie. Videnda etiam perpetua eruditorum sententia,non excerpenda sunt mutila dicta, & Sophistice detorquenda contra perpetuam autorum sententiam. Nemo enim semper satis circumspectè, disertè & propriè loquitur.

Postquàm de norma iudicij dictum est,iam & hoc quæritur. Si non conuinci uelint errantes,quomodo compescendi sint? Nam si non compescantur, non erit finis dissidiorum.

Quomodo iudicatum ualeat in Ecclesia.

Hîc sciendum est,euentum iudiciorum in Ecclesia dissimilem esse euentui in iudicijs politicis, sicut & iudicantium autoritas dissimilis est.

Cùm iudices politici pronunciarunt in quæstione ambigua,contumaces armis compescere debent,ut sit finis litium & dissidiorum. Quia in materijs ciuilibus cùm sint subiectæ rationi,magistratus autoritatem habet probabili ratione pronunciandi de ambigua quæstione,& armauit Deus eos hac autoritate,ut eorum interpretationes ualere & recipi uelit. Possunt igitur prorsus tolli controuersiæ.

Sed in Ecclesia iudices non habent potestatem regiam seu prætoriam, nec postea armis compescere condemnatos debent. Et cùm magna potentia & multitudo est errantium, si nolint conuinci, etiamsi uera Ecclesia eos excommunicat, tamen hæret discordia,ut etiamsi Apostoli damnabant Synagogam, tamen non extincta est discordia, donec Deus ipse fuit executor sententiæ Apostolorum, & Synagogam deleuit. Ac plerunque hoc modo solutæ sunt magnæ dissensiones in Ecclesia,non humanis uiribus.

Executio in Ecclesia.

Addamus & hoc de Synodis. Cùm de iudicijs in Ecclesia loquimur,semper considerandum est, qui cœtus uerè sint Ecclesia Dei. Nequaquam facimus iudices de doctrina cœtum eorum, qui palàm sunt hostes doctrinæ Euangelij, ut Synagoga,quæ Christum & postea Apostolos & Stephanum damnauerat, nec Ecclesia Dei erat, nec iudex esse poterat: Ita nunc iudices esse nequaquam poterunt Episcopi & eorum satellites, Monachi, & alij, qui palàm sunt hostes Euangelij, & multis præiudicijs quotidie ostendunt, se multò antè damnasse Euangelium. De his omnibus regula teneatur: Si quis aliud Euangelium docet,anathema sit. Hanc admonitionem & consolationem proponit Apostolus,non uult nos ad horum iudicia prouocare, sed uitari eos tanquam anathemata.

Hostes Euangelij non possunt esse iudices de doctrina.

mata. Et quanquam titulis & autoritate eorum multi mouentur: tamen grauissimam consolationem nobis proponit, cùm eos nominat anathemata. Non moueamur eorum fulminibus, sed sciamus in Psal: 108. scriptum esse: Maledicent illi, & tu benedices. Sed ea, quæ de iudicijs in Ecclesia dicta sunt, intelligantur de Ecclesijs sonantibus uocem Euangelij, ut Paulus de cœtu Corinthio loquitur. Possunt enim & in tali Ecclesia oriri controuersiæ, ut in Actis capite 15. mouent quæstionem de Ceremonijs pij admixti hypocritis. Hæc de Synodis iam dixisse satis sit, quæ ad hanc Pauli commemorationem rectè quadrant, quia hîc aliquo modo iudicia talia ordinat.

Prophetæ duo vel tres loquantur, & cæteri iudicent.

Ordo dicentium publicè.

MAnifestum est ex narratione Lucæ 4. & ex Actis, fuisse honestissimum ordinem dicentium in publicis congressibus in Synagogis. Nec promiscui clamores erant uulgi, quales fuerunt Romæ in suffragationibus tribunitijs, nec tyrannis erat: Sed seniores suo loco dixerunt sententias, ac si quis modestè addere aliquid uoluit, fuit concessum, iuxta regulam: Nolite extinguere Spiritus, omnia probate, quod bonum est tenete. Et iudicium erat penes Ecclesiam, de singulorum sententijs, quæ cùm probabat alicuius interpretationem, alius non obstrepebat, nec mouebat certamen. Ideo hîc inquit: Si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior.

Iudicium penes Ecclesiam.

Tyrannis prohibita.

Et ut sit prohibita Tyrannis, expressè inquit: Potestis omnes interpretari, seruato per singulos ordine. Hoc dictum ualdè utilem consolationem continet de uocatione. Manifestum est eos, qui sunt in ministerio, in templis & in scholis, oportere propter locum ipsum, ad quem uocati sunt, dicere sententias, nec his obijci dictum illud potest: Currebant & non mittebam eos.

Sed cur alij scribunt aut docent, qui non sunt ad locum publicum uocati? Hi si uera scribunt aut docent, habent hîc expressam concessionem, potestis omnes interpretari. Et extat commune præceptum Coloss. 3. Sermo Christi habitet inter uos abundè in omni sapientia, & docete & commonefacite uos mutuò. Prorsus mandatum est omnibus ut discant, & ad discendum collatio sententiarum in docendo, audiendo, & disputando necessaria est, sicut hîc inquit: Docete & commonefacite uos mutuò. Item, Parentes & Pædagogi habent expressum mandatum, ut Deut: undecimo: Docete filios uestros, ut illa meditentur. Et Psal. 77. & statuit testimonia in Iacob, & legem posuit in Israël, quam præcepit patribus nostris, ut notam faciant eam filijs suis. Et Ephes. 6. Educate filios in disciplina & doctrina Domini. Habent igitur parentes & pædagogi suam uocationem, & mandato diuino coguntur docere. Et cùm hanc officij partem negligunt parētes ac pædagogi, grauiter peccant, & Deum offendunt. Hac se cogitatione muniant, cùm eis obijcitur: Currebant, & non mittebam eos. Imò parentes & pædagogi missi & uocati sunt, ut suo loco doctrinam de Deo rectè doceant. Nec interea turbent aliorum uocationem.

Qui debeant docere.

Singulis ostendenda confessio.

Præterea generale mandatum est omnibus traditum, ut suam confessionem singuli ostendant, quod magis perspicuè faciunt hi, qui rectè docent & scribunt, quàm alij. Ac dicta de confessione sint in conspectu, Matt. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre cœlesti. Et hoc mandatum de confessione cogit pios in congressu, de quo Paulus loquitur,

loquitur, dicere sententiam, cùm audiunt alios in interpretatione errare. Sed omnia uult Paulus fieri ordine, & placidè, non seditiosis & turbulentis clamoribus. Ideo sequitur: Deus non est autor ἀκαταστασίας, sed pacis.

Pertinet autem ad bonum ordinem hoc quoque, ut cùm aliqui in Ecclesia recitant suas interpretationes, audiant eas seniores & doctiores, & sint iudices, ostendant quid adprobent, & quid reijciant. Ideo hîc inquit: Cæteri iudicent, Et in fine prioris Epistolæ, ad Thessalonicenses dicitur: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Vult Deus in Ecclesia iudices esse controuersiarum, quæ subinde mouentur. Et dictum est suprà, quorum sit officium præcipuum conuocare cæteros, & audire doctores eruditos, & timentes Deum. Eius rei exemplum sequendum est, quod in Actis proponitur, ubi scriptum est capite 15. Congregati sunt Apostoli & Seniores considerare hunc sermonem. Ita & in hac Ecclesia & Academia sæpè controuersias diremimus, hîc aut alibi ortas. Sic Ecclesia Antiochena damnauit impium dogma Samosateni, quanquam autor erat Episcopus. Sic Alexandrina Ecclesia refutauit Meletium, qui negabat lapsos post baptismũ recipiendos esse, refutauit item Arium. Ac uetera exempla passim leguntur. Nec desunt huic ætati recentia. Vbicunq; enim est uera Ecclesia Dei, ibi sunt aliqui rectè iudicantes, de quibus scriptum est, 1. Iohan. 2. Vnctio uos docet de omnibus, & uera est, & non est mendacium. Manet in aliquibus fundamenti sententia incorrupta, ex quo de rebus necessarijs rectè iudicari potest. Cætera de Synodis & iudicijs suprà dicta sunt. *Doctiores iudicent.*

Et hæc Pauli admonitio eò sit omnibus notior & gratior, quia quãquam commemoratio breuis est, tamen ostendit, oportere iudicia in Ecclesia esse, & prohibet utrunque: Tyrannidem, & seditiosos uulgi clamores. Ac formam similem Aristocratiæ constituit. Vult audiri multos eruditos & timentes Deum. Potestis inquit ordine omnes dicere sententias. Prohibet & contumaciam, cùm ait: Si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior. Postquam rectissimo iudicio Apostolorum pronunciatum est, omittendos esse ritus Mosaicos, huic sententiæ cæteri obedire debebant. Et multi obtemperauerunt, sed tamen alij quidam pertinaces retinuerunt suam opinionem, ut longo tempore postea multi ritus Mosaicos retinuerunt. *Paulus Aristocratiam constituit.*

Obiectionem etiam fanaticorum Spirituum refutat Paulus inquiens: Spiritus Prophetarum Prophetis subditi sunt. Quasi dicat, sunt quidam, qui iactant zelum, & singulares raptus diuinos, seu ἐμφυσμοὺς, sicut Martion, & multi Anabaptistæ iactarunt. Hi uociferantur se diuinitus impelli ad contradicendum. Sed pij iudices discernant spiritus, si contradicunt certæ Euangelij sententiæ, manifestissimum est fanaticos & mendaces esse, & uel mentiri illos, qui uociferantur, se non posse tacere, uel à Diabolis uiolenter impelli, sicut afflatæ fatidicæ mulieres Delphis uaticinabantur. Estq; utile considerare hoc discrimen inter bonos spiritus & fanaticos, quales & Ethnici uates fuerunt. Fanatici & Ethnici non intelligunt sua uaticinia, & sonant ea uiolenter impulsi à Diabolo seu afflati ita, ut tacere non possint. Sæpè etiam tantùm ambigua fundunt, ut Virgilius inquit in 6. Aeneid. *Discrimen inter bonos & fanaticos spiritus.*

Bacchatur uates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tantò magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans.

Et rursus:

Horrendas canit ambages, antroq; remugit
Obscuris uera inuoluens.

Diabolorum prædictiones. Sicut enim Diaboli interdum per statuas edunt sonos & oracula, ita per suos uates spargunt prædictiones, quas nec intelligunt ipsi uates, nec reticere possunt, ut per statuam dictum fuit Duci Spartano Pausaniæ:

σῆχε δίκης ἄασον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Et in Hassia ante bellum Canis edidit aliquot continuata uerba. Talium exemplorum historiæ plenæ sunt.

Sed Prophetæ in Ecclesia docentes aut enarrantes articulos fidei, qui reguntur luce Spiritus sancti intelligunt sua dicta, & non fundunt ea coacti, sic, ut non possint se reprimere. Et cùm audiunt meliora, cedunt. Certè non pertinaciter repugnant ueritati.

Anabaptistarum pertinacia. Audiuimus autem ipsi Anabaptistas etiam cùm conuincerentur, tamen rabiosè reclamare ueritati de peccato originis, de dignitate ordinis politici, & similibus manifestis rebus, ut euidentia ueritatis ostenderet, eos agitari à Diabolis. Talia exempla considerari prodest, ut Spiritus discernantur, ut 1. Iohan. 4. dicitur: Explorate Spiritus, an ex Deo sint.

αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν.

Officia uirorum & mulierum distincta. HAEC particula non est obscura. Notum est enim apud omnes gentes, quarum gubernatio non prorsus barbarica fuit, distincta fuisse uirorum & mulierum officia, & uiros rexisse bella & politica negocia in publicis populi conuentibus, sicut Homerus utrunque dicit: πόλεμος δ' ἄνδρεσι μελήσει. Et λόγος δ' ἄνδρεσι μελήσει. Mulieres uerò domi œconomica negocia curasse, & non solitas in publicis uirorum conuentibus concionari. Hunc honestum morem uult Paulus & in Ecclesia seruari, & uult in gubernatione publica fieri congruentia legi Dei, & ueris iudicijs humanis secundum rectam rationem. Non uult barbaricas confusiones in Ecclesia fieri, non uult Semiramidem aut Zenobiam fieri Episcopos. Etsi enim sunt multæ sanctæ & sapientes matronæ, tamen hæc publica officia non conueniunt huic sexui, & exemplum periculosum est.

Excandescit tandem Paulus intuens illas ineptias Corinthiorum, in quibus Græcæ uanitatis, curiositatis, ostentationis & garrulitatis signa uidebat. Viri ostentatione certabant, cùm alij alia lingua componerent & recitarent hymnos: Mulieres curiositate, quæ & ipsæ in publico recitare hymnos uel disputare uolebant. Dolebat igitur Paulus in sanctis tantùm stulticiæ & ineptiarum manere, & addit asperam increpationem. Nimiùm uobis indulgetis homines Græci, putatis doctrinam Euangelij & hæc dona Dei de cœlo allata esse, ut his materijs ostentetis ingenia, & transferatis eas ad ludos, spectacula, Comœdias, sicut luditis de historia Troiana & similibus. Absit hæc ab Ecclesia uanitas. Cogitate potius, quantæ res sint, patefactio Dei, quem antea ignorastis, quæ sit iustitia & ira Dei aduersus peccata uestra & aliorum. Dolete uos horribiliter iritasse Deum Epicureis furoribus aut Idolorum inuocatione, lubidinibus, & alijs sceleribus. Rursus etiam considerate, quale consilium sit, quòd uos liberat Deus per Filium ex æternis pœnis, quòd suam lucem uobis ostendit, quòd reddit iustitiam & uitam æternam. Pro his donis agite gratias ipsi, celebrate ipsum, & gratitudinem uera obedientia ostendite. Sint mixtæ ueris doloribus consolationes, inuocationes, gratiarum actiones. Non ludant animi

nimi securi, ostentatione donorum, quasi accepissetis calamos, ut Hesiodus, à Musis, aut Tibias, & Marsyas, à Pallade. Hos ludos remouete ab Ecclesia, qui tamen aliquantò pòst in eam inuehentur. Certabunt docti disputationibus, ostentabunt ingenia, audacissimè noua dogmata gignent, constituent imperia prætextu ministerij, certabunt ambitione, auaricia, odijs, cupiditate uindictæ. Ex his malis bella, disipationes generis humani, & uastationes orientur. Tantorum malorum initia iam compescite.

Nos iam in hac senecta mundi cogitemus, ex qualibus initijs postea maiora mala secuta sint, & doleamus, semper in Ecclesia, etiam cùm tempora sunt feliciora, tamen multum imbecillitatis esse, & filium Dei oremus, ut publicis & priuatis morbis medeatur, & reliquias suæ Ecclesiæ seruet.

Omnia autem decenter & ordine fiant.

IN fine regulam generalem addit: Omnia decorè & ordine fiant, id est, congruant omnes actiones ad legem Dei, & ad naturale iudicium, ut sint congressus honesti, & augeant reuerentiam religionis. Hîc disputatur de ritibus in Ecclesia, de ordine dierum & lectionum, & de alijs exercitijs, an sint cultus, an sint res necessariæ, an uerò ordinis causa tantùm sine laqueis conscientiæ obseruanda. Hanc disputationem, cùm alibi satis explicata sit, omitto. *Actiones congruant ad legem Dei.*

CAPVT XV.

IN hoc capite longa & perspicua confirmatio extat articuli de resurrectione mortuorum, ac inseritur doctrina de alijs quibusdam locis grauissimis. Primùm autem hîc miremur, & agnoscamus imbecillitatem Ecclesiæ. Tunc quoque, cùm uiuerent adhuc multi, qui uiderant Christum resuscitatum, & alios, qui tunc resuscitati fuerant, qui sciebant multos à Christo & Apostolis resuscitatos esse: Tamen ortæ sunt dubitationes de hoc præcipuo articulo. Finxerunt aliqui præstigiatores, allegoricam esse resuscitationem mortuorum, & significare emendationem morum. Et aliqui negauerunt corporibus reddi uitam, etiamsi aliquandiu superstites uolitarent animæ, ut Stoici docebant. Aliqui Epicureorum & Saducæorum similes, senserunt simul extingui corpora & animas, & nec superstites esse animas, nec restitui uitam corporibus. *Præstigiæ de resurrectione.*

Opponit igitur Paulus his furoribus testimonium, uidelicet, resurrectionem Christi, & narrat, à magna multitudine Christum post resurrectionem conspectum esse. Resurrexit autem ideo Christus, ut & nobis omnibus post mortem restituat uitam eodem modo, sicut ipse in corpore reuixit, & aboleat mortem. Hæc in textu satis perspicuè dicta sunt.

ὅτ' ἂν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ θεῷ καὶ πατρί.

MIrum uideri potest, quare Paulus ita loquatur, quasi discernat regnum Christi & regnum patris, cùm tamen toties dicatur, regnum Christi esse regnum æternum, ut Lucæ 1. dicitur: Et regni eius non erit finis. Sic autem hæc declaro.

Regnum patris nominat illum statum, in quo iam completo toto opere Christi mediatoris, post resuscitationem, coràm uidebimus diuinitatem immediatè, *Regnum Patris.*

Regnum Christi.

diatè, & diuinitas nobis immediatè concedet ſuam lucem, ſapientiam, iuſticiam & lætitiam æternam. Antequam ad hunc ſtatum perueniat Eccleſia, ad huc Chriſtus Mediator Deus & homo exercet certa opera neceſſaria ad conſummationem Eccleſiæ, quia ſemper Mediatoris propria opera hæc ſunt: eſſe ſummum Sacerdotem, deprecari pro Eccleſia, conſeruare miniſterium Euangelij, dare Spiritum ſanctum, colligere Eccleſiam per Euangelium, & ſimul in accipientibus Euangelium eſſe efficacem dando Spiritum ſanctum, imputando illis ſuam iuſticiam, & obumbrando eos, item eripiendo credentes ex æterna morte, item depellendo diabolos, reſuſcitando mortuos. Hæc fiunt immediatè per hunc Mediatorem filium, etiamſi ſimul ſunt efficaces, pater, filius & Spiritus ſanctus, tamen actio immediata eſt huius Mediatoris, cui pater hoc tale regnum tradidit, ut per ipſum immediatè ſic colligatur & ſaluetur Eccleſia, & adducatur ad Deum, cuius luce poſtea immediatè coràm fruatur.

Mediatoris propria opera.

Hæc qualiſcunque declaratio illuſtrat doctrinam de regno Chriſti, & oſtendit, uoluntatem Dei eſſe, ut fides immediatè ipſum Mediatorem intueatur & apprehendat, & per eum ad æternum patrem adducatur, ſicut inquit, Iohan: 14. Nemo uenit ad patrem, niſi per filium. Ac in precatione hanc doctrinã exerceamus, ſciamus propter filium nos recipi & exaudiri, & per ipſum quaſi adduci ad patrem, & deprecari eum pro nobis, & ſic ſimul patrem & filium ſpirare Spiritum ſanctum in corda noſtra, ſicut dicitur: Veniemus ad eum & manſionem apud eum faciemus.

Iam conſiderentur & ueterum promiſsionum dicta: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Item, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Item, Paruulus datus eſt nobis, pater futuri ſeculi &c. An non tota diuinitas conterit caput ſerpentis, & benedicit nobis? Reſpondeo, textus expreſſè dicunt de ſemine mulieris, de ſemine Abrahæ, de paruulo nato ex uirgine.

Tota diuinitas conterit caput ſerpentis, immediatè per Mediatorem.

Quanquam igitur tota diuinitas cõterit caput ſerpentis, tamen id fit immediatè per Mediatorem, & meritum eſt proprium Mediatoris, quo ſatisfit iuſticiæ Dei. Deinde & ipſa actio, qua colligitur Eccleſia per miniſterium, & ſanctificatur dato Spiritu ſancto, & eripiuntur ſancti ex æterna morte, eſt immediatè opus filij, ſicut expreſſè dicitur, Iohan: 17. Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis uitam æternam.

Offerre regnum patri.

Has actiones habet Rex Chriſtus, donec adducet reſuſcitatam Eccleſiam ad patrem, id eſt, donec diuinitas immediatè ſe oſtendet Eccleſiæ. Tunc offeret regnum patri, id eſt, oſtendet has actiones completas eſſe. Et deinde ſimul regnabit ut Deus, immediatè diuinitatem nobis oſtendens, non habens iam actiones deprecatoris, aut colligentis Eccleſiam per miniſterium.

Quando abolebit omnem principatum.

Aliqui intellexerunt de imperijs mundi, & de potentia diabolorum, ſicut Danielis ſecundo & ſeptimo de interitu Imperiorum dicitur. Etſi autem & hanc ſententiam complectimur, tamen generaliter intelligo aboleri & imperia mundi, & potentiam Diabolorum, & miniſteria angelorum & Eccleſiæ. Imò & auxilia cibi, potus, & aliarum creaturarum, quia tunc Deus ſe oſtendet immediatè, & uiuificabit beatos, immediatè effundens in eos ſuam lucem, ſapientiam, iuſticiam & lætitiam. In hanc ſententiam & poſtea dicitur: Deus erit omnia in omnibus, ſcilicet, non per miniſterium Euangelij regens, ſed immediatè ſe

tè se ostendens, uiuificans, & effundens in beatos suam mirandam lucem, sapientiam, iusticiam & lætitiam.

ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.

Alioqui quid facient, qui baptisantur pro mortuis.

CONstat nunc, etiam cùm infantes baptizantur, tamen recitari articulos Symboli, ut uocant. Id exemplum sumtum est à prima Ecclesia, in qua optimo consilio institutum fuit, ut fieret planissima professio singulorum articulorum. Et scribunt quidam, adductos esse baptizandos ad ossa mortuorum, & ibi professos esse articulum de resurrectione mortuorum, & interrogatos, an crederent hos ipsos reuicturos esse, quorum ibi ossa intuerentur, respondisse, futurum, ut his ipsis uita restituatur. *Baptisandi ad ducti ad ossa mortuorum.*

Quanquam autem hic ritus non fuit uniuersalis, tamen omnes in Baptismo ubicq; planissimè professi sunt, se firmissima fide resurrectionem mortuorum credere. Etsi multæ interpretationes de hoc loco traduntur, tamen ualdè consentaneum est, hanc simplicem interpretationem natiuam & ueram esse: βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, id est, βαπτιζόμενοι ἐξομολογούμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Baptisantur pro mortuis, id est, profitentes de mortuis. Nam præpositio ὑπὲρ hanc significationem professionis continet, non significat uices, ἀντὶ. Non hoc inde ratiocinari necesse est, aliquos per Vicariam personam Baptismo initiatos esse. Ibi enim dicendum fuisset, ἀντὶ νεκρῶν. Hæc utcunque considerantibus Græcæ linguæ usum, manifestissima sunt, ut ὑπὲρ ἄλλου ἀπολογεῖται, non ἀντὶ ἄλλου. Possem & alias recitare interpretationes: sed hac contentus ero, quia non dubium est, in Baptismo ubicq; factam esse professionem Symboli. *Baptisari pro mortuis.*

τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν.

ARgumentum de resurrectione sumtum à præsentibus ærumnis. Si non restaret alia uita, non esset discrimen inter iustos & iniustos, & iusti stultè sustinerent in uita tantos labores & tantas ærumnas: Sustinent autem certa spe futuræ tranquillitatis. Igitur Ecclesia uerè sentit restare aliam uitam. Inserit autem admonitionem, ut uitent praua colloquia, & uersus est memoria dignus: *Colloquia praua.*

φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαί.

Et apud Aeschylum dicitur: οὐδὲν κάκιον κακῆς ὁμιλίας.

ἀλλ' ἐρεῖ τις πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί.

Sed dicet aliquis, quomodo surgunt?

VOCI diuinæ credendum est, etiamsi non scimus, quomodo effecturus sit Deus ea, quæ promittit, aut prædicit se facturum esse, sicut Moysen credere oportuit, petram percussam effusuram esse magna flumina aquarum. Sed humana diffidentia interrogare solet de Modo, quo Deus sua miracula effecturus est. Reprimit autem hîc interrogantes, opponens familiare exemplum in natura: Cùm non scias, quomodo ex grano mortuo exoriantur culmus, & multæ spicæ, & grana, cur quæris modum resurrectionis? Simul autem significat, ex paruis puluisculis relictis, tamen totum corpus rursus ædificari, sicut ex nucleo ingens arbor oritur. *Humana disfidentia.*

Est

Est corpus animale.

Corpus ψυχικὸν, seu χοϊκὸν.

CORPUS ψυχικὸν significat uiuens uita, quæ alitur cibo & potu, & habet actiones omnium potentiarum, etiam nutritiuæ. Forma loquendi ex Genesi sumta est, Factus est Adam in animam uiuentem, hac uidelicet uita, quæ habet functiones omnium potentiarum animæ, etiam nutritiuæ. Tale corpus nominat & χοϊκὸν, quasi dicas, testaceam, à χόϊς quod ollam significabat, quia adhuc terrestrem & mutabilem naturam habet. Aliud autem corpus, quale erit post resurrectionem, nominat spirituale, non quod prior materia non restituatur, sen quòd sit redacta in nihilum, sed quod restituta uiuat iam uita spirituali, id est, non functionibus potentiæ nutritiuæ, nec sit mutabilis, & mortalis, sicut testacea, sed sit perfusa Spiritu, & alio modo uiuat quàm antea, sit lucida, pura, non mutabilis, non mortalis, habens actiones animæ rationalis, sensuum, ad petitionum, locomotiuæ, quæ omnes ardent Spiritu sancto, ut cùm ex materia lychni fit flamma, accensa ab igni. Ita & hæc nostra massa accensa à Spiritu Christi fit spiritualis. Ideo dicit hunc hominem cœlestem esse, id est, accensum Spiritu Christi, & similem iam Christo.

Corpus spirituale.

ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται.

Quia caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt.

ARticulus est in Symbolo, Credo resurrectionem mortuorum, quo adfirmamus singulos homines resurrecturos esse ex morte, electos ad salutem æternam, impios ad cruciatus æternos, ut expressè dicit filius Dei in capite Iohannis quinto. Omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Et Roman: 14. dicitur: Omnes stabimus ante tribunal Christi, Item, Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. 2. Corinth: 5. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea, quæ gesit in corpore.

In priore Epistola ad Thessalonicenses in capite 4. Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primùm, deinde nos qui uiuimus, qui reliqui sumus, simul cùm eis rapiemur in nubibus, in occursum Domini. Et 2. Petri 3. Veniet dies Domini, sicut FVR in Nocte, in qua cœli cum sonitu transibunt, elementa uerò incendio soluentur, & terra, & quæ sunt in ea, comburentur. Hæc omnia cùm dissoluentur, quales oportet uos esse in sancta conuersatione & pietate, expectantes & festinantes, ut in die Dei præstò sitis.

Reliqui in hac uita etiam resurgent.

Cùm igitur expressè adfirment dicta filij Dei & Apostolorum, omnes homines resurrecturos esse, hoc quoque sequitur, eosdem qui uixerunt in hac uita, qui sunt caro & sanguis, resurrecturos esse. Et expressè inquit Iob capite 19. Scio quòd redemtor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum, quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

Corpora restituentur.

Hæc illustria testimonia tenenda sunt contra eos, qui fingunt Pythagoricas migrationes animarum, seu μετεμψυχώσεις, & contra alios, qui fingunt, non omnes resurrecturos esse, nec restitui corpora, cùm Iob expressè dicat, Quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

Cur igitur Paulus hoc loco dicit: Caro & sanguis regnum Dei possidere non

re non possunt. Respondeo, Paulus ipse hîc utrunq; adfirmat, eosdem homines resurrecturos esse, & tamen futurum esse, ut hæc ipsa materia, quæ antea fuerat mortalis, tunc fiat immortalis. Hæc enarratio sæpè repetita est. Oportet mortale induere immortalitatem. Itaq; manet substantia carnis & sanguinis, sed proprietas alia ei per filium Dei attributa est. Sic igitur intelligenda est oratio, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, scilicet, sine mutatione, qualis est hæc mortalis caro, Mox ergo sequitur:

Carni alia attribuetur proprietas.

πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.

OMnes quidem non dormiemus, sed omnes mutabimur. Textus ostendit hanc sequentem declarationem additam esse, ne ambiguitas in prioribus uerbis aliquid incommodi pareret. Fuerunt autem lectiones diuersæ in hoc textu. Sed retineamus Græcam usitatam & simplicissimam, cuius sententia congruit cum dicto in Epistola ad Thessalonicenses, adfirmat aliquos non morituros esse, qui tunc uiuent, cùm se filius Dei ostendet toti generi humano, Hi erunt obuij uenienti Christo. Non igitur est μεταμψύχωσις, & singuli in suis corporibus occurrent Christo.

Non est μεταμψύχωσις

Sed tamen fiet mutatio proprietatis, ut subitò hęc corpora, quæ prius fuerunt mortalia, donentur hac proprietate, ut deinceps sint immortalia.

τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος, κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος.

Tunc fiet verbum dictum. Absorpta est mors in victoria, &c.

VAlde prodest hîc monere Lectorem, unde hæc dicta sumta sint, & quid legatur in fontibus, & quæ sit interpretationum uarietas. Sciendum est igitur, hæc dicta ex duobus Prophetis citata esse. Priorem sententiam ex capite 25. Esaiæ sumtam esse certissimum est, ubi longa concio & perspicuum testimonium extat, quod oportet omnibus esse notissimum, de abolenda morte, & restituenda æterna uita. In lectione Ebræa sunt hæc uerba: בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח quæ iuxta Grammaticam simplicissimè sic redduntur: Deuorat mortem ad uictoriam, seu in sempiternum. Deuorat, uidelicet Dominus, quem antea in eadem concione nominat. Hieronymus reddit his uerbis: Præcipitabit mortem in sempiternum. Hæc interpretatio re ipsa non dissentit ab altera. Græca lectio in libris usitatis apud Esaiam continet hæc uerba: κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, quasi dicat, antea deuorauerat homines mors prævalens seu uictrix, sed deinde abstulit Dominus lacrimam ab omni facie. Si hæc lectio tempore Pauli extabat, ualdè credibile est, consultò eum aliter reddidisse hanc sententiam, ut priorem interpretationem emendaret. Et quia passiua sunt pleniora, uerbum reddidit passiuè, absorpta est.

Enarratio dicti Esa. c 25.

Græca lectio.

Deinde phrasis usitatissima est לָנֶצַח ad finem uel ad uictoriam, & aliâs tempus, aliâs modum significat, id est, uel in sempiternum uel omnino, quasi dicas, re penitus superata, ut eius finis sit. Paulus inquit, εἰς νῖκος, id est, ad uictoriam, ut sit sententia: Absorpta est mors, uel Dominus deuorauit mortem ad uictoriam, id est, omnino, ita ut sit penitus uicta, uel absorpta est in sempiternum. Psalmo 9. Inimici defecerunt frameæ in finem לָנֶצַח, id est, prorsus, & sæpè aliâs. Hæ interpretationes nequaquam dissentiunt.

Phrasis εἰς νῖκος.

Cognita autem Grammatica, hanc dulcissimam cõcionem transferamus ad usum in ueris doloribus, & tam illustri testimonio erecti, firmius statuamus, pecca-

Peccatum & mors uerè deuorata.

peccatum & mortem uerè deuorata & deleta esse per Filium Dei uictorem, nec ruamus in exitium conspectu peccati & mortis. Fortasis lectio græca Esaiæ olim alia fuit, κατέπιεν θάνατον ὁ ἰσχύων, deuorauit mortem uictor Dominus. Ambrosius legit, Absorpta est mors ad contentionem, sed errauit, existimans scriptum esse νεῖκος cum diphthongo, quod significat contentionem. Aliud autem nomen est, νίκος, quod significat uictoriam. In ea enim significatione Paulus & postea utitur uoce νίκος: Gratia qui dedit nobis uictoriam. Vbi alienissimum esset legere, qui dedit nobis contentionem. Nec dubium est Paulum uoluisse reddere uerbum Nezah.

Vt autem Esaiæ dictum illustrius & dulcius fiat, tota illa concio Esaiæ 25. sæpè legenda & cogitanda est.

Dictum Oseæ cap. 13.

Sequitur alterum dictum sumtum ex capite Hoseæ 13. quod Hieronymus sic interpretatur: Ero mors tua ô mors, Morsus tuus ero inferne. Nec obscura est sententia, sed de Grammatica & Emphasi uerborum disputationes motæ sunt. Certum est enim hîc quoque prædici, futurum esse, ut mors aboleatur per Messiam, & uita æterna restituatur. Coniunxit igitur duorum Prophetarum testimonia, quia prorsus idem affirmant. Prior disputatio est de uocabulis, Vbi & Ero. Hieronymus reddidit אֶהִי ero, & narrat eandem interpretationem esse apud Symmachum. Sed usitatè apud Græcos, & quinta editio & Aquila interpretantur, Vbi: cum his congruit Paulina lectio.

Disputatio de uocabulis, Vbi & Ero.

Si legas Ero, complecteris personam uictoris: Ego Messias, qui sum Iehoua, ero pestis mortis, id est, delens seu abolens mortem mea resurrectione, sicut & antea dixit: Perditio ex te est, at in me auxilium est. Vt igitur persona uictoris comprehendatur, aliqui magis amant lectionem Ero.

Deinde asseueratio plenior est, cùm dicit: Ero mors tua ô mors, quamquam uocabuli אֶהִי usus est ambiguus, tamen Grammatici norunt iuxta Analogiam magis esse futurum Ero.

Interrogatio Vbi.

Alij quibus placet interrogatio Vbi, mouentur eo, quòd libenter uocabula pestis & luis accommodant ad mortem, & ad infernum, Malunt dici pestem mortis & luem inferorum deletam, quàm dici Christum esse pestem mortis. Volunt enim illustrari Emphasin. Mors non est malum naturale, sicut putrefactio pomi. Sed cum morte seu interitu hominis est horribilis sensus iræ Dei. Vt igitur intelligamus utrunque abolitum esse, & mortem & sensum iræ Dei, probant interrogationem, quæ copulat utrunque, Et glorioſè uelut in carmine ἐπινικίῳ affirmat mortem & uires mortis extinctas esse. Idq; uoluisse Paulum ostendit eius lectio & enarratio quam addit, Vbi est mors aculeus tuus? Et postea inquit, peccatum esse hunc aculeum, quia cùm peccatum ostenditur, sensu iræ Dei homines extinguuntur, ut Psalmo 89. dicitur. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & in ira tua defecimus, Item, Esaiæ 38. Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Hos ingentes dolores, & fugam in morte dicit oriri à Peccato & Lege ostendente peccatum, ut experientia ostendit. Ideo dicit peccatum esse aculeum mortis. Et in uerbis Oseæ ponit κέντρον, quod in Græca uersione in altero membro ponitur: ποῦ τὸ κέντρον σου ᾅδη; In priore membro sunt usi hanc uoce δίκη: ποῦ σου δίκη σου θάνατε; Vbi est iudicium tuum mors, uel accusatio, uel pœna, qua nos afficis? Id congruit cùm sententia Pauli, Non tantùm aboleri mortem, id est, ipsum interitum, sed accusationem seu pœnam quoque, id est, sensum iræ Dei. Hæc breuiter recitaui, ut quæ sit Emphasis in utraq; lectione, con-

κέντρον.

δίκη.

ne,consideretur. In summa sententiæ non est ambiguitas. Nam utraque lectio docet,Messiam credentibus redditurum esse iusticiam & uitam æternam,abolitis peccató,morte & inferis.

Addit autem Paulus breuem repetitionem doctrinæ suæ de Lege. Aculeus mortis peccatum est, potentia uerò peccati lex est. Nequaquam hîc loquitur de politico usu legis, sed ut Roma. 7. de illo tristissimo iudicio,in quo Deus cogitatione legis ostendit iram suam aduersus peccata. Vt Dauid expauescit,cùm obiurgatur uoce Nathan. Et de se inquit Paulus,Roman.7.Peccatum ut fiat excellenter peccatum,id est,reum,per bonum,in me effecit mortem.Hæc tota doctrina sæpè repetita est in Pauli scriptis.Et opponenda est somnijs Pharisaicis, qui fingunt homines Lege mereri remissionem peccatorum,cùm Lex tantùm sit iudicium, quo Deus horrendam iram suam aduersus peccatum in nobis ostendit. *Lex iudicum aduersus peccata.*

Hîc autem addit Paulus Antithesin: Gratia Deo, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, quasi dicat, Cùm lege perterrefacti sumus,sciamus hanc solam ueram & efficacem consolationem nobis propositam esse, de qua dicitur in Iohanne: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat,sed habeat uitam æternam. In his terroribus fide statuamus propter filium Dei passum,resuscitatum & regnantem certò nobis remitti peccata, Imputari nobis ipsius iusticiam, nos fieri iustos & hæredes uitæ æternæ. Hac fide uincimus per filium Dei terrores peccati & mortis, ut Roman.5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Et quidem in hac ipsa consolatione datur Spiritus sanctus,qui efficit pacem, id est, lætitiam cordis,& initium uitæ æternæ,iuxta dictum: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum, id est, quo sentient se esse in gratia, & liberatos ex pauoribus & morte æterna, & poterunt iam uerè lætari in Deo & eum inuocare,sicut Roma.8.dicitur: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Hanc consolationem necesse est omnibus, in exercitijs pœnitentiæ notam fieri,quam qui intelligunt, uident, quàm tetri sint errores Monachorum, qui fingunt homines mereri remissionem suis operibus,& iubent manere in dubitatione. Hi furores pugnant etiam cum hoc triumphali præconio, quod hîc recitat Paulus: Gratia Deo qui dat uictoriam per Iesum Christum. *Spiritus gratiæ & precũ.*

ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι.

Firmi estote &c.

POST quam refutauit furores eorum, qui de resurrectione falsas opiniones sparserant,addit in fine breuem adhortationem in qua præcipit,ut constanter retineant integram doctrinam ab Apostolis traditam, nec admittant corruptelas in ullo articulo.

Addit autem & consolationem dulcissimam: Labor uester non est inanis in Domino.Hæc sententia nobis omnibus semper in conspectu sit,primùm ut leniamus dolores priuatos hac spe, quòd post hanc uitam certò simus futuri in consuetudine æternæ Ecclesiæ, in qua Deus nobis communicabit sapientiam,bonitatem & lætitiam suam. *Labor non est inanis in Domino.*

Deinde ut huic dolori,quem habemus, cùm non uidentur multi proficere ex

Aliqui emendantur.

re ex noſtris laboribus,opponamus hanc aſſeuerationem,aliquos tamen emendari, & ad colligendam & ad conſeruandam Eccleſiam aliquo modo noſtram uocem & noſtram ſedulitatem prodeſſe. Hac conſolatione nobis ualdè opus eſt. Quia cùm homo exiſtimat, ſuos labores prorſus inanes eſſe, nec prodeſſe alijs, uoluntas deterretur, ut prorſus abijciat incoatas operas. Huic tentationi opponenda eſt hæc dulciſsima ſententia: Labor ueſter non eſt inanis in Domino, id eſt, Deus ipſe efficiet, ut labores noſtri aliquibus proſint,& iuuent conſeruationem Eccleſiæ, etiamſi magna multitudo eſt furenter contemnens Deum, & turbans Eccleſiam & communem uitæ ſocietatem.

Deus gubernat euentus.

Sequamur ergo hanc regulam ſæpè repetitam in concionibus diuinis: Obtemperemus mandato Dei, quod præcipit operas uocationis,& ſperemus Deum gubernaturum eſſe euentus,iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam,& ſpera in eo, & ipſe faciet. Et de ſucceſſu hæc teſtimonia nota ſint, Iohan. 15. Qui manet in me, & ego in eo, hic feret fructum copioſum. Item, Poſui uos ut eatis, & fructum feratis, & fructus ueſter maneat. Et Pſalm: 1. Folium eius non defluet,& omnia quæcunq; faciet,proſperabuntur. Et Eſaiæ 55. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non redibit ad me uacuum, Et Eſaiæ 65. Electi mei non laborabunt fruſtra. Huc addantur & inſignes conſolationes recitatæ in Eccleſiaſte capite 11. Manè ſemina ſemen tuum, & ueſpere ne ceſſet manus tua, quia neſcis utrum magis oriatur. Et ibidem picturam illuſtrem proponit. Videntur perire ea, quæ in aquam ſparguntur. At Salomon iubet, ut panes,id eſt,doctrinam tanquam in aquas ſpargamus,& affirmat nos tamen poſt aliquod tempus recepturos fructum eius laboris. Obediamus igitur his mandatis: Inſta opportunè,importunè,argue,increpa,adhortare. Et certò ſtatuamus, ipſum filium Dei in hoc ſuo miniſterio efficacem fore,ſicut inquit: Ego ero uobiſcum uſq; ad conſummationem ſeculi. Etiamſi pauci proficient,& uidetur tanquam in aquas ſpargi doctrina, tamen ſemper aliqui proficient,ſicut Dominus inquit: Qui manet in me, & ego in eo, ille feret fructum copioſum. Et ſemper aliqua erit uera Eccleſia, etiamſi erit exigua, ut Eſaiæ 65. ait, ſimilem fore Vindemiæ,in qua paucæ uuæ,ſed gratæ reperiantur. Hanc totam conſolationem ſinguli noſtros in hoc docendi munere neceſſariam eſſe intelligimus, Ideo hoc dictum Pauli, & cæteras congruentia teſtimonia ſæpè cogitemus,nec fracti dolore aut deſperatione officia uocationis omittamus.

Christus in ministerio efficax.

CAPVT XVI.

Liberalitas exercenda erga pauperes.

CERTVM eſt morem fuiſſe etiam in Iſraël,ut cùm in diebus feſtis populus conueniſſet, ſinguli aliquid conferrent ad uſus egentium aliena liberalitate. Hunc morem Apoſtoli tradiderunt etiam Eccleſijs. Et eo tempore, quo Paulus hanc Epiſtolam ſcripſit, multi in Iudæa expellebantur ex poſſeſſionibus. Et ſimul Claudij tempore præcipuè in oriente fames tam ſæua fuit,ut modius frumenti ſex drachmis uenderetur. Exemplum autem conſideretur,quod monet,ut in publicis congreſſibus Eccleſiæ hoc pium genus liberalitatis exerceatur,& ſinguli aliquid conferant. Ac hiſtoriæ oſtendunt,ueterem Eccleſiam in hoc genere ualdè officioſam fuiſſe.

εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον ἰησοῦν χριστόν, ἤτω ἀνάθεμα.

Cætera

CAetera dicta in hoc capite nihil obscuritatis habent. Adscripsit autem Paulus sua manu grauissimam sententiam, quæ omnibus notissima esse debet: Si quis non diligit Dominum Iesum Christū, sit anathema Maranatha. Damnat utroscp & manifestos hostes Euangelij, & Hypocritas, qui prætextu religionis quærunt suam potentiam aut alia cōmoda, & inflectunt Euangelion ad hominum cupiditates, & miscent corruptelas, Aduersus tales omnes hanc uocem iudicij diuini pronunciat, & tanquam fulmen mittit, ut Iohannes Baptista inquit: Qui credit in filium, habet uitam æternam, qui autem non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum. Et de hypocritis & malis doctoribus extant comminationes sæpè repetitæ, ut Matth: 25. Et inutilem seruum eiciet in tenebras quæ foris sunt. Ibi erit fletus & stridor dentium. *Hypocritæ.*

Primùm autem dicit, sit Anathema, id est, quiddam damnatum, sicut huius uocabuli usus in Ecclesia notus est, ut ad Galatas: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Et ratio Etymologiæ sumatur ex Lege de consecratis, quę tolli & interfici oportuit. *Anathema.*

Addit autem peregrina uocabula Maran atha, quæ uerba recitatiuè ponuntur, & Grammatica adpositione attexenda sunt dictioni proximæ, quasi dicat, Sit anathema, id est, sit damnatus hac ipsa tristissima sententia, quæ sunt uerba anathematis: Maran atha, id est, Dominus noster uenit, scilicet, ad puniendum, & ad declarandam tristissimam iram, quam antea contemsisti. Sunt igitur hæc uerba imprecatio pœnæ, ut si diceretur: *Maran atha.*

ἔυρε θεὸς τὸν ἄλιτρον.

Vel sicut Psalmus 57. inquit: Lætabitur iustus, cùm uiderit uindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris, & dicet homo, utiq; est fructus iusto, utique est iudicans in terra. Talis est asseueratio de uenturo iudicio, & de pœna in his uerbis: Dominus noster uenit.

Est autem sermo Syriacus seu Chaldaicus affinis, Ebraico, quia uicinæ gentes linguam Ebræam à patribus retinuerunt, sed paulatim deprauarunt, ut fieri solet, uestigia tamen agnosci possunt. Mar seu Mara significat Dominum, ut in Thargum, Prouerb. cap. 23. & Amos 1. Consentaneum est autem nomen, Mara esse à dictione מוֹרָה quod significat Doctorē, uel à dictione מוֹרָא quod significat terribilem. Et notæ sunt origines יָרָה docuit, & יָרֵא timuit. Et in uita Hilarionis legitur, illius ætate adhuc Idolum fuisse in Syria Maras. Fuit autem usitatum nouis Idolis & cultibus tribuere noua nomina, quæ uidebantur maiorem reuerentiam significare. Vt post primum cultum, in quo Deus nominabatur יְהוָה אֱלֹהֵינוּ impij homines, qui ueterem doctrinam & cultum reliquerunt, nominarunt Deum בַּעַל possessorem, δεσπότην. Postea uicini aliud terribilius nomen excogitarunt, Maran, id est, terribilis noster. Ita cùm discessum est à uera doctrina, & ueris cultibus, superstitio & nomina noua & opiniones, & ritus alios fingit. Fuit igitur Mara nomen usitatum in Syria. Appendix n, uel na, est noster, Atha, uenit. Hanc esse natiuam interpretationem uocabuli Maran atha affirmant, & sæpè usurpari in Iudaicis enarrationibus scribunt. Ideo mirum est, cur Burgensis uir doctus aliam Etymologiam excogitauerit, qui pro Maran atha fecit, Meherem motha, & dicit Apostolum uoluisse atrocissimam speciem condemnationis nominare: Qui non diligit Christum, sit non uulgare anathema sed Meherem, id est, res deleta seu uastata, & tale anathema, quod occîdi necesse sit, ideo additum esse existimat Motha, quasi dicat, anathe- *Maran athan unde.* *Maras Idolum.* *Burgensis Etymologia.*

ma uastationi & morti destinatum, quia non omnia consecrata interficiebantur. Hanc Etymologiam Burgensis ideo recitaui, ne sit ignota iunioribus, non quòd eam probem, cùm adpareat longius accersitam esse. Amplectamur autem alteram, quàm & Hieronymus tradit, & cum sermone commentariorum congruere aiunt. Maran atha, id est, Dominus noster uenit. Et sciat Lector hæc uerba recitatiuè poni tanquam formulam, qua iudex pœnas seu diras imprecatus est. Continet autem hæc postrema clausula grauissimam comminationem aduersus omnes hostes Euangelij & Hypocritas, ac præsertim doctrinæ corruptores. Ideo sinceris pectoribus quæramus ueritatem, & ipsum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ut nos Spiritu suo sancto gubernet.

SECVNDÆ EPISTOLÆ AD CORINTHIOS, ARGVMENTVM.

Argumentum scriptorum Pauli.

SEMPER in conspectu sit discrimen Legis & Euangelij, & sciamus non tantùm historias peregrinationum Pauli & præcepta moralia in eius scriptis quærenda esse, sed longè aliam sapientiam de filio Dei, & de eius beneficijs, de remissione peccatorum, de miranda collectione Ecclesiæ, & de uita æterna. Sed tamen ijs, qui doctrinam Ecclesiæ rectè didicerunt, utile est etiam tempora & seriem historiæ nosse. Vt igitur consideremus, quo tempore primùm uenerit Paulus Corinthum, & quando postea scripserit Epistolas ad Ecclesias eius loci, ordine utcunque distribuam annos.

ANNI A CONVERSIONE PAVLI.

Anno Christi.	*An: post conuersionem.*	
35.	1.	Annus Pauli Couuersionis, Annus à natali Christi 35.
36.	2.	Iuit Paulus in Arabiam.
37.	3.	
38.	4.	
39.	5.	Iuit in Tarsum, Acto: 9.
40.	6.	
41.	7.	
42.	8.	Barnabas ex Tarso duxit Paulum Antiochiam, Acto: 13.
43.	9.	
44.	10.	Iuit in Cyprum, Act: 13. Vbi auditor fuit Sergius proconsul.
45.	11.	Profectus in Pergen & Iconium Act: 14. & uicinas urbes.
46.	12.	
47.	13.	
48.	14.	
49.	15.	
50.	16.	
51.	17.	Synodus Ierosolymæ, cui Paulus interfuit.
52.	18.	Rediit in Iconium & Lystram, ubi Timotheum sibi adiunxit, & traiecit in Macedoniam, & fuit Corinthi.
53.	19.	Rediit
54.	20.	

55. 21. Rediit in Asiam,& fuit biennio in Ephesо.
56. 22.
57. 23.
58. 24. Rediit Paulus in Macedoniam,prius peragrata Phrygia,& finibus Galatarum. Cumque uenisset in Macedoniam,sicut hîc inquit se ex Troade traiecisse,scripsit in Philippis utrancp Epistolam ad Corinthios non longo interuallo, Postea rediit in Asiam, ac uenit Mytilenen, item in Samum & Miletum.
59. 25.
60. 26.
61. 27.
62. 28.
63. 29.
64. 30. Circa hoc tempus fecit Paulus iter postremum Ierosolymam,inde missus est Romam captiuus.
65. 31.
66. 32. Paulus Romam missus,fuit biennium in domo conducta Acto: ult. De reliquo tempore non scribitur,sed tamen consentaneum est,eum Romæ mansisse uscp ad annum penultimum Neronis, quo interfectus est, quia non leguntur alia Pauli itinera,postquam Romam uenit. Et illud reliquum tempus breue est.
67. 33.
68. 34.
69. 35. Interfectus Paulus à Nerone anno 13. Neronis.
70. 36. Decimus quartus Neronis,quo Nero sibi consciuit mortem.

Hanc breuem recitationem addidi,in qua præcipua itinera recensentur. Nam omnia certò in singulos annos distribui non possunt. Ac adparet annis posterioribus Claudij ac deinde Neronis tempore sæpè eadem Asiæ & Græciæ loca peruagatum esse.

Videmus autem in priore Epistola multas materias cõplexum esse, quia ita fit,constituta Ecclesia,non diuturna tranquillitas manet,sed Diaboli insidijs & uanitate ingeniorum turbatur. Ita cùm Corinthi orta essent dissidia,& multæ quæstiones motæ, de coniugio,de usu libertatis Euangelicæ,de cõsuetudine cum nouerca, de cõuiuijs apud amicos redeuntes ex sacrificijs,de resurrectione & aliæ,Paulus grauiter ad singulas quæstiones respondit,& ostendit se magno dolore affici propter scandala. Cùm igitur Corinthij responderent,& signa emendationis ostenderent,Paulus nunc respondet lenius,ac primùm excusat se, quòd nunc non accedat ad eos,inquiens se uenturum esse tempore minus tristi. *Prior ad Cor.* *Distributio capitum posterioris ad Cor.*

In secundo capite iubet recipi lapsum, qui consuetudinem habuerat cum nouerca. Id exemplum obseruandum est, contra Nouatianos, quia manifestè docet lapsos à peccato absoluendos & recipiendos esse. *Cap. 2.*

In tertio capite generaliter concionatur de efficacia ministerij Euangelici,& de discrimine Legis & Euangelij,& de cruce. *Cap. 3.*

Hæc commemoratio precipuè necessaria fuit,& semper in Ecclesia necessaria est, Vt enim olim ante aduentum Messiæ Iudæi multi, qui inter gentes uixerant,ut Daniel & alij,adiunxerãt sibi auditores,alij rectè tradentes doctri-

nam de Meſsia, alij tantùm de externa diſciplina Legis concionantes: Ita Pauli tempore multi Iudæi adhuc inter gentes auditores habebant, quos tamen tantùm de externa diſciplina Legis docebant. Hi cùm audirent à Paulo doceri Meſsiam ueniſſe, & politiam Iudaicam interituram eſſe, & homines non mereri remiſsionem peccatorum lege, non eſſe iuſtos lege: Execrabantur hanc nouam doctrinam, pugnantem cum opinionibus, quas antea tradiderant ipſi, cùm docuiſſent Ethnicos, uenturum Meſsiam, qui uno imperio omnes gentes in toto orbe terrarum coniuncturus eſſet, & perfecturus, ut eodem modo, uidelicet, lege Moyſi, uerum Deum, Idolis abolitis, inuocarent. Eandem opinionem multi Pſeudoapoſtoli confirmabant. Cùm aũt Paulus aliter doceret, Iudęi paſsim ei aduerſabantur, & ſuos auditores contra eum concitabant. Et alioqui Ethnici cæteri adhorrebant à nouo genere doctrinæ, & nolebant Idola taxari.

Error Iudæorũ de Meſsia.

Occaſio concionis de diſcrimine Legis & Euangelij.

Opponit igitur clamoribus Iudęorum & Pſeudoapoſtolorum hanc longam concionem de diſcrimine Legis & Euangelij, & de efficacia miniſterij Euangelici, & de cruce, quaſi dicat, etſi antea Iudęi uos docuerunt de Lege, & Idola damnauerũt, & utcunq; de diſciplina Legis cõcionati ſunt: tamen Euangelium alia doctrina eſt, oſtendit donari remiſsionẽ peccatorum, non propter Legem, ſed propter Meſsiam, & ſimul effundit Spiritum ſanctum in corda credẽtium, & incoari æternam iuſticiam & uitam, & exhiberi iam bona æterna, quorum umbræ in Lege propoſitæ fuerunt. Et hæc reuera fiunt uoce noſtri miniſterij, cui Deus teſtimonia addit manifeſtis miraculis, quanq; ſubiecti ſumus cruci, & non poſſumus delere gentes, ut Moyſes & Ioſua occupabant Cananæam, & ut Iudæi exiſtimant, Meſsiam armis domiturum eſſe gentes.

Diſcrimen legis & Euangelij Deus ſubinde renouat in Eccleſia.

Hac occaſione diſputationum Pauli conſiderata, intelligi poteſt, quare has cõciones inſtituerit, & quid uelit docere. Ideo in tertio capite hanc maximè memorabilem ſententiam proponit: Lex eſt litera & miniſterium mortis, ſed Euangelium eſt miniſteriũ Spiritus. Hæc uox noua erat Iudæis, qui antea gentes utcunq; de diſciplina docuerant, ſicut & ſæpè in Eccleſia fuit ignota, & nunc Monachi & ſimiles ab ea abhorrent. Vt autem Prophetarum tempore ſemper aliqui fuerunt huius doctrinæ illuſtratores: Ita hæc propria uox eſt Apoſtolorum, oſtendere diſcrimen Legis & Euangelij, & immenſa bonitate Deus ſubinde in Eccleſia renouat hoc diſcrimen. Extincta fuit hæc lux interpretationibus Origenis, qui finxit homines iuſtos eſſe Lege, id eſt, diſciplina morali, & literã tantùm interpretatus eſt, Ceremonias externas, & Spiritum, allegorias. Poſtea Auguſtinus errorem latè ſparſum taxauit & oſtendit, literam eſſe, & Ceremonias & opera moralia, quæ fiunt humana diligentia, non Spiritu ſancto uiuificante corda in ueris pauoribus. Spiritum uerò eſſe ipſum Spiritum ſanctum, uiuificantem corda in ueris pauoribus, & incoantem in nobis iuſticiam & uitam æternam, & illa bona re ipſa præſtantem, quæ ſignificantur in lege.

Litera.

Spiritus.

Ita poſt Auguſtinum aliqui fuerunt, & recèns Lutherus, qui diſcrimen illud Legis & Euangelij, & literæ ac Spiritus renouarunt.

Cap. 4. 5.

Commoratur in hoc diſcrimine Paulus à tertij capitis initio uſq; ad ſextum caput, & miſcet doctrinam & conſolationes, quæ quidem ex doctrina neceſſariò ſequuntur.

Primum diſcrimen miniſterij Legis et Euangelij.

Primum diſcrimen miniſterij Legis & miniſterij Euangelici ſumitur à proximis effectibus. Miniſterium Legis, ſine uoce Euangelij, eſt tantùm miniſterium mortis, id eſt, aut eſt politica diſciplina, quæ eſt externa gubernatio & frenum

frenum potentiæ locomotiuæ, ut nominamus: Aut est iudicium, quo Deus ostendit in corde hominis horrendam iram aduersus peccatū, de quo iudicio dicitur, Esaiæ 38. Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et Paulus, Rom. 3. ait: Per Legem cognitio peccati. Item, Lex iram efficit, quia Deus hanc noticiam in homine post lapsum uoluit reliquam esse, ut per eam regatur externa disciplina, & deinde ut sit uox sententiæ, qua Deus monstret iram & condemnationem. Manifestum est autem non solùm nō tolli peccatum, & mortem, iudicio illo & sensu iræ Dei, sed etiam hunc ipsum sensum iræ Dei esse pauores, & dolores tristiores ipsa morte corporis, & initium ęternarum pœnarum, nisi uoce Euangelij per filium Dei homo liberetur, sicut scriptum est: Aculeus mortis peccatum est, Potentia peccati Lex. Gratia autem Deo, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Præterea disciplina externa nec tollit peccata, nec meretur remissionem peccatorum, nec est impletio Legis.

Sed Euangelium est ministerium Spiritus, ut hîc in capite tertio dicitur. i. est Vox, qua Deus credenti remittit peccata propter filium, & dat Spiritū sanctum, quo corda in illo sensu iræ Dei & in pauoribus eriguntur, & ex doloribus inferorū eripiuntur, & sentiunt pacem & lætitiā in Deo, & initia uitæ æternæ.

Alterum discrimen est ab ulterioribus effectibus, & modis, qui accedunt. Lege promulgata, constituitur politia Moysi, & adduntur glorioſæ liberationes corporales, eductio ex Aegypto, & multæ admirandæ uictoriæ, repressio cursus solis, & alia incurrentia in oculos multarum gentium, & quæ proderant uniuersæ multitudini, sanctis & non sanctis. *Secundum discrimen ministerij Legis et Euangelij.*

Euangelij uerò promulgatio non habet similem politicam gloriam, nec constituit politiam mundanam, sed colligit alibi alios auditores in diuersis politijs, & est ministeriū, quo in eis incoantur iusticia & uita æterna. Interea uerò in hac mortali uita manent auditores subiecti cruci, & ingentibus ærumnis. Hac specie autem ualdè alienantur animi hominum ab Euangelio. Absurdissimum enim uidetur, hos dispersos homines sine politia, sine certa sede, sine certo imperio, sine præsidijs, qui passim à quibuslibet interficiuntur, esse populum Dei. Nec consentaneum est, cùm Moyses tam pulcram politiam constituerit, Messiam nullum certum hospitium suis tradere.

Hęc absurda semper omnes homines mouent. Sed Paulus respondet, Ministerio Euangelij afferri bona nequaq; peritura, ut intereūt politica: Sed æterna, & ait, huic uoci etiam addi testimonia, ut resuscitationes mortuorum, & alia miracula. Et consolatur Ecclesiam dulcissimo argumento ex Minore sumto. *Ministerium Euangelij adfert æterna bona.*

Cùm fuerit magna gloria & conseruatio politiæ, quæ in promulgatione Legis instituta est, quæ tamen fuit res interitura: Conseruabitur haud dubiè etiam Ecclesia, & erit maior eius gloria, etiamsi dissimiliter hæc fiunt.

Post has collationes Legis & Euangelij, cum hoc ministerio Messiæ non constituatur regnum politicum, ut Iudæi somniârunt, & Ecclesia in diuersis Imperijs, & in persecutione colligatur: necesse est doceri Ecclesiam de cruce, & de uentura liberatione in uita æterna. Addit igitur Paulus in capite 4. & 5. conciones de cruce, & de uita æterna, Et inserit insignes sententias de cæteris Euangelij membris, qualis hæc est in fine 5. capitis, quę est tanq; Epilogus superiorū: De Christo legatione fungimur, tanq; Deo adhortante per nos, & precamur nomine Christi, Reconciliamini Deo. Eum enim, qui non nouit peccatum pro nobis fecit peccatum, ut nos fiamus iusticia Dei in ipso. Etsi autem tota lectio *Doctrina de Cruce.* *Enarratio dicti. Eum qui non nouit peccatum etc.*

plena est doctrinæ necessariæ, tamen hæc sententia præcipuè digna est consideratione, quia & ministerij dignitatem illustrat, & postea splendidissimis figuris concionatur de redemtore. Duæ sunt hîc adpellationes, altera peccati, altera iusticiæ Dei. Nihil autem tristius nominari potest, quàm peccatum, quia est malum, cui Deus horribiliter irascitur, & quod horribiliter damnatum est à Deo.

Peccatum.

Iusticia Dei.

Rursus nihil glorioſius & melius est, quàm iusticia Dei, id est, quiddam placens Deo, & congruens cum uoluntate Dei, & uiuens luce & uita æterna diuinitus donata: Considera igitur hoc loco permutationem.

Christus non nouit peccatum.

Filius Dei est sine peccato, sicut hîc dicitur, nō nouit peccatum, id est, non habet, non uult ullum malum pugnans cum uoluntate Dei, sed & essentia est iustus, & habet deinde obedientiam perfectam, qua se subijcit æterno patri assumta humana natura, & hac obedientia Legi satisfacit, & soluit λύτρα pro nobis, sicut ipse nominat, Matth: 20.

Quanquam igitur iusticia Dei, id est, lux & rectitudo diuina & perfecta obedientia est in filio, tamen ipse fit pro nobis peccatum, id est, quiddam reum coram Deo, & ira Dei in ipsum effunditur. Etsi enim genus humanum per misericordiam à Deo recipitur, tamen etiam iusticiæ diuinæ satisfieri oportuit, ac inenarrabilis copulatio misericordiæ & iusticiæ facta est. Ita receptum est genus humanum, si pœnam solueret aliquis in genere humano. Sed ut ualeret pœna pro alijs, hunc redemtorem oportuit esse sine peccato. Ideoq; redemtor

Christus fit peccatum.

dicitur, quia precium pro nobis persoluit. Fit igitur peccatū, id est, reum quiddam, sentit horrendam iram æterni patris, contra omnium peccata, quasi ipse se tuis & meis & omnium peccatis polluisset. Huius doloris magnitudinem nulla creatura satis intelligere potest.

Christus tribuit nobis iusticiam Dei.

Contrà uerò tibi & omnibus credentibus tribuit id, quod in cœlo summum est. Cùm ipse sit iustus iusticia Dei, id nobis tribuit, primùm imputatione & incoatione, postea etiam cōsummatione. Nos qui reipsa sumus immundi & rei peccati, tegimur per filium, pronunciamur non rei, sed iusti, Deo iustificante, id est, acceptante nos, & simul renouante & uiuificante. Nihil maius dici aut cogitari potest. Ita inquit, Esaias cap. 61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me uestimentis salutis, & indumento iusticiæ circumdedit, & est ipse sicut sponsus in Sacerdotali ornatu, & nos sicut sponsa ornata monilibus. Primùm inquit se lætari nō uiribus naturę nostræ, aut ullius creaturæ auxilio, sed gaudebo inquit in Domino Deo meo. Gaudeo me reconciliatum esse Deo, & me ipsius Dei opera à summis malis liberatum esse, & iam in eo uiuere uita æterna. Induit me, inquit, uestimento iusticiæ, id est, tegit me remissione peccatorum, & imputatione iusticiæ, imò & effectione nouæ & æternæ iusticiæ. Ipse tanquam uestem mihi circumdat suam iusticiam, quæ mihi imputatur, & simul nouam & æternam iusticiam in me incoat. Vestit me etiam salute, id est, uita æterna, & alijs donis in hac uita & post hanc uitam. Et ipse est sicut sponsus in sacerdotali ornatu. Filius Dei est sponsus Ecclesiæ, uerè eam diligit & seruat: Amplectitur autem eam in sacerdotali ornatu, Primùm quia ipse est summus Sacerdos, offerens seipsum pro nobis, prostratus coram patre, deprecans pro misera sponsa, deinde etiam resuscitatus adiungens eam sibi, & ornans eam Spiritu sancto, & semper pro ea interedens, instituens & conseruans ministerium, protegens & saluans eam.

Explicatio dicti Esaiæ, Gaudens gaudebo in Domino.

Christus sponsus Ecclesiæ.

Astat & ipsa apud sponsum, decorata similibus ornamentis, congruentib. huic

huic sponso, foris cruce, intus remissione peccatorum, Spiritu sancto, imputatione iusticiæ, & deinde æterna iusticia & uita, huic uni sponso addicta, non polluta, ullis Idolis, ardens dilectione huius sponsi, & per ipsum adducta ad æternum patrem, & læta in omni æternitate celebrans Deum, fruens eius luce, sapientia, iusticia, & uita. Hæ sunt illæ æternæ nuptiæ, ad quas hæc sponsa ornata à sponso ducitur. Talium dictorũ collatione fit illustrior hic locus Pauli. *Ornamenta Ecclesiæ sponsæ.*

In sexto capite, postquam antea doctrinam Euangelij recitauit, addit adhortationem, ut incoata dona retineamus & exerceamus, & miscet consolationes. Nominatim uerò prohibet confusiones religionum. Iubet ut uitent Idolorum cultus & sacrificia, quæ Idolis fiebant. Fuit autem mos, ex sacrificata carne conuiuia instruere, ad quæ familiæ totæ conuocabantur. Hæc contagia prohibet, sicut nunc necesse est pios fugere profanationem cœnæ Domini in Missa pontificia, adorationes panis in circumgestatione, inuocationes mortuorum, ut in enarratione copiosius dicetur. *Capite 6.*

In septimo capite repetit priorem adhortationem, ut uitemus Idola. Et statim postea lenit eorum dolorem, quem attulerat eis indignatio Pauli, Vbi mira solicitudo Apostoli conspicitur. Non uult relinquere in animis eorum ullam suspicionẽ animi exulcerati, sed uult illos certò scire, penitus deletam esse offensionem, ut sit firmior beneuolentia, & ne dissidia oriantur, quod fieret, si simultates tacitę manerent reliquæ. Inserit autẽ necessariam doctrinam de conuersione seu pœnitentia, partem esse ministerij in Ecclesia arguere peccata, & oportere in conuersione dolores oriri. Hæc tota sententia referenda est ad communem doctrinam de Contritione, de qua dicitur: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea, Et Esaiæ 66. Ad quem respiciam? nisi ad humiliatum & contritum spiritu &c. Et Psalmo 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non despicies. Item, Deut: 4. Deus ignis consumens est. *Capite 7.* *Doctrina de contritione, quæ est necessaria.*

Vult Deus aliquo modo agnosci peccata, & iram suam aduersus peccata. Non uult eam negligi, & damnat secura & ferrea corda, ut apud Ieremiã cap. 8. Erubescere nescierunt. Esa: 48. Frons tua ænea. Et Zacha: Posuerunt cor suum uelut adamantem. Et Paulus ad Ephesios ait, impios esse ἀπηλγηκότας, id est, sine dolore, securos, contemnentes iudicium Dei. Hæ tristissimæ conciones obseruandæ sunt, ut sciamus necessariam esse contritionem, quam sic nominant, scilicet ueros pauores & dolores propter iram Dei aduersus nostra peccata.

In octauo & in nono adhortatur Corinthios, ut collatione eleemosynæ iuuent Ecclesias in oriente, quæ indigebant aliena liberalitate, & quia multi pij ex suis possessionib. expellebantur, & quia tunc Claudij Imperatoris tẽpore fames adeo sæua erat, ut modij preciũ fuerint 6. drachmæ, cùm usitatis annis esset una drachma, ut si Lipsici Medimni precium sit usitatũ dimidius Ioachimicus, tunc uenditus esset trib. Ioachimicis. Talis difficultas fuit et in Germania anno 1517. *Cap. 8. 9. Collatio eleemosynarum.*

Multa sunt autem dicta insignia in hac adhortatione. Fit mentio æqualitatis. Hîc non intelligatur æqualitas ἀναλογίας Arithmetica, Nec fingamus Paulum docere Platonicam rerum communionem, aut Spartanam exæquationem facultatum, ut Anabaptistę finxerunt. Certissimum est enim in Euangelio non constitui politias externas, sed adprobari rerum distinctionem, & legitima imperia, ut suo loco copiosius dicetur: Sed loquitur Paulus de æqualitate non dominij & possessionis, sed usus in communicatione uoluntaria hominis beneficici erga egentes, iuxta dictum: Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus *Æqualitas quam docet Paulus.*

corum

eorum maneto. Tota hæc collatio uoluntaria est, nec necesse est præcisè eam ad Arithmeticam uel Geometricam uel Harmonicam proportionem accommodare. Manifestum est sceleratum esse, facere æqualitatem proportione Arithmetica, ut non plus numero possideat Isaac, quàm Ismael. Nec necessaria est æqualitas proportione Geometrica. Non necesse est Consulem duplo plus habere, quàm alium ciuem: aut Consulem duplo plus conferre, quàm alium ciuem. Magis congruere illa collatio cum Harmonica proportione uidetur, in qua nec proportionum, nec differentiarum æqualitas est, sed sicut se habet maximus terminus ad minimum, ita se habet differentia maximi & medij ad differentiam medij & minimi, ut: 3.4.6. Senarius est duplus ad tria. Ergo & differentia maximi termini & medij, scilicet 2. erit dupla ad differentiam medij, & minimi, quæ est unitas. Ita sint Lucullus 6. Atticus 4. & Cicero exul egens 3. Si Lucullus dat duo talenta exulanti, det Atticus unum.

Sed tamen quia uoluntaria collatio est, non necesse est ad hæc uincula astringi. At Paulus ipse aliquoties testatur, se non postulare hanc collationem ita, ut cogere ullum existimetur, sed se de uoluntaria liberalitate loqui. Non igitur nouam politiam Platonicam uel Anabaptisticam constituit.

Capit. 9. Discrimen promissionum.

In capite nono commonefacit eos promissionis diuinæ, sicut in Euangelio dicitur Lucæ 6. Date & dabitur uobis. Hîc tenendum est discrimen promissionum. Alia est propria Euangelij promissio reconciliationis, qua tantùm propter filium Dei gratis exhibentur remissio peccatorũ & imputatio iusticiæ.

Aliæ sunt legales, quæ ualent in reconciliatis. Vult enim Deus pro bonis operibus reconciliatorum etiam sua quædam præmia dare, ut uidua Sareptana alitur, quia fuit liberalis erga Eliam. Tribuamus Deo ueritatem, & speremus ac petamus hæc præmia, & hac spe & nos ad benefaciendum excitemus.

Cap. 10. 11. 12.

In decimo capite, 11. 12. addit refutationem Pseudoapostolorum, qui spargebant Iudaicas opiniones, & gentibus imponere Ceremonias Iudaicas conabantur, ac somniabant, Imperium Messiæ tale fore, in quo politia Iudaica in totum mundum proferretur. Hi & aliorum Apostolorum exempla allegabant, qui adhuc in Iudæa & uicinia patrijs ritibus utebantur.

Raptus in tertium cœlum.

Opponit autem Paulus non solùm recitationem suorum laborum, sed etiam testimonia, diuina quibus à Deo ipsius doctrina confirmata est. Inter hæc testimonia recitat singularem patefactionem diuinitatis ipsi ostensam, ait se raptum esse in tertium cœlum, quod intelligo dictum esse Hebræorum more, qui cœlum nominant etiam hunc aërem sub Luna. Erit igitur imum cœlum aër: Secundum, orbes omnes, quibus uehuntur lumina, Planetæ & Stellæ: Tertium, arcana sedes Dei, in hac ostensa est diuinitas Paulo. Nec opus est curiosè quæri de hac singulari ostensione, qualis fuerit, sicut nec scire possumus, quo modo se Moysi Deus in rupe ostenderit. Etsi enim multæ piæ mentes interdum clariorem lucem in consolationibus habent, tamen ostensiones factæ Patribus, Prophetis & Apostolis, illustriores sunt, & nos scimus oportere nos

Ostensiones factæ patribus.

fide acquiescere in uerbo, sicut scriptum est: Beati qui credunt & non uident. Et quid hoc sit fide acquiescere, experientia docet, cùm magni dolores fide & spe leniuntur, ut dicit Paulus: Iustificati fide pacem habemus. Neq; hoc quærendum

σκόλοψ Pauli.

est, quales in Paulo fuerint dolores, qui hîc nominantur σκόλοψ in carne, tantùm stulta opinio abijciatur, quæ fingit fuisse incendia libidinum. Existimo autem fuisse singulares terrores, quales sæpè describuntur in Psalmis, ut cùm Dauid inquit:

inquit: Non est pax ossibus meis, Et uariæ sunt luctæ fidei de multis doctrinæ partibus, de Ecclesiæ periculis, & de priuata salute, in quibus animi ualdè cruciantur. Tales cruciatus significat, cùm nominat σκόλοπα, id est, sudem seu palum præacutum, quia uetus supplicium fuit hominem configere palo, quod nominabant ἀνασκολοπίζειν, quod nunc quoq; Turcis usitatum est, Non enim leues molestias significat.

Et recenset ibi Paulus dulcissimam cõsolationem, Ait sibi petenti responsum esse, sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate perficitur, Manent in alijs aliæ imbecillitates. Semper autem in conspectu sit hæc consolatio: Exuberat gratia supra delictum. Hanc consolationem hîc proponit, recitans hæc uerba: Sufficit tibi gratia mea. Deinde præsentia Dei & auxilium infirmis ostenditur. Fit conspectior Dei præsentia, cùm defendit Danielem inter Leones, quàm si inter barbaros homines eum tegeret, quos uideretur ipse suo consilio posse flectere. Sic toti populo redeunti ex Babylone fit conspectior præsentia Dei, cùm defenditur imbellis multitudo, quæ præsidia, nec mœnia habebat, quàm cùm ante exilium haberet mœnia & exercitus. Et finit Deus accidere nobis inextricabilia mala humanis consilijs, ut destituti alijs auxilijs confugiamus ad ipsum, & liberati, fateamur nos diuinitus seruatos esse, ut in Psal: dicitur: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item, Orphano tu eris adiutor. Item, Psalm: 59. Non egredieris Deus in uirtutibus nostris, da nobis auxilium de tribulatione. Et, uana salus hominis.

Auxilium Dei infirmis ostenditur.

In ultimo capite addit comminationem: Si uenero, inquit, ac uidero uos non esse emendatos, utar potentia Spiritus ad puniendos aliquos. Significat enim se aliquibus imprecaturum esse morbos, aliquibus mortem, sicut Petri uoce interfectus est Ananias, Act: 5. Et Act: 13. Elymas magus uisum amisit imprecatione Pauli. Sed mitigat Paulus hanc comminationem, quia ait, se prius uelle auditis testibus causas cognoscere.

Capite ult.

Addit etiam dictum memorabile, quod sæpè citatur contra Tyrannidem: Data est mihi potestas non ad destructionem, sed ad ædificationem, id est, uult nos Dominus uti potestate, non ut priuatis affectibus morem geramus, ut Tyranni abutuntur potestate, sed uult nos ea uti ad aliorum salutem: primùm singulos emendari cupit, & pœnam omittere, Deinde si pœna necessaria est castigandis aliquibus, prosit exemplum cæteris.

Potestate utendum ad aliorum salutem.

Hactenus argumentum Epistolæ secundæ ad Corinthios recitatum est. Facilius enim singulæ partes intelligi poterunt, si Lector primùm considerabit summas rerum & series, & animaduertet, quæ sint occasiones, cur alibi alias materias instituat. Nunc addemus breuem enarrationem ipsi orationi Pauli.

EPISTOLÆ SECVNDÆ AD CORINTHIOS CAPVT PRIMVM ET SECVNDVM.

IN primo & secundo Capite excusat se, quòd non redijt Corinthum statim, sicut spem ostenderat. Orditur autem à gratiarum actione, ut fit sæpissimè, quia Exordijs familiaria sunt uerba affectuum. Deinde narrat se in magno periculo in Asia fuisse, & petit se iuuari Ecclesiæ precibus, ut plures celebrent beneficium Dei, & Deo gratias agant. Hæc sunt initia primi capitis.

De in-

De inscriptione & salutatione nihil iam dicam, quia enarratio aliâs sæpè repetita est.

In Exordio agit Deo gratias, quòd in afflictionibus ipsi opitulatur. Et hoc ait fieri Ecclesiæ causa. Hîc copiosa doctrina continetur, quare Ecclesia subiecta sit cruci, & quòd certum sit, adesse ei Deum in afflictionibus, sicut apud Esaiam dicitur, Habitare Deum in afflictis, scilicet ijs, qui ad DEVM conuertuntur, & fide accipiunt remissionem peccatorum, & petunt & expectant auxilium, iuxta dictum: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Deus habitat in afflictis.

Hæc doctrina de Lege iudicante peccatum, & de consolatione in afflictionibus, quæ in Euangelio proponitur, alibi prolixè recitata, hîc mente repetenda est. Et præcipuè consideretur hæc collatio: Lex dicit: Deus est ignis consumens. Hîc ait: Gratias ago patri miserationum, & Deo omnis consolationis. Affirmat Deum uerè exaudire afflictos, qui conuersi petunt & expectant auxilium.

Hîc autem singularem causam finalem addit pertinentem ad doctores. Ideo Doctores magis exercentur afflictionibus, & liberantur glorioſius, ut Ecclesia intuens eorum exempla confirmetur in utraque re, in perferendis ærumnis, & in fide cernente præsentiam Dei, & petente & expectante mitigationem aut liberationem. Ideo sic ait: Consolans nos in omni afflictione, ut possimus ipsi consolari alios eadem consolatione, qua nos erigimur, id est, hac asseueratione, quòd Deus certò nobis adsit, & opem ferat, Item: Siue tribulamur, affligimur, ut exemplum patientiæ & liberatio Vobis prosit, & uos erigamini fide in similibus calamitatibus. Siue consolatione erigimur, fit hoc quoque uestra causa. Sic alibi inquit: Sis typus fidelium in fide, in Spiritu &c.

Cur doctores magis affligantur.

Non enim volumus vos ignorare.

POST gratiarum actionem, qua incoat Epistolam, addit narrationem de suo periculo, quod ait fuisse tantum, ut nulla humana ope seruari potuerit. Hîc de causa finali addit memorabilem sententiam. Ideo Ecclesia talibus ærumnis oneratur, ex quibus eluctari humanis consilijs non potest, ut in liberatione conspiciatur præsentia Dei, & fides in nobis confirmetur. Dauid fateri cogitur, se non humana ope in regnum restitutum esse. In talibus exemplis discendæ sunt hæ conciones: Vana salus hominis. Item: Perditio tua ex te Israël, tantùm in me auxilium tuum. Item, Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item, Psalm. 71. Liberauit pauperem, cui non erat adiutor. Item, Psalm. 124. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebitur. Ieremias in Threnis capite tertio. Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus, quia non deficiunt miserationes eius. Manè redit, & magna est misericordia tua: pars mea Dominus, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum.

Causa finalis ærumnarum.

Petit autem se iuuari precibus Ecclesię, & addit insignem admonitionem de gratiarum actione. Dato beneficio postulat Deus gratiarum actionem, ut in Psalm. dicit: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te, & glorificabis me. Ita hîc inquit, ut gratiæ agantur per multos pro nobis ex multis personis.

Gratiarum actio.

Idem ne significant hæc dicta? Per multos, & ex multis personis? Non exisli-

existimo idem significare. Primùm hoc perspicuum est cùm ait: Per multos. Vult enim multorum hominum uoce Deo gratias agi, & liberationes diuinas à multis celebrari. Sed cur ait, à multis personis? Hîc plures causas significat celebrandi beneficij. Vt si plures personæ in historia aliqua loquerentur. Alij celebrent liberationem Pauli propter hanc causam, quia utile est Ecclesiæ diu superstitem esse talem Doctorem. Alij celebrent, quia glorioſum exemplum est, & confirmat multos, ut firmius statuant, hunc Doctorem à Deo missum esse, ac firmius amplectantur doctrinam. Alij celebrent, quia mouentur hoc exemplo, ut ipsi quoq; ausint petere & expectare liberationes, sicut in Psalmo ob hanc causam exemplum proponitur, ut alij quoq; confugiant ad Deum: Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum.

Per multos, et ex multis personis, quid differant.

Gloriatio enim nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.

HIC instituit eam partem narrationis, in qua se excusat, quòd non redijt Corinthum, cùm quidem spem reditus eis fecisset. Ac postea aliquoties in hac Epistola, inquit: ministerij sui confirmationes esse multa miracula, quæ ostendebant ipsum non esse impostorem, sed ministrum Deo placentem, & rectè fungentem suo ministerio, non insidiantem alienis facultatibus non potentiam quærentem, non factiones constituentem ad mouendas seditiones.

Nunc orditur tantùm à puritate suæ conscientiæ: Etsi nondum redij, tamen nolo uos de me secùs suspicari, quasi eò non redierim, quia non possim tueri doctrinam meam contra Pseudoapostolos, aut pudeat me cursus mei apud uos, aut alibi aliquid captarim. Sed affirmo me optima conscientia, & apud uos, & alibi fungi ministerio, me non esse impostorem, sed uerè circumferre incoruptã uocem Euangelij, nec me seruire ulli priuatæ cupiditati. Complectitur enim asseuerationem & de doctrina, & de priuatis moribus. Ideo inquit: Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate & sinceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in Gratia Dei uersatus sim in mundo. Id est, affirmo optima conscientia, me nec corrumpere doctrinam, nec astutè inflectere ad cuiusque affectus, nec me priuatæ ulli cupiditati seruire. Sumamus exempla ex recentibus historijs.

Conscientia Pauli, qui non inflectit religionem ad cuiusq; affectus.

Gratum faciunt Regibus, qui quærunt fucos, quomodo doctrinam Ecclesiæ inflectant ad statum, qui ipsis placet, qui arte pingunt Missam, aut alios ritus.

Gratum faciunt multi, qui augent potentiam eorum, prætextu religionis, & armant populum contra eos, quos excutere conantur. Hæc artificia nec ignota nec usitata sunt.

Ita tunc erant, qui doctrinam ad suarum factionum sensus & uoluntates astutè attemperabant. Hæc se fecisse negat, & sapientiam carnalem nominat omnia talia consilia humana, uel corrumpendæ doctrinæ, uel quoquo modo inflectendæ, ut aut rationi humanæ magis concinna uideatur, aut magis accommodata sit constituendæ factiosorum potentiæ.

Sapientia carnalis.

Puritatem uerò doctrinæ nominat sinceritatem, sicut ad Titum ait: ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν.

Simplicitatem nominat, suæ uoluntatis rectitudinem, non seruientis ulli priuatæ cupiditati, aut ullorum factiosorum affectibus. Exempla plurima ex

Simplicitas.

omnium temporum hiſtoriis ſumi poſſent. Multi & olim & nunc palàm corruperunt doctrinam de iuſticia fidei, quia non uidetur concinna rationi.

Iuſticia fidei ſubinde obſcurata.

Vtcunque enim norunt humanæ mentes Legem, & iudicant iuſticiam eſſe obedientiam ſecundum Legem, & poſſunt aliquo modo præſtare diſciplinam. Hac fingunt ſe mereri remiſsionem peccatorum & uitam æternam, & ignorant Meſsiam, nec cernunt interiora peccata in cordibus, tenebras & dubitationes de Deo, & ἀταξίαν in corde. In hac caligine humanæ mentis homines proni ſunt ad fiduciam ſuæ iuſticiæ, & quærunt merita in ſeipſis, & uaria exercitia inſtituunt, tanquam cultus Dei. Ideo ſubinde in Eccleſia lux doctrinæ de iuſticia fidei ualdè obſcurata eſt, ſicut in ſcriptis Thomæ & ſimilium prorſus ſilentium eſt de iuſticia fidei, & confunditur diſcrimen Legis & Euangelij.

Tales imaginationes natas in ratione humana, Paulus nominat ſapientiam carnalem, ſic & alij articuli fidei corrupti ſunt, dum quæritur concinnitas cum ratione, aut ſeruitur affectibus hominum, ut tunc Ebion negabat Meſsiam eſſe filium Dei, & multi contendebant, non eſſe omittendas Ceremonias Moſaicas, ne pulcerrima politia Iſraëlitica diſſolueretur.

Ex his exemplis mediocriter intelligi poteſt, quid Paulus hîc uelit, cùm affirmat, ſe ſincerè docuiſſe, nec corrupiſſe doctrinam opinionibus aut affectibus humanis.

Quatenus liceat gloriari.

Quæſtio de gloriatione conſcientiæ aliâs ſæpe tractata eſt. Sed tamen breuiter hîc quoque monendi ſunt iuniores de his ſententijs, quæ diſcrepare uidentur. 1. Corinth: 1. Non glorietur omnis caro coram eo. Aliter uerò dicit uidetur, 2. Corinth. 1. Gloriatio noſtra eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Altera prohibet gloriationem in ulla re noſtra: Altera admittit gloriationem, ſi nullum ſit uulnus conſcientiæ.

De iuſtificatione nemo glorietur.

Sed nequaquam diſcrepant hæ ſententiæ, ſuo ordine collocatæ. Nemo glorietur, ſcilicet de iuſtificatione coram Deo, id eſt, nemo cogitet ſe iuſtum eſſe ullis uirtutibus ſuis coram Deo, Sicut & alibi inquit, Paulus prorſus eadem ſententia: Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum. Poſtquam autem fide per miſericordiam recepti ſumus, placet iam Deo quoque iuſticia bonæ conſcientiæ, & neceſſe eſt eam tueri, & calumnijs opponenda eſt, quia nequaquam confirmanda ſunt calumniatorum mendacia. Ait enim uox diuina: Non dices falſum teſtimonium.

Diſputatio Iob.

Hinc & diſputatio in libro Iob intelligi poteſt. Fatetur ſe non eſſe iuſtum coram Deo, & inquit capite nono: Verè ſcio, quòd non iuſtificetur homo coram Deo. Item, Deus eſt, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt. Sed affirmat ſe nullum habere uulnus conſcientiæ, ſicut eum accuſabant ſui amici. Non docui falſa, mea gubernatio non fuit Tyrannica, non ſum pollutus adulterijs. Ideo inquit, capite 27. Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram. Neque enim reprehendit me cor meum in omni uita mea.

Quotquot enim promiſsiones Dei, in ipſo ſunt Etiam & Amen.

NOndum recitauit cauſam, cur non redierit Corinthum, ſed tantùm ait, non eſſe leuitati tribuendum, quòd iter diſtulit. Addit autem ſignum, quod oſtendit, ſe non eſſe uanum & leuem, quia inquit, cognouiſtis me in miniſterio meo fuiſſe ueracem, & doctrinam in uobis efficacem fuiſſe, Vos dona Spiritus ſancti accepiſſe, & multis miraculis Deum teſtificatum eſſe, me nequaquam eſſe

esse impostorem. In hanc sententiam inquit: Fidelis est Deus, quòd sermo noster apud uos non fuit etiam & non, sed uerax & efficax in Deo.

Deinde addit generalem sententiam, promissiones diuinas ratas & firmas esse.

Postquam uerò tradidit generalem sententiam de promissionibus diuinis, addit exemplum de sese & de Ecclesia Corinthia: Cùm promissiones sint ratæ, & in Euangelio certum sit promissa esse hæc bona, reconciliationem & Spiritum sanctum, & hæreditatem uitæ æternæ, non existimandum est, nostras conciones tantùm esse inania θελκτήρια, sicut pueris narrantur fabellæ de fortunatis Insulis aut de campo Elysio, sed certissimum est, nos bona promissa in Euangelio accipere, & iam sentitis in corde initia nouæ lucis, & Spiritũ sanctum, qui est pignus & arrabo, qui ostendit certè Deum nobiscum esse, & nobis daturum esse uitam æternam. Hac serie membrorum considerata, oratio magis perspicua erit, & magnitudo rerum de quibus loquitur, magis conspicitur. *Conciones Euangelij efficaces.*

Sciant iuniores uocabulum arrabo factum esse ex Ebræo ערב quod significat spopondit, seu fideiussit. Inde arrabo dicitur propriè in emtionibus aliquid datum ad hoc, ut sit testimonium confirmatæ emtionis. Ita effusio Spiritus sancti in corda credentium, quam sentiunt in uera consolatione, & testimonium reconciliationis & præsentiæ Dei, & uenturæ hæreditatis uitæ æternæ. Sicut Roma: 8. dicitur: Ipse Spiritus testificatur cum Spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Si autem filij, etiam hæredes sumus. Sic & apud Zachariam dicitur: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Nominat Spiritum sanctum procedentem à patre & filio, erigentem nos in ueris pauoribus, & uera consolatione uiuificantem corda, quam consolationem sentientes audemus accedere ad Deum & eum inuocare. Ideo postea nominatur Spiritus precum. *Arrabo unde.*

ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι.

HIC tandem iuramento addito recitat causam, cur non redierit Corinthum, Quia si uenisset, aliquos durius castigasset. Cùm autem intellexisset, eos magno in dolore esse propter obiurgationem, quam in priore Epistola scripsit, noluit eis augere mœstitiam durioribus exemplis, si reuersus aliquos fulmine Spiritus sui interfecisset, ut Petrus Ananiam interfecit. Hîc apparet, quantum incendium fuerit in Apostolica indignatione & zelo. Significat igitur, ideo se non redijsse Corinthum, ne ea indignatio coràm magis inflammaretur, sicut alioqui prudentes cùm sentiunt se irasci, uitant congressus eorum, quibus irascuntur. *Indignatio Pauli.*

Obseruandum est autem hoc loco exemplum iuramenti, quòd ostendit, concessum esse Christianis iurare, ut alibi copiosius dicitur. *Christianis concessum iurare.*

Inde autem existimari potest, fuisse magnas causas huius indignationis. Haud dubiè aliqui fanatici & superbi Pseudoapostoli cum sua factione ualdè turbauerant Ecclesiam Corinthi. Sed tamen Paulus iram reprimit. Quare mox recitata causa, cur non uenerit, intexit occupationem, ut occurrat tacitæ obiectioni. Poterant enim aliqui minus uerecundi dicere: Quid minitaris nobis? Quale imperium tibi sumis? non ideo amplexi sumus Euangelium, ut tu in nos Tyrannidem exerceas, si tam periculosa seruitus ferenda est, potius ad Ethnicos redeamus. Huic obiectioni occurrit hoc modo: Non mihi sumo in uos imperium. Non quæro potentiam aut opes, sed minister sum sa- *Obiectio.*

lutis ueſtræ, idq; dicit blandius, gaudij ueſtri, ſequor regulam mihi à Deo traditam, qui hoc noſtro miniſterio uocat uos ad ſalutem, in quo tantùm ea ago, iuxta regulam à Deo traditam, quæ uobis ſalutaria ſunt. Et hæc donec fide ſtatis, uobis grata erunt.

Diſcrimen poteſtatis politicæ & Eccleſiaſticæ.

Iam hîc diſcrimen politicæ poteſtatis, & miniſterij Euangelici conſideretur, ut aliâs ſæpè dicitur. Poteſtas politica ui corporali coercet, & punit inuitos, ut Romani recepta Capua Senatores Capuanos ad palum deligatos ſecuri percuſſerunt inuitos, Sed poteſtas Eccleſiaſtica nihil agit ui corporali, non habet arma & exercitum. Hæc alibi copioſius enarrantur.

CAPVT II.

Decreui apud meipſum.

INitium ſecundi capitis pertinet ad finem proximi. Narrat enim pluribus uerbis, cur non redierit, uidelicet ne eius mœſtitiam ſeueritas aliqua augeret. Et mitigat obiurgationem in priore Epiſtola ſcriptam, ſubinde repetens commemorationem ſuæ erga nos ipſos beneuolentiæ, & uiciſſim Corinthiorum erga ipſum obſeruantiam. Ait ſe lacrimantem ſcribere.

Lapſi redeuntes recipiendi.

Poſtea addit expreſſam abſolutionem hominis antea damnati propter inceſtam conſuetudinem cum nouerca, qui ad pœnitentiam redierat. Ac primùm hîc ſciendum eſt, hoc exemplum inter illuſtria teſtimonia recitari, quæ confirmant lapſos poſt Baptiſmum redire ad pœnitentiam poſſe, & redeuntes recipiendos eſſe.

Coniungit autem ſuam ſententiam cum illius Eccleſiæ uoce: Cui ignoſcitis & ego ignoſco. Ita uoluit ordinem iudiciorum ſeruari, non armari ullos, ut ſine cognitione pronunciarent, ſicut ſæpè fit à Romanis pontificibus. Sic intelligantur & ſequentia uerba: Ego cùm ignoſco alijs, ignoſco ueſtra cauſa, id eſt, non ſum uſus pœna duriore, quàm mediocri caſtigatione, quæ non interficeret ſontem, ne uobis maiorem dolorem afferrem, & ueſtros animos ab Euangelio alienarem. Et nunc abſoluo eum prorſus, & conſolatione uera erigi uolo, ne diabolicę inſidiæ in hoc dolore eum impellant in deſperationem & in exitium. Noui inquit cogitationes hoſtium, ſcio Diabolos inſidiari Eccleſiæ, & intentos eſſe in occaſionem, ut oppreſſos mœſtitia, urgeant. Nec addo hîc longiorem enarrationem, Satis eſt enim commonefacere Lectorem, ut exemplum obſeruet de modo condemnandi lapſos, & de recipiendis conuerſis longior doctrina de conuerſione alibi recitatur.

Diaboli urgent mœſtos.

ἀλλὰ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, ἐξῆλθον εἰς μακεδονίαν.

Verbum ἀποταξάμενος.

NArrat itinera ſua, ac adparet in his narrationibus ſæpè peruagatum eſſe minorem Aſiam, & aliquoties inde in Europam nauigaſſe. Verbum ἀποταξάμενος ſignificat, indicans diſceſſum alijs, Sicut Lucæ 9. Vſurpatur & in Actis capite 18. Eſt autem in uerbo hæc Emphaſis, ordinare apud alios, quæ ad diſceſſum pertinent. Eſt igitur & forenſe uerbum ἀποτάξασθαι τῇ κληρονομίᾳ, cedere hæreditate, iudicare, profiteri ſe nolle hæreditatem audire. Et Cyrillus dixit, εἰς νοῦν μὴ λαβόντες τὴν σύνταξιν χριστῷ, καὶ τὴν ἀπόταξιν τῷ διαβόλῳ: Non cogitantes ſe fœdere coniunctos eſſe cum Chriſto, & renunciaſſe Diabolo.

τῷ θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ χριστῷ.

AGit gratias Apoſtolos DEO, quòd quanquam magis ærumnis & certaminibus paſſim exerceatur, tamen ſeruetur, & habeat docendi locum, & colligat

colligat aliquem cœtum, sicut nunc mirum est, adeo aduersantibus pontificibus & Regibus, tamẽ Deum alicubi, & ministerium Euangelij & Ecclesias seruare. Pro eo beneficio nos quoq; Deo gratias agamus, & cogitemus esse uictorias & triumphos filij Dei, reprimentis diabolos & eorum organa.

Verbum θριαμβεύειν aiunt factum esse à θρίον, id est, folium fici, quia dicunt olim uictores coronatos esse foliis ficorum, quia uictoria est dulcis. Ἄμβος est margo uel extremitas, ut corona imposita capiti aut cæteris ornamentis. Est autem dissimilis significatio in constructione. Hîc inquit: Ago gratias Deo uincenti & triumphanti in nobis per Christum. Hîc persona coniuncta triumphanti significatur. In Colossensibus accusatiuus significat personam hostilem, ducit in triumpho Diabolos. *Verbum θριαμβεύω.*

Bonus odor sumus Deo.

SVmta est Metaphora à consuetudine offerentium accensa thura, quæ fumos fragrantes exhalant. Ac ut illi halitus dissipantur, sic nostræ conciones in genere humano sparguntur, & salutares sunt ijs, qui eas fide accipiunt, alijs uerò, qui aspernantur, annunciant iram Dei. Disertè autẽ inquit: Sumus bonus odor Christi, id est, conciones nostræ sunt halitus sparsi à Christo, & de ipso, qui sunt grati Deo. Ac ut accommodatio sit illustrior, pinge in mente imaginem Christi tanquam summi Sacerdotis coram æterno patre offerentis accensa thura latè fragrantia & exhalantia fumos. Hos halitus interpretatur esse uocem Euangelij, quæ à Christo summo sacerdote per ipsos spargitur, & est efficax, quia ab ipso Christo editur, non est hominum inuentũ, ut de efficacia ministerij statim prolixè dicetur in capite proximo, ubi ait, Euangeliũ esse ministerium Spiritus & uitæ. Vult enim ostendere discrimen Legis & Euangelij, & refutat Pseudoapostolos, qui multa futiliter de lege dicebant, conabantur politiam Moysi conseruare, & fingebant homines Lege iustos esse, non intelligebant, in Euangelio non constitui politiam huius uitæ mortalis, sed offerri filium Dei, qui remittit & abolet peccatum & mortem, & restituit æternam iusticiam & uitam, ut postea copiosius dicetur. *Concio Euangelij halitus sparsus à Christo.*

Et ad hæc quis sufficiens est?

INserit breuem commemorationem de sua fidelitate, postea de efficacia loquetur. Ac duæ sunt sententiæ, quas tenere ambas necesse est. Prior hæc est: Certum est, ministerium Euangelij efficax esse non potentia ulla humana, sed diuina, ut postea dicetur.

Hîc dicat aliquis: Nihil igitur refert, à quibus aut quomodo doceantur, si humana potentia nihil agit? Huic obiectioni respondet altera sententia, quæ hîc recitatur: Etiamsi efficacia est diuina, tamen nos oportet fideles esse in docendo, id est, uocem Euangelij incorruptam tradere, sicut in priore Epistola dicit: Hoc requiritur, ut fideles simus. Ita hîc inquit: Affirmo me fidelem esse, docere sine corruptelis traditam à Deo doctrinam, & ipso teste & spectante meum cursum & iuuante Christo. Non misceo ueritati praua dogmata, sicut Caupones uina corrumpunt. Non inflecto ueritatem ad affectus Iudæorum, qui somniant regnum politicum, non ad iudicia rationis, quæ putat Lege tolli peccatum, & nec Legem nec iusticiam Euangelij rectè intelligit. Ab hac commemoratione de sua fidelitate redit ad alteram sententiam de efficacia, & de discrimine Legis & Euangelij. *Obiectio.* *Efficacia diuina coniuncta cum nostra fidelitate.*

CAPVT III.

DE toto suo ministerio, de fidelitate, & de efficacia prouocat initiò ad testimonium ipsorum: Vos scitis meum ministerium fuisse efficax inter uos, quia & miracula uidistis, & uos ipsi ornati estis donis Spiritus sancti, dono curationis, & dono linguarum, sensistis & in cordibus uestris conuersionem & consolationem. Ergo non sum impostor, nec doctrina inanis fabula est.

Ministerium Euangelij efficax est.

In hac præfatione facit mentionem causæ efficientis, ubi manifesta assueratio est, quæ affirmat, ministerium Euangelij esse efficax, non humanis uiribus, sed Deo ipso conuertente & uiuificante corda. Hoc testimonium opponendum est multis erroribus. Alij somniant Euangelium esse ociosam narrationem, & nihil efficere usquam, & cogitant inanem esse laborem docendi & discendi Euangelij, & nullam esse Ecclesiam. Huic pernicioso errori opponenda sunt multa dicta hoc loco & alibi. Sunt autem præcipua: Iohannis 20. Sicut

Testimonia de efficacia Euangelij.

misit me pater, sic ego mitto uos. Manifestum est autem, filij ministerium fuisse efficax. Est igitur & deinceps efficax per alios, ab ipso aut mandato ipsius uocatos. Iohannis 15. Ego elegi uos & posui uos, ut uos eatis & fructum feratis, & fructus uester maneat. Lucæ 10. Qui uos audit, me audit. Roma: 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Esaiæ 55. Verbum meum quod egredietur de ore meo, non redibit ad me uacuum, sed efficiet omnia, quæ uolo. Esaiæ 51. Posui uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protegam te, ut plantes cœlos. Iohannis 17. Non pro his tantùm oro, sed etiam pro ijs, qui credituri sunt per Verbum eorum in me.

Hæc & similia testimonia sint nobis in conspectu, ut certò statuamus, uerè colligi Ecclesiam Deo, quandocunq; & ubicunque sonat uox Euangelij incorrupta, & id ministerium uerè esse efficax. Hanc confirmationem nobis omnibus necessariam esse perspicuum est, quæ illustrat articulum Symboli: Credo esse Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Est autem illustre testimonium hoc loco positum, de quo postea dicam. Cùm promulgatio Legis non fuerit inanis, sed habuerit suos effectus, constitutionem politiæ Mosaicæ, & multa testimonia præsentiæ Dei: Quantò magis uox Euangelij erit efficax, & uerè adferet æterna bona, quæ promittit, cùm propter hoc ministerium priora omnia facta sint. Quid enim prodesset politia mortuis patribus Abrahæ, Isaac, Iacob, qui eam nunquam uiderunt? Alia igitur maiora bona expectarunt. Sed de his uerbis in textu postea dicemus.

Legis & Euangelij uox efficax.

Alij somniant: Etiamsi non est inanis fabula Euangelium, tamen est tantùm lex, & hac disciplina homines sunt iusti, quam præstant uiribus humanis, naturæ utcunq; imitantibus legem.

Euangelium non est doctrina legis.

Huic falsæ imaginationi, de qua cum Pseudoapostolis semper dimicat, opponit sequentem antithesin: Deus fecit nos ministros non literæ, sed Spiritus, Litera enim occîdit, sed Spiritus uiuificat.

Origenis error de Euangelio.

Hîc primùm adpellationes discernantur. Origenes & multi alij, sicut Pseudoapostoli, cogitarunt Euangelium Legem moralem, & eò commodiorem, quàm fuit Mosaica, quia est expeditior, nec onerat gentes Ceremonijs. Et literam intelligit Origenes Ceremonias, Spiritum interpretationem allegoricam. Hæc Origenica deliramenta falsa & explodenda sunt. Et sciendum est, literam dici omnem doctrinam Legis & Euangelij, intellectum literæ historicum

cum seu iuxta sermonis proprietatem & allegorias, denique omnes cogitationes, bonas intentiones, conatus, & assuefactiones humanarum uirium, sine Spiritu sancto accendente uerum timorem Dei, & ueram fiduciam & inuocationem filij Dei, qua corda liberantur ex ueris doloribus. Hæc omnia nominat literam, id est, pictas imitationes in mente & externis membris, quæ non sunt uita & motus diuini. Sic loquitur de litera Roma. 2. Circumcisio cordis Spiritu non Litera, & Roma: 7. Seruiamus in nouitate Spiritus, non in uetustate literæ.

Spiritus significat uerissimè hoc loco Spiritum sanctum, procedentem ab æterno patre & filio Domino nostro Iesu Christo. Cùm enim uoce Euangelij accepta, per filium, qui est Verbum æterni patris, reconciliamur æterno patri, simul ab æterno patre & filio effunditur in corda nostra Spiritus sanctus, & uerè habitat in nobis diuinitas, liberat nos ex doloribus inferorum, & uiuificat nos, incoat nouam lucem & sapientiam, & motus cum Deo congruentes, ut manifesta testimonia adfirmant. *Spiritus quid.* *Diuinitas habitat in nobis.*

Galatas quarto. Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater.

Et in Actis capite secundo. Dextra Dei exaltatus, promissionem sancti Spiritus accipiens à patre effudit eum, quem nunc uos uidetis & auditis.

Et Iohannis 14. Dabit uobis alium Paracletum, ut maneat uobiscum in sempiternum, Spiritum ueritatis.

Et Zachariæ 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Etsi breuis descriptio est, tamen ostendit, quare detur Spiritus sanctus, & quid intersit inter iusticiam noui Testamenti & Legem, qua uel condemnati ruimus in mortem, uel utcunque præstamus disciplinam. Ideo enim per Euangelium datur Spiritus sanctus, ut primùm corda sentiant se esse in gratia, & agnoscant Filium Dei, per quem & propter quem datur remissio peccatorum, sicut ipse inquit Iohan. 16. Ipse me glorificabit. Spiritu sancto accendente corda, beneficia Mediatoris agnoscuntur, & uera fiducia misericordiæ propter Mediatorem promissæ uiuificamur. Ac simul præsentia Dei sentitur, & fit uera Inuocatio. Et quia ipse Spiritus sanctus est motor diuinus, & Lex Dei non fit aliter, nec in angelis nec in hominibus, nisi ipso Deo in eis lucente & eos mouente, iam sunt in Sanctis initia æternæ uitę & iusticię æternę, sicut & mox dicitur in hoc capite tertio: Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandē imaginē transformamur à gloria in gloriā Domini Spiritu, id est, nos uerè sentientes iudicium & iram Dei aduersus peccata, & rursus sentientes audita promissione & agnito Mediatore consolationem, cernimus gloriam Domini, iudicium & uitam, & transformamur in eandem imaginem, id est, huius lucis & uitæ participes efficimur, & hæc gloria, id est, lux iusticia & uita crescunt in conuersis, lucente in eis Spiritu Domini nostri Iesu Christi, per quem datur Spiritus sanctus. *Spiritus sanctus cur detur.* *Sancti æternæ uitæ & iusticiæ habent initia.*

Deniq; collatio literæ & Spiritus ita fit illustris, cùm cogitatur utcunq;, qualis sit post resurrectionem futura æterna iusticia & uita, cùm Deus erit omnia in omnibus. Hîc integra iusticia erit Deo ipso in nobis palàm habitante & lucente. Ad illam æternam uitam & lucem confer iusticiam Pharisæi

alicuius, qui aut ſecurus eſt, donec non ſentit iudicium Dei, aut ruit in deſperationem & dolores inferorum, cùm ſentit iram Dei, ut Saul. In tali uiro cor eſt ſine Deo & ſine uita, & ſunt horrendi fremitus aduerſus Deum, iuxta illud dictum: Cor hominis peruerſum & ærumnoſum.

Idem Velum in lectione Veteris Teſtamenti manet.

ENarratis uocabulis literæ & Spiritus, accommodat Paulus typum de facie Moyſi uelata. Hæc interpretatio Prophetica & Apoſtolica, Phariſæis & Pſeudoapoſtolis ignota fuit, qui nec Legem nec Promiſſiones intellexerunt. Primùm autem hiſtoriam oportet notam eſſe, quæ recitatur Exodi 34. ubi dicitur, Moſi faciem ſparſiſſe fulgorem, ut aſpici à populo non poſſet, ac propterea cùm loqueretur ad populum, texiſſe eum faciem uelamine, quod tamen ingrediens ad Dominum & loquens cum eo amouit. Huius hiſtoriæ ſignificationem, quæ nuſquam alibi traditur, Apoſtolus hîc exponit. Manifeſtum eſt totam naturam humanam uiribus naturalibus ſine regeneratione, etiam cùm diſcit & imitatur Legem, tamen tantùm qualeſcunq; externos geſtus Legis facere, ut Saul retinet utcunq; profeſſionem de unico Deo, in hoc populo patefacto, ſed cor eſt plenum dubitationibus, non ſtatuit ſe recipi & exaudiri à Deo, ſentit ſe mori, & in morte non ſentit conſolationem & uitam. Deinde ſunt alij acerrimi motus pugnantes cùm Deo. Denicq; omnes homines non profani ſua experientia norunt, humanas uires tantùm utcunque regere poſſe locomotiuam, ſeu externos geſtus. Cùm autem Deus oſtendit iram ſuam contra peccatum, quæ deſcribitur in Lege, fugiunt corda, & magnitudine iræ opprimuntur, & fremunt aduerſus Deum & ruunt in mortem. Itaq; utrunq; ſignificatur. Populus intuetur faciem uelatam, id eſt, Legis externa opera utcunq; audit & imitatur, & hæc imitatio eſt iuſticia politica, & Phariſaica, ſed fulgorem Moyſi ferre natura hominum non poteſt, id eſt, iudicium & iram Dei aduerſus peccata, quæ deſcribitur Lege Dei, nequaquam poteſt natura hominum tolerare. Sicut hîc dicitur: Lex eſt miniſterium mortis. Et experientia teſtatur, homines ſine conſolatione Euangelica ruere in æternam deſperationem & mortem.

Hiſtoria Exod. 34. de Moſi facie.

Typus de Moſi facie uelata.

Hæc doctrina ſæpè apud Paulum repetita eſt, ut Rom: 4. Lex iram efficit. Item, Rom. 7. Peccatum per Legem occîdit me. Item, 1. Corint. 15. Aculeus mortis peccatum eſt, potentia uerò peccati Lex. Hæc toties repetit Paulus, ut oſtendat homines non fieri iuſtos lege.

Quòd uerò dicitur in Exodo, Moyſen amouiſſe uelamen ingredientem ad Deum, & loquentem cum eo, & completum eſſe luce diuina: Significatum eſt, aliam eſſe iuſticiam, qua Deo ſumus accepti, & qua Deum ſuſtinere poſſumus, ſcilicet quando filius loquens in nobis, communicat nobis lucem ſuam, ita uelum legi detrahitur, & tollitur hypocriſis, & ſunt in nobis iuſticia & uita, quam Lex deſcribit, ſed non exhibet, uerùm filius Dei exhibet. Ideo hîc inquit Paulus: Velum aboleri per Chriſtum, Hæc ſententia de uera conuerſione intelligenda eſt. In ueris doloribus agnoſcimus non reddi pacem conſcientijs & uitam per bona opera. Agnoſcimus & procul nos à perfectione Legis abeſſe, Sed ita reddi conſcientijs ueram conſolationem, quæ eſt initium uitæ æternæ, cùm Filium Dei agnoſcimus, & promiſſione ipſius ſuſtentamur, ut Dauid reuiuiſcit, audiens & fide amplectens hanc uocem: Dominus abſtulit peccatum tuum. Tunc enim agnita miſericordia Dei, uiuificatur per filium Dei, & ad Deum accedit, inuocat eum, & habet initia ueræ obedien-

Moiſi uelamen amotum.

Velum quomodo abolea-tur per Chriſtum.

obedientiæ iuxta hæc dicta: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Et pertinent huc dicta omnia, quæ loquuntur de uera conuersione, & de uita ac iusticia æterna in conuersis, ut Ieremiæ 31. Dabo Legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.

Declarat igitur Paulus hoc dictum, quomodo uelum aboleatur per Christum, quia mox concionatur de conuersione, inquiens: Cùm conuersus fuerit Israël ad Dominum, aufertur uelamen. Hanc doctrinam utcunq; in uera conuersione & consolatione discimus. Nec satis est hîc de allegorijs Ceremoniarum dicere. Loquitur enim hæc collatio de Lege morali, seu de iudicio & ira aduersus peccatum, & de consolatione.

Dictum est de Litera, de Spiritu, de discrimine externæ disciplinæ, quæ uelatam Moysi faciem intuetur, & de sensu iudicij ac iræ Dei, & de consolatione. His interpretationibus consideratis, iam continua series huius capitis erit planior. Ac ualdè prodest hanc consolationem, quæ hîc recitatur, in conspectu tenere, & sæpè cogitare.

Cùm ministerium mortis fuerit gloriosum, multò magis ministerium spiritus erit gloriosum.

VAldè excruciantur omnium hominum animi tristi specie Ecclesiæ. Nequaquam tali gloria constituunt Apostoli Ecclesiam, ut Moyses politiam. Vagantur, ut errones, & cùm tantæ sint dissipationes, uidentur conatus Apostolorum inanes esse. Concutiuntur etiam dubitatione singulorum animi, an uox Euangelij in ipsis sit efficax, an sit uera, an sit aliqua Ecclesia, an exaudiat nos Deus, cùm tantùm pauci homines, ac uelut seditiosi amplectantur Euangelium, & hi sint oppressi Tyrannide & multis ærumnis, nec sit consociata multitudo certo imperio.

Aduersus hanc grauissimam tentationem opponit dulcissimam consolationem: Deus fuit efficax in constituenda umbra: Ergo multò magis erit efficax nunc exhibito ipso Messia.

Diligenter autem considerandæ sunt appellationes. Promulgationem legis nominat ministerium mortis & condemnationis, sicut aliâs sæpè dictum est, Lege tantùm accusari, non tolli peccatum in hac misera natura. Euangelium uerò nominat ministerium Spiritus & iusticiæ, quia certum est uoce Euangelij filium Dei in his, qui credunt, efficacem esse, qui cùm in ueris terroribus agnoscunt se fide accipere remissionem peccatorum, uiuificat eos Spiritus sanctus, & efficit in cordibus lætitiam in Deo, & motus congruentes uoluntati Dei, sicut in Zacharia dictum est: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum, id est, Spiritum sanctum, quo corda agnoscant se esse in gratia, & qui accendat ueram inuocationem & cæteras uirtutes. Ideo postea nominat Paulus hoc loco Euangelium ministerium iusticię, ubi rursus anthitesis consideranda est. Lex armat peccatum, ut alibi dictum est: Aculeus mortis peccatum est, potentia autem peccati lex est. Sed Euangelium est ministerium iusticiæ, quia & ostendit quomodo detur remissio peccatorum, & quomodo simus iusti, & hæredes uitæ æternę, & per hanc ipsam uocẽ filius Dei est efficax, & mouet corda Spiritu suo sancto, ut fide accipiant beneficia oblata. Nominat autem iusticiam hæc omnia: Remissionẽ peccatorũ & reconciliationẽ, quæ fit fide propter filiũ Dei, & ipsũ filium Dei imputantẽ nobis suam iusticiã, & uiuificantem nos Spiritu suo sancto, & nouos motus congruentes Deo accendentem, sicut suprà dicitur: 1. Cor. 1.

Promulgatio legis.

Euangelium ministerium Spiritus.

Antitheſis legis & Euangelij.

Iuſticia.

Ex

Ex ipso uos estis per Christum Iesum, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia & sanctitas & redemtio.

Tandem & collationem addit Paulus: Imò tanta est excellentia gloriæ Euangelij, ut promulgatio Legis, quæ multa exempla terribilia continet, ut pœnas Pharaonis, & alias multorum, non sit dicenda glorioſa, ſi ad bona æterna conferatur, quæ affert Euangelium, & quæ post resurrectionem palàm conspicientur. Hanc esse sententiam sequentia indicant. Cùm Lex, quæ tamen interitura erat, tanta gloria ornata sit, quantò magis Euangelium erit glorioſum & efficax, quod non affert umbras, sed res æternas? Hæc tota oratio consolatio est, ut sciamus Euangelium certò efficax esse, & uerè sic Deo colligi æternam Ecclesiam, etiamsi humanis iudicijs uidetur mirum, hoc modo uoce miserorum hominum res tantas effici, præsertim cùm non constituatur certa politia, & tota Ecclesia sit dissipata multitudo. Aduersus hæc scandala instituta est consolatio. Ideo mox inquit: Habentes igitur talem spem, magna libertate utimur.

Huc usq; pertexuit Philippus commentarium in alteram Epistolam ad Corinthios.

EPITAPHIVM REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS ETC.

HIC iacet Europæ decus & pia fama Melanthon,
Corpore qui paruus, maximus arte fuit.
Cuius ob egregias uirtutes, claraq; scripta,
Et Pietas, & pax hac regione stetit.
Bretta uiri patria est, clarum uirtute parentem
Ampla Palatini fouerat aulà Ducis.
Sed puer in ludum missus Phorcenidos urbis,
Indolis egregiæ prouida signa dedit.
Mox patris in patriam tendens, ut disceret artes
Ingenuas, Nicri culta Lycea petit.
Et duo transegit cùm lustra & quatuor annos,
Nactus ibi primum cepit in arte gradum.
Hinc iuuenem fecit titulo gaudere Magistri,
Aonij nutrix clara Tubinga chori.
Tunc noua fundabat conductis atria Musis
Albidos ad flauas Dux Fridericus aquas:
Insignemq; uirum Capnionem ad cœpta uocabat,
Augustæ Imperij conueniente statu.
Capnio laude uehens cognati dona Philippi,
Hunc iubet Albiacæ munus obire scholæ.
Hîc tunc Argolico docuit sermone iuuentam,
Barbaries illo pulsa docente fuit.
Et Sophiæ tristes fontes, uelut alter Elisa
Farre dato, gratos usibus esse dedit.
Nota uiri uirtus, nota est doctrina per orbem,
Proq; pia exhaustus relligione labor.
Hic fidei summam ueræ, mandante Luthero,
Obtulit Augusta Cæsar in urbe tibi.

Mem-

Membraq́ Doctrinæ, corpus digeſsit in vnum,
Sparſa prius neruis quæ iacuêre ſuis.
Ac hoſtes Fidei ſcriptis & voce refutans,
Multa foris ſubijt, multa pericla domi.
Et quàm Romani latè patet orbita regni,
Impleuit meritis templa ſcholasq́ ſuis.
Donec ab ardenti conſumtus viſcera febre,
In Chriſto placida morte ſolutus obit.
Et nunc ille quidem defunctus mole laborum,
Conſpectu fruitur, colloquioq́ Dei:
Sacrificis vbi iunctus auis aſtante Luthero,
Doctoris Chriſti pendet ab ore ſacro.
Fors & vota facit, quò ſacra Eccleſia Chriſti
Vnanimi doceat cœlica iuſſa fide.
Mox tamen hæc ſurgent cœleſti rore rigata,
Quæ nunc oſſa ſolo marcida febre iacent:
Cùm velut herba virens florebunt oſſa piorum,
Et Fidei capient præmia digna ſuæ.
At te poſteritas colet ob tua dona Melanthon,
O Vir ingenio non habiture parem.

ALIVD.

MAximus hîc meritis, ſed paruus membra Philippus,
Pone iacet tumulum magne Luthere tuum.
Cui pia relligio ſe totam debet, & Artes,
Et pax, & regni publica commoditas.
Teſtis erit vitæ, ſtudijq́, actiq́ laboris,
Quicquid Romano viuit in Imperio.
Cumq́ odia à multis fuerit perpeſſus alumnis,
Nunc cœlo precium dulce laboris habet.
Oſſa tenet tumulus, ſed viuit fama: iacere
Tot dotes vno non potuêre loco.

IN MORTEM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS.

SPargite humum lacrimis, iacet hîc flos febre peruſtus,
Quem nigra terra dedit, mons tegit albus humo.
Felix illa apis eſt, quæ non ingrata laboris,
Hinc pia ab innocuis mella bibit foljs.
Sed quàm deſit odor foljs, quàm gratia Flori,
Silua prius foljs, flore carebit humus.

Iohannes Maior D.

ENARRATIO EPISTOLÆ PAVLI AD COLLOSSENSES PRAELECTA ANNO M. D. LVI.

A

PHILIPPO MELANTHONE.

NOBILITATE GENERIS, SAPIENTIA, ET VIRTVTE PRÆSTANTI, VIRO CLARISSIMO DOMINO HERLVFO TROLL, DOMINO IN HILDRVSHOLM, CAPITANEO IN ROSCHILD IN SELANDIA ETC.

MANIFESTA DE DEO TESTIMONIA IMPRESSA SVNT vniuersæ naturæ mundi, suntq; maximè illustria noticiæ immutabiles discernentes honesta & turpia in mentibus hominum, & vindices in corde ingentes dolores, qui delicta comitantur. Hæc testimonia sæpè aspicere & considerare plurimum ad confirmandam adsensionem de Deo & de prouidentia, & ad modestiam conducit. Estq; bonæ mentis Deo hanc gratitudinem præstare, vt eius vestigia quæramus, & celebremus conditorem.

Suus autem locus est huic sapientiæ, & suo ordine dulcis eius vsus est. Sed cùm Deus immensa bonitate quasi prodiens ex arcana sede sua, certis & illustribus testimonijs se patefecerit, & Legem & Promissionem gratiæ sæpè repetiuerit, & filium dominum nostrum Iesum Christum miserit, & certissima testimonia doctrinæ addiderit, grati eas patefactiones intueamur & doctrinam discamus, qua æterna Ecclesia colligitur, & seruamus omnibus in toto genere humano seueriſsimè præcipi, vt Filium Dei audiant, Sicut æternus Pater inquit: Hunc audite, & in Psalmo dicitur, Osculamini filium. Statuamus hac doctrina & non aliter colligi Deo æternam Ecclesiam, nec esse ciues Ecclesiæ Dei, nec hæredes dulciſsimæ & æternæ consuetudinis cùm Deo, hostes huius doctrinæ, sicut inquit Filius Dei, Oues meæ vocem meam audiunt.

Intueamur autem & vtriusque exercitus speciem. Exiguus cœtus est vera Ecclesia quem oppugnat ingens multitudo ex diuersis gentibus, & dissimili genere armorum instructa concurrens, multi palàm athei, multi defensores idolorum, multi fanatici serentes falsa dogmata. Vt olim exiguas Apostolorum cateruas delere conabantur Ethnici, Iudæi hæretici, & horum quasi cohortes dissimiles erant, ita nunc arma gerunt contra Filium Dei & eius agmen paruum & ærumnosum, Totius Mahometici Regni in Europa, Asia, & Aphrica moles, Impij Iudæi & alij athei, Totius Pontificij regni socij defensores Idolorum suorum, & aulici κόλακες innumerabiles, qui linguas venales habent, vt arte pingant Idola, & mendacia Sophisticis præstigijs confirment, Staphilus, Canisius & multi horum similes, multiplex item colluuies fanaticorum hominum, Anabaptistæ, Stenckfeldiani, & furiæ, quæ seditionum tubæ sunt falso prætextu religionis.

Quanquam igitur tanta est impia multitudo, quæ quidem ardet odio & crudelitate, tamen, vt in Symbolo dicimus, Credo esse Ecclesiam catholicam, certò statuamus esse aliquam Dei Ecclesiam, & hanc verè esse hoc agmen, quod incorruptam Euangely vocem amplecti-

amplectitur, & iuxta eam Deum inuocat fiducia mediatoris, etsi in hoc agmine etiam multi sunt & imbecilles, & ægroti, sed tamen ad filium Dei confugientes, & qui nec Idola pertinaciter defendunt, nec sæuitiam in membra Christi exercent.

Cùm igitur discerni pius exercitus & impius non obscuris signis possint, & vexilla nota sint. Piorum vexillum est vnicum doctrina incorrupta. Aliorum vexilla sunt dissimilia, dogmata Turcica, Pontificia, fanatica. Primùm quisque cogitet, qui & vbi sint veræ Ecclesiæ ciues, deinde sese sententia, voluntate, inuocatione, & confessione cum illis coniungat.

Extant autem scripta & mea, & aliorum piorum in nostra Ecclesia, quæ cùm congruant cum voce Ecclesiarum vestrarum, ostendunt coniunctionem & sententiæ & inuocationis, & apud candidos iudices testimonium de nobis dicunt contra venenatas calumnias, quæ iniusto odio nostri sparguntur à diuersis hostibus. Hunc igitur libellum istuc mitto ceu testem nostræ vocis, & laborum, & te rogo vt inspicias. Semper iudicijs Ecclesiarum nostrarum me subieci, Nec discedo ab hac sententia, maximéque optarim pios & doctos viros de quibusdam vulneribus posse colloqui.

Etsi enim norma Iudicij certa est, videlicet, sermo Propheticus & Apostolicus, qui non est ambiguus, vt vociferantur Pontificij, & mens confirmata testimonijs, quæ extant in scriptis Propheticis & Apostolicis, non quassatur fluctibus dubitationum, tamen fateamur nos homines esse, inter quos multi sunt infirmi. Et interdum in bonis fit hoc, quod est in querela Simonidis, δόξα διάζεται τῶν ἀληθέων. Nec tollenda sunt ex Ecclesia iudicia.

Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, verè colligentem æternam Ecclesiam voce Euangelij, qui inquit, Ego sum vitis, vos palmites, vt nos faciat sibi palmites fœcundos & semper nos gubernet, Amen. Die 16. Febru: quo Deo iuuante, ingredior annum climactericum, sexagesimum tertium.

PHILIP: MELANTHON.

IN EPISTOLAM PAVLI AD COLOSSENSES.

Colossæ in cõfinio Lydiæ.

OPPIDVM FVIT COLOSSÆ VICINVM AMNI Lyco & Meandro in confinio Lydiæ è regione Laodiceæ, celebratum ab Herodoto & à Xenophonte, & à Strabone. Ideo autem à Ptolemæo omissum existimo, quia anno post Pauli mortem, ut scribit Eutropius, terræ motu submersæ sunt Colossæ & Laodicea. Sic postquam Deus excerpsit suam Ecclesiam, deinde impij & Idolorum cultores puniti sunt.

Nomẽ Coloßi.

Cùm igitur huius oppidi locus notus sit, inepti sunt, qui transferunt hoc nomen ad Rhodios, quia ibi fuerit Colossus Solis à multis celebratus. Locus ideo notus sit, ut pœna consideretur, quam dixi secutam esse post Pauli mortem. Nec opus est quærere unde sic nominatum sit oppidum, Fortasse enim ibi quoque magnæ statuæ fuerunt. Nam Colossus propriè est truncata statua, à κόλος, id est, mutilum, & ὤψ, id est, oculi. Vel appellatio Heneta est à luto, unde in Pannonia idem est nomen oppido celebri. Sed his ineptijs omissis argumentum potius & utilitatem Epistolæ consideremus.

Summa primi capitis.

In primo capite recitatur doctrina Euangelij propria de Persona & Beneficijs Christi, & de Iusticia fidei, & donatione uitæ æternæ. Extat enim hîc illustre testimonium de diuinitate Filij: Omnia per eum condita sunt, ipse est ante omnia, & omnia per eum consistunt. Cùm enim affirmat per hunc Christum, per quem dicit nos habere remissionem per sanguinem eius, omnia condita esse, necesse est fateri, in hoc Christo duas naturas esse, diuinam, λόγου & naturam humanam assumtam. Quia mundus non est creatus per naturam humanam, λόγος igitur, per quem fit creatio, non est res euanescens, sed subsistens. Hîc autem uocatur imago æterni Patris, sicut apud Hebræos ἀπαύγασμα, gloriæ & character substantiæ patris. Gloria phrasi Mosaica lucem significat. Nomi-

Gloria phrasi hebraica.

nat igitur Filium ἀπαύγασμα, ut in Symbolo, Lumen de Lumine dicitur, ut cogitatio in nobis seu sermo ostendit mentem, seu, ut hac qualicunque similitudine utamur, sicut radij à Sole sparguntur. In Iohanne Filius nominatur λόγος, hîc nominatur εἰκὼν. Hæ duæ appellationes sunt Filij propriæ, & discernunt eum à Patre & Spiritu sancto.

Λόγος & εἰκὼν appellationes filij.

Cur filius imago Patris.

Intelligatur autem uocabulum Imago integra, uiua & substantialis imago æterni Patris, quam nos eatenus agnoscimus, quatenus per Filium Pater uoce doctrinæ patefactus est, quòd sit creator, sapiens, uerax, bonus, iustus, iudex, misericors, liberrimus, remittens peccata, restituens Iusticiam, & uitam per Mediatorem. Nos uocabulum λόγος planius intelligimus, cùm cogitamus Filium ideo dici λόγον, quia sit persona immediatè proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, & immediatè conseruans ministerium, alloquens nos, sustentans Ecclesiam, sicut dicit in Salomone Sapientia: Ludens in orbe terræ & delectationes meæ cum filijs hominum. Quæ descriptio obseruanda est. Est enim testimonium de missione ad Ecclesiam, inde usque à prima patefactione promissionis. Et quid cogitari dulcius potest, quàm quod Filius Dei affirmat, se delectari consuetudine hominum. Hîc autem mente repetatur doctrina de Tribus personis, quæ suo loco copiosius traditur.

Cur filius λόγος.

Postea

Christus caput Ecclesiæ.

Postea in primo capite dicit de Beneficijs Filij, & nominat eum caput Ecclesiæ, quod ad personam, quæ est Deus & Homo, pertinet. Quia utriusque naturæ proprietates concurrunt in appellatione capitis. Christus est caput meriti, quia ipse meruit toti generi humano salutem, Est & caput Efficacia, quia reuera missus est ab initio ad Ecclesiam, & est in ea efficax secundum naturam diuinam, sicut declaratur hæc ipsa descriptio in Epistola ad Ephesios: Dedit eum caput Ecclesiæ, quæ est corpus eius integrum, qui omnia in omnibus perficit. Sicut & ipse dicit: Ego sum uitis, uos palmites, sine me nihil potestis facere. Ipse sustentat & conseruat Ecclesiam, ipse dat dona Ecclesiæ, doctores, pastores, per quos est efficax.

Applicatio beneficiorum Christi, fit fide.

Postea in primo capite de applicatione beneficiorum Christi loquitur cùm ait: Si in fide manetis firmi. Deinde quædam addit de ministerio Euangelij & de cruce. Ita cernis ordine membra doctrinæ præcipua breuiter in primo capite comprehensa esse, uidelicet, doctrinam de persona Christi, de duabus naturis, de beneficijs, de applicatione beneficiorum per Fidem, de ministerio Euangelij & de Cruce.

Quomõ Christus impleat, quod deest afflictionibus nostris.

Est autem insigni figura usus de Cruce: Impleo quod deest afflictionibus &c. uidelicet, non quod ad meritum Ducis attinet, sed quod ad militiæ societatem attinet, quæ nondum completa est, sed durat usque ad finem ministerij. Ducis Christi meritum integrum est & sufficiens pro omnibus subditis. Nos autẽ sumus milites in eodem ministerio, cuius nondum finis est. Ita subinde ad afflictiones Ducis accedunt succedẽtium militum afflictiones, quę tantisper desunt Duci, donec finis est ministerij in collectione uniuersæ Ecclesię, etiamsi differunt meritum Ducis & prælia militum. His uerbis simplicissimè enarretur Pauli dictum: Impleo quod deest afflictionibus Christi, &c. non quod ad meritum, quod plenissimum est solius Christi, sed quod ad militiæ societatem attinet, in quo subinde milites succedentes oportet similia pati afflictionum Ducis. Quia Diaboli oderunt Ducem, doctrinam & milites, ac dici posset, formam afflictionum esse similem, causas finales dissimiles esse, Christus est propiciator & doctor, Paulus tantùm est doctor.

Papistæ corrumpunt dictum de impletione afflictionum.

Papistæ impiè detorquent dictum ad merita Sanctorum, & fingunt afflictiones Sanctorum mereri remissionem ipsis & alijs. Hæc interpretatio falsa est iuxta dictum, Roman: 5. Gratia & donum per gratiam unius hominis Iesu Christi exuberauit in multos. 1. Iohan: 2. Ipse est propiciatio pro nostris peccatis, & non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi peccatis. Et ad Hebræos. Vna oblatione consummauit sanctos.

Secundi capitis argumentum de uitandis corruptelis doctrinæ.

IN SECVNDO CAPITE, ut prudens Medicus, cùm tradidit salubria, monet uitanda esse contraria, præcipit Paulus de uitandis insidijs & corruptelis doctrinæ. Videte, inquit, ne quis uos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum Elementa mundi. Nam uocabulum Elementum non intelligitur, ut Physici loquuntur, sed generaliter de externo ordine, unde Græcis est nomen στοιχεῖα.

Consummatio in Christo fit dupliciter.

Addit autem insignem causam, quare cauendum sit, ne decipiamur humanis imaginationibus & traditionibus. Quia, inquit, in Christo consummati estis. Hæc consummatio dupliciter intelligenda est, primùm imputatione, quòd, scilicet, conuersi propter Mediatorem sint iusti fide, id est, reconciliati

& accepti Deo, etiamsi in eis in hac uita adhuc hæret ingens infirmitas, ut, Roma: 3. dicitur. Iustificati sanguine ipsius. Secundò renouatione, quæ incoatur in hac & fit integra in uita æterna. Fitq; hæc renouatio propter Christum ideo, quia in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Omnis plenitudo, uidelicet, quo ad dona seu proprietates efficaces, id est, uitam, omnipotentiam, infinitam sapientiam & Iusticiam, quæ dona communicat hominibus, ostendens ipsis lucem & consolationem uoce Euangelij, & dans Spiritum sanctum, quasi dicat: In Angelis & hominibus sunt particularia dona, non est omnipotentia, non est infinita sapientia & iusticia, sed hæc plenitudo Filij est, qui quidem corporaliter, hoc est, personaliter habitat in natura assumta, non separabiliter, non tantùm effectiuè: ut Deus est in Dauide separabiliter, & effectiuè, sed ita, ut sit una persona seu ὑποστάσις unum, id est, ut sint inseparabiliter copulatæ duæ naturæ, diuina & humana, unione hypostatica, qua gestatur natura humana à λόγῳ, propemodum, ut anima & corpus hominis sint unum ὑποστάσιον, corpus gestatur ab anima, uel, ut surculus insertus arbori ab ea gestatur, etsi hæc similitudo longius abest. Sed tamen hoc utcunque pingit, naturam humanam seruatam esse, quia Filius massam assumsit, & nos huic massæ inserti seruamur, Quia ex plenitudine Filij accipimus, placemus propter ipsum & uiuificamur immediatè per eum, sicut inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Aeternus pater misit Filium, per quem patefit promissio, & hîc Filius colligit Ecclesiam, est redemtor, & uoce promissionis dicit consolationem in cordibus, & dat Spiritum sanctum. Sic cùm in eo habitet omnis plenitudo diuinitatis, est efficax in nobis, & accipimus ex eius plenitudine uitam æternam, sapientiam & iusticiam æternam.

Plenitudo diuinitatis in Christo corporaliter.

Postea repetita est commemoratio beneficiorum Christi, liberationis à peccato & à morte, & inserta est illustris imago triumphi Christi, in qua figuræ uerborum sumtæ sunt à Regum triumphis, in quibus spolia hostium anteferebantur currui triumphali. Deinde captiui hostes ligati ducebantur ante uictorem. Ita hîc dulcissimè inquit, spolia præferri pendentia in cruce, uidelicet, chirographa peccatorum nostrorum deleta. Quomodo pingi potest illustrius remissio peccatorum & reconciliatio, quàm in hac ipsa imagine? in qua dicitur accusatio deleta esse, & gestari in cruce Christi? Quia Filius redemtor pro nobis satisfecit æterno Patri, & sustulit accusationem. Ducuntur & uincti Diaboli, ut sciamus, quanquam infirma est Ecclesia, tamen à uictore Christo inter insidias Diabolorum & furores Tyrannorum & hæreticorum defendi eam à uictore Christo. Sicut & in Iohanne dicitur: Apparuit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli.

Figuræ uerborum à triumphis regũ sumtæ.

Redit postea Paulus ad admonitionem de uitandis corruptelis doctrinæ, & nominatim ponit hanc asseuerationem, quòd non sit peccatum uiolare leges ceremoniales Moysi & traditiones humanas de cibis, festis & similibus externis ritibus, qui non sunt iusticia cordis, & pingit præstigias, quibus astutè impostores spargunt falsa dogmata, uidelicet, artificiosam simulationem humilitatis, paupertatis & patientiæ, qua uideri uolunt supra cæteros homines exuisse communes cupiditates, uoluptatum, opum & gloriæ: Deinde iactantiam colloquiorum cœlestium cum Deo & Angelis. Vtriusq; modi uidit exempla nostra ætas, & est hîc insigne uerbum: Nemo uos malè regat in certamine. καταβραβευτὴς, est à βράβδος, id est, uirga, hinc est uerbum καταβραβεύειν, malè regere

Non est peccatum uiolare ceremonias Moysi & traditiones humanas.

regere certantem, seu decipere, metam transferre, aut quocunque modo impedimentum obijcere.

IN TERTIO CAPITE, cùm antea recitauerit summam doctrinæ de beneficijs Mediatoris, & admonitiones de uitandis corruptelis doctrinæ, addit præcepta de bonis operibus interioribus & exterioribus, de exercitijs renouationis.

Tertiũ caput habet præcepta de bonis operibus exterioribus & interioribus.

In his etiam præceptum est insigne de studio discendi & docendi, quod eò magis amandum est, quia talia dicta, quæ lectionem commendant, testimonia sunt contra Stencfeldium & alios fanaticos, qui abducunt homines à lectione doctrinæ & ministerio, & simul testantur lectionem & studia Deo placere, Deum per cogitationem uerbi scripti efficacem esse, Quod cùm sciunt pij, magis ament legendi & discendi studia. Sit igitur familiarissimè notum hoc dictum: Sermo Christi habitet in uobis copiosè in omni sapientia, & docete & emendate uos mutuo. Copiosè, inquit, habitet. Ergo sæpe multumque legatur, conferantur iudicia. Cùm inquit, Docete & emendate uos mutuò: sint igitur studia doctrinæ, misceatur inuocatio, sicut alibi dicitur: Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Præceptũ insigne de studio docendi & discendi.

Vtitur autem uerbo Habitandi, ut significet assiduitatem, uidelicet, ut doctrina familiariter nota sit, sicut hi noti sunt, qui nobiscum habitant.

Verbum habitandi.

Simul autem hoc sciamus, ubicunque in uera conuersione ad Deum fide cogitatur doctrina, in eo corde certissimè simul habitat Deus ipse, id est, est præsens sua essentia & efficacia, uerè adest, & est efficax. Iohan: 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Et Ephesios tertio. Vt habitet Christus per fidem in cordibus uestris. Colossenses primo. Ipse est caput Ecclesiæ perficiens omnia in omnibus. Nam Filius uoce Euangelij dicens consolationem in mente ostendit præsentiam & misericordiam Patris. Sic adsunt Pater & Filius, & Pater ac Filius spirant Spiritum sanctum in cor credentis, ut lætitia, inuocatio, uita æterna & omnes fructus Spiritus accendantur. Sic simul sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

In corde cogitante doctrinam habitat Deus ipse.

Hæc piè & rectè cogitanda sunt, & grata sit Emphasis in uerbo Habitandi. Iubet autem, ut habitet in nobis sermo Dei in omni sapientia. Hæc admonitio inseritur de diligentia, quæ habet duo extrema, Ignauiam & Sophisticen. Non habitat sermo Dei in sacrificulis indoctis, qui legunt aut canunt sine intellectu & sine arte, Non habitat in Sophistis, Hæreticis & superstitiosis, qui curiosas disputationes aut pernicioſas opiniones ferunt, ut uanissima Sophismata sunt Monachorum, an Deus potuisset assumere naturam non rationalem, an accidentia sint sine subiecto in Sacramento, an liceat consecrare fermentatum panem, & blasphemiæ sunt Samosateni, Manichæorum, Arij, Serueti, & aliorum hæreticorum. Item tenebræ Papisticæ, quòd homines sint iusti propria legis impletione, quòd homo semper dubitare debeat, an sit in gratia, quòd mortui homines sint inuocandi, quòd per Missas liberentur animæ ex purgatorio, quòd nemo possit esse Episcopus nisi à Papa confirmatus, quòd Papa habeat utrunque gladium, quòd uota Monachorum sint perfectio Christiana. Item deliria Anabaptistica, quòd necessaria sit Platonica communio facultatum, quòd sint res illicitæ suo genere iuramenta, iudicia, ge-

Vocabulum sapientiæ monet de diligentia, seu cura rectè discendi, cuius extrema Ignauia & Sophistica.

rere Magistratus, legitima militia, dicere causas in foro, quòd non liceat uti iure Romano, quòd solis sacerdotibus tribuendæ sint decimæ. Postea ingens chaos fuit traditionum superstitiosarum inextricabilium pauidis conscientijs, de enumeratione delictorum in priuata confessione, de satisfactionibus, de indulgentijs, de prohibitione coniugij, de ieiunijs & alijs infinitis superstitionibus.

Talia exempla cogitanda sunt, ut consideremus quare dicatur: Habitet in uobis sermo Dei cum sapientia, hoc est, Sit uera diligentia in discendo, rectè distinguantur membra doctrinæ & collatio illustret ueritatem, non sit recitatio ociosa βαττολογία, & omnino remoueantur Sophisticæ præstigiæ omnium hæreticorum. Non potest autem rectitudo iudicij retineri sine cura discendi, & sine inuocatione Dei, Quare & Psalmo 46. dictum est: Psallite sapienter. Et de precatione dicitur, Psalmo 118. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Dilectio uinculum perfectionis.

In eodem capite continetur & hæc insignis sententia: Dilectio est uinculum perfectionis. Hîc aliqui otiosas disputationes de perfectione mouent, cùm Grammatica explicatio sit plana.

Perfectio significat cõiunctionem seu coagmentationem.

Perfectio significat hîc coagmentationem, ut in ædificio coniunctæ & coagmentatæ sunt trabes, non diuulsæ, non excussæ, nõ corruit opus. De hac perfectione, hoc est, coagmentatione hîc loquitur, qua cohæret corpus Ecclesiæ, congruunt firmi & infirmi, docti utuntur ἐπιεικείᾳ erga rudiores dociles: Huius perfectionis, id est, coniunctionis uinculum est dilectio, ut in Senatu, etiamsi quando dissentiunt Scipio & Fabius, tamen nõ oritur inde distractio Reipub: Quia cùm illi idem spectent, hoc est, ad eundem principalem finem tendant, ut salua sit Respub: cùm sint amici, alter alteri cedit. Ita amicicia ipsorum uinculum est concordiæ imperij. Contrà Marius & Sylla nec ad unum finem tendunt, nec sunt amici. Ideo dilacerant Rempublicam.

Sic in Ecclesia docti ac boni iudicijs aliquando dissentiunt, & tamen alter alterum tolerat & audit. Sed quando mentes sunt exulceratæ, tunc etiam rectè dicta liuore & maleuolentia deprauantur. Postea quæritur prætextus, quæritur ubique rixandi occasio, sicut Salomo inquit: Qui uult deserere amicum, quærit occasionem. Hæc non accidunt ubi est dilectio. Ideo Paulus nominat dilectionem uinculum perfectionis, hoc est, communis concordiæ. Ac non loquitur de perfectione priuata ullius personæ, sed de integritate uniuersi corporis Ecclesiæ.

Vsus uocabuli perfectus.

Cæterùm obseruetur usus uocabuli Perfectus. Alibi perfectum dicitur substantia, ut Puerum dicimus perfectum hominem, hoc est, substantia. Alibi perfectum quantitate seu gradibus, ut cùm dicimus: Nemo habet perfectam obedientiam iuxta legem Dei, Loquitur de perfectione graduum.

Paulus eodem nomine dupliciter utitur Philippenses tertio. Qui perfecti sumus, aliter sentiamus. Hîc nominat perfectos, retinentes fidem & bonam conscientiam sine corruptelis, quod nominamus perfectum substantia. Sic ad Abraham dicitur: Esto perfectus. Postea inquit Paulus se non perfectum esse, hoc est, non habere se omnes gradus obedientiæ, quod nominamus perfectum gradibus.

Sæpè perfectum significat idem quod non simulatum, ut Christus inquit: Gaudium uestrum sit perfectum, hoc est, non simulatum, non hypocriticum,

criticum, ut Deus uoce Euangelij, Spiritu sancto sic consolatur nos, ut lætitia in corde sentiatur & uita restituatur. Philosophicæ consolationes non adferunt uitam & lætitiam cordis. Sic & Petrus inquit: Perfectè sperate, hoc est, non sit spes simulata.

In dicto Christi: Si uis perfectus esse, uade, uende omnia, &c. & sequere me, simplicissima enarratio est, interpretari perfectum pro non simulatè, non hypocriticè. Cùm enim adolescens gloriatus esset se mandato Deo satisfeciſſe, subijcit Dominus, ut retegat hypocrisin eius: Ergo, ut ostendas te mandata non hypocriticè seruare, & gloriam Dei quærere, me sequaris in ministerio. Cùm autem ille recuset sequi, refutatur eius iactantia. Ostendit enim se non esse perfectum, hoc est, sincerum sine hypocrisi. Sed addatur & altera enarratio: Nequaquam perfectio est opus melius operibus Decalogi. Quia nulla est melior obedientia, iuxta hæc dicta: Misericordiam uolo non sacrificium, & scientiam Domini, non holocausta. Item: Frustra colunt me mandatis hominum. Item, Melior est obedientia quàm uictimæ stultorum. Ergo perfectio hoc loco intelligatur de opere præcepto, scilicet, Sequere me, & intelligatur perfectum non gradibus sed substantia, ut cùm dicitur ad Abraham: Esto perfectus, scilicet, retinens fidem & bonam conscientiam. Ad hanc pertinet, obedire quemque suæ uocationi. Dauid uocatur ad regnum, hîc adolescens uocatur ad ministerium Euangelij. Hæ interpretationes uocabuli Perfectus tenendæ sunt, ad refutanda deliria Monachorum, qui opera non mandata à Deo, hypocriticam paupertatem & alias hypocrises nominarunt perfectionem.

Dicti Christi, si uis perfectus esse, uade &c. enarratio duplex.

Duplex est autem desertio facultatum, Alia necessaria propter confessionem aut uocationem. In tali desertione obedientia est opus à Deo præceptum, scilicet, anteferre professionem seu uocationem uitæ & facultatibus. Ideo est opus bonum & cultus Dei in credente. Alia est desertio non necessaria, hoc est, quæ neque propter confessionem, neque propter uocationem fit, qualis est Cynica desertio facultatum, ut cùm Crates suas possessiones reliquit, ne impediretur in sua Cynica Philosophia, qui postea non uocatus ad quæcunque conuiuia accedebat. Hæc desertio non est opus bonum, & cùm accedit superstitio aut captatio, peccatum est.

Duplex desertio facultatū, Necessaria & nō necessaria.

In eodem capite inquit. Coram Deo non est acceptio personarum, quam nominat Græca compositione προσωποληψίαν. Est autem uocabulum ex Hebræo factum Deuteronomij 10. Dominus Deus uester personam non accipit. Hebraicè faciem, hoc est, externam speciem non antefert causæ. Significat enim de causa æqualiter iudicare, sine respectu aliorum accidentium extra causam. Quod igitur Græci nominarunt πρόσωπον, in Hebræo est facies, hoc est, species. Sæpè autem Apostoli repetunt hoc dictum ex Deuteronomio, Rom: 2. & in Actis capite 10.

Vocabulum προσωποληψία ex Hebræo sumtum est.

Teneatur igitur descriptio. Personarum acceptio est dare inæqualia æqualibus, aut æqualia inæqualibus. Græci simpliciter nominant inæqualitatem & Tyrannidem, iuxta uersum:

Personarum acceptio quid sit.

Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

Sæpè autem præcipit Deus ut iudex sit æqualis, ut Deuteronomij primo, & uult se quoq; agnosci æqualem. Item irascitur peccato in omnibus, & omnes recipit confugientes ad Filium. Has regulas uult esse firmissimas.

Deus uult se agnosci æqualem.

Hæc doctrina utilis est ad confirmandum timorem Dei, & ad confirmandam fidem, non blandiatur sibi Dauid cogitans Deum non esse punitorum adulterium ipsius, Quia præclarè meritus sit. Nec desperent Aaron, Manasses, Nabuchodonosor, Petrus, Latro in cruce, quia multa magna delicta habent, sed teneant regulam: Gratia exuberat supra delictum, &, coram Deo non est personarum acceptio.

Vult autem Deus de Essentia & Voluntate sua iudicari ex uerbo, in quo se patefecit. Tribuenda est igitur ei æqualitas, sicut toties affirmat: Non est in Deo προσωπολημψία.

Duæ sunt tentationes præcipuæ de dignitate & particularitate.

Hanc consolationem teneamus contra tentationem de particularitate. Duæ sunt enim præcipuæ tentationes, altera de Dignitate, altera de particularitate. Primùm enim trepidamus & dubitamus nos recipi, quia sumus indigni, & cernimus magnam peccatorum molem, aduersus quæ ira Dei in lege certissimè denunciatur, iuxta dictum: Deus ignis consumens est. Aduersus hanc tentationem opponenda est particula GRATIS. Item hæc sententia: Gratia exuberat supra peccatum.

Etsi autem difficilè est eluctari ex hac tentatione, Tamen altera tentatio de particularitate rursus duriter excruciat animum, cùm, uidelicet, disputamus an simus in numero electorum, & plurimi in hac ipsa dubitatione fiunt languidiores. Quid laboras, si non es in numero electorum. Huic consternationi tristissimæ opponantur promissiones uniuersales, & mandatum uniuersale & summum, ut audiamus Filium, & hæc dicta de æqualitate Dei: Non est προσωπολημψία in Deo.

Vtraq; concio est uniuersalis pœnitentia & remissionis peccatorum.

Vtraque concio est uniuersalis. Accusat Deus omnes propter peccata, uult omnes agere pœnitentiam et confugere ad Filium. Nec dubium est omnes homines huic summo præcepto debere obedientiam: Audite Filium, & Filius, inquit: Pœnitentiam agite & credite Euangelio. Nec fingendum est, Filium, cùm inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiã uos &c. non esse ueracem legatum. His erecti consolationibus, repugnemus dubitationi, & statuamus Deum æqualem esse, & uerè nos quoque recipi confugientes ad Filium, sicut scriptum est: Omnis qui credit in eum non confundetur. Item, Diues Deus in omnes & super omnes. Item, Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Ad hanc consolationem adhibeantur hæc dicta: Non est προσωπολημψία apud Deum, & confirmetur Fides in inuocatione promissionibus & mandatis diuinis, quæ præcipiunt credi Filio Dei.

EPISTOLÆ PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES

CAPVT PRIMVM.

Paulus Apostolus Iesu Christi.

Euangelium non est sapientia humana, sed reuelatũ diuinitus.

IN titulo fit officij mentio. Quia necesse est in Ecclesia sciri, unde doctrina accepta sit. Quia Euangelium non est sapientia rationi nota, sed est diuinitus reuelatum initiò per ipsum Filium Dei, additis illustribus testimonijs & miraculis diuinis.

Postea

Postea repetitum est in multis patefactionibus diuinis, & addita sunt miracula. Ideoque missi sunt Filius ipse, Prophetæ & Apostoli, & Ecclesiæ mandata est propagatio Euangelij, & uocationum differentiæ considerandæ sunt.

Est enim Propheta persona immediatè uocata à Deo ad illustrandam promissionem de Christo, & habet testimonia diuina, quòd non erret, & missus est ad aliquam partem politicæ gubernationis, in qua ostenduntur miracula. *Propheta.*

Apostolus est persona immediatè uocata à Deo ad docendum Euangelium, & habet testimonia diuina, quòd non erret, nec missus est ad politicam gubernationem. *Apostolus.*

Episcopus, seu Pastor, seu Doctor est persona uocata à Deo mediatè per Ecclesiam, aut eos quibus hoc Ecclesia commendat, ad docendum Euangelium scriptum per Prophetas & Apostolos, nec habet aliud testimonium, quòd non erret, nisi ipsa scripta Prophetica & Apostolica, ab his cùm dissentit, errat, sicut multorum lapsus alij maiores alij minores acciderunt, accidunt & accident. *Episcopus seu Pastor seu Doctor.*

Has distinctiones uocationum necesse est considerare propter homines politicos, qui interrogant, cur magis credendum sit Paulo quàm Episcopis, qui habent ordinariam potestatem, Paulus autem uidetur uagari ut erro. Hîc sciendum est, Apostolos singulari uocatione immediatè à Deo missos esse, & habere diuina testimonia quòd non errent, & eorum uoci credendum esse, sicut uoci Dei immediatè de cœlo sonanti, Et necesse est Ecclesiæ hoc commemorari, quòd sint immediatè uocati à Deo, & perferant non à se inuentam doctrinam, sed traditam per Filium Dei, qui est in sinu æterni Patris, & primus protulit Euangelium. Ideo toties repetunt Prophetæ: Hæc dicit Dominus. Et Paulus multis uerbis ad Galatas primo mentionem facit suæ uocationis. *Cur magis Apostolis credendum quam Episcopis.*

Necessaria est & hæc consolatio, quòd scimus Deum uerè uelle efficacem esse per Euangelium etiam cùm hi docēt, qui sunt ab Ecclesia uocati: sicut Paulus præcipit Tito, item Timotheo, ut constituant Presbyteros, ut commendent Euangelium idoneis ad docendum. Quia Filius immediatè efficax est, siue per Prophetas siue per Apostolos, siue per Pastores annuncietur Euangelium. *Deus etiam est efficax per ministerium eorum qui sunt uocati ab Ecclesia.*

Gratia & Pax à Deo.

GRATIA, significat gratuitam reconciliationem & acceptationem propter Mediatorem, cum qua tamen est coniuncta uiuificatio, quæ fit per Filium accensa uera agnitione Dei per Euangelium in mente, & effuso Spiritu sancto in corda, sicut Roman: 8. dicitur: Qui Spiritum Christi non habet, non est eius. Ideo Paulus hæc duo coniungit, Gratiam & donum per gratiam, ubi gratiam intelligit relatiuè de reconciliatione & acceptatione propter Filium, sicut alibi dicitur: Dilecti in dilecto. Donum uerò intelligit sine ulla dubitatione donata beneficia, quæ sunt in nobis, scilicet, quòd efficimur templa Dei, & donamur uita æterna. Et quidem intelligatur donum non de inchoatione tantùm, sed de tota consummatione beneficiorum Christi. *Gratia.*

Vocabu-

Pax apud Hebræos, significat salutē seu lætitiam.

Vocabulo PACIS Hebræi utuntur sicut nos uocabulo Salutis seu Lætitiæ. Significat igitur hoc loco primùm lætitiam in Deo, deinde bonum statum Ecclesiæ, & priuatim dona Dei singulis necessaria in sanctificatione, uita & uocationibus. Item, tranquilla imperia, successus in gubernatione. Hæc Grammatica explicatio uocabuli Pacis quàm latè pateat cogitandum est, ut cùm in Psalmo dicitur: Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.

A Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.

Fit mentio filij cum patre propter omnipotentiam filij et intercessionem.

CVM coniungit æternum Patrem & Christum, duo hæc consideremus, Omnipotentiam Filij & intercessionem, cùm ait dari gratiam & donum simul à Patre & Filio, significat Filium etiam natura Deum esse. Et huc adiungamus hæc dicta: Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Item, Benedicat his pueris Deus omnipotens, & Angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Item, Omnia per eum consistunt.

Secundò considerabimus, etiam eò fieri mentionem Filij, ut admoneamur de Mediatore, omnia bona, quæ dantur Ecclesiæ, dantur propter Mediatorem, qui & sacrificium suum pro nobis obtulit, & semper intercedit pro nobis. Hîc repetatur communis doctrina de discrimine ueræ & falsæ inuocationis. Discamus seiungere nostram inuocationem ab Ethnica, Turcica & Papistica, & quotidie in inuocatione cogitemus, quem Deum alloquamur, ubi & quibus testimonijs patefactum, & quare exaudiamur.

Discrimen inuocationis Christianæ et aliarum gentium.

Vsitatè autem discernimus inuocationem Christianam ab alijs populis. Errant Ethnici & Mahometistæ de Essentia & uoluntate Dei, negant hunc uerè esse Deum, creatorem cœli & terræ, & hominum, qui se patefecit misso Domino nostro Iesu Christo, & testimonia de se in Ecclesia dedit, & qui sic reuelatus est in Ecclesia, quòd diuinitas sit æternus Pater, & λόγος, filius æterni Patris semper missus ad Ecclesiam, & Spiritus sanctus lætificans & confirmans eam. Sed uagantur Ethnici nescientes quid inuocent, sicut Hecuba apud Euripidem inquit: O Iupiter quicquid es, siue hoc cœlum siue mens in cœlo. Deinde de Voluntate errant, quòd nesciunt, an & cur exaudiat, & inuocant in dubitatione perpetua, sicut & Papistæ docent.

At nos in Ecclesia inuocantes primùm de Essentia cogitemus hunc esse uerum Deum, creatorem, qui se patefecit misso Domino nostro Iesu Christo, & qui docet nos in Ecclesia diuinitatem esse Aeternum Patrem, & λόγον, Filium semper ad Ecclesiam missum, & Spiritum sanctum lætificantem & confirmantem corda. Has tres personas simul mente intueamur, & sciamus simul ab eis dari bona, quia actiones ad extra sunt communes tribus personis, iuxta hæc dicta: Omnia per ipsum facta sunt. Item, Omnia per ipsum consistunt. Item, Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum.

Deinde & de Voluntate cogitemus, uelle Deum inuocari non cum dubitatione, de qua apud Poëtam dicitur: Esse Deum assentior, sed an curet humana dubito: Sed uelle nos credere, quòd uerè uelit nos exaudire propter filium mediatorem Deum & hominem, uelle mentionem Filij fieri, sicut dicitur: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Iubet peti nomine Mediatoris, quia fiducia, quòd non sit irrita inuocatio, nititur Mediatore.

Quare

Quare ſemper in inuocatione utroque modo cogitandum eſt de Filio. Primùm tanquam de datore bonorum cum Patre & Spiritu ſancto. Secundò rurſus tanquam de Mediatore ſeu interceſſore. Quia clarè ſic dicit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc dabit uobis. Rom: 8. dicitur: Qui ſedet ad dextram Patris, ut interpellet pro nobis. Et Hebræ: 7. Semper uiuens, ut interpellet pro eis. Mandatum eſt ut credamus nos exaudiri, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt ſi non credunt? Item, Orate ſine ira & hæſitatione. Niti fides debet non noſtra dignitate, ſed Mediatore. Ergo neceſſe eſt filium ut Mediatorem agnoſcere & alloqui.

In inuocatione cogitãdum de filio Dei, ut de datore bonorum & Mediatore.

Quòd uerò obijcitur dictum, Iohan. 16. Non dico uobis, quòd ego precaturus ſim pro uobis, Grammatica & uera reſponſio eſt, non excludi Chriſti precationem, ut ſi Dux dicat, non dico me præliaturum eſſe, ſed uos mecum præliabimini. Hîc ſatis apparet in poſteriore membro affirmatiuam ſententiam eſſe, ſicut & eodem loco inquit: In illo die in nomine meo petetis. Vult ergo nunc quoque agnoſci, quòd ſit Mediator & interceſſor. Non eſt igitur excluſio interceſsionis Chriſti, ſed eſt correctio erroris de omiſsione noſtræ precationis, ſeu admonitio ut adiungatur noſtra precatio. Iam cogita quàm dulce mandatum ſit, quòd præcipit, ut nos quoque accedamus ad Deum, ut nos ad ipſius interceſsionẽ adiungamus noſtra uota & noſtros gemitus, uult te quoq; precari, nec uult nos ignauos aut ocioſos milites eſſe, ſed uult ut ipſi quoque accedamus ad Deum, ſicut Dux uult milites ſimul præliari &c. Hac Grammatica & uera reſponſione contenti ſimus, & meminerimus dulciſsimam conſolationem nobis propoſitam eſſe, quæ affirmat, & audiri noſtras preces & ſimul cum Filio diligi propter ipſum, ſicut eodem loco dicitur: Ipſe Pater diligit uos. Hanc dulciſsimam conſolationem non ſinamus corrumpi uenenata Sophiſtica.

Dictum Chriſti, Non dico quòd precaturus ſim pro uobis, non excludit interceſsionẽ Chriſti.

Exordium continet gratiarum actionem & precationem, ſicut in exordijs maximè grata & uſitata ſunt uerba affectuum, gratulationum, querelarum &c. Eſtq; ſumma ſententiæ: Deo gratias ago, quòd uos ad agnitionem Filij uocauit & accendit corda ueſtra, ut Euangelio credatis, & oro ut uos confirmet. Hæc Paulus pluribus uerbis dicit, in quibus phraſi conſiderata nihil eſt obſcuritatis. Eſtq; ſumta ſententia ex communi doctrina, quòd Euangelium ſit ſapientia non nota rationi, ſed immenſa miſericordia Dei reuelata per Filium. Item, quòd hanc mirandam ſapientiam ratio non accipiat fide, niſi Filio ipſo monſtrante, mentes & corda accendente & confirmante, ut aſſentiamur & retineamus aſſenſionem & fidem, ſicut Paulus inquit, ad Galatas: Vt promiſsionem Spiritus accipiamus per Fidem.

Summa exordij.

Quid eſt imago Dei, &c.

IN Chriſto nato ex uirgine eſſe duas naturas, λόγον, & naturam humanam, expreſsè affirmat narratio in Iohanne: Et, Verbum caro factum eſt, & λόγον non eſſe ſonum euaneſcentem, ſicut multi aſtutè cauillati ſunt, ſed eſſe ὑφεσάμενον, illa ipſa narratio in Iohanne oſtendit.

Confirmationes q; in Chriſto ſint duæ naturæ, diuina et humana.

Sed teneamus illuſtres confirmationes, quæ cogitentur in quotidiana inuocatione. Iudico firmum teſtimonium eſſe inuocationem, qua patres alloquuntur hunc Dominum, ut agentem aliquid. Sentiunt igitur eſſe ὑφεσάμενον uiuum, intelligentem, & cùm Patre efficacem, ſicut ait Iacob: Benedicat his pueris

Inuocatio teſtimonium eſt quòd Chriſtus ſit Deus.

pueris Deus, & Angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Hîc sine ulla dubitatione Angelus intelligitur persona missa: persona benedicens aut liberans non est Angelus, qui est creatura, & Paulus expressè dicit Christum fuisse apud Patres in deserto, & ipse inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum. Et hoc loco ad Colossenses, inquit Paulus, per Christum omnia condita esse & conseruari. Non sunt autem conditæ creaturæ per naturam humanam, & tamen in hoc homine Christo est natura conditrix. Ergo λόγος non est sonus euanescens.

Dicta de omnipotentia filij, sunt testimonium diuinitatis eius.

Confirmatio est etiam illustris in dictis de Omnipotentia, cùm inquit: Ego uitam æternam do eis. Item, Ego sum uitis uos palmites, sine me nihil potestis facere. Et 1. Iohan: 4. in hoc scimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis. Natura finita non potest dare Spiritum sanctum. Est ergo ante assumtionem naturæ humanæ persona missa, quæ λόγος & Imago æterni Patris dicitur, ut, Hebræ: 1. expressè nominatur ἀπαύγασμα gloriæ, hoc est, lucis paternæ, sapientiæ & iusticiæ, & Imago substantiæ paternæ. Ibidem etiam affirmatur, per hunc, qui est Imago æterni Patris, omnia condita esse & sustentari. Hæc natura conditrix cùm sit in homine Christo, necesse est non esse euanescentem sonum. Alioqui enim non esset in homine Christo, si esset sonus euanescens.

Cur Filius dicatur imago Patris in collatione ad patrem, & respectu patefactionis.

Dicitur autem Imago, quia Pater sese intuens hac cogitatione sui gignit imaginem suam, & cùm hæc imago substantialis deinde fulgeat in natura humana Christi, qui perfectè agnoscit æternum Patrem, & perfectè iustus est, & similis Deo propter imaginem substantialem in ipso fulgentem: dicitur Christus Deus & homo imago æterni Patris.

Cùm autem dicitur Filius imago æterni Patris, cogitemus non solùm de arcana Patris & Filij collatione, sed de patefactione erga nos. Talis est Pater, qualem esse Filius annunciat, & sermo est imago mentis. Ideo dicitur: Deum nemo uidit unquam, sed Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Item, Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uolet Filius reuelare. Sic igitur agnoscamus Deum, sicut per hunc Filium patefactus est, scilicet, sapientem, ueracem, bonum, beneficum, iustum, iudicem, castum, omnipotentem, liberrimum. Et quanquam immutabiliter iustus est, tamen remittentem peccata & reddentem iusticiam & uitam æternam propter Filium & per eum. Hanc sciamus uerè uoluntatem Dei esse, nec imaginemur in eo contradictorias sententias.

Nomen imaginis in filio discernit Deum à commẽtitijs numinibus.

Secundò nomen Imaginis commonefacit nos de discernendo uero Deo ab omnibus commentitijs numinibus. Proponit tibi inuisibilis diuinitas hunc Filium uisibilem, & iubet te inuocare hunc uerum Deum, qui misit hunc redemtorem, & addidit ei testimonia, & uerè in isto redemtore habitat, sicut inquit: Qui uidet me, uidet Patrem.

Per filiũ imaginem Dei, fit restitutio imaginis Dei in nobis.

Tertiò sciendum est hanc Dei Imaginem ad nos missam esse, ut nos rursus per eum fiamus Imago Dei, hoc est, ut luceat in nobis agnitio Dei, per Filium accensa, qua rursus efficimur conformes Deo, sicut 2. Corinth: 3. dicitur: Agnoscentes Deum per uocem Euangelij, transformamur in eandem Imaginem, hoc est, Lux similis uerbo in nobis accenditur. Athanasius dicit: Congruebat Filium assumere naturam humanam, ut per Imaginem Dei essentialem homo restitueretur, conditus ut esset Imago Dei creata. Quia per uerbum, quo diuinitas patefit, restituitur Imago.

Hæc

Hæc reuerenter & piè cogitanda ſunt, & in uera Inuocatione diſcenda, in qua mens intueri debet Deum patefactum per hunc Filium, & diſcernere ueram inuocationem ab Ethnica.

Omitto hîc præſtigias Samoſateni & Arij & ſimilium, qui cauillati ſunt: Imago eſt umbra alterius rei, &c. Tales Sycophantias hic ipſe textus refutat, cùm poſtea inquit: Per Filium omnia eſſe condita & conſeruata. Et ad Hebræos dicitur Character Subſtantiæ, uidelicet, ſubſtantialis Imago.

Primogenitus uniuerſæ creaturæ &c.

Simpliciſſima enarratio eſt de dignitate. Primogenitus, hoc eſt, dominus omnium creaturarum, iuxta hæc dicta, Pſalmo octauo. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. Et Matthæi ultimo: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et hîc dicitur: In eum omnia ſunt condita, hoc eſt, propter eum, id eſt, ut in hoc Filio ſe patefaciat Deus, & oſtendat in hac miranda copulatione diuinæ & humanæ naturæ ſuum amorem erga genus humanum.

Primogenitus id eſt Dominus omnium creaturarum.

Et cùm per hunc Filium immediatè colligatur Eccleſia, poteſtas eius eſt etiam immediata ſupra omnes creaturas. Filius propter collectionem Eccleſiæ immediatè ſeruat cœlum & terram, genus humanum, miniſterium Euangelij, defendit Eccleſiam contra rabiem Diabolorum, contra Tyrannos & contra fanaticos furores, & eſt iudex, punit & puniet impios, interea ſimul orat pro nobis æternum Patrem, & eſt efficax uoce Euangelij, ut aliqui conuertantur, remittit peccata credentibus, exaudit, protegit, lenit pœnas, multa mitigat in ordine naturæ, paſcit nos, iuuat & ſaluat inuocantes ipſum, ſicut inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis. Item, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Sine me nihil poteſtis facere. Sedet ad dexteram æterni Patris, dans dona hominibus, ipſe eſt caput Eccleſiæ, perficiens omnia in omnibus.

Propter Eccleſiam ſeruatur cœlum & terra.

Hæc de iure Primogenituræ, hoc eſt, de dominio Chriſti cogitanda ſunt, & ad conſolationem & ad inuocationem transferenda, ne cogitetur eſſe ocioſa dominatio, ſed uerè efficax in creaturis & in nobis. Hanc præſentiam Filij Dei & hoc Dominium putant inanes fabulas eſſe illi, qui nec curant iudicium ipſius nec auxilium. Additur hîc illuſtre teſtimonium de omnipotente natura in Filio, In hoc uiſibili Filio eſt λόγος, per quem omnia condita ſunt. Ergo λόγος non eſt ſonus creatus euaneſcens, ſed eſt ὑφεςάμενος & omnipotens.

Dominatio Chriſti in natura non eſt ocioſa ſed efficax.

Throni ſiue dominationes &c.

Thronos, dominationes, principatus & poteſtates intelligit uetuſtas angelos, nos omnia imperia & ordinem creaturarum, politiarum, œconomiarum, coniugij, legum, gubernationem in cœlo & in terra intelligimus. Certè hoc uult dicere omnes creaturas & creatas & ordinatas eſſe per hunc Filium, etiamſi poſtea ab illo ordine diſceſſerunt Diaboli & homines.

Throni & dominationes, gubernationē ſignificant in cœlo & in terra.

Quòd Filius ſit natura Deus, manifeſta hîc teſtimonia poſita ſunt, Quia dicitur, Omnia per ipſum eſſe condita, & dulciſſimè hîc addit: Ipſe eſt ante omnia, Hoc cùm dicitur, neceſſe eſt intelligi in eo naturam eſſe, quæ fuerit ante aſſumtionem humanæ naturæ. Hinc perſpicuè ſequitur, λόγος non eſſe ſonum euaneſcentem, cùm de Chriſto dicitur, quòd ſit ante omnia.

Teſtimonia quòd filius ſit natura Deus.

Nota eſt autem hæc phraſis, per Filium omnia condita eſſe. Etſi enim omnes actiones ad extra ſunt communes tribus Perſonis, Tamen ſua cuiuſq; perſonæ eſt proprietas, & dictum Auguſtini concinnum eſt.

Agit Filius per se, non à se, Pater uult creationem & totum ordinem rerum,& exprimit hanc uoluntatem per uerbum,quo dicente res fiunt & ordine distinguntur,ut in Genesi scriptum est: Dixit Dominus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et Spiritu sancto simul creante fouentur res, sicut in Genesi scriptum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas, seu fouebat aquam.

In mentione creationis intelligenda est conseruatio rerum.

Diligenter autem considerandum est, ubicunq; fit creationis mentio, simul intelligendam esse præsentiam Dei in conseruatione substantiarum, iuxta hæc dicta: In ipso uiuimus,sumus & mouemur. Deuteronom: 30. Ipse est uita tua & longitudo dierum tuorum. Nec sic intelligatur creatio, ut fabricatio nauis, à qua discedit architectus postquam eam extruxit, sed substantiæ rerum interirent, nisi deinceps quoq; conseruarentur à Deo, quem tamen sciamus adesse creaturæ liberrimè,iuuare,ornare,moderari,aut deserendo destruere naturam liberrima uoluntate. Ideo dicit hîc: Omnia per eum consistunt. Et Hebræos: 1. Ferens omnia uerbo potentiæ suæ.

Filius est causa finalis creationis & quomodo.

Sed quare dicit: Omnia in ipsum condita sunt? Hoc est,hic Filius est causa finalis,quare Deus omnia condiderit. Quia hæc copulatio diuinæ & humanæ naturæ est summum opus Dei, sicut inquit: Adhuc semel & mouebo cœlum & terram, & in hac copulatione diuinæ & humanæ naturæ conspicitur multiplex sapientia Dei, & immensus amor erga genus humanum. Erit sapientia in tota æternitate discenda, in hoc Filio uidere motum huius copulationis & causas uidere, & qualis sapientia sit Lex, & quæ causa sit cur Filius constitutus sit, ut sit precium pro Lege, qualis sit Filij missio ad colligendam Ecclesiam, qualia fuerint opera in omni liberatione. Hæc tota sapientia conspicitur in illa consideratione Filij, cuius uult Deus initia in hac uita disci, iuxta dictum: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.

Christus est caput Ecclesiæ 4. modis.

Expressè fatentur scriptores libro 3. sentent: distinctione 13. nomen capitis tribui toti personæ,Christo,& alias proprietates competere ei secundum humanam naturam,alias secundum diuinam naturam. Est autem caput efficacia, perfectione,merito,& ordine.

I. Efficacia.

Primùm efficacia, quia hæc persona propriè missa est, ut immediatè per eam æternus Pater colligat Ecclesiam. Hæc persona initiò profert Euangelium,adest Ecclesiæ,& eam sustentat,& protegit immediatè. Similitudo cogitari potest, Sicut caput in quolibet homine demittit neruos & Spiritum animalem in reliquum corpus,qui sunt causa sensus & motus: Ita Filius Dei sustentat & docet nos, sicut dicitur ad Ephesios, Perficere omnia in omnibus. Item, Nemo nouit Patrem nisi filius. Item,Ego uitam æternam do eis. Etsi autem hæc efficacia est capitis tamen personæ tribuitur,quia efficax est in hac assumta natura,ut 1. Corinth. 15. dicitur: Per hominem mors, & per hominem resuscitatio mortuorum. Multæ actiones fiunt ministerio assumtæ naturæ, ut cùm iudicabit resuscitatos uisibiliter. Est autem & sua efficacia assumtæ naturæ, quæ antecellit omnibus creaturis potentia, depellit Diabolos,& protegit Ecclesiam, & multa potenter agit,quæ capiti congruunt.

II. Perfectione.

Secundò caput Perfectione sic dicitur, non solùm secundum diuinam naturam, sed etiam iuxta humanam, quia natura humana in Christo antecellit sapientia omnibus Angelis.

Tertiò

Tertiò est caput Merito, iuxta humanam naturam, qua cùm perfectissima obedientia meruerit Ecclesiæ redemtionem & salutem æternam, iustum est eum superiorem esse in uniuersa Ecclesia. III. *Merito.*

Quartò, Ordine propter missionem, sicut Iohannes inquit: Prior me est. Quia hæc persona ad Ecclesiam initiò missa est, ut proferat Euangelium ex sinu æterni Patris. IIII. *Ordine propter missionem.*

Vsitatè dicitur, Christum nominari caput, quia dignitate antecellit. Sed intelligatur non ociosa dignitas, uerùm hæc omnia comprehenduntur, Efficacia, Perfectio naturæ diuinæ & naturæ humanæ, Meritum & Ordo.

Adiungatur autem dictum ad Ephesios: Ipse est caput Ecclesiæ, omnia in omnibus perficiens, & sicut ipse inquit: Ego sum uitis, uos estis palmites. Item, Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideo hîc inquit: In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis, uidelicet donorum, sapientiæ, iusticiæ, nec tantùm sic, ut ipse pro sese ornatus sit hac excellentia, sed etiam ut sit efficax in alijs, sicut in Psalmo dicitur: Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ propter consortes tuos, & repetetur hæc sententia infrà, ubi copiosius est enarranda. *Dictum ad Ephesios, Ipse est caput omnia perficiens &c.*

Et per eum cuncta reconciliare erga se pacificatis per sanguinem crucis eius &c.

IN Ephesijs dulcissimè dicitur, redigere ad unum caput omnia in cœlo & in terra. Fuerunt uni capiti Deo conformes, & adiunctæ omnes rationales creaturæ, ante lapsum Diabolorum & hominum. Postea cogitetur quàm tristis auulsio sit, in qua Diaboli horribili furore in tota æternitate irascuntur Deo, & contumelijs eum afficiunt, in seipsis & in genere humano quantumcunq; possunt, ut ostendunt blasphemiæ, cædes, libidines & alia scelera, ad quæ Diaboli impellunt miseros homines, tantùm ut contumelia Deum afficiant. Vt autem rursus cum capite Deo copuletur genus humanum, Mediator constitutus est, qui est caput Ecclesiæ, adiungens nos capiti Deo. Sic in cœlo & in terra sanatur illa auulsio, sicut postea dicitur: Faciens pacem in cœlo & in terra, uidelicet, inter Deum & hominem, & aliquoties repetit: Per sanguinem, per mortem, per corpus Christi, ut adducat & sistat uos Sanctos, inculpatos & non accusandos coram eo. *Qualis fuerit ante lapsum coniũctio cum uno capite, quæ sit facta auulsio, & quomodo rursus fiat copulatio.*

Hæc uerba opponantur erroribus Papisticis, qui fingunt homines mereri remissionem peccatorum propter disciplinam, & iustos esse propria implete Legis. Paulus contrà affirmat, sanguine & morte Filij Dei, id est, obedientia tota nos reconciliari. Addatur autem & ex alijs locis particula Gratis, quæ expressè excludit nostra merita.

Ordo autem uerborum ostendit, quæ res fiant in iustificatione hominis coram Deo, Ideo Filius missus est, ut hoc mirandum decretum patefaciat, quòd Deus uelit Filium esse uictimam, & propter eum remittat peccata, restituat iusticiam & uitam æternam, exaudiat & mirabiliter regat & protegat. Et in ueris doloribus primum & summum certamen est, an Deus tibi remittat peccata, & an te recipiat. De hac lucta dicitur, Iustificati fide pacem habemus. Cumq; apprehenditur fide imputatio iusticiæ & remissio peccatorum, simul in hac ipsa consolatione Filius Dei per Euangelium ostendit misericordiam & præsentiam æterni Patris, & datur Spiritus sanctus à Patre & Filio, quo cor ad assentiendum Euangelio trahitur, lætificatur, confirmatur, uiuificatur, & ex doloribus inferorum liberatur, sicut Ezechias inquit: Tu eruisti animam meam *Ordo quo fit iustificatio.*

ne periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Asseueratio igitur de remissione peccatorum & imputatione iusticiæ recitatur hoc loco his uerbis: Vos qui eratis inimici, reconciliauit, & quidem addit: Corpore, morte carnis &c. ut significet nos propter obedientiam Filij placere Deo, & acceptos esse, sicut Rom: 5. dicitur. Propter unius obedientiam iusti constituentur multi.

Osiandri speculationes.

Nec abducendæ sunt mentes ab hac consolatione Osiandricis speculationibus, quæ dicunt, homines iustos esse coram Deo propter iusticiam essentialem, & non per misericordiam imputata iusticia.

Vt exhiberet vos sanctos &c.

Sancti, id est, conuersi.

Deinde & reliqua uerba considerentur, Vt sistat uos sanctos, inculpatos, non accusandos. Hæc uerba in hac uita sic intelligantur, Sanctos, id est, conuersos ad Deum. Nam sanctitas significat ipsam effectionem Dei in nobis, qua homo & iustificatur fide, & iam est domicilium Dei.

Inculpati.

Sequens uocabulum Inculpatos, est usurpatum pro eo, quod in Genesi dicitur: Perfectus esto. Et in Psalmo, immaculatum, uidelicet, Imputatione & incoatione, ut cùm inquit: Sicut estis azymi. Ideo mox rursus addit uocabulum

ἀνέγκλητοι.

Ἀνέγκλητοι, quod significat Non accusandos, & hîc addit: Coram Deo, quod necesse est intelligi de imputatione in hac uita, sicut Paulus inquit: Nulla nunc est condemnatio his, qui in Christo Iesu ambulant. Ideo etsi in hac uita hærent in nobis multæ magnæ sordes, ignorantiæ, dubitationes, errantes flammæ &c. Tamen imputatione iusti sumus & ἀνέγκλητοι propter Mediatorem, ut Roman. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus fide in gratiam hanc, in qua stamus. Hæc fides autem re ipsa nititur obedientia Mediatoris.

Hoc modo diligenter pondera uerborum examinentur, ac in uita æterna erit consummata sanctitas, & erimus prorsus immaculati, Erit enim Deus omnia in omnibus beatis, hoc est, non erit ibi peccatum in sanctis ut in hac uita.

Siquidem permanetis in fide fundati ac stabiles &c.

De applicatione beneficiorum filij quæ fit fide.

Antea & de persona Filij Dei & de beneficijs dixit, Nunc addit doctrinam de appellatione, quomodo illa beneficia æterna accipiamus & retineamus, scilicet, Fide. Exponitur autem hæc ipsa doctrina copiosius Pauli uerbis in Epistola ad Romanos, ubi antithesi illustratur: Ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro. Item, Vt totus mundus sit reus Deo, Sed Fide iustificati pacẽ habemus. Hęc antithesis semper in conspectu sit. In uero agone & iudicio Dei omnes homines in hac deprauata natura agnoscant hanc concionẽ: Non intres in iudicium cũ seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Itẽ Iob. 19. Verè, scio quòd non sit homo iustus coram Deo. Et econtrà intueamur hãc uerã consolationẽ, quòd immensa sapientia & bonitate Deus miserit Filium, & uoluerit eum fieri uictimam, & uelit sic & non aliter remittere peccata, & restituere in nobis iusticiam & uitam, & uiuificare homines Fide, cùm credunt se propter Filiũ Mediatorem gratis recipi et iustificari, non propter ullas nostras uirtutes & opera, sicut hæc Paulus in Epistola ad Romanos prolixius tradit.

Ac significat Fides non noticiam historiæ, qualis & in Diabolis est, sed assen-

sum quo amplectimur promissionem. Paulus correlatiuè connectit fidem & promissionem Rom: 4. & enarrat uocabulum Ephes: 3. Per quem audemus accedere in Fiducia, quæ est per fidem ipsius. Et fidem oportere intelligi fiduciam misericordiæ propter Christum promissæ, ostendit ipsa antithesis, cùm certissimum sit homines propter proprias uirtutes & opera non esse iustos coram Deo, sed per misericordiam, ut Psalmus inquit: Saluum me fac propter misericordiam tuam, Sequitur necessariò, fidem intelligendam esse fiduciam misericordiæ propter Filium promissæ. Quia misericordia aliter apprehendi non potest, nisi fide, & asseuerari de misericordia nihil posset, nisi promissio edita esset, quòd Filius nobis donatus est, sicut Paulus inquit: Sumus dilecti in dilecto. Ita ex ipsa antithesi firmissimè ostenditur, fidem intelligendam esse fiduciam misericordiæ propter Filium promissæ, & ita complectimur omnes articulos fidei seu Symboli.

Æquipollentes propositiones: fide & per misericordiam iustificari.

Ac sciant iuniores idem significari his propositionibus: Fide iustificamur, & per misericordiam propter Filium promissum iustificamur. Sunt enim correlatiuæ propositiones, & utriusq; propositionis ueritas immota est, ut nominantur propositiones ueræ per se non per accidens.

Christum per accidēs iustificare execrandā blasphemia.

Ac dicere Christum per accidens iustificare, execranda est blasphemia. Cùm autem propositio, Fide iustificamur, rectè intelligitur, facilè est Osiandricam imaginationem refutare. Cùm uniuersa scriptura doceat in iudicio Dei hominem per misericordiam fieri iustum, hoc est, placentem & acceptum Deo, manifestum est alteram propositionem dissentire: Homo est iustus, quia Deus mouet eum ad iusta facienda, sicut Osiander contendit, & definit iusticiam: Iustitia est quæ mouet homines ad iusta faciendum.

Nouitas in credentibus non est id, propter quod persona placet.

Etsi autem uerum est, cùm fide recipitur homo, hoc est, fiducia misericordiæ, simul Deum efficacem esse in credente: Tamen illa sequens nouitas non est id, propter quod persona accepta est, sed semper oportet prælucere fidem, id est, fiduciam misericordiæ, iuxta dicta: Iustificati fide pacem habemus.

Ne dimoueamini à spe Euangelij &c. cuius ego Paulus sum minister &c.

Ministerio Euangelij credendum ut uoci de cœlo sonanti.

SAEpè repetit mentionem ministerij, ut sciamus uoci eius credendum esse, sicut uoci Dei de cœlo sonanti, sicut Moses & Prophetæ dicunt: Hæc locutus est Dominus. Necesse est enim Ecclesiam certam esse, unde accepta sit doctrina, quam Apostoli circumferunt, & sciri necesse est, aliam esse doctrinam Legis, aliam Euangelij, quod concionatur de promissionibus, quæ sunt extra & supra intellectum omnium creaturarum, & sunt ex sinu æterni Patris prolatæ per Filium. Et tradidit Deus testimonia Euangelij omnibus temporibus inde usq; à prima reuelatione. Hæc omnia consideranda sunt, quando ministerij sui dignitatem Paulus commemorat.

Gaudeo in afflictionibus meis, & impleo quod deest afflictionibus Christi &c.

Crux Ecclesiæ non labefactat certitudinem doctrinæ.

OFfenditur autem ratio specie Crucis & in docentibus & in tota Ecclesia. Ideo confirmat Ecclesiam mentione afflictionum suarum, quasi dicat, etiamsi sumus subiecti cruci nos Apostoli & Ecclesia, tamen scitote ueram uocem esse Euangelij, & uerè sic colligi Ecclesiam, & eam usq; ad nouissimum iudicium inter imperia mundi sub cruce futuram esse, & tamen mirabiliter per Filium Dei conseruari, iuxta dicta: Qui uult me sequi, tollat crucem suam & sequatur me. Item, Omnes qui piè uiuere uolent in Christo, persecutionem patientur.

Quòd autem dicit, se implere ea, quæ desunt afflictionibus Christi, intelligatur non de merito, sed de similitudine adflictionum, quas ut membrum corporis Christi sustinet. Et quia in ministerio sustinet, dicit: Pro corpore eius, uidelicet, ut ministerium meum seruiat Ecclesiæ in docendo, non quòd afflictiones Apostolorum sint meritum reconciliationis. Sed manet communis regula de similitudine afflictionum: Oportet nos fieri conformes imaginis Filij Dei. Et propter quas causas Filius missus sit, ut fieret uictima, sciendum est, & distinguenda missio Filij à reliqua Ecclesia, quæ propter alias causas cruci subiecta est. Solius Christi passio est λύτρον, afflictiones uerò Ecclesiæ sunt aut ὑπομοναί, aut δοκιμασίαι, aut μαρτύρια.

CAPVT SECVNDVM.

De uitandis corruptelis doctrinæ.

ADmonitio est de uitandis corruptelis doctrinæ, ac primùm insignibus uocabulis usus est, συμβιβασθέντες ἐν ἀγάπῃ, hoc est, concinnè coagmentati, coniuncti, copulati in dilectione.

πληροφορία. πληροφορία significat certitudinem, suprà ad Romanos: Vnusquisq; certus sit in sua sententia. Ita hîc dicit, se confirmare Ecclesiam, ut certitudo fidei sit in ipsis firmior, quia fides non est imaginatio ambigua similis Academicarum disputationum, sed oportet esse certitudinem, sicut dicitur in definitione: Fides est ἔλεγχος non apparentium: & notum est dictū: Qui non credit in Filium, iam iudicatus est. Item, Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum. Non est autem dubitatio Fides, etiamsi initia fidei languida sunt, crescere tamen firmitatem oportet, sicut ille petit: Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ.

Videte ne quis seducat vos per Philosophiam &c.

Corruptelæ doctrinæ & impostura ad tres modos reduci possunt.

ANtè in summa præcepit de cauendis corruptelis, nunc species aliquas recensset, confusionem Philosophiæ & Euangelij, ordinationes humanas, fictos enthusiasmos & ementita miracula. Ad hos modos ferè reduci possunt omnes impostura, ut Samosatenus, Mahometus, Seruetus, Thammerus quærunt philosophicam concinnitatem, disputāt λόγον esse tantùm uocem euanescentem.

I. *Confusio Philosophiæ & Euangelij.* Pelagius & Monachi dicunt hominem posse satisfacere Legi Dei, & disciplinam esse perfectam impletionem legis & iusticiam, qua homo coram Deo iustus sit, hoc est, placens Deo & acceptus ad uitam æternam. Hæc sunt philosophica, & quæritur concinnitas.

II. *Ordinationes humanæ.* Secundus modus impostura rum est sine eruditione, uidelicet externorum rituum & gestuum falsa accommodatio, qui tamen primùm inde orti sunt, quòd necesse est in uita esse ordinem & aliqua exercitia. His postea affingunt homines opinionem iusticiæ & meriti, & cultus Dei, sicut nomen superstitionis inde factum est, quòd sit immodica assiduitas in ritibus. Huc pertinent ritus Monachorum, discrimina ciborum, cœlibatus, βαπτολογίαι, & omnium gentium superstitiones. Vnde & multa Idola orta & cumulata sunt, milites quærunt numen certo ritu, quod opituletur in bello: mulieres quærunt auxilium in partu, ideo statuæ lunonis, Annæ &c. excogitatæ sunt.

In his duobus modis peccat ratio, quærens Deum sine uerbo, aut intus disputando, aut foris malè accommodando gestus & opera.

Tertia

Tertius modus est aut impudenter simulata uanitas aut Diabolica illusio. Multi enim falsò iactitant enthusiasmos, ut Anabaptistæ plurimi his mendacijs se uenditant: aut sunt præstigiæ Diabolicæ, ut & multa falsa miracula à Diabolis fiunt, & sæpè spectra sese oculis hominum offerunt. Est autem hoc loco uocabulum συλαγωγῶν, quod significat captiuum adducere tanquam prædam. Nam σκῦλα significant spólia, inde est σῦλα una litera detrita. Iubet igitur cauere, ne decipiamur illis modis, de quibus nos monet, & simul significat deceptos & simul irretitos uelut captiuos teneri, nec facilè liberari, sicut alibi inquit, à Diabolo mentes impiorum captiuas teneri. III. *Simulata uanitas aut Diabolica illusio.*

De primo autem modo sciant iuniores non damnari ueram Philosophiam manentem intra suas metas, sed damnari confusionem doctrinarum, cùm philosophia docetur pro Euangelio, quòd est reuelatum & est extra captum humanum, seu cùm Euangelium transformatur in Philosophiam, ut crassè faciunt Pelagiani & Monachi, qui finxerunt homines posse Legi Dei satisfacere, & hanc qualemcunq; disciplinam esse perfectam impletionem legis, & mereri remissionem peccatorum, & esse iusticiam, qua homo sit iustus coram Deo, placens Deo & acceptus ad uitam æternam. Hæc falsò extruuntur ex philosophia, quæ non loquitur de æterna iusticia, de æterna uita, nec de remissione peccatorum, sed de rectione locomotiuæ in externis gestibus. *Non damnatur à Paulo uera philosophia, sed confusio doctrinarum.*

Necesse igitur est scire discrimina doctrinarum, ac regula tenenda est 1. Timoth. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione sumitur, Sanctificatur enim per uerbum Dei & precationem. Esse autem noticias naturales quasdam ueras in creatione mentibus hominum insitas, quæ sunt normæ ueritatis & certitudinis, ut numerorum, ordinis, figurarum, legum naturalium de moribus, & physica principia, ex quibus extruuntur multæ artes manifestum est, & quidem Paulus nominat leges naturales ueritatem Dei, & ait legem scriptam esse in cordibus. Et manifestum est à Deo probari numerationem, scriptionem, lectionem, architectonicam, artem medicam, & de architecto dicitur Exod. 31. Deus impleuit eum hac sapientia, Et annirationem eruditam Deus & instituit & ostendit, & numerare Deus iubet. Linguas esse donum Spiritus sancti historia Apostolorum ostendit, & de arte medica dicitur Syracidæ 38. Deus dedit hominibus scientiam, ut glorificetur in mirabilibus suis, hoc est, ut singularis efficacia in singulis remedijs sit testimonium de prouidentia Dei, quòd ad usus hominum res conditæ sint. *Dictum, omnis creatura Dei bona, etiam pertinet ad sobriam philosophiam.*

Agnoscamus igitur artes extructas ex noticijs, quæ in creatione hominum mentibus insitæ sunt, esse res bonas & DEI dona, & quidem sciamus esse commonefactiones & testimonia de Deo, quia ostendunt Deum esse sapientem, & quidem lex naturæ testatur esse Deum, & docet qualis sit, discernit eum à malis naturis, & testatur uindicem esse. Ideo dulcissimè inquit Plato: Gratam de Deo famam in artibus sparsam esse. Et Salomon inquit: Vt oculus uideat & auris audiat, Deus facit utrunq;, hoc est, Lumen in oculis & in mente creatura Dei est, & multò magis excellens lumen in excellentibus artificibus. *Artes ex noticijs naturalibus extructæ sunt res bonæ & dona Dei.*

Primùm ergo cogitantes de artibus, fontem sapientiæ Deum agnoscamus & celebremus. Deinde artibus, quia totam uitam corporalem regunt, utamur sicut iussit, & pro eis gratias Deo agamus. Si qui uituperant artes, furiosi sunt, & nocent hominum uitæ, & Deum autorem contumelia afficiunt.

Nomino autem philosophiam seu artes noticias principorum & demonstrationes, non quælibet somnia aut sophisticas præstigias & corruptelas, quales multi sparserunt, ut Epicurei, Stoici, Pyrrhonij, Cynici & alij.

Artes habere suas metas.

Deinde hoc quoq; sciendum est, artes ex luce naturali ortas habere suas metas, & iudicare de his, de quibus mentes humanæ conuinci possunt, iuxta κριτήρια.

De essentia et uoluntate Dei iudicandum ex Euangelio.

Sed præter artes ex luce naturali ortas, Deus singularibus testimonijs Euangelium reuelauit, de sua essentia & uoluntate, ac nominatim de Filio & de promissione gratiæ, sicut 1. Corinth. 1. dicitur: Cùm mundus non nosset Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes. Ideo de essentia & uoluntate Dei statuendum est, iuxta Euangelium, non iuxta philosophiam.

Hoc discrimen doctrinarum intelligi necesse est, & suus cuiq; locus tribuendus est, & huius discriminis confusionem damnat Paulus, non uituperat ueras noticias, quæ sunt lumen à Deo conditum, si rectè accommodentur.

Impostura circa externos gestus facilius intelliguntur.

Secundus modus impostrarum facilius intelligi potest, quia circa externos gestos uersatur, qui incurrunt in oculos, ut cùm in deserto Moses diutius abesset à conspectu populi, concurrit multitudo, & postulat institui certum cultum. Aaron igitur Aegyptio more uitulum collocat. Ibi sacrificant, & populus canit hymnos distributus in choros. Ita omnes homines sine luce uerbi Dei fingunt sibi numina & externos gestus. Ethnici in periculis belli collocabant statuam Martis, & addebant ritus, ut Saliorum carmina. Mulieres propter pericula partus collocabant statuã Lunonis, & ibi certo modo sacrificabant. Hæc ita cumulata sunt, ut accesserint mactationes hominum, quia homines sese punire insigni modo uolebant, ut ueniam mererentur.

Opinio meriti auxit ceremonias apud omnes gentes.

Hæc opinio meriti apud omnes Gentes auxit ceremonias, & accesserunt Diaboli ludibria, quæ impulerunt homines ad manifestas turpitudines, accesserunt & ludi ingeniorum. In Argis ut essent fœlicia coniugia, colebatur statua Lunonis tenens in sinistra pomum punicum, ad quod aduolabat Cuculus, & finxerunt Iouem specie Cuculi primùm ad Lunonem uenisse. Ita horribiliter humanæ mentes sine luce uerbi & sine Spiritu sancto contumelijs uerum Deum afficiunt, sicut in Ecclesia ritus deprauati sunt, & cumulati gestus Ethnico more, collocatæ sunt statuæ, & ad eas uelut ad numina concursum est, circumgestatur panis & adoratur, cùm nihil possit habere rationem Sacramenti extra institutum usum, elegerunt singularia opera Eremitæ & Monachi, & finxerunt ea mereri remissionem peccatorum & uitam æternam, sicut & alij homines finxerunt cultus Dei & merita esse sua ieiunia & alia exercitia: sacrificuli uendunt suas missas tanquam præcipuum meritum. Aduersus has contumelias Dei necesse est tenere doctrinam, qua Deus præcipit ueros cultus & damnat falsos.

Præcepta de ueris cultibus.

Regulæ igitur teneantur Ezechiel. 20. In præceptis meis ambulate, non in præceptis patrum uestrorum. Item, Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Iohan: 14. Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Matthæi 15. Frustrà me colunt mandatis hominum.

Hîc repetatur tota doctrina de ueris cultibus & de damnatis. Cultus Dei est opus mandatum à Deo, factum in agnitione Domini nostri Iesu Christi & fide,

fide, cuius operis principalis finis est, ut per ipsum honos Deo tribuatur, hoc est, ut ostendas uerum Deum uelle coli hoc modo, & hunc esse uerum Deum & iudicem, quem sic colis & non aliter, & testeris huic uero Deo hanc obedientiam deberi, ut castitas Ioseph est cultus, quia est opus à Deo mandatum, & fit prælucente agnitione Mediatoris, & fide promissæ misericordiæ, & hoc opere tribuit honorem Deo, id est, ostendit uerum Deum sic uelle coli, & hunc esse uerum Deum quem sic colit, eiq́ deberi hanc obedientiam testatur.

Hæc definitio sumta est ex dictis quæ iam recitaui. In præceptis meis ambulate. Item, Hunc audite.

Ex hac definitione cultus Dei manifestum est, opera non mandata à Deo non esse cultus Dei, siue sint mandata in humanis traditionibus, siue sint electa priuato arbitrio. Nominat autem hîc Elementa mundi, non ut physici loquuntur, sed uocabulum significat ordinationem à στοιχ, quod est series, & intelligit ordinationes mundanas, ritus distinctos, qualibus in hoc mundo, hoc est, hac uita corporali utimur, uidelicet, gradus personarum, ordinem in cibo, uestitu, diebus aut similibus.

Opera non mandata à Deo non sunt cultus.

Tertium genus impostrarum est ficticij Enthusiasmi, qui aut sunt prorsus simulati & ementiti, ut Anabaptistici pleriq́ & Stencfeldiani, aut sunt illusiones Diabolicæ, ut fuerunt multorum fanaticorum hominum, Pepusiano-rum & aliorum furores.

Enthusiasmi aut sunt simulati aut sunt illusiones Diabolicæ.

Fingit Stencfeldius Deum sese communicare sine medio, id est, sine uerbi diuini cogitatione. Ita astutè Diabolus abducit homines à uerbo patefacto diuinis testimonijs, ut postea ludant homines fingendis opinionibus, cultibus, idolis & confusione operum, sicut apud Ethnicos accidit: & relicto uerbo diuino prorsus nihil est fides, quæ est apprehensio Dei cogitatione scripti uerbi, sicut Paulus inquit: Fides ex auditu est, auditus ex uerbo Dei. In conuersione dolor oriatur cogitatione uerbi, quod arguit peccatum. Rursus etiam in consolatione mens intueatur promissiones diuinas, cūq́ cor sustentatur cogitatione uerbi, uera fides accenditur. Sic Filius Dei efficax est, dans nobis de suo Spiritu, nec imaginandum est fidem prius esse in corde, & postea primùm accedere cogitationem doctrinæ, quæ sit exercitium externi hominis seu testimonium de luce interiore, sicut loquitur Stencfeldius. Hæc necesse est diligenter considerari, ne quærantur illuminationes seu enthusiasmi sine uerbo Dei.

Stencfeldius.

In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter &c.

VOcabulum corporaliter significat propriè idem hoc loco, quod usitatè dicimus personaliter, & est oppositum inhabitationi separabili, ut habitat Deus in beatis uel in sanctis in hac uita, sed ita, ut sit ibi efficax, & sit separabilis diuinitas.

Vocabulum corporaliter significat personaliter.

Considerentur autem hîc quatuor modi præsentiæ Dei.

Quatuor modi præsentiæ Dei.

Primus modus est præsentia uniuersalis, quo ad conseruationem substantiarum, qua sic adest Deus omnibus creaturis bonis & malis, ut conseruet earum substantias, tantisper donec conseruantur, ut Pharao destruitur cùm Deus definit seruare substantiam. De hac uniuersali præsentia dicitur Hieremiæ. 23. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Et notus sit uersus: Enter, præsenter, Deus hîc & ubiq́ potenter.

Præsentia uniuersalis.

Secundus

Præsentia specialis qua Deus est in beatis.

Secundus modus præsentiæ nominatur specialis, qua Deus est in beatis, scilicet, ita ut non tantùm seruet substantias, sed sese eis communicet, complens eos sua luce & iustitia, & uiuificans eos uita æterna, & immediatè conspicitur ab eis. Et quanquam non discedit ab eis, tamen adest tantùm societate, & reipsa est separabilis. De hoc modo dicitur: Deus erit omnia in omnibus, scilicet in beatis, id est, sic erit in eis, ut non sit simul peccatum.

Præsentia specialis qua Deus est in sanctis in hac uita.

Tertius modus nominatur etiam specialis præsentia, qua est in sanctis in hac uita, ut in Dauide, qua præsentia non tantùm seruat Deus eorum substantias, sed etiam efficit in eis nouam lucem & motus sibi placentes, & conspicitur immediatè, ut in uita æterna, sed per uerbum. Hanc præsentiam separabilem esse manifestum est, iuxta dictum de redeuntibus ad uomitum.

Præsentia in filio, quæ est unio personalis.

Quartus modus præsentiæ est unio personalis, qua scilicet secunda persona diuinitatis assumsit humanam naturam, non solùm inseparabiliter, sed ita, ut sit unum completum ὑπόστασις illa natura humana, & λόγος assumens humanam naturam propemodum, ut in cæteris hominibus copulatione animæ & corporis fit unum completum ὑπόστασις. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus & Iustinus.

Sic igitur intelligatur hoc loco inhabitare corporaliter, ut discernatur unio personalis ab alijs modis præsentię, sicut dicitur: Verbum caro factum est. Quod autem inquit: Plenitudo diuinitatis, discernit & hoc modo Filium ab alijs beatis. In alijs sunt particularia dona, ut in Moise, Helia. In Filio autem est substantia, quæ est secunda persona diuinitatis, immensæ perfectionis, omnipotens, & efficax in alijs, ut Iohannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Non igitur sic intelligatur textus, quòd tres personæ assumserint humanam naturam, sed plenitudo sit opposita particularibus donis sanctorum.

In ipso estis consummati &c.

Consummatio in Christo fit imputatione & effectione.

EST & hæc sententia ualde insignis, & opponitur imaginationi quærenti iusticiam operibus, seu legis diuinæ, seu traditionum, de qua imaginatione antea dixi: Nemo uos decipiat per traditiones humanas. Estq; antithesis. Lege Dei non estis consummati, id est, nec iusti coram Deo, nec liberati à morte, nec donati uita æterna, multò minus traditionibus humanis. Sed in Christo consummati estis, scilicet, & imputatione & restitutione iusticiæ & uitæ æternæ, quæ in nobis incoatur in hac uita, & exhibetur consummata post hanc uitam. Fit autem hæc effectio propter Mediatorem & per eum. Ideo nominatim dicitur: In Christo consummati estis, non meritis ullius creaturæ, non Lege, non traditionibus. Ac semper in hac uita tenenda est hæc consolatio, quòd quanquam sunt in nobis adhuc reliquiæ peccati & magnæ sordes, tamen in Christo simus consummati imputatione, ut ad Romanos 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Romano. 6. Non estis sub Lege sed sub gratia. Roma. 8. Nulla nunc est condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant. Item, Quis accusabit electos? Deus est qui iustificat. Item, Christus est in dextera patris interpellans pro nobis. Iob 13. Etiamsi occîdet me sperabo in eum. Veruntamen uias meas ego arguam, & ipse est mihi ad salutem. Quia non intrabit coram eo omnis hypocrita. 1. Iohan: 5. Qui habet Filium habet uitam. Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c. & Ioh. 17. Sit dilectio in eis qua me diligis. His amplissimis & dulcissimis consolati-

consolationibus confirmemus nos in inuocatione, & adiungamus eas ad dictum: In ipso consummati estis.

In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta &c.

DEclarat superiorem particulam, In ipso consummati estis, addita antithesi. Lege non eratis consummati, sed lex erat typus, Res exhibita est per Christum. Circumcisio significabat abiectionem corporis peccatorum & regenerationem, has res iam habetis per Christum. Interpretatur ergo Circumcisionem & repetit beneficia Christi, in quibus rursus utrunq; complectitur, imputationem iusticiæ & renouationem, quæ in hac uita fit in conuersione, & duos modos complectitur, mortificationem & uiuificationem. De mortificatione dicit: Estis consepulti cum eo per Baptismum. De uiuificatione inquit: Estis resuscitati cum eo per Fidem efficacia eius. Cùm autem hæc uocabula Mortificatio & uiuificatio à uero intellectu ad hypocrisin externorum gestuum à Monachis & fanaticis hominibus detorta sint, consideretur uera significatio.

Paulus loquitur de uera pœnitentia.

Vt autem in omnibus artibus & negocijs diligentia necessaria est, uidere ubi res eædem pluribus appellationibus efferantur, & rectè coniungere appellationes: Ita in hoc loco sciamus Paulus loqui de uera conuersione ad Deum, quam usitatè nominat Ecclesia Pœnitentiam, cuius has partes esse dicimus Contritionem, fidem & nouam Obedientiam. Contritio hîc significatur his uerbis: Exuere corpus peccatorum, mortificari & consepeliri cum Christo. Significantur ergo ueri pauores & dolores, quales sunt in conuersione cùm in agnitione peccatorum sentitur ira Dei, sicut dicitur: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Quanquam enim non sunt similes in omnibus dolorum gradus, tamen in conuersione aliquam contritionem necessariam esse non dubium est, ut Iesaiæ 66. dicitur: Ad quem respiciam nisi ad contritum & humiliatum Spiritu, & trementem sermones meos. Et hi pauores & dolores tunc sunt, mortificari & sepeliri cum Christo, cùm simul sunt initia fidei, quæ facit ut doleant corda se offendisse Deum, ut non fremant aduersus eum, sed confugiunt ad eum propter Mediatorem. Ita hîc dicit: Estis sepulti cum Christo, scilicet in hac uita, nunc iacet hæc natura in doloribus & in cruce, non regnat furoribus dubitationum & falsarum opinionum & prauarum cupiditatum, qualia mala regnant in impijs.

Partes pœnitentiæ tres. Contritio est exuere corpus peccatorum, mortificari &c.

Estq; diligenter consideranda collatio sepulturæ Christi ad præsentem uitam omnium piorum in Ecclesia. Iacet in hac uita Ecclesia sub cruce & doloribus, ut Christus in sepulcro, expectans integram nouitatem.

Ecclesia in hac uita sub cruce expectans integram nouitatem.

Quòd autem in secunda parte conuersionis usitatè ponimus Fidem, id sumitur ex locis Pauli Rom. 6. & hinc, ubi mortificationi additur uiuificatio, quæ fit fide, iuxta dictum: Iustus fide sua uiuet. Non enim manendum est in morte & æterna fuga, sed ideo conuertimur ut uiuamus, iuxta dictum: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Fit autem uiuificatio, sicut iam dictum est, Fide quæ apprehendit remissionem peccatorum & reconciliationem. Et fit nominatim mentio fidei in doctrina conuersionis seu penitentiæ, ut taxetur horribile mendacium Papistarum, qui dicunt manendum esse in dubitatione, & omnino silentio obruunt hanc fidem, qua statuendum est, tibi in conuersione uerè remitti peccatum, & te uerè reputari iustum, donari Spiritu sancto & hæreditate uitæ æternæ.

Fides exprimitur in uocabulo uiuificationis.

Attribuit

Viuificationem Paulus tribuit resurrectioni Christi.

Attribuit autem uiuificationem nostri resurrectioni Christi, inquiens: Simul resuscitati estis per Fidem, simul uiuificauit uos cum eo. Quia Christus resuscitatus sic regnat, ut colligat æternam Ecclesiam uoce Euangelij, sit in ea efficax, uiuificet eam, det Spiritum sanctum, & mirabiliter protegat ac seruet eam inter horribiles confusiones & tenebras generis humani. Ac expressè dicit, fieri hanc uiuificationem Fide, & hanc fidem esse motum diuinitus accensum significat, cùm ait, fidem esse efficaciam Dei, id est, qua Deus est efficax. Postea pluribus uerbis eandem sententiam de conuersione Paulus repetit: Eratis mortui, inquit, propter peccata & præputium, id est, propter naturam immundam & ream, qualis propagata est generatione carnali: Talem naturam immundam & ream habentem peccatum originis, nominat præputium.

At nunc uiuificati estis data remissione omnium peccatorum & deleto Chirographo &c.

In his uerbis & imputationem iusticiæ & uiuificationem complectitur. Nam ad imputationem iusticiæ pertinet id quod ait, omnia peccata remissa esse gratis. Deinde addit, deletum esse Chirographum, id est, sententiam condemnationis, quæ est conclusio ex lege diuina. Ideo addit Chirographum contra nos fuisse per decreta, id est, per legem. Sic discernit Chirographum à lege tanquam conclusionem à præcedentibus propositionibus. Nam iudicium conscientię est integer Syllogismus practicus ex lege ductus, approbans conuenientia cùm lege, & condemnans contraria, & sequitur ordine diuinitus condito condemnationem dolor & uindex, qui crescit Deo iudicante & destruente naturam ream, ut in Dauide iudicium conscientiæ est hic Syllogismus: Mœchum & homicidam Deus abijcit in æternas pœnas. Dauid est mœchus & homicida, & eò deterior, quia magis ingratus est Deo quàm alij, cùm fuisset ornatus ingentibus donis. Hinc sequitur conclusio ex Lege: Ergo Dauid est reiectus à DEO.

Chirographum id est sententia condemnationis quæ est conclusio syllogismi practici in mente.

Hæc conclusio nominatur Chirographum, id est, sententia in mente & corde tanquam scripta lege & agnitione lapsus, ac simul imprimitur ingens dolor, qui crescit, cùm accedit singularis sensus iræ Dei iudicantis & destruentis naturam ream per legem, sicut dicitur: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati lex. Roma: 4. Lex iram efficit. Item, Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et Psalmo 37. Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Psalmo 114. Circumdederunt me dolores mortis &c. Iob 9. Deus cuius iræ nemo resistere potest. Hoc triste iudicium, quo Deus per Legem percutit ream naturam, hîc nominat Chirographum contrarium per legem.

Deleto Chirographo simul fit uiuificatio.

Simul & uiuificatio fit in deletione Chirographi, Quia cùm remissio & imputatio accipiuntur fide, in ea consolatione fit uiuificatio, in qua Filius Dei uoce Euangelij efficaciter uiuificat corda, & effundit in ea Spiritum sanctum, sicut 1. Iohan. 5. dicitur: Hæc uita in Filio eius est, qui habet Filium, habet uitam, qui non habet Filium Dei, uitam non habet: Tunc enim pro dubitatione in mente lucet assensio accipiens promissionem, & pro sensu iræ Dei & terroribus sunt in corde fiducia & lætitia acquiescens in Deo propter Mediatorem, quæ lætitia est uita Spiritus, de qua Paulus inquit: Spiritus uiuit propter iusticiam. Sciamus igitur Paulum loqui non de simulatis Enthusiasmis, seu Stenckfeldiana & Anabaptistica toruitate, sed de uera conuersione seu pœnitentia. Ita cùm uer-

cùm uerba Pauli ad consolationem in uera conuersione accommodantur, fiunt perspicua.

Quàm dulcis consolatio est, intueri hanc ipsam picturam triumphi? Victor est Filius Dei qui contriuit caput serpentis, id est, deleuit regnum & potentiam Diaboli, peccatum & mortem æternam, scilicet, in credentibus. Hunc tanquam triumphantem sequitur & sequetur in tota æternitate Ecclesia liberata, & gestantur ut fiebat in triumphis spolia, uidelicet, chirographa nostra pendentia in cruce. Hæc iam deleta sunt credentibus in Mediatorem, qui sanguine suo, id est, tota obedientia sua deleuit chirographa legis, ut amitterent ius accusandi, ut 1. Iohan: 1. dicitur: Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Hanc ipsam picturam sæpè in inuocatione cogitemus, ut fides accendatur & confirmetur.

Pictura triumphi Christi dulcis consolatio.

At etiam Diabolos duci tanquam in spectaculo, exutos principatu & potestate, scilicet, ne perdant infidijs credentes in Filium, sicut dicitur: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

In fine autem addit particulam: Triumphans per sese, id ad differentiam uictoriarum humanarum dicitur. Homines enim in corporalibus prælijs non uincunt sine auxilijs militum. At Filius Dei sine auxilio ullius creaturæ contriuit caput serpentis, hæc una persona est redemtrix & propria potentia uincit Diabolos, tollit peccatum & mortem.

Filius Dei uictor est sine auxilio ullius creaturæ.

Nemo igitur uos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi &c.

HAEC conclusio antithesis est antecedentium, cùm iusticia sit habere remissionem & reconciliationem propter Filium, & uiuificari per Filium ad uitam æternam, sequitur non esse iusticiam discrimina ciborum & dierum & similes ritus, qui neque peccatum neque mortem tollunt, neque sunt res æternæ. Quare nec peccata sunt talium rituum omissiones.

Expressè igitur hîc asseueratio ponitur, quæ affirmat talium rituum obseruationem non esse iusticiam, & omissiones eorum non esse peccata. Cumq; hic totus locus maximè perspicuus sit, notissimum esse omnibus oportet ad cõfirmandas mentes in hac doctrina de traditionibus humanis, quę in Ecclesijs nostris restituta est diuinitus, quòd uidelicet earum obseruatio non sit iusticia, & quòd earum omissio non sit peccatum. Loquitur enim Paulus non solùm de Mosaicis ceremonijs, sed in genere de omnibus, de Mosaicis & de excogitatis ab Episcopis & ab alijs hominibus, sicut dictum Christi generale est: Frustra colunt me mandatis hominum. Et infra Paulus expressè comprehendit in hac regula mandata & traditiones hominum: Nemo uos iudicet, id est, condemnet propter omissionem talium rituum, in cibis, potu, parte diei festi, id est, uicibus festorum, ut Græca phrasis ἐν μέρει significat per uices.

Obseruatio rituum humanorum, non est iusticia, nec omissio peccatum.

Repetatur autem hîc tota doctrina de traditionibus humanis, sicut in nostris Ecclesijs traditur, & cogitetur qualis cœcitas fuerit, cùm obseruatio humanarum traditionum putaretur esse cultus Dei, & quidem necessarius, & qualis carnificina fuerit opinio, quæ fingebat omissiones talium rituum esse peccata.

Extant libri Gersonis, in quibus quæritur ἐπιείκεια, & disputatur, alias traditiones factas esse necessitatis causa, alias factas ornatus causa, quæruntur

& alia σοφὰ φάρμακα, ut mitigetur falsa exacerbatio. Sed ut Alexander Gordium nodum non longa extricatione soluit, sed subitò dissecuit gladio, ita hæc Pauli regula breuissimè omnia illa uincula conscientiarum tollit, cùm affirmat, nec obseruationem iusticiam esse, nec omissionem peccatum.

Cæremoniæ Mosaicæ fuerunt umbra. Christus est corpus.

Dicit autem de cæremoniis Mosaicis, tunc eas fuisse umbras, cùm institutæ sunt non humana autoritate, sed diuina, id est, nequaquam fuisse merita remissionis peccatorum, neque iusticiam coram Deo, sed fuisse signa commonefacientia homines de promissione & de uenturo Messia. Corpus autem esse Christum, id est, rem significatam & exhibitam, uidelicet, solam obedientiam Christi esse meritum remissionis peccatorum & æternæ iusticiæ & uitæ & λύτρον, ac propiciationem pro nobis, & ipsum Mediatorem esse datorem iusticiæ & uitæ æternæ, sicut in Daniele dicitur: Adducetur iusticia sempiterna &c. Hæc antithesis in Epistola ad Hebræos copiosè exprimitur de discrimine sacerdotij Aaron & sacerdotij Christi, ubi dicitur, Sacrificia Aaron tantùm fuisse ἀντίτυπα sacrificij Christi, sicut hîc Paulus umbras nominat. Sed de sacrificio Christi inquit: Qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.

Sacrificia Aaron ἀντίτυπα.

Hanc doctrinam de intellectu sacrificiorum sæpè repetunt ipsi Prophetæ, ac docent unam & eandem esse doctrinam de iustificatione omnibus temporibus. Patres ante Mosen & post eum sola fide, id est, fiducia Mediatoris coram Deo iustos fuisse, id est, accepisse remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, uiuificationem per Spiritum sanctum & uitam æternam, sicut Actor: 15. dicitur: Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, sicut & illi, &c.

Sacrificia & cæremoniæ Israëliticæ discernebant populum illum ab Ethnicis.

Quid igitur erant tot sacrificia & tot cæremoniæ? Respondeo. Erant distinctio illius politiæ ab Ethnicis. Quia uoluit Deus immensa bonitate nostram esse, & conspici politiam, in qua Christus nasceretur, doceret, ederet testimonia suæ doctrinæ, fieret uictima, resurgeret ex morte, & ostenderet resurrectionis testimonia, & in qua conseruaretur doctrina missis Prophetis. Ac ut magis conspici hæc politia posset, inter clarissima imperia Babylonium & Aegyptium interiecta fuit. Et quia hanc politiam uoluit esse doctrinæ scholam & sedem Ecclesiæ, instituit ipse sua uoce exercitia externa, quæ essent picturæ doctrinæ, ut populum commonefacerent de promissione & de Mediatore, & mouerent multos Ethnicos ad quærendam causam distinctionis politiæ. Sæpè igitur Prophetæ taxant Pharisaicam opionem, qui falsò fingebant hos ritus esse meritum & iusticiam, sicut Psalmus inquit: Holocaustis non delectaberis. Et Iesaias, Offerens ouem similis est strangulanti canem.

Nemo vos decipiat simulata humilitate &c.

Βαυκοπάνουργοι.

GRæci nominant βαυκοπανούργους, qui simulant modestiam seu humilitatem, & hac simulatione struunt insidias, ut existimentur sibi non quærere opes, gloriam aut uoluptates, sed ueluti semidei esse. Hæc est ars impostorum in Ecclesia. Vt autem simulatio à uirtute discerni possit, nota sit definitio uirtutis, quæ nominatur ταπεινοφροσύνη, pro qua usitatum nomen est Humilitas.

Vt autem res fiat illustrior antithesi, & cùm uicia notiora sint, prius Superbia definitur, in qua multa uicia concurrunt, ut sunt multæ appellationes, quæ

quæ non tantùm unicam uirtutem aut unicum uicium significant. Superbia est non cernentem propriam infirmitatem aut peccata, & sibi magnas uirtutes falsò tribuentem, securum esse, nec Deum nec pœnas timere, & fiducia propriarum uirtutum erumpere extra metas uocationis, mouere seu appetere maiora uocatione, & despicere alios, quasi non sint organa utilia, & irasci Deo & hominibus cùm impediuntur quò minus regnent. Ita initium Superbiæ est mendacium, quod sequitur securitas, deinde audacia erumpendi extra uocationem, ut Alexander somniat se Deum esse, deinde securus extra uocationem erumpit, contemnit leges, interficit uiros iustos. Samosatenus arrogans sibi magnam sapientiam, negligens uerbum Dei, nec metuens Deum, & confidens applausu populi extra metas effertur, & ferit opinionem gratam multitudini, & munit se factione, ut aduersantes opprimat & regnum teneat, etiamsi foris simulat, se non de sua antecellentia dimicare, sed de ueritate alios in speciem sibi præferens, non uult uideri appetere uoluptatem aut potentiam.

Superbia quid sit.

Initium superbiæ mẽdaciũ, sequitur securitas et audacia.

Iam contraria exempla ueræ humilitatis aspiciantur, ex quibus postea definitio constituatur. Nam in uera Humilitate simul sunt ueritas rectè iudicans de infirmitate. Deinde timor Dei & dolor propter infirmitatem & peccatum, deinde cura manendi intra uocationem, ut in Ionatha est ueritas rectè iudicans nullum hominem esse parem regno, & à Deo regem constitui, præsertim in Israël. Deinde sunt in eo timor Dei & cura manendi intra metas uocationis, seruit suo loco, & Deo gratias agit, quòd eum glorioſis testimonijs ornat, subijcit se Dauidi, cui uidet Deum tradidisse regnum, et non irascitur Deo, etiam cùm postea in calamitatem incidit. Sit igitur hæc definitio.

In uera humilitate quæ cõcurrant.

Vera Humilitas est uerè iudicantem de propria infirmitate timere Deum, & dolore affici propter propriam infirmitatem & peccatum, & est in uocatione Deo seruire fide & fiducia auxilij diuini, non despicere alios, sed iudicare Deum, alios quoque utilia organa facere, & eis propter Deum honorem tribuere, & non irasci Deo aut hominibus, cùm diuinitus pœnæ ueniunt. Hæc definitio sumitur ex his dictis, Prouerb: 16. Abominatio coram Deo omne cor superbum. Rom. 12. Non alta expetentes, sed humilibus contenti. Philip. 2. In humilitate mutua sentite, alios antecellere, sicut Christus, cùm esset in forma Dei, non rapuit æqualitatem Dei, id est, non est usus extra uocationem. Et Petrus inquit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Syracides, Quò maior es, eò magis te humilia, & inuenies gratiam coram Domino.

Definitio ueræ humilitatis.

Cùm igitur Paulus inquit: Nemo uos decipiat uolens in humilitate, intelligatur simulans humilitatem, quasi dicat, uolens decipere in humilitate. Talis est hominum natura, ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, pares uel inferiores amantur, & nemini gratum est se contemni. Iustum est enim suum cuique locum proportione Geometrica tribuere. Cùm igitur aliquis effert se supra alios, & præsertim cùm premit alios, ut quasi eos de loco ipsorum detrudat, uenit in odium, Denique omnes homines capiuntur assentatione. Grati sunt igitur, qui se subijciunt alijs & arte adulantur, & inflectunt se ad affectus eorum quibus placere uolunt. Ideo facilè capiuntur homines illa histrionica, quæ arte imitatur gestus humiliores, admirationem etiam parit, uideri non appetere uoluptates & opes, quia si essent sine auaricia & sine stulta ambitione, haberent excellentem uirtutem.

Homines facilè decipiũtur simulatione humilitatis.

Gestus humilitatis usitati sunt impostoribus.

Experientia autem ostendit has præstigias, id est, gestus humilitatis seu modestiæ, usitatas esse impostoribus, qui praua dogmata spargunt. Tales hypocritæ in genere humano semper fuerunt, sunt & erunt. Ideo & in Matthæo traditur admonitio de cauendis talibus insidiatoribus, quispeciem habent ouium & intus sunt lupi rapaces.

Iactare afflatus Enthusiasmos est peculiare genus præstigiarū.

Nominat Paulus & aliud genus præstigiarum, falsò iactare afflatus, Enthusiasmos, illuminationes, colloquia cum angelis, & uidere species diuinitus oblatas. Sicut in urbe Monasterienſi Anabaptistæ falsò iactarunt afflatus & singulæ ætates habent exempla. Expressè autem accusat eos mendacij Paulus, dicit eos superbè incedere in his quæ non uiderunt. Græca phrasis est, quæ superbo incessu elationem animi significat, ut, ἐπιβατεύων τῷ Σμέρδεως ὀνόματι, id est, superbiens nomine Smerdis. Dicitur igitur superbè eos iactare uanissima mendacia, quòd habeant afflatus aut angelorum colloquia, quæ non habent, Sicut multos noui, qui falsò gloriabantur, se habere afflatus, quos non habebant.

Θρησκεία.

Vocabulum θρησκεία est superstitio, quasi τερασκεία, id est, exercere prodigiosum aliquid, quasi τέρατα ἀσκεῖν. Suidas ait esse quasi θεὸν δέρκειν, Deum uidere. Quia uerò populus miratur tales, quos putat Deo familiares esse, & superstitiosi similem familiaritatem expetunt, ideo multi eis assentiuntur, siue uera siue falsa docentibus. Sæpè igitur admonitio de his præstigijs Enthusiastarum cauendis repetita est, & Paulus hîc inquit, frustra inflatos esse persuasione suæ carnis, id est, falsa imaginatione de sua sapientia & iusticia tumere, id superbire & sese efferre supra alios, & fingere se Prophetarum similes esse. Vt autem insidiæ caueri possint, necesse est normam aliquam esse. Difficilis enim dijudicatio est, ut etiam in ueteri uersu dicitur: χαλεπὸν νόον ἰδμοσύνας ἀνδρός. Item, κιβδήλου δ' ἀνδρὸς γνῶναι χαλεπώτερον οὐδέν.

Qua norma iudicandi sint impostores.

Expressa est autem norma uniuersaliter in his dictis: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Item, Nemo potest Fundamentum ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hanc normam & hîc monstrat cùm ait: Non tenens caput, scilicet, Christum qui per uocem Euangelij est efficax, & Ecclesiam colligit non per alias doctrinas. Ideo hîc diserte addit de capite, ut collectio Ecclesiæ intelligatur & comprehendatur Euangelium seu doctrinæ integritas. Ait ergo, Ex quo capite Christo totum corpus, id est, Ecclesia, per iuncturas & compages coagmentatur & crescit, & fit tale corpus, in quo Deus erit omnia in omnibus in æternitate. Intelligit autem iuncturas & compages consensum in eadem uera doctrina, quo consensu membra Ecclesiæ copulantur, & Filius Dei efficax est, colligens Ecclesiam una & eadem uoce Euangelij, sicut inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Estq; antithesis opposita enthusiastis, de quibus prius dixit, quasi dicat, illi gloriantur se esse domicilia Dei & habere enthusiasmos, sed palàm mentiuntur, quia nec membra sunt Ecclesiæ, nec habitat Deus in impostoribus, qui fingunt genus doctrinæ contrarium Euangelio. Sed habitat Deus in his, qui sunt adiuncti capiti Christo, & sunt membra Ecclesiæ retinentia eandem uocem Euangelij incorruptam.

Anabaptistæ.

Gloriantur Anabaptistę se habere mirandos enthusiasmos, sed certum est eos esse impostores, Quia manifestè discedunt à capite Christo, & à doctrina Euangelij, & sunt hostes ueræ Ecclesiæ & doctrinæ ueræ, fingunt se esse iustos suis

suis ementitis afflatibus & sua patientia, & patientiam nominant desertionem politici ordinis &c. Qui tantos errores retinent pugnantes cum Euangelio, nec templa Dei sunt, nec membra Ecclesiæ, sed sunt extra compages illas, de quibus hîc Paulus loquitur.

Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, cur tanquam viuentes in mundo decreta facitis: Non attingas, non contrectes, non gustes &c.

INitiò monendi sunt iuniores, hæc uerba: Non attingas, non gustes, non contrectes, dici μιμηλακῶς, seu recitatiuè, non dispositiuè, id est, Paulus recitat exempla alienarum legum, quales hypocritæ condunt: Non gustes carnem die sexto &c. Non inseruit hæc uerba tanquam leges ferens, ut Monachi insulsè interpretati sunt, non intelligentes figuram dictionis. Addit autem, Quæ sunt omnia interitura ipso usu, ut uestis, pocula atteruntur usu assiduo, cibi usu consumuntur. Vult enim dicere, nouitas in renatis est æterna lux & uita per Filium uoce Euangelij & Spiritu sancto accensa, & sunt res æternæ Filius Dei & Spiritus sanctus. Non est igitur Euangelij iusticia res seu obseruatio rei, quæ usu consumitur, ut ciborum aut uestium. Ac uocabulum ἀπόχρησις non significat abusum, quod est κατάχρησις, Sed ἀποχρησις significat assiduitatem usus seu sufficientiam in usu, ut innumerabilia exempla ostendunt, ut apud Platonem 2. πολιτειῶν. Αποχρῆ, id est, sufficit dicere Deum tantorum bonorum autorem esse.

Non attingas, non gustes, dicuntur μιμηλακῶς.

Ἀπόχρησις.

Secundum mandata & doctrinas hominum, quæ habent speciem sapientiæ in superstitione &c.

VT sciri possit in his Pauli concionibus reiici non solùm ceremonias Mosaicas, sed etiam alios ritus, qui instituuntur humana autoritate, siue ab Episcopis, siue à Monachis, siue ab alijs hominibus. Ideo expressè hîc nominat & reiicit præcepta & doctrinas hominum, & superstitiones, quas nominat ἐθελοθρησκείας, id est, ritus sine mandato Dei excogitatos, seu exercitia uel corporis uexationes non mandatas à Deo, ut aliqui inediam tridui aut plurium dierum sibi indixerunt. Eremitæ abdiderunt se in solitudinem etiam familijs relictis. Monachi instituerunt cœlibatum & alios ritus. Semper in mundo usitatum fuit fingere cultus, & inde processit audacia hominum, ut etiam noua numina fingerent excogitatis uarijs cultibus, ut Milites finxerunt Martem, Mulieres Iunonem, Venerem & alia Idola. Alligat aũt nos Deus in primo præcepto Decalogi ad unum uerum Deum, qui se patefecit hoc ipso uerbo, quod tradidit per Prophetas & per Filium, & sæpissimè damnat omnes alias inuocationes, ut cùm inquit: Non habebis Deos alienos. Item, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Et Esai: 44. Hæc dicit Dominus rex Israël: Præter me non est Deus. Ac uult nos in inuocatione hunc uerum Deum alloqui, & segregare nostram inuocationem ab aliarum gentium inuocationibus. Dicitur & expressè de cultibus Iesai. 29. Frustra colunt me mandatis hominum. Et Ezechiel: 20. In præceptis Patrum uestrorum nolite incedere, in præceptis meis ambulate, & sciatis, quòd ego sim Dominus Deus uester. Et in numeris 15. Non sequantur cogitationes suas & oculos meretricios, id est, respicientes ad uaria numina, sed memores præceptorum Domini faciant ea, sintq; sancti Deo suo, ego Dominus Deus uester, qui eduxi uos de terra Aegypti.

ἐθελοθρησκείαι.

Opera non mandata à Deo non sunt cultus Dei.

Hæc illustria & expressa testimonia omnibus notissima sint, ut sciamus opera non mandata à Deo non esse cultus Dei, & sit nota definitio, uidelicet: Cultus Dei est opus à Deo mandatum, factum in fide, cuius finis principalis est, ut Deo hunc honorem tribuamus, id est, ut hac obedientia testemur hunc uerum Deum esse, quem sic colimus, & eum sic uelle coli.

Traditiones humanæ, cur & quomodo habeant spiritum sapientiæ.

Sed cur inquit Paulus, traditiones humanas speciem habere sapientiæ humanæ seu prætextus, qui sapienter cogitati uidentur, cùm in multis ritibus manifesta sit crudelitas seu turpitudo, ut in mactatione hominum, in Bacchanalibus, in stupris, multa item manifesta mendacia, ut in adoratione statuarum, aut in adoratione panis in circumgestatione, quem fingunt Deum esse? Respondeo. Paulatim ad absurdiora gradus fiunt, initia autem & semina minus conspiciuntur, ut dicitur: Dato uno inconuenienti multa sequuntur. Augent enim Diaboli furores in impijs. Loquitur ergo Paulus de multis, quæ minus habent absurditatis, ut initiò utilitatis causa constitutum est, ut tres essent præcipui Episcopi, Romanus, Constantinopolitanus & Alexandrinus, quorum singuli haberẽt autoritatem conuocandi Synodos uicinorum, & ut ad eos fieret prouocatio à uicinis. Hîc triumuiratus humano iure constitutus est, & tunc utilitas mouit Synodos. Postea uerò Romanus Papa multa tyrannicè affinxit, se iure diuino summum esse Episcoporum, habere potestatem condendi dogmata & cultus, se habere utrumq; gladium, denique ut fit in aulis, multi prestigiatores sine modo amplificauerunt autoritatem Pontificiam. Ante paucos annos scripserunt Monachi, oblationem in Missa mereri remissionem peccatorum ex opere operato. Id cùm sit manifestè absurdum, nunc arte tegunt & uerecundius loquuntur, & tamen neruum idolatriæ retinent, & multa alienа à re de sacrificijs & de κακοζηλίᾳ Leuiticorum sacrificiorum cumulant, quæ ornantur uerbis, ut de sophistica uerum est, quod dicit Euripides in Hippolyto: ὅι καλοὶ λίαν λόγοι euertunt bene ordinatas urbes. Ideo Paulus hîc inquit, habere traditiones speciem seu prætextum sapientiæ. Sic enim interpretor λόγον, quasi dicas, Verba non rem, ut Græci usitatè de falsis prætextibus dicunt: λόγῳ ἔστι μὴ πρόφασις, id est, uerba sunt non res. aliud ostenditur, aliud agitur, ut cùm Carolus Imperator simulabat se bellum inferre nostris non religionis causa, λόγῳ ἦν μὴ πρόφασις, uerba erant & prætextus. Sic loquitur Plutarchus in Eumene. Vt autem ad præstigias sophisticas aptè & perspicuè respondeatur, uruncq; necessarium est, nosse fontes earum doctrinarum, ex quibus materia disputationis sumitur, & non esse rudem Dialectices, ut cùm defendunt Papistæ traditiones humanas, λόγῳ μὴ πρόφασις est.

Triumuiratus Romani, Constantinopolitani & Alexandrini Episcopi.

Oportet in Ecclesia esse ordinem, ut Paulus inquit: Omnia decorè & ordine fiant in Ecclesia. Ergo pastores possunt condere decreta.

In Ecclesia possunt conditi ritus ordinis causa sine opinione cultus & necessitatis.

Respondeo ad consequens: Possunt boni ordinis causa consentiente Ecclesia aliqua lectionum aut festorum discrimina facere, sed sine opinione cultus & sine opinione necessitatis. Papistæ autem addunt falsas opiniones cultus & necessitatis. Has falsas opiniones taxare & tollere necesse est, quæ adduntur dicto Paulino contra regulam, quę uetat plus esse in conclusione quàm in præmissis.

Osiandri grãdiloquentia obruit doctrinam fidei.

Species sapientiæ est & Osiandri grandiloquentia, quæ obruit doctrinam Euangelij de iusticia fidei. Nos affirmamus in hac misera hominum natura magna peccata, & magnas sordes manere, etiamsi renatus accepta remissione pec-

ne peccatorum per fidem factus est templum Dei, & uerè in eo accendit Filius nouam lucem uoce Euangelij, & dato Spiritu sancto nouos motus in corde ciet. Semper igitur in hac uita tenenda est consolatio, renatos iustos esse, id est, acceptos Deo propter Mediatorem per misericordiam sola fide, sicut Dauid inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Hîc Osiander magnificam speciem sapientiæ opponit. Solus Deus est iusticia, Ergo habens Deum habet iusticiam. Ita abducit homines à conspectu Mediatoris, & delet fidem, id est, fiduciam misericordiæ, & docet homines confidere in propria nouitate, quam efficit Deus.

Est igitur imaginatio Osiandri corruptela, & non est λογομαχία, sed reipsa tollitur ex conspectu doctrina Euangelij, & mouent homines illa ῥήματα περὶ δικαιοσύνης, Iusticia essentialis, & hæc species sapientiæ: Solus Deus est iusticia, Quod uerum est de sua iusticia æterna, & immensa iudicante, seruante & damnante, de fonte & perfectione iusticiæ. Et simul propositio uera est: Obedientia Filij est iusticia, quæ pro nobis est precium, & est constituta, ut sit illa iusticia, propter quam nos iusti & accepti simus. Cùm ergo additur: Habens Deum, habet iusticiam, intelligas quatenus habet, ut si dicas: Solus Deus est fortitudo. Ergo habens fortitudinem, habet Deum. Concedo quatenus habet, ut Alexander fortiter prælians armatur à Deo, sed non propterea iustus est. Ita nouitas est opus Dei, & renatus habet Deum, sed ita, ut prius accipiat imputatam iusticiam propter Filium fide.

Osiandri imaginatio corruptela est, non λογομαχία.

Hoc modo primùm persona recipitur, postea nouitas, quam efficit Deus, est iusticia, quatenus est opus Dei. Sed simul adhuc in nobis manent multa peccata, ideo persona propter aliud est accepta, uidelicet, propter obedientiam Mediatoris, quæ etiam est iusticia, & quidem illa iusticia, propter quam nos sumus fide accepti. In hoc exemplo consideres, quantum caliginis offundat illa species sapientiæ, & quàm difficilis sit explicatio. Sed annitendum est in bonis causis, ut & confirmationes firmas teneamus, & quantum fieri potest obiectiones perspicuè soluamus, ac simus memores dicti Aristotelici: πολλοὶ πλέξαντες ἓν, κακῶς λύσει.

Non parcendo corpori &c.

VEtustas, quę fuit seuerior, magis amauit disciplinam & exercitia temperantiæ, Aliqui extenderunt inediam in triduum & plures dies, & læserunt corpora. Aliqui etiam affinxerunt talia opera esse cultus Dei, iusticiam & satisfactionem, & mereri remissionem culpæ & pœnæ, ut expressè scripsit Thomas. Ita multi dupliciter peccauerunt, læsione corporum & falsis opinionibus. Ideo ad Timotheum Paulus grauissimam admonitionem tradit: Corporale exercitium ad modicum utile est, pietas ad omnia utilis est. Hîc exercitia ut labores corporis & inediam, quæ sibi quisque suo iudicio sumit, sapienter discernit à pietate, id est, necessarijs cultibus, & loquitur discretè. Cultus nominat opera necessaria mandata à Deo, non sic nominat alia opera non mandata à Deo, sed exercitia, & uerecundè reprehendit: Ad modicum utilia sunt. Vult intelligi quis sit eorum usus, & uult modum esse. Ac quia sæpe in Ecclesia stultæ & superstitiosæ opiniones ad illa exercitia accesserunt: multæ & aliorum admonitiones de hac re leguntur. Ex Athanasio recitatur hoc dictum memoria dignum: καλὸν ἡ ἄσκησις μετὰ ἀληθοῦς γνώσεως ἢ συμμετρίας.

Differunt exercitia corporis nostro iudicio sumta à pietate.

Bona res est exercitium corporis cum uero intellectu & congruente modo, id est, ubi est fides sine hæreticis opinionibus. Item, ubi scitur hos labores nostro iudicio sumtos non esse cultus Dei, non iusticiam, non meritum, & ubi hæc exercitia sunt mediocria, ibi bona res est hæc consuetudo se frenandi, quia tunc consuetudo nihil aliud est, quàm concinno ordine uiuere: amat autem natura ordinem.

Antiquitas superstitiosa fuit in exercitijs, Nostra ætas prophana est.

Erant in carcere multi sancti uiri, inter quos fuit uir nobilis Attalus, is reprehendit alium, qui tantùm pane, sale & aqua uictitabat, & dixit eum suo exemplo alios turbare, qui imaginarentur, sese non esse sanctos, quia non tam duriter uiuerent. Vt autem illa ætas & corpora læsit, & superstitiosas opiniones addidit exercitijs, ita nunc laxatis uinculis traditionum, multi in alteram partem peccant. Non seruamus ordinem in cibo, potu & laboribus. Tempora iusta cibi, potus, precationum, laborum, studiorum ferè nemo seruat, & si qui uellent seruare, impediuntur barbaricis œconomijs. Deinde quàm multi sunt, qui helluantur magna parte noctis, idq; faciunt securius, quia audiunt inediam non esse cultum Dei. Hæc consideranda sunt, & opponenda est Pauli admonitio peccatis utriusq; generis.

Honor habendus corpori.

Præcipit Paulus honorem habere corpori, id est, præcipit ordine uiuere, & nec inedia nec helluatioue corpora lædere. Sed cur nominat honorem, cùm satis esset, ordine uiuite? Sic loqueretur Medicus. Sed Paulus honorem nominat, ut de causis nos commonefaciat, propter quas ordine uiuendum est.

Honos quas res complectatur.

Honos enim primum & ante omnia est quiddam quod Deo debetur, id est, agnoscere & fateri, quòd uerè sit Deus creator, qui se patefecit misso Filio, perfectè sapiens, uerax, beneficus, iustus, iudex, castus, curans homines, exaudiens & saluans rectè inuocantes.

Honos quas res homini, & humano corpori tribuat.

Et ad honorem pertinent hæc duo, uidelicet, hæc fateri & subijcere nos Deo. Postea cùm hominibus honos tribuitur, semper intelligatur tribui propter aliquod diuinum, id est, quia ibi Deus aliquid per se agit, ut honos debetur Mosi, Heliæ, quia certum est, eos & missos esse à Deo, & domicilia Dei esse, & lucere Deum ac agere in eis. Ita intelligatur honos tribuendus esse corpori, quia Deus infundit se in membra nostra, in cerebro cogitatione uerbi accendit lucem, qua eum rectè agnoscimus, & inuoluit se Spiritus sanctus spiritibus cordis, & cerebri & neruorum, & ut flamma nostras flammas purificat & agitat, ut cùm Dauid præliatur inuadens & prosternens Goliath, mens imtuetur Deum, & cogitat eum adesse in Ecclesia sua, repetit cogitatione promissiones diuinas, & petit à Deo auxilium diuinum. Ita hac cogitatione uerbi lucem accendit Filius & Spiritus sanctus dat robur cordi, armat neruos in brachijs. Ita corpus Dauidis est domicilium & organum Dei. Ideo Paulus inquit honorem tribuendum esse corpori.

Ebrietas impedit intentionem cogitationis de Deo.

Cogitemus igitur, quantum mali sit hoc organon & domicilium Dei pestulanter destruere, uel inedia uel ingluuie. Et ualde impediri ebrietate intentionem cogitationis de Deo, & pios motus in corde, ostendit dictum Oseæ 4. Scortatio, uinum & ebrietas auferunt cor. Et Experientia genuit hæc dicta: Et Venus in uinis, ignis in igne furit. Et Odyss: φ. οἵ τ' ἄυτῳ πρώτῳ κακὸν εὗρεπο βαρείων, id est, Sibi ipsi primò malum inuenit uino grauatus. Quare & Dominus inquit: Cauete ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate. Et 1. Petri 4. dicitur: Sitis sobrij ad precationes.

Simus

Simus igitur eò temperantes, ut corpus in præsentia sit idoneum ad cogitationes de Deo, & ad motus diuinos, & sit durabilius & firmius in sanecta.

Quòd autem inquit Paulus: Ad saturitatem carnis, iubet sic tribuere honorem corpori, ut quantum satis est tribuatur, cibi, potus, somni, exercitiorum. Excludit igitur & defectum & excessum. Nam πλησμονὴ non significat hîc excessum uel superfluitatem, sed saturitatem conuenientem corpori, & existimo Paulum uerbo pleniori usum esse ad taxandos hypocritas, qui corpora nimiùm fraudabant necessarijs adminiculis, & accersebant morbos & delíria cerebri, inde fingebant sibi ostendi uaticinia & spectra, sicut multos uidimus.

CAPVT TERTIVM.

IN prioribus duobus capitibus tradidit Paulus summam Euangelij, & admonitionem de cauendis corruptelis doctrinæ, taxauit falsas opiniones de ceremonijs Mosaicis, & de traditionibus, quæ finguntur humana audacia in Ecclesia.

Nunc in tertio Capite incoat doctrinam de bonis Operibus, in qua sunt multæ dulces uirtutum descriptiones & insignia quædam præcepta, quale est hoc de assiduitate in docendo & cogitando sermone diuinitus traditio: Sermo Christi habitet in uobis abundè cum omni sapientia, & docete & commonefacite uos mutuò. Huic dulcissimæ admonitioni omnes obtemperemus, & sæpè legamus, audiamus & cogitemus doctrinam à Deo traditam, ut nos excitemus ad agnitionem Dei, ad ueram inuocationem, & ad timorem Dei. DEVS enim efficax est cogitatione uerbi ipsius, ut & Psalmus docet: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino. Et Rom. 1. dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Tertiũ caput habet doctrinam de bonis operibus.

Suntq; damnanda deliramenta Stencfeldij & similium Enthusiastarum, qui fingunt Deum sese communicare sine cogitatione uerbi diuini, & abducunt homines à ministerio Euangelij, & à lectione & cogitatione doctrinæ. Paulus contrà inquit: Habitet inter uos, & quidem, Abundè. In utraque uoce insignis Emphasis est. Vult sermonem diuinum ita familiariter nobis notum esse, ut sunt qui in eadem familia nobiscum habitant. Nec dubium est in illo pectore habitare Deum, quod in conuersione & fide cogitat uerbum Dei, ac uult Paulus copiosè cogitare. Addit autem, Cùm omni sapientia, id est, uult legi, non ut excerpamus mutilata dicta, ut ad prauas cupiditates, ad assentationes, ad cauillationes & corruptelas detorqueantur, ut semper hæretici præstigijs, sophismatum luserunt & ludunt.

Sermo Christi habitet inter uos abundè cum omni sapientia.

Sed redeo ad initium tertij Capitis. Argumentum præponitur concioni de bonis Operibus usitatum Paulo, ductum à causa & effectibus. Vetus natura est mortua in conuersis, Ergo non sit efficax. Viuit autem in uobis Christus, Ergo sit efficax, & inserta est occupatio. Cur dicis, nos resuscitatos esse cum Christo, cùm tamen adhuc simus subiecti morti, ingentibus ærumnis, horribili luctæ cum peccato, pauoribus & dubitationibus? Ad hanc obiectionẽ respondet: Vita uestra abscondita est cum Christo in Deo, id est, etsi incoata est uita, tamen nondum gloria Ecclesiæ conspicitur, conspicienda tunc cùm Dominus rursus

Gloria Ecclesiæ nondum conspicitur in hac uita.

rursus apparebit. Nunc habemus initia, quæ adhuc tecta sunt morte corporis, reliquijs peccati & magnis ærumnis, sicut inquit Rom: 8. Si Christus est in uobis, corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus autem uita est propter iusticiam.

Hîc multæ insignes materiæ continentur, declaratio articulorum Symboli: Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Dei patris &c. Item, quæ sint proprietates glorificati corporis. Item, quomodo dicatur: Christus est in uobis, Christus est uita uestra. Ac primûm de dicto: Ascendit in cœlum. Quomodo hæc congruunt? Alibi dicitur: Filius qui est in sinu Patris. Item, Iohan: 3. Filius hominis qui est in cœlo. Respondeo, In Symbolo intelligatur dictum, ut sonat litera, & de corpore & de corporali locatione, Ascendit, scilicet, corporali & Physica locatione, in cœlum, id est, in locum cœlestem, ubicunque est, quia hîc non sunt fingendæ allegoriæ. Ascensio fuit uisibilis & corporalis, & semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse ubicunque uult, & ascensio corporalis facta est sursum. Ideo Paulus in hoc capite locum illum nominat sursum.

Dictum Symboli, Ascendit in cœlos de corporali & Physica locatione.

At in propositione: Filius qui est in cœlo, dictum intelligatur communicatione Idiomatum. λόγος semper est in cœlo, etiamsi corporali locatione corpus est in uirgine. Hæc narratio expressa est in enarratione Symboli, quæ legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est: Enarratio Ruffini, Ascendit ad cœlos, non ubi uerbum Deus antea non fuerat, quippe qui erat semper in cœlo, & manebat cum Patre, sed ubi uerbum caro factum antea non sedebat, id est, ubi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, & citantur uerba in Longobardo lib: 3. distinct. 22. Non dimisit Patrem Christus, cùm uenit infirmior, ubiq; totus, ubique perfectus. Deinde additur forma sermonis, Vbique totus est, sed non totum. Alij concinnius locuti sunt: Propositio uera est communicatione Idiomatum: Christus ubique est.

Dictum Filius qui est in cœlo.

Athanasius sic loquitur de incarnatione uerbi: λόγος non colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, ut & in eo sit, & extra omnia, & in sinu Patris, neque cùm sit in omnibus, sit pars aliorum, sed omnia uitam, sustentationemq; ab ipso accipiunt.

Vt autem de locali ascensione naturæ humanæ dictum est: Ascendit ad cœlos: Ita de exaltatione naturæ humanæ super omnes creaturas dictum est: Sedet ad dexteram Patris, ut hîc Paulus inquit: Vbi est ad dexteram Dei sedens. Ait Christum sursum esse, & quidem ad dexteram Dei, id est, non ut beati angeli & homines sursum sunt, sed exaltatus supra angelos in illa arcana luce Dei regnans cum Patre, & tamen corpus localiter alicubi est secundum ueri corporis modum, ut Augustinus inquit. Et hæ propositiones: Christus in uobis est, Ego in eis, ueniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus &c. intelligantur communicatione Idiomatum. Et de hac præsentia Filij in prædicatione Euangelij & in sanctis, necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, ut agnoscamus Dominum nostrum Iesum Christum adesse Ecclesiæ, & esse caput omnia in omnibus perficiens.

Dictum, sedet ad dextram patris.

Iam ad Argumentum Pauli redeo, qui facit antithesin mortis nostræ & resurrectionis. Dicit nos esse mortuos, scilicet, quia in uera conuersione naturæ carnalis incipit mori, & addit nos resuscitatos esse, quia uiuificatio incoata est, sicut & suprà locutus est. Hinc ducitur argumentum ex efficiente causa, sicut

Antithesis mortis nostræ & resurrectionis.

Rom. 6.

Roman: 6. argumentatur. Mortua natura non sit efficax, uiua sit efficax. Estis autem uiuificati uita, luce & iusticia, quàm dat Filius Dei resuscitatus ad hoc, ut uos resuscitet & uiuificet. Ergo hæc lux & iusticia sit efficax, non sit ociosa in uobis uiuificatio incoata per Filium Dei resuscitatum.

Hæc est argumenti summa hoc loco. Intexit autem singularem consolationem, qua occurrit, tacitæ obiectioni: Cur dicis nos resuscitatos esse, cùm adhuc mortem, morbos, reliquias peccati, ingentes dolores & inenarrabilem molem calamitatum in nobis circumferamus, & uideatur nihil esse imbecillius Christo. Respondet. Viuitis & habetis initia uitæ æternæ, sicut habebat Latro pendens in cruce. Sed hæc initia adhuc tecta sunt, ut erant in latrone tecta, qui tamen sentiens consolationem, sciebat se iam habere initia uitæ æternæ, & sciebat Christum esse efficacem, quanquam mundus putabat eum nihil esse. Ita hîc inquit, Christum quoque tectum esse, scilicet, quia mundus non uidet eius efficaciam & ridet Euangelium horribili securitate tanquam inanem, fabulam.

In credentibus sunt initia uitæ æternæ, sed tecta.

Sed gloria Filij & Ecclesiæ conspicietur in postremo iudicio, ubi omnes homines uidebunt Christum, & fuisse & esse efficacem, & Euangelium non fuisse inanem fabulam. Hanc consolationem intexit argumento, quo hortatur, ut in incoata mortificatione & uiuificatione perseueremus, non amittamus hos effectus Christi, ruentes contra conscientiam in noua scelera. Hæc summa comprehenditur in hoc dicto: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Gloria Filij Dei conspicietur in postremo iudicio.

Propter quæ venit ira Dei super filios inobedientiæ &c.

NOTA sit phrasis Hebræa. Filij inobedientiæ, id est, homines inobedientes, ut Filius perditionis, id est, filius perditus, etsi emphasis est in hac phrasi, quasi dicat, proprius perditionis (ut filius est proprius patris) seu cui dominatur perditio. Filius iræ, filius reus, proprius iræ, id est, reatus. Deinde & res consideremus. Dictum Pauli hoc loco positum adiungatur alijs testimonijs de noua obedientia contra Antinomos, Firmissimè enim tenenda est regula: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam. Ac certissimum est ruentes in scelera contra conscientiam effundere Spiritum sanctum, & iterum fieri reos æternæ pœnæ, nisi rursus conuertantur. Quia expressè dicitur, 1. Corinth: 6. Ne erretis, nec scortatores, nec adulteri possidebunt regnum Dei, scilicet, tunc cùm sunt tales, sunt rei æternæ mortis. Et Galat: 5. Talia facientes regnum Dei non possidebunt, & 2. Petri 2. Si rursus implicantur prioribus contaminationibus, fient eis posteriora deteriora prioribus, & accidet eis iuxta Prouerbium: Canis reuersus ad uomitum &c. Hæc esse uera certissimum est, & execrandi sunt Antinomi, qui fingunt homines esse iustos fide, etiamsi perseuerent in sceleribus contra conscientiam.

Antinomorũ error, homines iustos esse fide, si perseuerent in delictis contra conscientiam.

Ac perspicuè loquimur de noua obedientia, uidelicet, nouam obedientiam non esse meritum seu precium uitæ æternæ, & tamen nouam obedientiam eo ipso necessariam esse, quia hic ordo in Deo immotus est, ut creatura creatori obediat. Item, Quia Filius Dei uenit, ut destruat peccatum, non ut confirmet licentiam ruendi in scelera. Non ideo pependit in cruce in horribilibus doloribus, ut tu sumas tibi licentiam contaminandi te libidinibus & alijs sceleribus.

Noua obedientia non est meritum, sed tamen est necessaria.

Tertiò

Tertiò neceſsitas eſt etiam propter ordinem cauſæ & effectus, quia ubi eſt in corde Spiritus ſanctus, ibi non regnat peccatum, ſed Spiritus ſanctus, iuxta dictum: Si actiones carnis ſpiritu mortificabitis, uiuetis. Nec tamen illa phraſi utimur: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, quia intelligitur de merito. Simul enim gratis propter Mediatorem, & per eum accipimus remiſsionem peccatorum, imputationem iuſticiæ & uiuificationem, ac efficimur hæredes uitæ æternæ, ſicut ipſe Dominus inquit: Ego uitam æternam do eis. Item, Qui habet Chriſtum habet uitam. Item, Iuſtificati fide pacem habemus ad Deum. Item, Roma: 8. Si ſumus filij, ſumus & hæredes. Item, Hæc eſt uita æterna, ut agnoſcant te uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum. Nominat autem inobedientes hoc loco, qui diſcedunt ā regula: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conſcientiam.

Poſteaquam exuiſtis ueterem hominem &c.

Vetus & nouus homo, Paulo quid ſignificent.

PHraſis Pauli eſt, in eodem homine renato nominare ueterem hominem, & uetuſtatem & exteriorem hominem, reliquias naturæ carnalis uicioſæ. Contrà uerò nouum hominem & nouitatem ſpiritus, & interiorem hominem, quatenus in mente, uoluntate & corde noua lux & noui motus accenſi ſunt â Filio Dei, uoce Euangelij & Spiritu ſancto, ut 2. Corinth: 4. dicitur, Interior homo renouatur de die in diem. Et hæc rectè intelligenda ſunt, Nouitas fit in uera conuerſione, cùm uoce Euangelij noua lux in mente per Filium accenditur, & datur Spiritus ſanctus, fidem, lætitiam, inuocationem & alios motus incoans qualis ipſe eſt. Nec fiat hîc confuſio Euangelij & Philoſophiæ, ſicut quidam falſò ſcripſerunt nouitatem eſſe rationem, ſenſus uetuſtatem. Sed ſciendum eſt etiam rationem ſine Filio Dei, ſine uoce Euangelij & ſine Spiritu ſancto eſſe uetuſtatem & tenebras. Hæc alibi copioſius explicata ſunt.

Nouus homo imago Dei. Imago Dei, ſecundum Auguſtinum.

Nominat autem hîc Paulus nouum hominem imaginem Dei, ubi rectè intelligatur hæc doctrina. Auguſtinus interpretatur imaginem de potentijs hoc modo. In anima ſunt mens ipſa, cogitatio & motus, Hæc tria ſic accommodat. Aeternus Pater eſt ueluti Mens, Filius, Imago Patris cogitatione genita, Spiritus ſanctus, ut motus. Et piè ac prudenter iſta conſiderantibus non erit ingrata hæc collatio, quia certè anima eſt teſtimonium de Deo, & uult nos Deus intelligere, ſe eſſe Eſſentiam intelligentem, cogitantem ſeſe, & motricem. Sed ad hæc Auguſtini dicta de potentijs hoc addo: Potentias intelligendas eſſe non corruptas, ſed uel integras uel renaſcentes. Sic ad Epheſ: ſcriptum eſt: Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſticia & ſanctitate ueritatis.

Pauli ſentētia de imagine Dei in homine.

Hîc non fit tantùm potentiarum mentio, ſed uult in potentijs eſſe iuſticiam & ſanctam ueritatem, id eſt, uult lucere in nobis ueras noticias de Deo, firmam aſſenſionem & iuſticiam, id eſt, conformitatem cum Deo, ſicut initiò homo conditus eſt, habens ueras noticias & conformitatem in uoluntate & corde cum Deo. Et dulciſsimè hîc dicitur: Renouetur nouus homo ad agnitionem, ut ſciamus in nouitate accendi nouam lucem, & quidem uoce Euangelij.

Oſiander alia quędam diſputat de imagine Dei: nominari hominem imaginem Dei, propterea quia Filius fuerit aſſumturus humanam naturam. Hoc uerum eſt, ſed tamen comprehendi neceſſe eſt, Veritatem & iuſticiam, qua effi-

cimur ſimiles Filio, ſanctificante nos Deo & aſsimilante Filio.

Vbi

Vbi nec Græcus est nec Iudæus &c.

SEmper in conspectu sit doctrina de distinctione iusticiæ Euangelij & rerum politicarum. Euangelium non condit nouas politias, sicut Loriothus & alij multi fingunt: Sed concionatur de pœnitentia singulorum in corde, & de restitutione æternæ iusticiæ & uitæ in singulis, quæ restitutio fit ipso Filio Dei uiuificante corda uoce Euangelij, & dante Spiritum sanctum. Foris autem sinit nos uti in uita corporali diuersis politicis legibus, si non pugnent cum legibus naturalibus, sicut alij alijs cibis utuntur, aut alij alijs spacijs dierum. Ideo hîc inquit, non esse discrimen Græci & Iudæi. Hanc sententiam sæpe repetiuit, quia Pseudoapostoli uolebant Gentes ad politiam Iudaicam alligare, sicut nostro tempore Carolostadius & alij uolebant delere & tollere ius Romanum, & res iudicare ex legibus Mosi.

Discrimen iusticiæ Euangelij et rerũ politicarum semper sit in conspectu.

Contra tales errores confirmati simus his Pauli dictis, & rectè discernantur iusticia propter quam Filius Dei missus est, & ordo politicus. Dicit autem omnia in omnibus esse Christum, omnia, uidelicet, propria noui hominis sunt Christus, scilicet, quo ad meritum, & quo ad effectionem seu quo ad gratiam, & quo ad donum. Christus factus est tibi iusticia, ut uidelicet propter eum imputetur iusticia, & simul est tibi uiuificator, uiuificans cor uoce Euangelij, & dans Spiritum sanctum.

Super hæc habete dilectionem, quæ est Vinculum perfectionis &c.

DIlectio est uinculum perfectionis. Vocabulum perfectionis hîc non intelligatur priuata perfectio unius personæ seu perfecta impletio legis: Sed intelligatur corporis Ecclesię coagmentatio seu coniunctionis & concordiæ conseruatio. Dilectio est uinculum coagmentationis Ecclesiæ, id est, donec retinent doctores dilectionem, etiamsi interdum accidit, ut aliud alteri uideatur, tamen non mox dilaceratur Ecclesia, sed docti tolerant infirmiores & placidè student sanare, & rursus infirmiores non grauatim audiunt alios doctiores, sicut modesti filij senes parentes, sicut dicitur: Ακεσαι δὲ φρένες ἐσθλῶν, id est, sanabiles sunt animi bonorum.

Vocabulum perfectio.

Sermo Christi habitet in Vobis opulenter cum omni sapientia &c.

INter præcipuas sententias huius Epistolæ & hanc meminisse oportet, cum multas grauissimas admonitiones contineat, præsertim commendantes doctrinæ studium, diligenter & sæpe consideranda est. Primùm hîc legis mandatum diuinum esse, ut doctrinam Christi rectè discamus, & emphasis est in signis in his uerbis: Habitet in uobis, & quidem opulenter. Familiarissimè noti sunt qui nobiscum habitant. Scias etiam uerè in illo pectore Deum ipsum habitare, in quo cogitatur doctrina de cõuersione ad Deum, & in consolatione & inuocatione, sicut expressè Dominus inquit: Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Mandatum diuinum est, ut doctrinã Christi discamus.

Placent igitur Deo lectio & cogitatio doctrinæ, & per eam Deus est efficax & habitat in nobis. Addit autem, Cum omni sapientia. Legunt Prophetarum & Apostolorum libros etiam hæretici & omnes præstigiatores, sed sine sapientia legunt, id est, fontes non rectè discunt, qui sunt in ipsis libris Pro-

Hæretici & præstigiatores legunt libros Prophe-ticos sine sapientia.

pheticis & Apostolicis, ut Papistæ non discernunt Legem & Promissionem gratiæ, cultus diuinitus mandatos, & superstitiones ab hominibus excogitatas. Anabaptistæ confundunt doctrinam de iustitia æterna in corde, & de uita politica, fingunt Euangelium barbariem esse, quæ damnet ordinem politicum. Antinomi non discernunt peccata contra conscientiam ab alijs &c.

Testimonia præcipientia de ordine doctrinæ.

Addita est igitur hîc admonitio, ut sapienter consideremus ordinem doctrinæ & discrimina membrorum, sicuti alibi iubet sermonem diuinum ὀρθοτομεῖν. Et Syracides inquit, cap. 3. Quæ præcipit tibi Deus, hæc cogita sanctè, id est, retine natiuam sententiam uerbi Dei, nec affingito prophanas opiniones, sicut usitatum est omnibus hæreticis, omnibus Idolorum cultoribus & omnibus præstigiatoribus. Item 2. Timoth: 1. Formam retine sanorum sermonum. Vt autem iudicari & uitari corruptelæ & præstigiæ possint, necesse est rectè doceri homines, commonefieri & emendari falsas opiniones, sicut & Prouerb: 30. dicitur: Omne uerbum Dei purgatum clipeus est sperantibus propter ipsum. Purgatum inquit, sicut metalla coquuntur, ut fiat segregatio argenti & scoriæ. Sic discendo quærenda est propria & natiua sententia, & removendæ sunt sordes. Ideo Paulus addit: Docentes & emendantes uos mutuò.

Cùm igitur audimus præcipi studium docendi & discendi, obediamus Deo, & hos labores docendi & discendi propter mandatum Dei amemus, & placere eos Deo sciamus. Sed simul adiuncta sit inuocatio, sicut inquit Dominus: Orate ne intretis in tentationem. Item, Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Sit etiam studium sine Sophistica, sine curiositate quærendi non necessaria, ut Syracides præcipit: Ne curiosè quæras in sermonibus tuis non necessaria.

Omne quodcunq; facitis in verbo aut opere &c.

Via quid significet.

REgula uitæ est: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Psal: 36. Via significat uocationem & omnia officia uocationis, id est, laboris honesti, ad quem rectè uocati sumus. Vocatio enim non est impij laboris. Docet igitur Psalmus omnes nostras actiones regi debere Lege Dei & Euangelio. Lex ostendit, quæ actiones Deo placeant, Euangelium ostendit quomodo placeant, uidelicet, cùm prælucet fides, agnoscens Filium Dei, & accipiens remissionem peccatorum & recõciliationem, & inuocans eum, ut nos adiuuet, sicut inquit: Sine me nihil potestis facere, Petite & accipietis, & statuens Deo placere hos labores, quanquam sumus ualde infirmi & indigni, & multa impedimenta obijciuntur, nec tamen fore irritos, & referens consilia ad hunc finem, ut Deus rectè agnoscatur & celebretur, maneat Ecclesia, & non dilaceretur scandalis & dissidijs. Ideo in hoc dicto Psalmi additur promissio: Ipse faciet. Commenda Deo uiam tuam, id est, in officijs uocationis, quæ iuxta mandata Dei facis, rectè inuoca Deum fide & Spe, nec deterrearis tua indignitate aut infirmitate, sed scias Deum tibi opitulaturum esse, ut labores sint felices, sicut addit Paulus: Labor uester non erit inanis in Domino. Iohan. 15. Qui manet in me & ego in eo, hic feret fructum copiosum. Psalmo 1. Et folium eius non defluet, & omnia quæ faciet, erunt prospera.

Actiones omnes debent regi lege Dei & Euangelio.

Hanc totam regulam Psalmi complectitur Paulus inquiens: Omnia facite in nomine Domini Iesu, id est, in uera agnitione filij Dei, fide & inuocatione, & referantur omnia ad gloriam filij Dei.

Ac sæpè

Ac sæpe considerentur actionum bonarum causæ efficientes & finales. Efficientes sunt mens intuens præcepta Dei, & cogitans Euangelium, uidelicet, promissionem gratiæ & alias promissiones. Ibi Filius in credente docet mentem, & lucem accendit, & simul mouet uoluntatem Spiritu sancto, ut obtemperet & sit firma, petat & speret auxilium Dei, petat bonos euentus, etiamsi magna pericula ostenduntur. Finales causæ sunt, ut celebretur Deus, maneat Ecclesia, & uitentur pœnæ &c. Hæ causæ cùm in Ioseph sint ualde illustres, exemplum eius sæpe cogitemus. Et has causas omnes efficientes & finales complectitur Paulus, cùm iubet omnia facere in nomine Iesu, id est, in agnitione eius, fide & inuocatione.

Causæ efficientes ac finales bonarum actionum.

CAPVT QVARTVM.

Domini, quod iustum est & æquale, seruis præstate &c.

IVSTVM significat debitum seu ordinatum legibus diuinis & positiuis. Hîc enim de iusticia legali dicitur, ut non est iustum seruis eripere coniuges, aut sine iusta causa eos interficere, aut non dare uictum. Ideo Augustus rectè liberat seruum, quem dominus uoluit interficere, quòd casu fregerat crystallum. Et quia demensum uetus fuit largum, apparet ueteres sapienter considerasse, quid natura ferre posset, & fuisse iustos & beneficos. Vni enim dabatur quotidie panis ualens tribus nummis Misnicis, Item sextarius uini, certus modus carnium, ficorum aut aliorum obsoniorum. Hæc obligatione ciuili erant debita, quæ Paulus nominat iusta. Etsi enim Iurisconsulti quærunt, an coniugium sit serui & ancillæ, tamen regula ueerissima est: Vincula diuina & naturalia ligant seruos & liberos. Cæterùm aliqua ciuilia beneficia ad seruos non pertinent.

Iustum hîc intelligatur de iusticia legali, id est, de debito seu ordinato.

Vsus est autem Paulus hîc duobus uocabulis, iubet præstare iusta, scilicet, mandata legibus diuinis & positiuis. Seneca sic loquitur: Non licere in hominem quæ ius naturæ uetat. Addit autem Paulus: Præstate æqualitatem. Vult præter illa, quæ comprehenduntur obligatione ciuili dari beneficia, quæ obligatione naturali debentur, ut benemeritis danda sunt singularia præmia, leuandi sunt labores ægrotis & senibus. Seneca exemplum allegat de occulta ta domina à seruis capta urbe. Illud etiam consideretur cùm de æqualitate dicitur, considerandum esse, ubi æqualitas Geometrica proportione locum habeat, ubi usus sit æqualitatis Arithmetica proportione. Cùm dicit Paulus: Præstate æqualitatem, non uult seruos fieri æquales uel pares domino, sed uult seruari æqualitatem Geometrica proportione. Tota autem hæc doctrina nunc quoque sequenda est, & in familijs & in gubernatione principum. Manent uincula legis diuinæ, quæ pariter ligant & Principes & populum. Principes non sic sunt domini, ut liceat eis subditos sine iusta causa interficere, aut auferre facultates eorum sine iusta causa &c.

Æqualitatis nomine Paulus intelligit æqualitatem Geometricam.

Sermo vester in gratia sale conditus sit &c.

MAnifesta deformitas est uiciorum Scurrilitatis & Insulsitatis. Scurrilitas cum impudentia, uanitate, obscœnitate, aut etiam uirulentia coniuncta est.

Vicia Scurrilitatis & insulsitatis.

Scurra βωμόλοχος.

est. Dicitur autem Scurra à σκώρ, id est, stercus, ut sit quasi stercora loquens, σκώρ λέγων. Græcè nominantur βωμόλοχοι, quasi ad aram cubantes, quia ad sacrificia multi mendici accurrebant, qui uarijs nugis pecuniam mendicabant, sicut & præstigiatores, qui puluisculos sanctorum circumtulerunt. Insulsitas uerò stupor est nimius & indignus homine. Inter hæc uicia Philosophi collocant medium, quod est Lepos, qui est in sermone hilaritatis & asperitatis moderatio.

Excellens ornamentum in homine sermo sale conditus.

Est autem excellens in homine ornamentum, dicta & sermones temperatiuè proferre seu figuratè seu simpliciter, qui aut mœstis dolorem leniant, aut iratis nimios motus arte frangant, aut superbos reprehendant. Concurrunt autem ingenij celeritas & cognitio multarum rerum. Ad hæc cùm accedit moderatio, totum hoc uirtus esse dicitur. ut Menenij apologus reuocauit ciues à seditione. Pulcrum fuit & Demadis dictum, Alexandro mortuo exercitum eius similem esse Cyclopi effosso oculo: & illud: τάμιαι λάμιαι: & hoc Erasmi: Mens Christiana, stomachus Lutheranus est. Et mea narratio de gentibus attemperantibus religiones ad suas naturas, & Regis Gallorum Ludouici, Non pertinent ad Regem, quæ antea contra Ducem facta sunt. Et uetustas discernit salem candidum à nigro, & candidum dicit esse Mercurij, ut sunt dicta, quæ beneuolentiam augent, ut Alexandri: Regium est benefacientem ferre maledicta, aut illud Plauti: Bonis bene quod fit, id demum graue ac gratum est. Et de hoc genere petit Callimachus, ut Gratiæ abluant manus ambrosia in suo Carmine. Nigrum uerò salem dixerunt esse Momo, ut sunt uenenatæ reprehensiones, ut Antiphontis ad Dionysium, optimos statuarios Athenis adducendos esse, qui fecissent statuas Tyrannicidis.

Gratiæ uocabulo et salis in sermone quid Paulus intelligat.

Cùm autem hîc Paulus nominat gratiam in sermone, uult uitari scurrilitatem, obscœnitatem, insulsitatem, iactantiam, uirulentiam & sycophantias. Postea cùm salem nominat, non prorsus ut Philosophi de salibus loquitur, etsi his quoque locus est: Sed generaliter intelligit salem iudicium rectè & dextrè accommodans uerbum Dei, ut Marci 9. dicitur: Bonus est sal, habete in uobis salem, & pacem habete inter uos. Vbi sal significat uerbum Dei rectè intellectum, adhibito iudicio seu discrimine, ne transformetur in prophanas imaginationes, ut Seruetus, Thammerus, qui dicunt λόγον non esse ὑπερώμενον, sed esse uocem euanescentem. Item, ne deletis ueris distinctionibus & necessarijs, miscentur in unum chaos non miscenda, ut Anabaptistæ non discernunt uindictam priuatam à iudicijs diuinitus ordinatis, & damnãt iudicia & totum politicum ordinem. Item, ne natiua significatio uerborum mutetur, sicut Monachi fidem tantùm intelligunt noticiam historiæ, qualis est & in impijs. Item, ne addantur opiniones pugnantes cum fundamento, ut Papistæ docent homines mortuos inuocandos esse, docent opera hominum mereri remissionem peccatorum, fingunt Missam mereri remissionem peccatorum & quidem ex opere operato, adorant panem in circumgestatione. Hæc absurda prorsus extra scripta Prophetica & Apostolica indocti addiderunt ethnica superstitione ad doctrinam Ecclesiæ. In his exemplis manifesta est insulsitas.

Sal, id est, uerbum Dei rectè accommodatum.

Intelligantur autem hæc dicta: Habete salem in uobis, id est, uerbum Dei rectè accommodatum. Item, Sermo sit sale conditus, non solùm de doctrina, sed uniuersaliter de reprehensione errorum & peccatorum, & de consolatione. Item, de consilijs dandis in uarijs negocijs, ut Pauli consilium non est insulsum de

sum. de coniugio credentis & Ethnicæ. Item consilium Christi de didrachmo, ne moueretur seditio contra ordinariam potestatem,& haud dubiè Zacharias & similes fuerunt suasores, ne tunc mouerentur bella aduersus Romanos. Denique multa incidunt ubi rectè instituti, timentes & inuocantes Deum, aliter iudicant quàm non rectè instituti aut prophani & superstitiosi.

Salutat vos Aristarchus &c.

SAlutationum exemplain Epistolis Pauli ostendunt Ecclesiam non esse politiam,quæ ijsdem legibus ciuilibus regatur, & habeat proprios magistratus politicos, sed congregationem consentientem de uera doctrina,& inuocatione,& coniunctam beneuolentia, etiamsi sparsa est in diuersa imperia politica, Ethnica uel pia, sicut Apostolorum tempore erant Ecclesiæ,aliæ sub Ethnicis Romanis, aliæ sub Persis aut Parthis &c. *Salutationum exempla in Paulo quid ostendant.*

Hæc de Ecclesia scire, & eam prudenter discernere necesse est, Quia plurimi fanatici & seditiosi homines omnibus seculis prætextu Euangelij nouas politias constituere conati sunt, ut nostro tempore Anabaptistæ fecerunt. Sic & Romani Episcopi iniustè constituerunt sibi imperium,ac docuerunt,neminem esse membrum Ecclesiæ Dei nisi amplectentem traditiones humanas,sanctas à Romanis Episcopis de ipsorum primatu & ceremonijs. Hæc falsa esse certum est ex dicto: Reges gentium dominantur, uos autem non sic. Item, πολίτευμα nostrum in cœlis. Tenenda est igitur regula: Date Deo, quæ Dei sunt, Cæsari,quæ sunt Cæsaris. Hæc admonitio præcipuè cogitanda est,cùm has salutationes legimus.

Simul autem & hæc consideretur. Etsi Ecclesia non est unum politicum imperium, tamen congregatio est multorum, qui ministerio Euangelij & Sacramentorum,& eadem uera confessione coniuncti sunt, In his qui norunt inter se beneuolentia coniuncti sunt, sicut Dominus orat æternum Patrem: Fac ut unum sint in nobis. Hæc signa beneuolentiæ conspiciuntur & in his salutationibus. *Ecclesia congregatio multorum.*

Postremò & hoc monendi sunt lectores,quod scribit Eutropius,Laodiceam & Colossas terræ motu submersas esse proximo anno post Pauli mortem, sicut Ierosolyma post Christi prædicationem deleta est. In talibus exemplis ostendit Deus se punire hostes Ecclesiæ & ingratos,qui audita uoce Euangelij non emendantur. Et tamen mirabiliter liberat suam Ecclesiam,sicut ante obsidionem Simeon ex Ierosolyma eduxit suos auditores trans Iordanem. Ita consentaneum est & ex illis urbibus pios antè eductos esse. Ac nunc quoque in tantis confusionibus & ruinis imperiorum precemur Filium Dei, ut Ecclesiam & nos in ea seruet, sicut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. *Laodicea & Colossæ terræ motu submersæ secundo anno post Pauli mortem.*

LAVS DEO.

ENARRATIO EPISTOLÆ PRIORIS AD TIMOTHEVM, ET DVORVM CAPITVM SECVNDAE, SCRIPTA ET DICTATA IN PRÆLECTIONE PVBLICA ANNO M. D. L. ET M. D. LI.

A

PHILIPPO MELANTHONE.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ *PRIORIS AD TIMOTHEVM, CVM commemoratione breui præcipuorum itinerum Pauli.*

Lystra oppidum Lycaoniæ.

2. Timoth. 3. capite. Acto: 16. Parentes Timothei.

LYSTRA OPPIDVM EST LYCAONIÆ INfra Galatiam, quod recenſetur & à Ptolemæo, non procul ab Iconio & Therbe. Quia uerò in Actis capite 16. ſcribitur, Timotheum in Lyſtris uixiſſe, ibi quoque natus exiſtimatur. Fuit autem mater Eunice Iudæa, & fidelis, ut ibi in actis ſcriptum eſt, & auia Iudæa Lois. Pater uerò fuit Ethnicus. Vt autem à conſuetudine Timothei minus abhorrerent Iudæi, & in illis primis initijs teneræ Eccleſiæ, nondum abrogatione legis inculcata omnibus, facilius eum audirent, uoluit eum Paulus circumcidi.

Itinera Pauli.

Itinera ex actis ſumimus: cùm Paulus ſedecimo anno à conuerſione uenisſet Lyſtram, Timotheum ibi ſibi adiunxit. Deinde traiecit in Macedoniam: Huius primæ profectionis in Macedoniam & Græciam comes fuit Timotheus, Poſtea ex Corintho nauigauit Paulus Epheſum, ubi biennio commoratus eſt, inde cùm diſcederet uiſurus Aſiæ Eccleſias, Timotheo Eccleſiam in Epheſo commendauit, & in itinere in Phrygia priorem Epiſtolam ei Laodiceæ ſcripſit, Argumentum eſt cõueniens Apoſtolo, breuiter autem de doctrina ſcribit ad diſcipulum eruditum, quem ipſe & docuerat & ſæpè audierat. Sed tamen attingit præcipuas materias doctrinæ, ut & tunc extarent teſtimonia Pauli contra aduerſarios Timothei, & poſtea in Eccleſia hæc teſtimonia conſeruarentur. Quia Deus immenſa miſericordia uult nos de doctrina certos eſſe, uult ſciri, quando, per quos, quibus teſtimonijs propagata ſit, Ideo addit Apoſtolis magnos cœtus comitum, & manifeſtis miraculis teſtatur eos circumferre uocem, diuinam.

CATALOGVS ANNORVM PAVLI.

Catalogus annorum Pauli.

Anno Chriſti.	*Anno poſt conuerſionem.*		
35.	1.	Annus conuerſionis Pauli. Annus à natali Chriſti	35.
36.	2.	Iuit Paulus in Arabiam.	37.

Anno Christi.	Anno post conuersio:	
37.		
38.	3.	
39.	4.	
40.	5.	Iuit in Tarsum Acto: 9.
41.	6.	
42.	7.	
43.	8.	Barnabas Paulum ex Tarso Antiochiam ducit: Acto: 11.
44.	9.	
	10.	Iuit in Cyprum Acto: 13. comitante eum Barnaba. Et iubente
45.		spiritu sancto. Ibiq; Sergius proconsul conuertitur.
	11.	Profectus in Pergen Pamphiliæ, Antiochiam Pisidiæ, Iconi-
46.		um & uicinas urbes, Acto: 14.
47.	12.	
48.	13.	
	14.	Fames prædicta ab Agabo totum terrarum orbem affligit. Io-
49.		sephus.
50.	15.	
51.	16.	
52.	17.	Synodus Ierosolymæ cui Paulus interfuit Acto: 15.
	18.	Rediit in Iconium & Lystram, ubi Timotheum sibi adiunxit
		& traiecit in Macedoniam. Et fuit Corinthi, ubi scripsit Epi-
53.		stolam ad Romanos.
54.	19.	
55.	20.	
	21.	Rediit in Asiam, & cùm fuisset biennio Ephesi, Timotheo
56.		Ecclesiam abiens commendauit.
	22.	Rediit in Phrygiam ubi Laodiceæ scripsit primam Episto-
57.		lam ad Timotheum:
58.	23.	Rediit Paulus in Macedoniam prius peragrata Phrygia & fi-
	24.	nibus Galatarum, cumq; uenisset in Macedoniam, scripsit in
		Philippis utramq; Epistolam ad Corinthios non longo inter-
		uallo. Postea rediit in Asiam, ac uenit Mytilenen, item in Sa-
59.		mum & Miletum Acto: 20.
60.	25.	
	26.	Postremum iter ad Ierosolymam, quò cùm uenit capitur, &
61.		biennio Cesareæ captiuus tenetur.
62.	27.	
	28.	Remissus Romam. Sed tunc liberatus ex ore Leonis, ut 2. Ti-
63.		moth. 4. narrat.
64.	29.	
65.	30.	
66.	31.	
67.	32.	
68.	33.	Fuit biennium in conducto.
	34.	

Anno Christi.	*An: post conuersi:*	
69.	35.	Interfectus Paulus à Nerone paulò ante eius mortem.
70.	36.	Decimus quartus Neronis, quo Nero sibi consciuit mortem.

Paulus Apostolus Iesu Christi.

Cur in exordio nomen suum ponat Paulus.

INitiò Paulus nomen præponit, quia in Ecclesia oportet extare testimonia, & sciri per quos ea testimonia tradita sint, Et fit mentio muneris Apostolici, ut sciamus credendum esse ipsius doctrinæ, tanquam uoci Dei de cœlo sonanti, sicut ipse inquit ad Galatas, se doctrinam non accepisse ab hominibus, & de sua uocatione multa dicit, ut autoritatem suæ doctrinæ confirmet. Et prodest commonefieri iuniores de discrimine Prophetarum, Apostolorum, & aliorum docentium.

Prophetæ. Prophetæ fuerunt, qui immediatè à Deo uocati sunt ad docendum, & ad illustrandam promissionem de Messia, & ad aliqua consilia politica, & habent testimonia diuina, quòd non errent in doctrina, uidelicet quædam peculiaria miracula.

Apostoli. Apostoli fuerunt, qui immediatè à Christo uocati sunt ad docendum Euangelium, non ad gubernationem politicam, & habent testimonia diuina, quòd non errent in doctrina, & possunt quolibet loco docere.

Episcopi & alij Doctores. Episcopi & alij Doctores sunt mediatè uocati à Deo electione humana, & sonare debent doctrinam ab Apostolis acceptam sine aliqua mutatione, cùm uerò mutant, errant, ut sæpè fit, ideo earum doctrina iudicanda est ex testimonijs Apostolorum. Hæc monere initiò de titulo necesse est, ne quis putet nomen Apostoli ociosè additum esse, ideò disertè addit Paulus, se esse Apostolum mandato diuino missum, Sicut autem ipsi necessarium est docere, ita nobis necessariò mandatum est audire hanc doctrinam.

Ne alia doceant, & ne attendant fabulis.

Admonitio ne alia doctrina proponatur quàm diuinitus tradita.

NEcessaria est admonitio, est & prima in Ecclesia, ne omissa doctrina diuinitus tradita proponantur aliæ doctrinæ. Item ne curiosæ quæstiones agitentur omissis rebus necessarijs, quia Ecclesia alligata est ad fundamentum, ut alibi dicitur, Fundamentum aliud ponere nemo potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Ac ut sapiens Doctor, initiò summam recitat, qua breuiter complectitur omnia, quæ in homine conuerso ad Deum esse necesse est,

Summa mandati est dilectio, ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.

Ex corde puro.

Cor purum quod fide purificatum est.

PRimùm quid nominat cor purum, aut quis est omnino in hac imbecillitate hominum, cuius cor sit purum? Respondeo iuxta dictum Apostolorum in Actis capite 15. Fide purificans corda eorum. Nominat igitur cor purum, fide purificatum, id est, non Epicureum, non Academicum, manens in dubitatione, non Sauliticum, id est, fugiens Deum, & irascens Deo, Sed iam rectè sentiens

tiens de Deo, & ad eum accedens in uera agnitione & fiducia filij Dei, & agnoscens uerè nos quanquam immundos tamen recipi, & tegi nostras sordes quanquam multas & magnas, imputata nobis munditie & iusticia filij Dei. Sic & Dauid inquit: Asperges me Domine Hyssopo & mundabor. Et postea: Cor mundum crea in me Deus, id est, rectè sentiens de Deo, conspersum sanguine Filij. Et cùm sic purificantur fide corda, accipiunt Spiritum sanctum, se Deo subijciunt, iam incipiunt quærere gloriam Dei, & obedire Deo, & habent uera initia dilectionis Dei & proximi. Comprehendit enim Paulus nomine dilectionis opera omnium præceptorum Decalogi, Sicut alibi inquit, Dilectio est impletio Legis. Et 1. Iohannis 5. Hæc est Dilectio Dei, mandata eius custodire.

Dilectio comprehendit opera omnium præceptorum decalogi.

Sit igitur hæc definitio, Dilectio est uirtus, qua postquam misericordiam Dei propter filium promissam fide apprehendimus, iam eum diligere & ei gratias agere incipimus, & nos ei subijcimus, & obedientiam iuxta omnia mandata incoamus, cum quodam sensu lætitiæ in Deo. Vt autem antea dixi, prius fide purificari corda, ita & postea sciendum est, hanc incoatam obedientiam, etsi adhuc multæ sordes in nobis sunt, tamen placere Deo propter mediatorem, nec incoari dilectio potest, nec placet, nisi præcedat fides. Ideo & Paulus mox addit ex fide non fucata.

Dilectionis definitio.

Ex conscientia bona, & fide non simulata.

VNiuersaliter hanc regulam de nostra obedientia seu de bonis operibus sciri necesse est. Quanquam nostra obedientia procul abest à perfectione, & hærent in nobis peccata, tamen oportet talem esse obedientiam in conuersis, ut sint in nobis fides & bona conscientia, id est, propositum non peccandi. Hîc gradus in cõuersis necessarius est, quod & hoc dicto Pauli confirmatur, & alijs, ut infrà, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, Et 1. Petri 3. Conscientiam bonam retinentes. Item ad Corinth: Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ. Nec simul manent hæc duo pugnantia, Actio qua uiolat homo Legem Dei sciens & uolens, Et illa fides, quæ est fiducia misericordiæ accipiens remissionem, quia Iusiurandum dicit, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Oratio copulatiua est, id est, non fit uiuificatio fide, donec nulla fit conuersio, id est, donec aliquis habet propositum peccandi, Et talia delicta nominantur usitatè peccata mortalia, cùm effunduntur Spiritus sanctus & fiducia misericordiæ, & sic lapsi, tunc sunt rei iræ Dei, & æternæ mortis, iuxta illa dicta, Propter hoc uenit ira Dei super inobedientes. Nec recipiendæ sunt fanaticæ imaginationes eorum, qui fingunt semel renatos non posse rursus effundere Spiritum sanctum, cùm manifestè dicatur 2. Petri 2. Si rursus superantur ab inquinamentis quæ effugerant, fiunt eis posteriora peiora prioribus. Item, Qui stat uideat ne cadat, Ideò simus uigilantes, ut iusticia bonæ conscientiæ retineatur, id est, bonum propositum.

Fidem & bonam conscientiam oportet esse in conuersis.

Peccata mortalia.

Et fide non simulata.

NEC incoari dilectio Dei potest, nec placent opera Deo nisi præcedente fide. Ne autem fides intelligatur tantùm de noticia, qualis est in Diabolis, addit particulam, Ne sit simulata. Est igitur Fides non simulata assensio, qua ample-

Fides nõ simulata quid sit.

amplectimur omnia dicta Euangelij, & in his promissionem gratiæ, Et est fiducia acquiescens in Mediatore iuxta eam promissionem. Hæc fiducia, quæ quidem, cùm in ueris doloribus consoletur & erigat corda, & quasi ex inferis retrahat, sentiri potest, discernit ociosam noticiam à non simulata fide. De hac fide dicitur: Iusticati fide pacem habemus. Nec aliter intelligit Paulus uocabulum fidei hoc loco. Cumq; sciamus corruptelas doctrinæ Pauli excogitatas esse, postquam uocabula falsò intellecta sunt, simus diligentes in retinenda propria significatione, qua retenta, nec obscuritas nec ambiguitas est in Pauli oratione.

Breuis summa doctrinæ de iustificatione.

Vt autem hæc breuis summa hoc loco intelligatur, mente intuenda est tota doctrina de Iustificatione, uidelicet in uera pœnitentia seu doloribus uocem Euangelij audiri & cogitari necesse est, quæ propter Filium Dei Gratis, non propter ullam nostram dignitatem simul offert hæc quatuor, remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, Spiritum sanctum & hæreditatem uitæ æternæ. Est autem mandatum Dei æternum & immotum de FILIO, Hunc audite. Necesse est igitur assentiri promissioni offerenti reconciliationem, uidelicet, illa bona, quæ dixi. Hac fide homo uerè accipit remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, & Spiritum sanctum, & fit hæres uitæ æternæ propter Filium Dei Gratis, non propter propriam dignitatem aut meritum, Et in hanc sententiam usitata est oratio in nostris Ecclesijs, Sola fide iustificamur. Significat enim iustificari accipere remissionem peccatorum & imputationem iusticiæ, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti, & hæreditas uitæ æternæ.

Vox Euangelij quatuor offert.

Iustificari.

Cur de imputatione iusticiæ dicatur.

Et manifestissimum est ideò de imputatione dici, quia nondum habemus illam totam nouitatem, de cuius transfusione Monachi dicunt, sed sumus iusti donata remissione peccatorum, & imputata nobis iusticia Filij Dei, & quasi uestiti per imputationem, & tamen uerissimum est, simul incoari in nobis nouitatem, quæ fit Spiritu sancto effuso in corda nostra, & accendente in nobis fidem, & alias uirtutes, & copulante nos Filio Dei, regnanti ad dexteram æterni patris, sicut dicitur Actorum 2. Dextera Dei exaltatus accepit promissionem Spiritus sancti, quem effudit in nos.

Falsa est imaginatio, hominem fide præparari, sed dilectione iustificari.

Prorsus etiam reijcienda est imaginatio, quæ fingit hominem tantùm initiò præparari fide, postea uerò iustum esse propria dilectione, seu prijs uirtutibus, ut cùm dicimus, Motus calefacit, Motus præparatio est, postea calore sumus calidi. Sed persona fide recepta deinceps etiam est iusta, id est, accepta Deo ad uitam æternam, non propter proprias uirtutes, quia multum adhuc manet in nobis sordium, sed propter mediatorem sola fide, qua & deinceps habemus remissionem peccatorum, & imputata iusticia mediatoris uestiti sumus. Placet autem noua obedientia in reconciliato, hac ipsa confessione præcedente, quòd adhuc multæ magnæ sordes in nobis hæreant, iuxta illud: Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens, Sed placet tamen & hæc incoata obedientia propter mediatorem fide.

Hæc sæpè alibi copiosius recitantur, unde sumatur explicatio longior, Nunc tantùm breuiter hæc recensui, ut iuniores admoniti sciant Paulum loqui de hac ipsa fide, de qua alibi inquit, Fide iustificati pacem habemus. Et hanc in quotidiana inuocatione & in consolationibus exerceant.

Bona

Bona est Lex legitimè vtenti.

REcitata summa ingreditur in commemorationem de usu Legis. Nam multi ex Iudæis adhuc somniantes mansuram esse politiam Mosaicam, contendebant ritus Mosaicos necessarios esse, ut recèns tunc fuerat agitata hæc controuersia in Synodo, quæ recitatur in actis capite 15. Itaque ut sæpe alibi, ita hîc quoq; reprehendit illos errores propugnantes Legem Moysi, & pauca addit de usu Legis. *De usu legis.*

Est autem insignis propositio, Bona est Lex legitimè utenti, ubi monet de usu Legis multa consideranda esse, uidelicet & ipsarum legum discrimina, & fines Legis. Notum est autem unam Legis partem, scilicet Moralem, quam nominamus Decalogum, sapientiam æternam in mente diuina esse, cuius notitia in homines transfusa est, ut uerè agnosceretur Deus, & omnes uires nostræ congruerent cum mente & uoluntate Dei. Etsi autem postea natura hominum auersa est à Deo, tamen in toto genere humano manent hæ noticiæ aliquo modo, quia Deus uult ab omnibus agnosci suum iudicium aduersus peccatum, uult etiam homines quanquam non renatos frenare & coërcere locomotiuam. *Lex Moralis seu Decalogus est æterna sapientia Dei.*

Aliæ duæ partes, uidelicet leges Forenses, & Ceremoniæ, erant nerui huius politiæ Israël, interituri cùm ipsa politia. Sed de omnium partium usu hæc propositio uera est, Nulla opera Legis, neque Moralia, neque alia, merebantur remissionem peccatorum, nec erant illa res, qua Dauid, Ieremias, Daniel, & similes erant iusti coram Deo, sed erant disciplina, qua non renati frenabantur, & exercitia, in quibus renati declarabant suam obedientiam & confessionem. Præterea ritus erant signa discernentia hanc politiam ab alijs, quia uoluit Deus notum esse populum, ex quo nasceretur redemtor, eamq; ob causam uoluit tunc certam esse Ecclesiæ suæ sedem. Hoc consilio politiam illam ita constitutam esse, & peculiaribus ritibus distinctam ab alijs gentibus, sciri necesse est. *Leges Forenses & Ceremoniæ erant nerui politiæ Israël.*

Sed iam dicamus de Decalogo, id est, de naturali & perpetua Lege, omissis cæteris legibus. Nam de hac ipsa parte, uidelicet de lege Morali inquit Paulus, Lex est posita iniustis, id est, urget & premit iustos, Et addit exempla pertinentia propriè ad legem Moralem, Ait esse positam periuris, homicidis & scortatoribus.

Hîc primùm fit infixa mentibus uera doctrina contra Antinomos, legem Moralem non esse mutabilem aut ociosam, Sicut lex Spartana de nummo ferreo, aut lex Thebana de collocandis in cophinum obæratis non soluentibus: Sed esse æternam & immutabilem sapientiam in mente diuina, cuius noticia creaturæ rationali tradita est, ut sciamus esse Deum, & qualis sit, & quòd sit uindex, & quòd semper nos obliget. Primùm, ut obtemperemus. *Lex Moralis non est mutabilis aut ociosa.*

Secundò, si non obtemperemus, ut horribiliter hæc natura contumax destruatur. Quia Deus iam propter hæc irascitur, sicut usitatè dicitur: Omnis lex obligat uel ad obedientiam uel ad pœnam, Et hanc obligationem legis ualde perspicuè intellexit Adam, cùm post lapsum sensit iram Dei, & iudicauit se iusto iudicio Dei penitus delendum esse, Nec argumentum hoc ulla creatura soluere poterat, sed interuenit filius Dei, qui & obedientiam præstitit, & pœnam in sese deriuauit, ne Lex esset irrita, & tamen seruarentur homines.

Hæc sæpissimè cogitanda sunt, ut aliquo modo discamus res esse maximas, legem Dei, peccatum, iram Dei, ordinem certissimum iusticiæ Dei irrogan-

Communes miseriæ sunt ordinati effectus legis.

irrogantis pœnam. Ideoq; exempla quotidiana in promptu sunt, mors, & aliæ ingentes calamitates hominum, morbi, dolores, cædes, uastationes. Hæ communes miseriæ sunt effectus ordinati Legis, & testimonia iræ Dei aduersus peccata, Sicut dicitur Psalmo 38. Propter iniquitates corripis hominem. Et ualde dolendum est, homines securos ruere in uaria scelera, quasi Lex Dei sit inanis pictura.

Duo usus legis aduersus non renatos.

Sciamus igitur ueritatem Dei esse, & usum eius rectè intelligamus. Sunt autem usus aduersus non renatos duo uniuersaliter, Coërcere & Punire. Docendi sunt igitur etiam non renati se incluſos esse carcere Legis, & disciplinam

Disciplina præstãda propter quatuor.

præstandam esse propter hæc quatuor.

I. Primùm, Quia Deus eam præcipit, & omnes creaturæ Deo obedientiam debent.

II. Secundò, Vt uitent pœnas præsentes & æternas, Quia nequaquam dubium est atrocia scelera in hac uita atroces pœnas comitari, Iuxta illa dicta: Gen:6. Matth: 26. Qui acceperit gladium, gladio peribit. Item, Exod. 20. Non habebit Deus insontem eum, &c. Item, Ebr: 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Prouerb: 12. Labium mendax abominabitur Dominus. Has regulas ueras esse & ordinem diuinum, quem Deus exequitur, quotidiana experientia ostendit.

III. Tertiò, Vult Deus singulos & aliorum uitę parcere, non enim nobis tantùm nati sumus, sed communis cognatio est in genere humano, & singuli communem societatem fouere debent, & execranda est illa uox Cain, Gen: 4. Num quid ego custos sum fratris mei? Frenandi sunt igitur impetus, in singulis, ut alij uiuere possint, ne dissipetur societas, nec turbentur educatio & institutio. Hæ tres causæ facilè intelligi possunt.

IIII. Quarta causa est, de qua Paulus loquitur ad Galatas 3. capite. Lex est pædagogus in Christo, id est, non possunt doceri homines, ubi nulla est disciplina, Item beneficia Filij Dei non intelliguntur sine agnitione peccati, Item non accipiuntur, donec homines perseuerant in sceleribus contra conscientiam.

Hæ causæ omnes ad diligentiam regendæ disciplinæ hortentur, quam quidem regere aliquo modo possibile est homini etiam non renato, Quia Deus uult reliquam esse libertatem uoluntatis in homine ad regendam locomotiuam.

Disciplina quid sit.

Est autem disciplina gubernatio locomotiuæ, etiamsi corda sunt immunda, ut quòd Achilles admonitus ã ratione retrahit manum, ne interficiat Agamemnonem, gubernatio est locomotiuæ, etiamsi cor ardet ingenti incendio.

Disciplina non meretur remissionem peccatorum.

Præterea sciendum est, etiamsi disciplinam præcipit & flagitat Deus, & horribiliter uiolationem disciplinæ punit, tamen disciplina nequaquam meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo, qua homines iusti, id est, Deo accepti sint, Sed tegit nos, sicut folio fici Adam & Eua suam immunditiem & horrendam contaminationem tegebant, id est, Est qualecunque frenum, quod uitæ & societati necessarium est.

Memineris etiam hoc dicto, Lex est iniustis posita, approbari totum ordinem politicum, imperia, coniugium, distinctionem dominiorum, contractus, iudicia, pœnas, Quia nerui huius ordinis proprijssimè sunt præcepta Decalogi. Cùm autem Decalogus uerissimè sit sapientia Dei, manifestum est & hunc ordinem politicum suo genere rem bonam esse.

Alter

Alter usus Legis in non renatis est condemnare ad pœnas præsentes & æternas, Suntq́ initium iudicij diuini & destructionis pœnæ præsentes, ex quibus liberantur aliqui, uidelicet hi qui ad Deum conuertuntur, Alij non liberantur, sed ruunt ex illis in æternum exitium: Vt præsens calamitas Saulis initium est pœnarum, quæ in omni æternitate ipsum opprimunt, Est & Dauidis calamitas initium iudicij & destructionis, sed hic liberatur, quia petit & accipit remissionem peccatorum fiducia redemtoris. De hoc usu Legis, uidelicet de condemnatione loquitur Paulus 1. Corint. 15. inquiens: Aculeus mortis peccatum est, potentia uerò peccati Lex est. Et Roma. 7. Per Legem peccatum fit excellenter peccatum, id est, ualde reum, id est, reatus, ira Dei, proiectio, sentiuntur Lege nos accusante. De his doloribus inquit Ezechias, Esaiæ capite 38. Sicut Leo rugiens contriuit omnia ossa mea. *Alter usus Legis in non renatis punire.*

Dixi de usibus Legis in non renatis, ac in secundo usu de condemnatione discernendi sunt hi qui conuertuntur, ab alijs qui non conuertuntur. Nam conuersi liberantur à condemnatione, & tamen hi quoq́ sentiunt initia huius horrendi iudicij & multas pœnas, Sicut Dauid, Ionathas & alij. *Etiam conuersi sentiunt pœnas in hac uita.*

Priusquam autem dicimus de usu in renatis, prius declaranda est sententia, Iusto non est Lex posita. Hæc ut rectè & simpliciter intelligatur, antithesis consideranda est consilij Pseudoapostolorum & consilij Paulini. Contendebant Pseudoapostoli Legem seruandam esse, ut his operibus homines fierent iusti, & magis magisq́ fierent iusti, Sicut diceret materfamilias filiæ, tot horis nihil gustes, & postea unico ferculo contenta esto, & bis bibas, & sic eris temperans, & hac assuefactione magis temperans eris. Hoc modo de disciplina rectè dicitur, sed nequaquam facienda est confusio disciplinæ & iusticiæ coram Deo. Falsò transferunt hoc exemplum Pseudoapostoli ad iusticiam coram Deo. Opponit igitur Paulus huic errori & confusioni hoc dictum, Iusto non est Lex posita, scilicet quo ad iustificationem. Lex non est proponenda, ut homo fiat iustus Lege uel operibus, uel magis iustus, sed prorsus alia res proposita est, qua homo fit iustus coram Deo, scilicet Filius Dei, propter hunc es iustus Fide, id est, habes remissionem peccatorum & imputatam ipsius iusticiam, & propter ipsum, Et es donatus Spiritu sancto & hæreditate uitæ æternæ. *De dicto, Iusto non est Lex posita, prima interpretatio.*

Hæc est prima recta & simplex enarratio, Iusto non est Lex posita, scilicet quo ad iustificationem, ut homo Lege fiat iustus uel magis iustus coram Deo, iam habes hoc beneficium aliunde: ut si diceremus Monachis, Stulti quid agitis, uultis instituere opera & condere Leges, ut homines fiant iusti: Nequaquam alia re nobis credentibus in Filium Dei opus est ad iusticiam, sed propter ipsum donantur remissio peccatorum, imputatio iusticiæ, Spiritus sanctus & hæreditas uitæ æternæ.

Sequuntur & aliæ interpretationes, quæ magis usitatæ sunt, Iusto non est Lex posita, scilicet quo ad coactionem, item quo ad condemnationem. Ac interpretatio de condemnatione continet utilem doctrinam, & congruit cum dictis, Roma. 5. Iustificati fide pacem habemus. Item, Roma. 6. Non estis sub Lege, sed sub gratia. Item, Roma. 8. Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Sic dicitur: Iusto non est Lex posita, id est, Lex non condemnat fide iustum, etiamsi multum adhuc sordium & peccatorum in hac tanta infirmitate nostra circumferimus, sed loquitur dictum de Iusto, id est, de *Aliæ interpretationes eiusdem dicti, Iusto non est Lex posita.*

habente ueram fidem,qui conuersus ad Deum fiducia Filij Dei receptus est. Hic agnoscit & deplorat reliquias peccati, sed tamen scit eas tegi per Filium Dei,& repugnat malis opinionibus,& uiciosis cupiditatibus. Hæc interpretatio perspicua est,& consolationem pijs mentibus affert. Et uerbum κεχαρι singularem habet Emphasin,quasi dicat,credentem Lex non opprimit tanquam immota & sine ulla mitigatione.

Augustino familiarior est interpretatio de coactione, Renatus Spiritu sancto iam uolens obtemperat,ut mater sponte amat & alit sobolem non coacta Lege,etiamsi Lex quoq; id præcipit.Sed quia magna infirmitas in hac uita manet reliqua,multi etiam renati disciplina frenandi sunt,ut de pueris manifestum est,ideò hanc interpretationem relinquo.

Triplex usus Legis in renatis.

I. Quod ad obedientiam.

Quis est autem usus legis in renatis? Vsitata nobis responsio est & satis concinna,si dextrè accipiatur,Credentes liberi sunt à Lege, quod ad condemnationem attinet,non quod ad obedientiam attinet,id est,sunt iam reconciliati,& placent Deo,quanquam Legi non satisfaciant, Sed inde non sequitur,licere eis ruere contra conscientiam,Quia semper manet hic ordo,ut creatura rationalis Deo obediat,sed hoc est Euangelij beneficium, quòd obedientia imperfecta Deo placet, Nec enim concedit Euangelium contemtum Dei contra conscientiam,Ideo dicitur,Matth.5.Nisi iusticia uestra excellet supra iusticiam Pharisæorum,non intrabitis in regnum cœlorum.Item,Non ueni soluere Legem,sed implere.Et implet ipse,ut simul in nobis restituat,ut Roma.8.dicitur: De peccato damnauit peccatum,ut iusticia Legis impleatur in nobis, non secundum carnem ambulantibus.Item,Roma.3.Legem stabilimus per fidem,id est,ideo recipimur & renouamur,ut iam fiat Lex & placeat.

Hæc sententia sæpè repetita est alijs crassioribus formis loquendi, 1.Corinth.6. Ne erretis, Scortatores, idolatræ, adulteri &c.non possidebunt regnum Dei. Et 1.Ioannis 3.Nemo decipiat uos,qui facit peccatum, ex Diabolo est.Et Roma.8.Debitores sumus,ut non secundum carnem ambulemus. Nec debitum significat uiolentiam,sed immotum ordinem,quo creatura rationalis creatori subiecta est, Et hoc ipsum est debitum,ut obedientia sit spontanea. Et Zacha:8.dicitur: Veritatem & iudicium pacis iudicate in portis uestris,& malum contra proximos non cogitate, & iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim hæc sunt quæ odi,dicit Dominus. Item Psalm.5. Non Deus uolens impietatem tu es.

Ordo diuinus ut creatura obediat creatori,non tollitur.

Manet igitur illa uoluntas in Deo æterna & immota, quæ discernit bona & mala,& uult bona, & uult obedientiam creaturæ congruentem suæ uoluntati,& patefactam per Filium,de quo dicitur,Matth.17. Hunc audite.Ideo & in iuramento dicitur, Ezech.33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris,sed ut conuertatur & uiuat, Vtrumq; enim complectitur Iusiurandum, mandatum de conuersione,& promissionem reconciliationis. Ex his omnibus intelligi potest rectè dici,obedientiam,quæ incoatur fide,& subijcit nos uoluntati Dei, quam Lex ostendit, necessariam esse.

II. Quod ad doctrinam.

Secundò manet Lex renatis,quod ad doctrinam attinet,quia oportet eos habere testimonium expressum, qui cultus Deo placeant, ideo dictum est ad Timotheum 2.Timot.3.capite: Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum.

Tertiò

Tertiò liberatio à Lege clarius intelligitur,cùm intuemur integram liberationem,qualis erit in nobis in uita æterna,ubi in luce diuina uiuemus sine peccato,sine morte,sine alijs calamitatibus,Sed in hac uita hærent in nobis reliquiæ peccati,mors,& multæ calamitates, Sicut igitur manent mors & aliæ pœnæ,ita manet Lex quò ad reliquias peccati, Nam hæc omnia simul nos accusant,Lex,mors, & aliæ pœnæ.Pulso Dauidi sua calamitas est uox Legis,sed ita fit liber à Lege & à morte, quia fide eluctatur, Sic igitur iusto,quatenus est iustus,id est, quatenus fide uincit, non est Lex posita, non condemnat eum. Hanc doctrinam de liberatione à Lege,& de usibus Legis breuiter hîc recitatam,alibi copiosius expositam relegite.

III. *Quod ad reliquias peccati.*

Quia ignorans feci.

DIscernit persecutores ut Roma.10.& 11. aliqui conuertuntur, aliqui non conuertuntur. De hoc discrimine & Matthæi 12.dicitur: Qui dixerit sermonem contra Filium hominis,remittetur ei,Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum,non remittetur ei,neq; in hac neq; in futura uita. Hîc multa disputantur de blasphemia seu de peccato irremissibili, Nos prius teneamus hanc regulam,Mandatum de conuersione sine ulla dubitatione uniuersale est, sic & sine ulla dubitatione promissio Gratiæ uniuersalis est, Sicut Dominus inquit,Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis. Et horrenda contumelia est aduersus Filium Dei,cogitare regnum Diaboli potentius esse Christo,cùm quidem dictum sit Roma: 5. Gratia exuberat supra peccatum,Et sancita sit promissio Iureiurando,Viuo ego,nolo mortem peccatoris,&c.Confugiamus igitur ad Filium Dei,& sustentemus nos promissione,& repugnemus dubitationi.

Vniuersalia sunt & mandatum de conuersione & promissio.

Hæc sunt mandata diuinitus,& tales sentient consolationem & recipientur,Ita iudicemus à posteriore, hos non habuisse peccatum irremissibile,Sic seruatus est Paulus & alij multi persecutores, Et quidem Paulus inquit,suam conuersionem exemplum & testimonium esse regulæ, quòd Deus uerè uelit Gratis propter Filium recipere peccatores confugientes ad Filium,Sic seruati sunt Aaron & Petrus,quanquam scientes lapsi sunt.

Discrimen persequutorum.

Contrà uerò multi persecutores pereunt horribili odio Dei,ut Iudas, de his à posteriori iudicari potest,habuisse eos peccatum irremissibile: Sed ijdem scientes & uolentes perseuerarunt in illo horribili odio aduersus Deum,nec confugerunt ad Filium Dei. Nec subtilius quæramus à priori, quod sit peccatum irremissibile. Paulus aliquod discrimen indicat, cùm ait: Quia ignorans feci.

Sed hîc oriuntur quæstiones,Aaron,Petrus,Manasses,non peccauerunt ignorantia,& tamen recepti sunt, & esse aliquod discrimen exempla ostendunt. Aliter deliquit Diabolus sciens & superbè despiciens Deum, Aliter Adam,Aaron,scientes,sed superati infirmitate? Sed nos omittamus has quæstiones,& iudicemus de uoluntate Dei iuxta uerbum ipsius, Hunc audite. Omnis qui credit in Filium,habet uitam æternam,Anteferamus Filium Dei, & Iusiurandum toti regno peccati. Sciamus etiam anteferendum esse Filium Dei uoci Legis,Etsi autem hæc pugna difficilis & magna est, tamen hæ regulæ ueræ sunt,& non negligendæ,iuxta illud Moysi capite 18.Qui non audierit Filium,ego ultor ero.

De uoluntate Dei iudicandum iuxta uerbum.

Hanc consolationem ueram,ut dixi,teneamus,& nos ipsos exuscitemus, & alios omnes hortemur ad pœnitentiam & ad fidem, Sicut & Apostoli hos ipsos hortantur ad pœnitentiam,quibus Acto: 4. dicunt: Hunc autem Iesum uos crucifixistis: Et multi ex his uerè conuersi sunt ad Deum. Et sint nobis in conspectu exempla Aaron,Pauli & multorum aliorum, qui cùm fuissent persecutores,postea conuersi sunt.

De nolentibus audire consolationem frustra disputatur.

Si qui uerò nolunt audire hanc consolationem,quid attinet de eis disputare,cùm eo ipso horribiliter peccent, quòd tunc negant uocem Euangelij, Gratia exuberat supra peccatum,Et ita ardent odio,ut potius malint fieri æterni hostes Dei,quàm confugere ad Filium. Hoc modo pereunt multi omnibus ætatibus,ut Saul,Achitophel, Iudas, Arius, & nostro tempore Latomus Louanensis,Hoffmeister,& alij multi, quorum exemplorum cogitatione expauescamus & petamus nos regi & confirmari Spiritu sancto, Sicut scriptum est Luc.11. Quantò magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus: Et pio studio discamus ueritatem, & caueamus ne eam oppugnemus.

Discrimina sunt inter errata ignorantiæ & delicta contra conscientiam.

Cæterùm sunt discrimina inter errata ignorantiæ,& delicta contra conscientiam,quæ etiam multiplicia sunt. Nam & affectata ignorantia delictum est contra conscientiam, Et interdum fit affectata ignorantia blasphemia,ut in multis Pharisæis,cùm uidelicet corda conuicta testimonijs diuinis, tamen ardent odio,& conantur delere uocem Dei,Et alijs persuadere,esse eam Diabolicam. Hæc discrimina peccatorum iudicari postea possunt,cùm uidemus aliquos indulgentes suis furoribus ad pœnitentiam redire noluisse.

Certus est sermo.

Summa Euangelij recitatur à Paulo.

SVprà de Lege concionatus est, nunc inserit summam Euangelij, sed ualde breuiter,quia scribit ad auditorem, qui fuerat ipsius comes longo tempore, & benè cognouerat totam doctrinæ uocem. Ac initiò asseueratio posita est, Certus est sermo & firmissimè amplectendus. Hac asseueratione in nobis quoq; fidem confirmemus,ut ex dubitationibus eluctemur, & uerè statuamus nos recipi & exaudiri.

Modus conuersionis & ordo.

Hîc autem repetat unusquisq; apud sese integram doctrinam de Iustificatione,de qua semper eodem modo dicimus, Et exordium doctrinæ ex uerbis Domini sumimus, Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo.Hæc fieri oportet in conuersione. Primùm oportet argui peccatum,perterrefieri corda,Sicut & Dominus inquit,Mar.1.cap Agite pœnitentiam.Et 2.Corint.7.dicitur,Tristitia secundum Deum pœnitentiam efficit ad salutem.Et Esaiæ ultimo. Ad quem respiciam? ad contritum & humiliatum,& trementem sermones meos.Et Iusiurandum flagitat in nobis conuersionem cùm inquit,Ezech.18.& 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris,sed ut conuertatur & uiuat.Et exempla congruunt,Adam,Eua,Dauid,accusantur & horribiliter expauescunt.

Contritio ex agnitione peccati.

Hos pauores & sensum iræ Dei uocauerunt usitatè contritionem, de qua rectè docendi sunt homines,ne uel nobis ipsi blandiamur cœca securitate, uel ruamus in desperationem, uel lædatur gloria Filij Dei, & deleatur Euangelium,Sicut Monachi tetros errores finxerunt,quibus Euangelium prorsus obscuratum est, & uera consolatio pijs mentibus erepta est. Quanquam enim uerum est, oportere in nobis esse aliquam contritionem, aliquos pauores, & dolo-

dolores quòd Deum offenderimus, Tamen hi duo errores falsissimi sunt, quòd oporteat sufficientem esse contritionem,& quòd sufficiens contritio mereatur remissionem peccatorum.Primùm enim nulla potest esse sufficiens contritio,& cùm crescit dolor sine consolatione, mergitur homo in mortem & in æternum exitium,iuxta illud Roma.3.Lex iram efficit. Item 2.Corinth.3. Lex occîdit.Deinde certissimum est remitti peccata Gratis propter Filium Dei,& nequaquam propter nostram contritionem uel dilectionem.

Sed perterrefactæ mentes audiant uocem Euangelij, quam hîc recitat Paulus,Certus est sermo & firmissimè amplectendus, quòd Christus uenerit in hunc mundum saluos facere peccatores. Vult enim hoc dicere Paulus,uocem Euangelij de gratuita reconciliatione nequaquam notam esse iudicio naturali,nec esse uocem Legis,sed singulare & mirandum decretum esse diuinitatis de redemtione generis humani per Filium: ideo dísertè inquit,Christus Iesus uenit in mundum,quasi dicat,iubeo te causam considerare, cur in mundum uenerit Filius Dei.Non est missus sicut Moyses aut alij Prophetæ,sed fuit hic mediator antea,& nunc ideo ad nos uenit,ut fieret uictima,Et sciri oportet quæ beneficia attulerit,& quomodo nobis adplicentur. Adfert autem remissionem peccatorum,imputationem iusticiæ, donationem Spiritus sancti, & uitæ æternæ, & post hanc uitam resurrectionem & uitam æternam.Accipiuntur autem in hac uita propter ipsum Gratis,non propter nostra merita,Sola Fide,remissio peccatorum,imputatio iusticiæ, donatio Spiritus sancti & uitæ æternæ.Hæc est uox Euangelij propria,cuius intellectum natiuum ut retineamus,uocabula rectè intelligenda sunt, Nam ex deprauatione uocabulorum aliæ tenebræ ortæ sunt.

Fides ex auditu Euangelij.

De uocabulo Iusticiæ.

HEbraica phrasis est in uerbo Iustificari,ut si dicam,Scipio iustificatus est accusantibus tribunisplebis, id est, absolutus est,&, pronunciatum est eum esse iustum. Ita hîc iustificari homines propter Mediatorem,est accipere eos remissionem peccatorum,& pronunciari iustos,id est, reputari iustos seu acceptos propter ipsum, imputata nobis iusticia ipsius. Et cum hac acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti & uitæ æternæ.

Iustificare Hebraica phrasi.

Et fit magis perspicuum uocabulum Iusticiæ,cùm significatio Paulina discernitur à modis Philosophicis. Nam Iustus more Philosophico significat habentem seu iusticiam uniuersalem seu particularem.Sed quia non sumus iusti coram Deo impletione Legis,ideo in Euangelio annunciatur alia iusticia, scilicet remissio peccatorum & reconciliatio propter Filium Dei. Necesse est igitur significationem uocabuli discernere à Philosophicis modis.Cùm ait Paulus,Iustificati fide pacem habemus,id est,reconciliati seu accepti Deo propter Christum fide pacem habemus.Et conscientia in magnis consternationibus agnoscit te immundum esse,non circumspectat suas qualitates,sicut clamitat Propheta,Psalm.143.Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens,scilicet propria munditie seu proprijs qualitatibus. Sed de imputatione postea plura dicemus.

Iustus more Philosophico.

Iusticia in Euangelio.

De uocabulo Fidei.

Fides non tantùm noticia, sed assensio & fiducia.

CErtissimum est fide in hac doctrina non tantùm significari noticiam, quam & Diaboli tenent, sed significari simul noticiam historiæ, & assensionem, qua promissionem tibi applicas, & fiduciam acquiescentem in Mediatore & in Deo, iuxta promissionem: & sic loqui Hebræos non dubium est, iuxta illud dictum Matth. 15. O mulier magna est fides tua. Et complectitur hæc fides totum Symbolum, in quo & illum articulum profitetur, Credo remissionem peccatorum. Hîc enim exprimuntur beneficia Dei & Mediatoris, de quo articuli præcedentes loquuntur, & hunc articulum sic ad sese applicent singuli, Credo remissionem peccatorum non tantùm alijs dari, sed mihi quoq;. Hæc fides rectè amplectitur promissionem, qua tibi ipsi credis exhiberi remissionem & reconciliationem, ut Roma. 4. Adfirmat Paulus se de ea fide loqui, quæ promissionem accipit, uidelicet, qua tibi ipsi promissionem applicas, cùm inquit, Ideo ex Fide gratis, ut firma sit promissio.

Bernardi dictum.

Etsi autem scriptores post Apostolos fuerunt negligentiores, tamen interdum quid senserint ostendunt. Estq; dictum Bernardi tenendum, quia testimonium perspicuum est, & ad confirmandos aliquos prodest. Necesse est primò omnium credere quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde ut credas & hoc, quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus Gratis iustificari hominem per fidem. Hæc uerba extant in prima concione de annunciatione.

Fidei definitio.

Sit igitur definitio Fidei. Fides est assensus, quo amplectimur totam doctrinam à Deo nobis traditam, & in hac promissionem Gratiæ quoq;, & est fiducia acquiescens in Mediatore & in Deo iuxta promissionem, & clamans, Abba pater.

In hac doctrina necesse est & rectè intelligi uocabula Legis, Euangelij, Peccati, Gratiæ, de quibus alibi dictum est, enarratis uocabulis, propositio fit perspicua: & eam accommodemus ad nos docendos, & consolandos in doloribus, & quotidie in inuocatione: non propter ulla merita nostra, sed propter Filium Dei Gratis, certò accipimus remissionem peccatorum, & reputamur iusti, imputata nobis iusticia Mediatoris, & donamur Spiritu sancto, & hæreditate uitæ æternæ, Fide, id est, fiducia Mediatoris. Et mandatum Dei immotum & æternum est, ut credamus uerè nos sic recipi & placere propter Filium, ut Iohannis 3. dicitur: Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Ac sint in conspectu testimonia cætera, Roma. 3. & 4. & alibi, non solùm ut refutare aduersarios possimus, sed multò magis ut nos ipsos consolemur & confirmemus. Meminerimus etiam simul hæc quatuor comprehendi, Remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, donationem Spiritus sancti, & hæreditatem uitæ æternæ.

Errores Monachorum de iustificatione.

Antithesis etiam consideretur, in qua duo sunt præcipua membra. Primùm Monachi uociferantur, homines mereri remissionem, & esse iustos & mereri uitam æternam propter propriam Legis impletionem. Deinde, quia nemo scit, quando satis habeat meritorum, iubent homines semper manere in dubitatione. Hæ duæ imaginationes sunt Ethnicæ, ortæ ex humana ratiocinatione

tione,quæ utcunq; Legem intuetur,& non nouit Euangelium, Sicut Socrates, Xenophon,& similes de uoluntate Dei ambigentes disputarunt.

Contrà uerò opponantur his tenebris conciones Euangelij de gratuita reconciliatione propter Filium,& de Fide, & sciamus mandatum Dei esse,ut credamus nos sic recipi propter Filium fide,& assiduè repugnemus dubitationi.Hæc antithesis iunioribus aliquid lucis adfert.Hi præmonendi sunt etiam de corruptelis.

Monachi sic corruperunt hanc propositionem,Fide iustificamur, scilicet formata dilectione,Ac fidem intelligunt tantùm noticiam,& somniant hominem iustum esse propter dilectionem,id est,Legis impletionem. Hæc depranatio expressè pugnat cum Paulo,quia dicunt,Non fide, sed propter dilectionem sumus iusti, cùm Paulus clarè dicat,Roma.3.Galat.2.& 3.Impossibile est Legi iustificare. Etsi autem alij alios fucos uerborum quæsiuerunt,tamen eôdem tendunt omnes corruptelæ,Fingunt nos iustos esse nostra nouitate,& remouent hanc consolationem,nos propter Filium Dei Gratis Deo placere fide.Refutari igitur omnes corruptelæ possunt per hæc dicta, Psalmo 143.Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.Et Daniel.9. capite. Non in iustitia nostra,sed per misericordiam tuam propter Dominum exaudias nos.Item, 1.Corinth.4.Nihil mihi conscius sum,sed in hoc non iustificatus sum.

Corruptela apud Origenem similis est corruptelæ apud Monachos. *Corruptela Origenis.*

Recens deprauatio est, fide scilicet præparante iustificamur,ut deinde alia re simus iusti,ut si dicatur, Motus calefacit, postea uerò corpus non calet motu, sed calore.Sic uolunt isti postea hominem sua nouitate iustum esse. Oppono rursus dictum illud,Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item,Retineri necesse est hanc sententiam,quòd imputatione propter Mediatorem simus iusti. Ac tollere doctrinam de imputatione, & pro ea subijcere hunc errorem,quòd homo sua nouitate iam sit iustus, manifesta impietas est pugnans cum hoc dicto,Gene.15.& Roma.4.Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. *Recens deprauatio,de fide præparante.*

Nec illa imaginatio congruit cum Euangelio, quòd homo sit iustus propter commixtionem corporalem Christi cum anima uel corpore nostro, quia propriè de Spiritu sancto dictum est, quòd effundatur in corda nostra, & sit immediata persona sanctificans,ut in Actis capite 2.dicitur: Dextra Dei exaltatus,accipiens promissionem Spiritus sancti à patre,effudit eum in nos:Et Galat.4.Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra. *Falsa imaginatio, iusticiam esse commixtionem corporalem Christi cum anima uel corpore.*

Difficile est iudicare labyrinthos,qui tam uariè struuntur contra ueritatem,sed iuniores rectè discant fundamenta propter gloriam Dei, & propter propriam salutem.Rectè cognitis fundamentis,cùm accedet ætas & usus,refutare contrarias imaginationes poterunt.Et quæ diximus congruunt ad doctrinam de Regeneratione. Cùm enim in ueris pauoribus corda uoce Euangelij sustentantur,Spiritus sanctus simul est efficax, & accendit fidem & alios motus spirituales, Sicut ad Galatas 3.dicitur: ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Hæc sunt initia regenerationis in conuersis,de qua dicitur Roma.8. Qui Spiritu Dei ducuntur,hi sunt filij Dei. Item,Si quis Spiritum Christi non habet,hic non est eius. Nequaquam enim hoc docemus, hominem iustum esse,aut sanctificari,aut liberari à peccato & à morte æterna propris uiribus,aut actionibus: Sed hæc sanctificatio & uiuificatio opus est Dei, *Sanctificatio & uiuificatio sunt opus Dei*

efficientis eam suo Spiritu sancto, Et tunc renati uerè sunt templum Dei. Etsi enim hæc sanctificatio est proprietas attributa Spiritui sancto, tamen uerum est, simul totam diuinitatem esse, sicut inquit Dominus Ioh.14. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Hoc ingens bonum agnoscendum est, & Deo gratiæ agendæ, quòd immensa misericordia ita se propter Filium demittit, ut hanc miseram naturam & magnas sordes adhuc circumferentem tamen recipiat, & uerè in ea adsit, eam regat, defendat contra Diabolos, & luce & uita æterna donet, Et curemus hoc tantum bonum retinere, nec contristemus Spiritum sanctum falsis opinionibus, aut lapsibus contra conscientiam, propter quos deseritur homo & ruit in regnum Diaboli, ut 2. Petri 2. dicitur.

Renatus etsi sit templum Dei, tamen placet tantùm propter Christum.

Quanquam autem renatus est templum Dei, & in eo reuera est diuinitas, & crescere in eo nouam lucem & sanctificationem accensam à Spiritu sancto oportet: Tamen hæc sententia manet uera, personam iustam esse, id est, placere Deo non propter nouitatem, sed reputari iustam imputata ei iusticia Christi, & placere propter filium Mediatorem sola Fide. Ita utrumq; sciamus, fieri renouationem per Spiritum sanctum, & tamen hanc consolationem de imputatione tenendam esse. Et hanc fidem cæteris uirtutibus & inuocationi semper prælucere, iuxta illud: Roma.5. Iustificati fide pacem habemus. Non enim accedi potest ad Deum sine hac consolatione.

Postquam autem de conuersione hominis dictum est, Deinde usitatum est addere doctrinam de bonis operibus, quam docendi causa in has quæstiones distribuo. Prima, Quæ opera sint facienda. Secunda, Quomodo fieri possint. Tertia, Quomodo placeant, cùm reliquum in nobis sit peccatum. Quarta, Propter quas causas facienda sint. Quinta, Quod sit discrimen peccatorum. De his quæstionibus alibi copiosè & explicatè dictum est.

Secundum præcedentes Prophetias.

Id est, Sicut antea habuisti de te uel super te testimonia Spiritus sancti.

Habens fidem & bonam conscientiam.

IN fine primi capitis redditio est congruens ad initium. Sicut hortatus sum ut præcipias alijs, ut doceant salutaria, id mandatum nunc quoq; tibi commendo. Rursus autem inserit breue dictum, quod uelut summa est doctrinæ in Ecclesia necessariæ, *Milites bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.* His duobus titulis complectitur totam uitam Christianam: quare notissimum sit omnibus, & sit tanquam regula uitæ. Cùm autem uocabula suprà enarrata sint in simili dicto, Finis mandati est dilectio, &c. non addo hîc longiorem enarrationem: tantùm hoc addam, utrumq; oportet regi, fidem & bonam conscientiam, non imaginationibus humanis, sed uerbo Dei. Sicut dicitur Galat. primo capite: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Item, Psalm.118. Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Item, Ezechielis capite 20. In præceptis meis ambulate. Nec fingant sibi homines uel dogmata, uel cultus, uel conscientiam suis imaginationibus sine uerbo Dei uel contra uerbum Dei.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SVprà de duobus præcipuis capitibus doctrinæ dictum est, uidelicet de Lege & Euangelio. Nunc doctrinam de bonis operibus addit, Et orditur à summo opere quod est precatio, de quo & hîc dicit. Primùm omnium facite precationes, significans id opus esse primum & summum in credente, & proprium Ecclesiæ Dei. Continet autem hic locus amplissimam doctrinam de multis rebus, de precatione, de imperijs, de finibus seu officijs imperiorum, de uocatione omnium hominum, item contra προσωποληψίαν, Item de Mediatore. Deinde præcepta & consolationes matribus traduntur.

Doctrina de bonis operibus.

De precatione.

Primùm autem hîc lector integram doctrinam de inuocatione apud sese cogitet, qualem esse inuocationem in Ecclesia oporteat. Primùm discernenda est inuocatio uera ab Ethnica, sicut Dominus inquit Ioan. 4. Vos adoratis quod nescitis. Sciendum est quid alloquaris in inuocatione, & deinde cur & quomodo exaudiat Deus. Ita regenda est inuocatio uerbo Dei & fide. Et Paulus infrà, 1. Timoth. 2. nos de modo admonet, Orate sine ira & sine hæsitatione: ubi mira breuitate, ut in Epistola, copiosissimam doctrinam complectitur. Cùm ait, sine hæsitatione, complectitur promissiones & fidem, Mens intuea-tur Mediatorem, & uera fide statuas te recipi, & exaudiri tuos gemitus & tuam inuocationem, iuxta illud Iohannis 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Cùm autem inquit, sine ira, scilicet aduersus Deum, tradit doctrinam de patientia. Vult nos non irasci Deo, non fremere aduersus eum, sed aliquo modo flecti corda ad obedientiam in pœnis & calamitatibus, sicut Psalmus 4. inquit: Irascimini, nolite peccare. Item, 1. Pet. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei. In hac parte etiam cogitanda est integra doctrina de patientia Christiana.

Inuocatio Ecclesiæ discernenda est ab Ethnica.

Secundò iubet orari pro imperijs, sicut & Ieremias capite 29. præcipit, Quærite pacem ciuitatis, in qua eritis hospites, & pro ea orate. Hîc multa simul significantur, Imperia res bonas esse, & magna eorum pericula esse, Quia Diaboli tumultus sine fine mouent, & horribiliter dilacerant genus humanum, ut augeant impias opiniones, blasphemias & alios furores, & faciant uastitatem & æterna mala. Horum maximorum periculorum & tristissimorum spectaculorum cogitatio, excitet maiorem intentionem in precando. Significatur etiam, Deum uelle tueri hospitia nostra & imperia, cùm nos iubeat hoc beneficium petere.

Paulus præcipit orare pro imperijs.

Fines seu officia imperiorum sumantur ex Decalogo, Aptè enim dicitur, Magistratus est custos Legis, uidelicet primæ & secundæ Tabulæ, quod ad externam disciplinam attinet, Primùm curet rectè doceri homines de Deo, Si-cut & Psalmus secundus præcipit, Et nunc reges intelligite, Et deleat manifesta idola, puniat blasphemos, & periuros. Etsi enim non potest corda mutare, tamen externa scelera prohibere & punire debet, iuxta dictum Leuit. 24. Qui blasphemauerit nomen Domini morte morietur. Sic in secunda Tabula prohibeat & puniat externa delicta. Hæc cùm facit, disciplinam & pacem tuetur.

Officia imperiorum sumenda sunt ex Decalogo.

De his officijs & hîc Paulus loquitur, nominat quatuor gradus, Sit gubernatio talis, ut uiuamus in uera pietate, ut rectè doceantur homines de Deo, & Deum rectè inuocent. Deinde nominat honestatem, id est, mores populi sint honesti, id est, non concedatur licentia libidinibus, furtis, latrocinijs, hellua-

Quatuor Paulus requirit in imperijs pietatem, honestam disciplinam, pacem, εὐταξίαν.

helluationibus, ut apud Ethnicos multa horrenda scelera non puniebantur. Tertiò facit mentionem pacis. Quartò tranquillitatis. Nominat enim uitam quietam & tranquillam, Quies opponitur bellis, tumultibus, seditionibus, latrocinijs, uastationibus, in quibus multos interfici & dissipari manifestum est, Omnes uerò impediuntur in educatione, in instituenda sobole, in quærendo uictu & alijs rebus uitæ necessarijs. Tranquillitas uerò significat εὐταξίαν, ordinem & concinnam connexionem ciuium, uidelicet mutuam reuerentiam, & beneficentiam, & modestiam, ut, non satis est ciuitates habere pacem, Sicut Tartaris non inferimus bella, sed uita eorum est sine ordine, non sunt gradus hominum, non reuerentia, non mutua beneficentia, non distincta tempora actionum, non cultura artium, multum petulantiæ, multum rixarum, famosi libelli, temerariæ & confusaneæ concursationes hominum, & factiones, quales Romæ fuerunt in petitione Magistratuum, & postea in electione Episcoporum, in qua sæpè propter diuersa studia suffragatorum multæ cædes fiebant. Ex talibus exemplis utcunq; intelligi potest, quid nominet Paulus tranquillitatem.

Pingit igitur sapientissimè bonum statum ciuitatis breuibus uerbis, Vult in ea lucere ueram Dei inuocationem. Deinde addi honestam disciplinam, pacem, & εὐταξίαν. Ita reuera complexus est omnia necessaria in bona gubernatione. Et sit hæc imago in conspectu non solùm gubernatoribus, qui ad hanc Ideam sua consilia dirigere debebant, sed etiam singulis hominibus suo loco, ut talem statum adiuuemus, primùm ardenti precatione, Deinde nostris obsequijs & exemplis, Non uiolemus pacem iniurijs, non turbemus ordinem petulantia & barbaricis moribus.

Regula Pauli de obedientia erga Magistratus neruus est ordinis politici.

Hîc quoq; integra doctrina, quæ in Ecclesia traditur de rebus politicis cogitanda est, quæ sumatur ex libris, ubi copiosius recitatur, Præcipuè uerò nota sit regula, Necesse est obedire non solùm propter iram, id est, propter pœnam, Sed etiam propter conscientiam. Hæc regula est præcipuus neruus gubernationis politicę in toto genere humano, Et magis munit imperia quàm ulla alia sapientia uel potentia. Et ad hanc regulam referendum est dictum Pauli hoc loco. Hoc honestum & acceptum est coram saluatore nostro Deo, Dicit hæc ipsa officia, precationem pro potestate, pietatem, tueri honestam disciplinam, pacem & εὐταξίαν, esse opera Deo placentia, uidelicet in credente suo ordine, sicut alibi de bonis operibus dicitur.

Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad veritatis agnitionem peruenire, &c.

Augustinus quomodo restringat uniuersalem.

AVgustini interpretatio hæc est, Deus uult omnes homines, id est, omnium graduum & gentium aliquos saluos fieri, Deinde addunt labyrinthos de prædestinatione, quibus turbari mentes nequaquam utile est, Et illæ turbulentæ disputationes inde oriuntur, quòd non consideratur discrimen Legis & gratuitæ promissionis, & abducuntur mentes à gratuita promissione.

Intueamur autem non homines ociosis mentibus disputantes, sed oppressos ueris doloribus, ut eos qui iam ad supplicia ducuntur, his non sunt proponendæ quæstiones de prædestinatione, sed tenenda est doctrina, de qua dicitur Ioan: 1. Filius qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis. Hæc uoluntas de gratia & immensa misericordia Dei expresso decreto patefacta est, Et uult eam

eam Deus ex hac sua promissione cognosci, Et promissio est uniuersalis, iuxta hæc dicta, Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis &c. Et Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Et sæpè repetita est uniuersalis particula, Et unde certitudo esset, si promissio non esset uniuersalis? *Promissio est uniuersalis.*

Ad hanc uniuersalem promissionem & reuelatam uoluntatem accommodo & hæc dicta Pauli, Deus uult omnes homines saluos fieri, uoluntate reuelata in promissione, qua & uerissimè efficax est in ijs, qui uerbo se sustentant, Idem dicitur, apud Deum non est acceptio personarum.

Ac manifestissimum est in ueris pauoribus, non alia consolatione mentes erigi posse, nisi agnitione filij, Et mandatum est uniuersale ad totum genus humanum pertinens, sonans in toto genere humano de Filio, Hunc audite: Ad hanc consolationem cùm hæc dicta Pauli accommodantur, fient dulcissima, & gratum est in Deo æqualitatem uidere. Nam cogitatio inæqualitatis, quòd Deus aliorum peccatis durius irascatur, aliorum tetros lapsus negligat, & aliquos excerpserit, quibus uelit esse familiarior spretis cæteris, tribuit Deo προσωποληψίαν, quæ est tyrannica, & excruciat mentes horribili dubitatione. *In ueris pauoribus non eriguntur mentes, nisi agnitione Filij.*

Retrahit autem nos uox diuina ad patefactionem, quæ affirmat sine ulla dubitatione Deum uerè irasci peccatis in omnibus, tam in Dauide quàm in Saule, Rursus etiam sine dubitatione Deum recipere omnes confugientes ad Filium, Sic iudicare nos cogit expressa promissio, quæ est uniuersalis. Et sit modus aliquis disputationum, nec quærantur cauillationes ad labefactandam promissionem. Hac simplici enarratione contenti simus, Deus uult omnes homines saluos fieri, quod ad suam uoluntatem attinet, iuxta reuelatam promissionem, qua sine ulla dubitatione efficax est in accipientibus uerbum, & se sustentantibus uerbo.

Causam addit, quare Deus uelit omnes homines saluos facere, Quia, inquit, pro omnibus Filius persoluit precium. Simul autem hîc docet nos de agnitione uerí Dei, de uera inuocatione, & de modo saluationis. Ac primùm discernit uerum Deum à commentitijs numinibus, Vnus est Deus, inquit, ille scilicet, qui misit mediatorem Iesum Christum. Semper enim oportet sic apprehendi Deum, ut hunc uerè esse Deum statuamus, & fide intueamur et compellemus, qui se patefecit data promissione de Mediatore, & additis testimonijs. Sicut in primo præcepto dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de AEgypto. Item, Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, Iacob, id est, qui dedit promissiones patribus nostris. Omnes autem aliæ patefactiones referendæ sunt ad hanc præcipuam, qua se Deus patefecit misso Filio. Et cùm ait, Vnus est Deus, complectitur tres personas. Opponit enim hoc dictum omnibus commentitijs numinibus, ut in Deutero: 6. capite: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus unus est. *Patefactiones aliæ referendæ sunt ad patefactionem per Filium.*

Postea de Filio ut de Mediatore loquitur, ubi disertè inquit, Homo Christus Iesus, ut significet se ideo nunc nominare Filium, non quòd excludat eum à diuinitate, Sed quòd iam de Mediatore loquatur, in quo duæ naturæ sunt, diuina & humana. Est autem inter omnia summa opera sapientiæ Dei supremum & arcanissimum omnium hoc consilium, copulatio naturæ diuinæ & humanæ in redemtore, Et hanc sapientiam in omni æternitate discemus: sed iam utrunch piè & reuerenter considerandum est, & quid sit Mediator, & *Filius Mediator.*

quare

quare uoluerit Deus constituere Mediatorem, & quare talis sit, Deus & homo.

DE MEDIATORE.

Sunt autem proprietates Mediatoris quatuor.

I. Quatuor proprietates Mediatoris.

I. Vt sit persona inter Deum irascentem peccato, & genus humanum reum peccati & iræ Dei constituta, ut iusticiæ Dei satisfaciat, sustineat iram pro peccato & deprecetur pro nobis.

II. Vt sit reuelatus hic Mediator, & expresso testimonio Dei ad hoc ordinatus, ut sit propiciator, Sicut de Filio Dei expressè dictum est, Roma. 3. Quem constituit propiciatorem. Et in Psalmo 110. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et eadem loca sunt promissiones, quæ testantur exaudiri hunc Mediatorem.

III. Vt merita Mediatoris applicentur inuocantibus, & ualeant pro eis, Sicut de Filio dicitur, Per unius obedientiam iusti constituuntur multi Roma: 5.

IIII. Vt in inuocatione nominetur, & fiducia huius Mediatoris ad Deum accedamus, & ipse nostra uota ad Deum perferat, & uideat omnium corda, discernat uerè & non uerè inuocantes, & sit efficax in inuocantibus, ut iam fiant unum cum Deo, Sicut ad Ephesios & Colossenses dicitur, Quòd Filius redigat sub unum caput, & adiungat nos æterno patri.

Quare autem voluit esse Mediatorem?

Cur oportuerit constitui Mediatorem inter Deum & homines.

QVia redemtionem ita fieri uoluit, ut iusticiæ diuinæ tamen satisfieret; ideo Mediator constitutus est, in quem effunderetur uera & non simulata ira iusticiæ diuinæ aduersus nostra peccata, & ut talis Mediator esset precium pro genere humano.

Quare autem talis est, Deus & homo?

Quare Mediatorem oportuerit esse Deum & hominem.

QVia cùm genus humanum peccasset, ordo iusticiæ erat, ut homo pœnas sustineret, ideò Paulus hoc loco disertè inquit, Homo Christus Iesus, qui dedit se precium pro omnibus hominibus. Et tamen idem ille Mediator est Deus, ut sit æquiualens precium, & ut possit sustinere iram æterni patris, uincere mortem, reddere iusticiam & uitam, ingredi in arcanum consilium æterni patris, intercedere pro nobis, uidere & iudicare omnium corda, opitulari & sanctificare. Ideo alibi inquit Paulus: In eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, personaliter, Colos. 2. Item, Per eum condita sunt omnia. Ephe. 1. Vbi expressè de diuinitate locutus est.

Hîc & collatio consideranda est. In Epistola ad Galatas capite 3. Paulus de Moyse inquit: Lex est data per manum Mediatoris. Hæc uerba sumta sunt ex historia, quæ recitatur Exodi 20. & 34. Vbi populus consternatus audita uoce Dei inquit, Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne moriamur: In hac historia significatum est, Humanam naturam non posse sustinere uocem Dei iudicantis, seu iudicium Dei. Sicut & Deut. 4. dicitur: Deus est ignis consumens. Est autem ibi Moyses Mediator Typicus, Nam nec ipse audire Deum potuisset, nisi Filius fuisset umbraculum. Sicut Exodi 33. dicitur;

dicitur: Non uidebit me homo & uiuet, sed addit, Protegam te dextra mea. Non sustinet Moyses iram Dei, nec est propiciator, nec potest transfundere radios iusticiæ & uitæ in alios, ideo uelatus est, ut significetur Typum proponi, Sed alius est uerus Mediator Dominus noster Iesus Christus, qui & sustinet iram Dei, & est propiciator, & transfundit radios suæ iusticiæ & uitæ in eos qui ipsum audiunt. Ideo Paulus hîc inquit, Vnus est Mediator, quia non de Typico, sed de uero Mediatore, loquitur, Quem Roman: 3. nominat propiciatorem, Sicut suprà dictum est, Ad Mediatoris officium pertinere, ut sustineat pœnam pro nobis, & sit propiciator,

Obseruent autem lectores hîc repetitam esse uniuersalem, qui dedit se ἀντίλυτρον pro omnibus hominibus, Et uim uocabuli considerent, quod significat compensationem & precium. Vult enim intelligi Paulus talem Mediatorem, seu talem propiciatorem, qui in sese deriuauit pœnam. Et hoc tam grande precium intuentes, agnoscamus Deum uerè & horribiliter irasci peccatis, Quia mirabili & inenarrabili sapientia copulatæ sunt iusticia & misericordia in redemtione. Nec receptum est genus humanum nisi ita, ut simul iusticiæ Dei satisfieret, Hanc iustam iram Deus uult conspici. Rursus etiam uult erigi fidem & agnosci misericordiam, cùm consideramus hoc precium longè antecellere nostris peccatis. Hic fons est omnium consolationum in summis doloribus. Nec potest hæc admiranda doctrina satis copiosè uerbis exponi, sed tamen initia hîc utcunque cogitanda sunt, & in quotidiana inuocatione repetenda est, & precandum, ut ipse Filius Dei Mediator radios suæ sapientiæ & iusticiæ in nos transfundat.

Christus ἀντίλυτρον pro omnibus.

Leuantes puras manus.

SEmper in consp ectu sit integra doctrina de precatione, & accendat nos ad inuocationem & ad fidem consideratio uoluntatis Dei, quæ eo ipso fit illustrior, quia tam sæpè repetitum est præceptum de inuocatione, Sicut Taulerus dulcissimè inquit: Nunquam pectus hominis tàm auidum est ad accipiendum, quàm auida est uoluntas Dei ad dandam gratiam & salutem propter Filium.

Circumstantia quædam, quæ in precatione requiruntur.

Quæ res autem concurrere in precatione debeant, sæpè aliâs dictum est. In his comprehenduntur & hæ circumstantiæ, quarum Paulus hoc loco mentionem facit. Leuate puras manus, id est, non pollutas malo proposito, iuxta illud: Iohan: 9. Peccatores Deus non exaudit.

Puræ manus non pollutæ malo proposito.

Sine ira.

ID est, Sine indignatione & fremitu aduersus Deum, Sed flectantur corda aliquo modo ad patientiam, iuxta illud 1. Pet: 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, Non deficiant corda superata indignatione, ut ruant uel in Epicureum contemtum Dei, uel in blasphemias, ut Saul, Iudas & similes. Oportet enim in nobis esse initia nouæ obedientiæ.

Sine hæsitatione.

ID est, adsit fides uictrix dubitationum. Ac uerè statuamus, nos propter Filium recipi à Deo, curæ esse Deo, & nostros gemitus non esse irritos propter Filium. Hæc alibi copiosius declarantur. Exuscitet autem nos & hæc ipsa sententia ad precationem & ad fidem, Quia & præcipit fieri inuocationem, & uult uinci hæsitationes.

Saluatur mulier per filiorum generationem.

Concio de officijs sexus muliebris opposita est superstitioni.

NON dubium est Spiritum sanctum hanc dulcissimam concionem de officijs sexus muliebris opposuisse multiplici superstertioni. Et laudatio insignis coniugij est obseruanda ad refutãdos omnes fanaticos Spiritus, qui coniugium & œconomica offica damnauerunt, ut semper tales multi fuerunt, ut Marcion, Tatianus, Hierax, ἐγκρατῆται, Papæ, Monachi. His omnibus opponatur hæc uox Pauli: Saluatur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide.

Primùm autem de Grammatica iuniores admonendi sunt, Si manserint, dixit plurali numero, quia de sexu loquitur, ut dicimus, Turba ruunt. Explodenda est igitur multorum insulsa interpretatio, qui uerbum manserint de filijs enarrant, Cùm manifestè falsum sit, matres non fieri saluas, nisi filij fiant salui. Roman: 14. Vnusquisq; nostrum de seipso rationem reddet Deo.

Secundò, Respondendum est ad argumentum,

Sola fide saluamur,

Ergo non officijs œconomicis.

Iustificamur fide gratis & hanc necessariò sequitur noua obedientia.

Respondeo. Antecedens uerum est, propter solius Filij Dei meritum dantur, reconciliatio, iustificatio, & hæreditas uitæ æternæ, & hæc fide accipi oportet: Quam fidem noua obedientia necessariò sequitur, Vt enim ipsa æterna uita in consummatione formaliter erit lux & uirtutum incendium, quæ erunt in nobis perfusis luce diuina, Sicut scriptum est, Deus erit omnia in omnibus 1. Corinth: 15. Ita nunc incoatio uitæ æternæ est incoatio uirtutum, quas Filius Dei per Spiritum sanctum in nobis accendit, Sicut alibi inquit Paulus, 2. Corinth: 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Vide igitur Pauli prudentiam, cùm laudasset opus, mox & fidei mentionem facit, cui cæteras uirtutes addit, quia non iam de meritis disputat, Sed comprehendit uirtutes, quæ cum fide necessariò simul accenduntur. Quotiescunq; autem de obedientia dicitur, initiò facienda est mentio uocationis, Ita cùm mulier præcipuè condita sit, ut pariat & imbecillem fœtum foueat ac alat. Hoc primum opus complectitur Paulus inter uirtutes mulieris.

Vtraque propositio est uera, fide sumus iusti, & in iusto noua obedientia est necessaria.

Simul autem ueræ sunt hæ propositiones, Iustus fide Gratis propter Filium Dei, & per eum est hæres uitæ æternæ. Et altera, In hoc iusto necessaria est noua obedientia, Quia ita fit consolatio & uiuificatio per fidem, ut simul à Spiritu Sancto noua lux & noua obedientia accendantur, Iuxta illud Ieremiæ capite triceſimo tertio: Dabo Legem meam in corda eorum. Ideo inquit Paulus 1. Corinth: 9. Væ mihi, si non Euangelizem. Item 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Item, Matth: 5. Nisi abundauerit iusticia uestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis regnum cœlorum. Nec pugnant hæc, Noua obedientia in iustificato necessaria est, Et tamen non est meritum uel precium uitæ æternæ, Quia nunquam in hac uita Legi Dei satisfacimus, & nunquam sumus sine peccato, iuxta illud 1. Iohan: 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, mendaces sumus. Fides igitur intuens Filium Dei, habet certam consolationem, & scit te hæredem esse uitæ æternæ propter meritum Filij Dei, & per ipsum, non propter tuum meritum.

Ita Paulus hîc nouam obedientiam necessariam esse significat, non uult esse meritum. Et inter uirtutes nouæ obedientiæ recenset officia œconomica, iusticiam

iusticiam & patientiam in communibus ærumnis matris, quæ multæ & magnæ sunt. Nominat autem has uirtutes, labores partus & educationis, fidem, dilectionem, sanctificationem & modestiam. Fidem necessariam esse in omnibus manifestum est, & hîc cogitetur integra doctrina de fide, quæ est fiducia acquiescens in filio Dei, & accipiens propter eum gratis remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, ueram consolationem & uiuificationem, qua incoatur in nobis renouatio propter filium Dei, & per eum. Hæc autem fides assiduè in omni inuocatione, in omnibus periculis exercenda est, Et cum ea comprehendi intelligimus Spem & Tolerantiam, ut suprà de precatione dictum est. Harum uirtutum exercitia sunt præcipuæ consolationes in tota hac uita, de quibus dicitur Philip: 4. Pax Dei gubernet corda uestra. Item Psalmo 124. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non mouebuntur in æternum.

Officia œconomica mulieris sunt uirtutes nouæ obedientiæ.

Dilectio sicut alibi significat dilectionem Dei et proximi, & comprehendit timorem & obedientiam erga Deum. Deinde in dilectione proximi, in matrefamilias prima uirtus est dilectio mariti & sobolis, lenitas animi, ne iracundia & rabie ipsius fiat triste coniugium, Nec abalienetur uiri animus. Item, Patientia, ne maritum in aduersa fortuna deserat. Item sit iusta in contractibus, non sit defraudatrix. Item sit benefica erga pauperes. Hæ uirtutes omnes dilectione comprehenduntur, & discerni possunt inspecto Decalogo. Fiunt autem magis conspicuæ, cùm exempla intuemur, ut Saræ, Abigail, uiduæ Sareptanæ, Elizabeth matris Baptistæ, Elisabeth Thuringicæ. Item, Elizabeth ororis Caroli, quæ fuit nupta regi Danico, & comes exiliorum & magnarum ærumnarum socia, nec uoluit regnum recipere oblatum sine marito.

Dilectio quas uirtutes complectatur.

Sanctificatio phrasi hebræa sæpè castitatem significat, ut primæ Thessalonicenses 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & possideat quisque uas suum in sanctificatione & honore. Cùm autem suprà dixerit, mulieres pariendo saluos fieri, constat non prohiberi consuetudinem coniugalem, sed adulteria prohiberi. Iam hîc cogitent bonæ mentes, & necessariam & pulcram uirtutem esse castitatem, quæ est uel in coniugio uel in uita cœlibe uitare omnes prohibitas commixtiones, & seminis profusiones. Ac de necessitate expressè dictum est, 1. Corinth: 6. Ne erretis, scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei. Item, Galat: 5. Qui talia faciunt regnum Dei non possidebunt. Item, ad Hebræ: 12. Sine sanctificatione, id est, castitate nemo Deum uidebit.

Sanctificatio phrasi Hebræa castitas.

Nec tantùm æternæ pœnæ comitantur libidines in his, qui non conuertuntur, Sed etiam præsentes pœnæ in hac uita & conuersos & non conuersos opprimunt, Quanquam conuersis mitigantur, ut ostendit exemplum Dauidis. Et expressè dictum est Hebr: 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus, scilicet & in hac uita & post hanc uitam, si non fuerint conuersi. Iudicat autem Deus aliquando immediatè, sicut delet Sodoma, in quo exemplo diligentissimè considerandum est, illam horrendam executionem pœnæ ab ipso filio Dei fieri, qui in eo itinere hospes est Abrahæ, Vbi postea textus inquit, Pluit Dominus ignem & sulphur à Domino super Sodoma, Gene: 19. Aliquando punit mediatè per imperia & alias calamitates, ut Antonius punitur ab Augusto; Sunt autem & magistratuum legitimæ pœnæ iudicij diuini, nec dubium est uagas libidines multorum ingentium bellorum & magnarum uastationum

Pœnæ libidinum præsentes et æternæ.

cauſas eſſe,ut oſtendunt hiſtoriæ, Nam & inter diluuij cauſas fit mentio libidinum. Poſtea narrantur exitia Sodomæ, Cananæorum, Et ferè totius tribus Beniamin, Principes ſuſpenduntur in deſerto, adulterium Dauidis ſecuta eſt ſeditio,Græcæ hiſtoriæ plenæ ſunt exemplorum,Sibaris, Thebæ, Spartæ: Et nunc Africa,Aſia,Aegyptus,Syria, Græcia, ſunt aut ſolitudines,aut tetra Barbarorum ſtabula ſine Eccleſijs, ſine legibus, ſine diſciplina, ſine doctrina,propter Idola, hæreſes & libidines.

Horum triſtiſsimorum exemplorum cogitatione nos exuſcitemus, ut ſimus uigilantiores in tuenda uera doctrina,in uera inuocatione, & uitandis inquinamentis libidinum.Circumſpiciamus etiam quotidianas pœnas, Multæ magnæ & paruę familiæ quotidiè euertuntur propter libidinum confuſiones. Quare caſtitatem piè tueri ſtudeamus,tùm in coniugio,tùm in uita cœlibe.Eſt etiam quædam ætatis teneritas, quæ adhuc facilè poteſt retinere puritatem, ſi uitet mala ſodalitia & helluationes, & ad ſobrietatem ac ad labores honeſtos adiungat cogitationem de iudicio Dei,& de pœnis,& precationem.

Inter pœnas corporales libidinum ſunt cœcitas & indolentia.

Dixi autem iam de pœnis corporalibus. Apud Paulum Epheſ: 4. fit mentio multò grauiorum pœnarum, uidelicet, cœcitatis & indolentiæ,ut cùm Ptolemæi polluunt ſe uarijs modis,poſtea ruunt cœci in domeſtica latrocinia, & ſibi ipſis exitia accerſunt, Et ſunt in conſpectu exempla pontificum, ſacrificulorum & Monachorum, Ibi dominantur hæc duo mala Cœcitas & Indolentia. Plurimi ſunt palàm Epicurei. Alij pauci ſuperſtitioſi & faſcinati falſis perſuaſionibus delere ueritatem conantur, deinde ſecuri, ſine ullo pœnitentiæ gemitu in magnis ſceleribus uiuunt,& Sibaritico more omnia uoluptatum genera quærunt, donec ruunt in æternum exitium.

Diabolus hoſtis caſtitatis.

Has maximas pœnas,cœcitatem & indolentiam,formidantes,maiore cura tueamur caſtitatem, & filium Dei oremus, ut cùm ipſe maximè caſtitatem amet propter ſuam gloriam, nos adiuuet, ne contaminemur, ac ne Diabolo uoluptatem noſtri lapſus præbeant, qui multiplices triumphos agit, cùm hoc modo aliquos euertit, & lætatur odio Dei,quòd fiant opera,quæ ualde diſpliceant Deo: Item,quòd deformet creaturam Dei,& turbet ordinem diuinitus inſtitutum, quòd auellit hominem à Deo, & contriſtat Spiritum ſanctum, quòd præbet occaſionem alijs multis malis ſecuturis, Nam Diabolus longam telam texit. Poſtremò, quid eſt triſtius quàm ita uiuere, ut certò ſcias Deum tibi iraſci, nec poſsis ad eum accedere inuocatione, aut petere ab eo auxilium, aut defenſionem ulla in re. Hæ tantæ miſeriæ ſæpè multumq; cogitandæ ſunt, & exempla noſtra, & aliena intuenda, ut nos ad pœnitentiam & ad precationem exuſcitemus,& uitemus occaſiones lapſuum,& coërceamus noſtra membra, Sicut Paulus inquit Epheſ: 5. Ambulate accuratè,non ut fatui.

Non ſatis intelligimus quantæ res ſint ſapientia, ueritas, uirtus.

Vtile eſt rectè intelligere appellationes uirtutum, & de earum fontibus, officijs, & dignitate ſæpè cogitare. In hac imbecillitate naturæ non uidemus quantæ res ſint ſapientia, ueritas, uirtus. Nec econtrà ſatis cernimus,quàm horrenda mala ſint mendacium, cultus Idolorum, iniuſticia, pollui libidinibus. Præterea aut frigidè cogitamus de Lege,aut indignamur nos quaſi iniuſtè in hunc carcerem incluſos eſſe, Sicut Gorgias dixit,Legem Tyrannum eſſe. Hanc in noſtra natura caliginem & contumaciam ſciamus eſſe magna & triſtia uulnera & horrenda peccata,de quibus dicitur,Rom. 8. Senſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum. Ideo morbos noſtros aliquo modo agnoſcamus

& deplo-

& deploremus, & confugiamus ad mediatorem filium Dei, ad Samaritanum nostrum, & ab eo petamus auxilum, Et cûm de uirtutibus cogitamus, Deum ipsum intueamur, & sciamus talem esse, fulgentem uera & immensa luce, sapientia, bonitate, beneficentia, ueritate, rectitudine, & puritate, & uelle nos sibi similes esse: Ita melius considerari natura & pulcritudo uirtutum potest, cùm quasi in ipso Deo eas aspicimus.

Magis intelligitur pulcritudo uirtutũ cùm in Deo aspiciuntur.

Etsi enim Lex est doctrina, quæ narrat qualis sit Deus, Tamen de uirtutibus angustius cogitamus intuentes Legem, à qua uelut à carcere abhorremus, Ames iusticiam in non lædendis alijs, quia Deus talis est, uidelicet benefícus & æqualis, & uult nos sibi similes esse, & cogita hanc uirtutem ideo rem esse pulcerrimam, quia Deus talis est. Ita ames ueritatem, quia Deus talis est, & uult nos sibi similes esse. Hanc cogitationem & ad cæteras uirtutes transferas, & uocabula rectè enarrentur. Sumantur autem enumerationes & descriptiones ex Decalogo, ut sæpe dicimus.

σωφροσώνη.

Vocabulum σωφροσώνη hoc loco ut sæpè aliâs significat & temperantiam & modestiam. Propriè autem temperantia nominatur conuenientia in cibo & potu. Hæc uirtus per sese necessaria est, quia uicia contraria corpori exitiosa esse per sese manifestum est, ut dicitur, Plures intemperantia quàm gladio perire: Et nutrix est multarum aliarum uirtutum, inuocationis, intentionis, deliberationis, diligentiæ, circumspectionis, castitatis, cùm intemperantia impediat sensum timoris Dei, pœnitentiam, meditationem, inuocationem, & confirmat securitatem, & multa incendia cupiditatum augeat. De inuocatione dicitur, Marci 9. Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi ieiunio & oratione. Et Petrus inquit, 1. Pet: 5. σωφρονήσατε & sobrij estote ad precationem. De castitate, Et Venus in uinis, ignis in igne furit. Et Iuuenalis. Quid enim Venus ebria curat? Et semper sit in conspectu dictum Senecæ, Consuetudine insaniæ durata uicia uinoconcepta, etiam sine uino ualent.

Intemperantia accersit priuatas & publicas calamitates.

Nec dubium est augeri publicas & priuatas calamitates, propterea quia Deus intemperantiam punit, quam quidem plerunque & alia multa uicia comitantur, iuxta illud Epigramma, ἅλις ἠὴ μεθυῆ ἠὴ ψεύδεται, ὅιος ἕκασου ὅιν Θ', τοίη ἧ ἠὴ ξωαπᾶσα πόλις. Heliaca urbs simul est mendax ac ebria, talis Tota urbs est, domus ut quælibet esse solet, id est, publicus malus status inde oritur, quia singuli nolunt sese emendare, sed quilibet alijs uult Leges ferre, non sese & suos regere, cùm dictum sit, Iustus primùm accusator est sui.

Modestia.

Modestia uerò est uirtus in opinione, sermone gestu, actione negociorum, seruans conuenientiam, id est, retrahens nos intra metas personæ conuenientes.

Vitia opposita modestiæ.

Ex hac definitione intelligi potest, Modestiam tanquam totum complecti multas partes seu species, quarum aliquæ appellationibus discernuntur, & fiunt discrimina illustria, cùm conferuntur opposita uicia: Cum Modestia pugnant superbia, Thrasonica uanitas, seu iactantia. Item Garrulitas, futilitas, scurrilitas, Petulantia, obscœnitas, Item luxus, & ineptiæ in uestitu, & multò maximè pugnat cum modestia curiositas, seu πολυπραγμοσώνη ingerens se in aliena negocia.

Etsi autem uicia omnia, quæ pugnant cum temperantia & modestia in omnibus hominibus, uiris & fœminis pernicioſa & deformia sunt, tamen in mulieribus magis conspicua est deformitas, quia hic sexus propter infirmita-

Immodestiæ maior deformitas in muliere.

tem latêre debet. Itaque ualde turpe spectaculum est in cœtu mulier ebria, & facilius tunc ruit in alia dedecora, Sic deformitas magis conspicua est in muliere garrula, curiosa, admiscente se negocijs gubernationis, ut Liuiam matrem Tyberius nominabat Vlyssem stolatum, propterea quia in republica multa negocia astutè mouebat. Itaque multa præcepta traduntur, quæ iubent mulieres œconomica domi curare, & omittere negocia quæ à uiris gubernanda sunt. Ideo sæpe citatur dictum Sophoclis ex Aiace, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει, Mulieribus silentium decus est.

Etsi autem breuis est hæc apud Paulum enumeratio uirtutum, tamen lector attentus uidebit formam totius uitæ matronalis hîc sapienter comprehensam esse. Nec ero prolixior, quia oportet Decalogum omnibus notissimum esse, qui est fons doctrinæ de omnibus uirtutibus.

Causæ propter quas laudandum est coniugium.

Rursus autem admoneo lectorem, ut testimonium de laude coniugij hîc consideret, & causas cogitet, Deus immensa sapientia sic condidit genus humanum & certo modo coniunxit, uult intelligi & præstari castitatem, uel in coniugio, uel in uita cœlibe eorum, qui sunt idonei ad uitam cœlibem, uult uitari huius ordinis conturbationem, & horribiliter punit uagas libidines priuatis & publicis calamitatibus, & deinde pœnis æternis, nisi fiat conuersio, Propter has causas laudata est uita coniugalis.

Prohibitio cõiugij doctrina dæmoniorum.

Cùm autem oporteat regi nos uerbo Dei, & nulli cultus Deo placeant sine uerbo Dei, manifestum est Monachorum uota non esse cultus Dei, & cumulauerunt Monachi & Sacrificuli multos alios errores, & cultus idolorum, quibus adiuncta est prohibitio coniugij, quam infrà Paulus expressè nominat doctrinam dæmoniorum. Significat autem hic titulus multa magna mala, ardet Diabolus odio Dei, & ut Deum contumelia afficiat, primùm falsos cultus & mendacia in genere humano serit, Deinde opus Dei, scilicet genus humanum, horribiliter deformare & perdere conatur, accendit discordias & bella, multos impellit, ut teterrimis libidinibus contaminentur, quia scit Deum ualde irasci confusionibus libidinum, Et hæc facit omnia, ut quàm plurimos hominmes pertrahat in æternum exitium, & ad æternas blasphemias Dei. Eodem consilio impulit hypocritas ad Legem de cœlibatu imponendam sacerdotibus, & ad excogitanda impia uincula uotorum, quæ multipliciter offendunt Deum, Quia & nerui sunt falsorum cultuum, & sunt causæ horribilium contaminationum, propter quæ peccata ingentia hominum agmina ruunt in æternas pœnas.

Hæc mala & eorum fontes intelligi necesse est, & impia Lex de cœlibatu damnanda est, Ac ijs qui discedunt à defensoribus idolorum & Legis de cœlibatu, magna consolatio est, quòd Paulus expressè nominat illam Legem doctrinam dæmoniorum, ut certissimè sciamus eam displicere Deo, & conscientiæ sciant fugiendam esse societatem eius defensionis, iuxta illud, Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Sic autem ab illis discedamus, non ut priores sordes retineamus, sed efficiamur membra filij Dei uerâ inuocatione, castitate, & alijs ueris cultibus.

CAPVT

CAPVT III.

Si quis Episcopi munus desiderat, honestum opus desiderat.

ADmonitiones breues antea de doctrina fidei & operum tradidit, nunc addit admonitionem de ministris Euangelij, quasi Ecclesiæ politiam constituens. Hîc igitur de uocatione & ordinatione dicendum est. Primùm autem sciendum est, duplicem esse uocationem, Alteram quæ fit immediatè à Deo. Alteram quæ fit mediatè per homines iusto modo. Immediata prior est, quia Deus immensa bonitate propter filium & per filium sibi uult æternam Ecclesiam colligere, ideo primùm constituit summum sacerdotem filium, hic primus ex sinu æterni patris profert Euangelium, hic ordinatus & unctus est plenitudine Spiritus sancti, ut Esaiæ 61. dicitur, Spiritus Domini super me, eò quòd unxit me. & Psalmo quadragesimo quarto: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ propter consortes tuos. Hic filius deinde, ut incoet & subinde instauret Ecclesiam, Patres, Prophetas, & Apostolos immediatè sua uoce uocat & mittit, ungit eos donis Spiritus sancti, & est efficax per ministerium eorum, ut Ephes: 4. dicitur: Dona dat hominibus, alios quidem Prophetas, alios Apostolos, Pastores.

Vocatio duplex est.

Immediata uocatio.

Quanquam autem hæc uocatio & missio fit autoritate diuina, tamen ipse Deus addit testimonia, ut Ecclesia & ipsi uocati sciant hanc missionem esse diuinam, Nec uult fieri res tantas in Ecclesia sine testimonijs. Ac ipsis uocatis ualde opus est etiam propter suam conscientiam habere testimonium uocationis, quia ualde anguntur conscientiæ, cùm illa uoce feriuntur: Currebant & non mittebam eos, Ieremiæ uicesimo tertio. Itaque ut & Ecclesia & conscientia uocati sint sine dubitatione, an hoc ministerium sit à Deo, adduntur diuina testimonia, ut Abel, Noæ, Ioseph, Moysi, Eliæ, Helisæo & cæteris Prophetis & Apostolis tribuuntur manifesta testimonia.

Immediata uocatio habet testimonia diuina.

Interdum & patefacit Deus missionem certis hominibus, ut Moyses scit constitui ducem Iosue, & ei manus imponit, ut scriptum est Deuteronomij ultimo. Eli scit uocari Samuelem, & de Paulo in actis dicitur, capite 13. Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod uocaui eos. Et in talibus ipsa missio diuina est ordinatio, in qua filius Dei simul & ungit eos, & manus imponit eis, id est, benedicit eis, & est efficax in ministerio eorum, sicut ad Moysen dicit, Exod: 4. Ego ero in ore tuo & in ore illius. Et Ieremiæ 10. Ecce do uerba mea in ore tuo. Et Esaiæ 55. Verbum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum. Hæc de uocatione immediata primùm obseruanda sunt.

Altera est uocatio mediata, quæ fit per homines iusto modo, Quia Deus ad illud alterum beneficium hoc quoque adiungit, uult Ecclesiam ipsam uocare ministros, & affirmat se horum ministerio etiam efficacem esse. Hoc ingens bonum agnoscendum est, & Deo gratiæ agendæ sunt, Ac tenenda consolatio, quòd hoc modo Deus continua serie sibi colligit Ecclesiam, & ministerio rectè docentium adest.

Vocatio mediata quæ fit per homines.

Expressè scriptum est ad Titum, constituas presbyteros per ciuitates, sicut iussi. Item 2. Timoth: 2. Quæ audiuisti à me multis testibus, hæc com-

menda fidelibus hominibus, qui sint idonei ad docendos alios. Item, 1. Timot. 5. Nemini citò manus imponito.

Hæc dicta manifestè ostendunt Ecclesiæ præcipi, ut ministros eligat. Ideoq; Paulus dat præcepta quales sint eligendi, quia uult electionem, quæ fit uoce Ecclesiæ, ratam esse.

Testimonia quòd Deus per ministerium Euangelij sit efficax.

Iam huc addantur testimonia de ministerio, quæ affirmant Deum esse efficacem per ministerium Euangelij, id est, per uocem Euangelij, quam sonant eandem Paulus, Titus, & Titi auditor retinens doctrinam incorruptam. Roman. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. 2. Corint. 3. Fecit nos ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus. Ephes. 4. Ascendit, dedit dona hominibus, Pastores & Doctores. Scilicet uel immediatè uel mediatè uocatos. Lucæ 10. Qui uos audit me audit. Iohan. 15. Ego sum uitis, uos palmites, qui manet in me & ego in eo, feret fructum copiosum. Iohannis capite 18. Rogo non pro eis tantùm, sed pro omnibus credituris per Verbum eorum.

Hæc sciri necesse est propter multas causas. Primùm ne contemnatur & omittatur hæc mediata uocatio ministrorum, sicut meminimus errones Anabaptistas contemnere totam hanc uocationem, & dicere expectandos esse ministros, quos Deus immediatè mitteret. Aduersus hæc fanatica delíria muniti simus.

Non est inuadendum ministerium sine uocatione mediata.

Deinde & hæc doctrina hinc sumitur, ubi non est uocatio Prophetica & Apostolica, sciamus sine uocatione mediata nequaquam inuadendum esse ministerium Euangelij, quia Petrus inquit 1. Petri 4. Nemo sit ἀλλοτριοεπίσκοπος, Et generaliter præceptum est ad Thessalonicenses 1. Thess. 4. propria facite. Et tristis reprehensio est Ierem. 23. Currebant & non mittebam eos. Et Deus perdit Chore & Dathan, qui sine uocatione inuadunt ministerium.

Consuetudo electionis & uocationis in prima Ecclesia.

Olim autem fiebat hæc uocatio seu electio per suffragia Ecclesiæ, adhibito Episcopo aliquo, uel Pastore, propter explorationem doctrinæ, ut expressè Synodus Nicena inquit, in tripartita historia, libro 2. pag. 325. ὁ λαὸς αὐτὸς συνεπιψηφίζοντος καὶ συνεπισφραγίζοντος τοῦ ἐπισκόπου, id est, Populus eligat simul comprobante & confirmante Episcopo. Et lib. 9. Tripart. hist. pag. 558. in Epistola ad Damasum scribunt Episcopi Orientis, se præsente Theodosio Imperatore ordinasse Episcopum, electum suffragijs totius cleri, & totius ciuitatis, Et ibidem de alio loco, κοινωνικῶς ἐχειροτόνησεν πάσης συμψήφου τῆς ἐκκλησίας, Canonicè elegerunt per suffragia comprobante tota Ecclesia.

Vocatio in nostris Ecclesijs quomodo fiat.

Nunc fit uocatio per præcipua membra Ecclesiæ, ut in urbibus per Senatum, adhibitis aliquibus ex collegio ministrorum Euangelij, quia tunc cùm fiebat electio suffragijs uniuersæ multitudinis, sæpè tumultus orti sunt & factæ cædes, ideo restrictio ad pauciores facta est.

Oportet autem adhiberi pios Doctores ex collegio ministrorum Euangelij, propter explorationem doctrinæ, de qua ad Timotheum manifestè præcipitur 2. Timoth. 2: Commenda doctrinam hominibus fidelibus, qui sunt ad docendum idonei.

Postea etiam iudicari Ecclesijs electum seu uocatum oportet, quia si sciret Ecclesia eum non rectè sentire, reijcere uocatum posset, Sed cùm rectè sentientem recipit, confirmat uocationem. Postea addit precationem, Et fuit antiquus

tiquus ritus imponere manus electis. Hoc signum ostendebat uocationem & uocationis confirmationem, Interea sine ulla dubitatione filius Dei efficit, ut ministerium huius sit efficax, sic ipse manus imponit & ungit eum.

In hac antiqua consuetudine uidendum est, quæ membra sint necessaria & iuris diuini, qui ritus sint mutabiles, & quomodo facta sit deprauatio per Papam & Episcopos ipsi addictos.

Sunt autem multæ deprauationes. Non instituunt uocationem ad ministerium, sed dicunt se ordinare Sacerdotes ad sacrificandum, & fingunt oportere certam turbam esse Sacrificulorum, qui offerant pro uiuis & mortuis, & neminem habere potestatem consecrandi panem & calicem nisi tales, qui potestatem acceperint ab Episcopo confirmato à Romano pontifice. In his opinionibus magnum chaos est errorum. *Deprauationes in antiqua consuetudine factæ per Papam & Episcopos.*

Postea addunt iniusta uincula Canonum, de cœlibatu, & alijs traditionibus, item ungunt oleo, quod magicis blasphemijs consecratum est.

Hoc tempore addunt nouas blasphemias, ut primùm ordinandus iuret, se nolle amplecti doctrinam taxantem ipsorum errores & Idola.

Vbi hæ tantæ deprauationes retinentur, nequaquam à talibus Episcopis ordinatio petenda est, Nec moueamur clamoribus indoctorum, qui uociferantur, non ualere ordinationem factam in Ecclesijs nostris, quia non sint apud nos Episcopi, hoc titulo confirmati à Romano pontifice. Sed opponenda est regula firmissima, Si quis aliud Euangelium docet anathema sit. Nihil potest dici expressius, cùm manifestum sit eos, qui pertinaciter defendunt manifestos errores, & manifesta Idola, fugiendos esse, Et constet tales esse Papam & Episcopos ipsi addictos, sumus certissimi eos non esse membra ueræ Ecclesiæ Dei. *Non petenda est ordinatio ab Episcopis retinentibus deprauationes consuetudinis antiquæ.*

Quæramus autem quæ & ubi sit uera Ecclesia Dei, & nos ad eam adiungamus, iuxta dictum Psalmi 26. Vnum hoc requiro à Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Item, Psal: 25. Lauabo inter innocentes manus meas, & altare tuum circumdabo Domine. Esse autem uerum ministerium Euangelij in uera Ecclesia certissimum est ex dicto, Ascendit in altum, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores & Doctores &c. Ephesios 4. Quare apud hanc manet ius uocationis, Quia ueræ Ecclesiæ dictum est, Constitue presbyteros.

Necessaria autem membra ordinationis hæc sunt. Vocatio ad ministerium, Exploratio doctrinæ, indicare uocatos Ecclesiæ, approbare uocationem, & precatio. Ideo certissimum est ordinationem pertinere ad ueram Ecclesiam, non ad hostes Ecclesiæ. *Necessaria membra ordinationis.*

Fuerunt autem in externo ritu ordinationis statim in ueteri Ecclesia ceremoniæ, impositio manuum & collocatio libri supra caput &c. Talia signa dico mutabilia esse, Sed tamen cùm in Ecclesia deceat omnia fieri ordine, esse aliquem publicum ritum ordinationis sine superstitione, utile est 1. Ad hoc, ut magis illustria sint testimonia uocationis & approbationis uocati. 2. Et ut conspiciatur cuius Ecclesiæ doctrinam uocatus amplectatur. 3. Et ut ibi publica precatio fiat. 4. Prodest etiam hic ipse ritus ad multorum confirmationem, ut sciant ius ordinationis pertinere ad ueram Ecclesiam. 5. Et cogitent qui sint *Impositio manuum & collocatio libri supra caput ritus ordinationis ueteris.*

sint errores aduersariorum. 6. Et cuius Ecclesiæ uelint esse ciues. 7. Denique multæ sunt utilitates, cùm sine calumnia & sine superstitione iudicatur.

Hæc de uocatione & ordinatione ad iuniores commonefaciendos dicta sunt.

Duplex est petitio officij, una pia quæ nõ impedit uocationem.

Disputatur hîc & de ambitione, an peccet petens officium Pastoris? Respondeo. Duplex est petitio. Altera est pia, quæ ita fit, ut offeras tuos labores, & habeas προαίρεσιν rectè faciendi officium, & iudicium de te permittas ijs qui adhibentur, nec pugnes illicitis modis. Hæc petitio laudata est à Paulo in hoc dicto: Si quis Episcopi functionem expetit, honestum opus expetit. Laudat uoluntatem petentis, & commonefacit, ut operis magnitudinem consideret, Sicut manifestum est, res difficilimas esse explicationem doctrinæ, gubernationem, circumspectionem necessariam ad uitanda scandala.

Nec iniustum est appetere mercedem suo ordine, Ac talis petitio non impedit uocationem, sed potius gratia debetur petenti, quòd se indicat, quia hi qui præsunt non norunt tam multos, quàm multis opus est ad ministerium. Tunc autem dicitur uocatio facta esse, cùm accessit iudicium & approbatio uocantis.

Altera petitio officij est ambitiosa.

Alia petitio ambitiosa est, quæ ita fit, ut iudicium impediat, & pugnet illicitis modis. Hæc ambitio pugnat cum uocatione, quia conatur impedire iudicium, quod ad uocationem necessarium est, Et concurrunt multa uicia, non quæruntur labores, sed reditus aut splendor. Sunt autem pernicios issimi fures, qui omisso labore deuorant reditus. & de superbia dictum est, Prouerb. 16. Abominatio est coram Deo omnis superbus corde.

Petens uel recipiens onus supra uires sine uocatione peccat.

Hîc & argumenti explicatio nota sit, Nemo petat uel recipiat onus, quod superat uires. Administratio in Ecclesia, & in politijs sine ulla dubitatione superat uires humanas, Ergo non est petenda uel recipienda? Respondeo ad maiorem, Nemo petat uel recipiat, cùm non accedit uocatio. Item, Nemo petat uel recipiat fiducia sui, Sed cùm accessit uocatio, iam administratio fit opus obedientiæ Deo debitæ, & id faciendum est fiducia auxilij diuini, & inuocatione Dei.

Administratio superans uires fit possibilis.

Deinde ad minorem respondeo. Administratio superat uires humanas, id uerum est, Sed fit possibilis & efficax Deo iuuante. Ac uult Deus hoc modo colligere Ecclesiam uoce ministrorum, Sicut inquit Paulus 1. Corint: 3. Dei cooperatores sumus, Dei agricultura estis, Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus incrementum dedit. Nec requiritur, ut nos ipsi sufficientes simus, Sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Corint: 3. Sed hoc requiritur, fideles ut simus, 1. Corint. 4. Fidelitas autem complectitur bonam uoluntatem & non ignauam, sed bona conscientia quærentem res necessarias ad ministrationem, scilicet mediocrem cognitionem doctrinæ, diligentiam, constantiam in confessione & similes uirtutes, quarum Catalogum hoc in loco Paulus recenset.

Vocatio per homines facta placet Deo.

Quòd placeat Deo uocatio seu electio per homines facta, & quòd ministerium per tales sit efficax, hinc manifestum est, Quia Paulus iubet eligi ministros, & narrat quales sint eligendi, iam si nulla per homines facienda electio, quorsum opus esset tradere formam, quales sint eligendi.

Cæterùm de forma hac sciamus oportere singulos homines scire summam doctrinæ, quæ sit rectrix fidei & morum, Et una communis est omnium

ſumma quam ſuprà recitauit, Milita bonam militiam habens fidem & bonam conſcientiam.

Vt autem conſcientia normam habeat, intueamur Decalogum, & eum rectè intelligamus, Sciamus opera pugnantia cum Decalogo eſſe opera pollutia conſcientiam, & offendentia Deum, Et conſcientia iudicium eſt in nobis approbans facta ſecundum Verbum Dei, uel iuxta Legem naturæ, & condemnans contraria, quam condemnationem certo ordine in natura rationali ſequuntur horrendi cruciatus, qui ſunt teſtes & opus iudicij Dei, iuxta illud, Deus igniconſumens eſt. *Decalogus ſit norma actionum.*

Conſiderata generali ſumma doctrinæ, poſtea uideat quiſq; quæ ſint ſuæ uocationis propria. hæc pars etiam pertinet ad Decalogum, Miniſter Euangelij ſciat ſe debere ſonare doctrinam. Non ſit igitur ignarus doctrinæ, & ſit aliquo modo ad docendum idoneus. Deinde huic quoque norma morum ſit Decalogus rectè intellectus: Hanc ſummam Paulus & hîc proponit.

Initiò autem ponit genus ſeu ſummam conuenientem eligentibus, Epiſcopum oportet irreprehenſibilem eſſe, Græcè ἀνεπίλημπτον, Et ad Titum cap. 1. dicitur ἀνέγκλητον, id eſt, non reum alicuius criminis, quod Iudicio humano uerè accuſari poteſt. Nam ἐπιλαμβάνομαι ſignificat reprehendo, corripio, ut apud Platonem in Gorgia, Si quid non rectè dicere uideor, ἐπιλάμβανε, id eſt, reprehendito. Et ἐγκαλεῖν ſignificat accuſare ſeu in iudicium uocare, Quia Paulus hîc loquitur de electione, certum eſt dici de accuſatione coram iudicio humano, uult Epiſcopum non eſſe infamem. Et ſint nota ſcelera, propter quæ aut iudicia ciuilia homines notant infamia, aut Eccleſia interdicit communionem. *Qualem conueniat eſſe Epiſcopum.*

Sic ordinauit Deus uitam æternam, ut uelit propter manifeſta ſcelera homines uel interfici à poteſtate politica, uel alioqui eíjci ex reliqua ſocietate. Vt propter blaſphemias, periuria, magiam, manifeſtum cultum idolorum, ſeditiones, homicidia, uagas & inceſtas libidines, adulteria, furta, calũnias, crimen falſi.

Interpretatio inſulſiſsima eſt, quam aliqui finxerunt, Oportet Epiſcopum eſſe ſine peccato, hæc interpretatio falſa eſt, cùm intelligitur de peccato coram Deo, iuxta illud Iohannis, 1. Iohan: 1. Si dicimus, quòd peccatum non habemus, mendaces ſumus. Manent in hac miſera natura etiam in ſanctis in hac uita multæ magnæ ſordes & peccata, Sicut inquit Ieremias cap. 17. Cor hominis peruerſum eſt & ærumnoſum. Ac in quotidianis exercitijs pœnitentiæ hæc interiora peccata coram Deo agnoſcenda & deploranda ſunt. De his autem Paulus hîc non loquitur, Ad Titum uertit interpres, ſine crimine. *Falſa interpretatio eſt, oportere Epiſcopũ eſſe ſine peccato.*

Diſcant igitur iuniores phraſin, aliud eſt dicere ſine peccato, aliud ſine crimine, id eſt, ſine tali ſcelere, quod in iudicijs Eccleſiæ, ſeu politicis damnatur. *Differunt eſſe ſine peccato & eſſe ſine crimine.*

Sed hîc nobis ipſi multa obijcimus. Primùm nemo eſt tam firmus, qui non etiam aliquando turpiter labatur, ut inquit Salomo Eccle: 7. cap. Non eſt iuſtus in terra qui non peccet. Item, Prouerb: 24. Iuſtus cadet in die ſepties. Item notum eſt illud Simonidis, Impoſsibile eſt eſſe tetragonum, id eſt, perfectum, Et manifeſtum eſt in omni gubernatione multa eſſe errata omiſsionis & ignorantiæ.

Secundò nemo poteſt uitare obtrectationes & calumnias. Eſt enim dulce & uſitatum malum maledicentia, ut Pindarus inquit, ὄφορ πολίταις ἀι κακηγορίαι.

De priore

Præstandum in omnibus officijs ut fideles simus.

De priore quæstione respondeo. Regula teneatur in omnibus officijs, ut fideles simus, ut dicitur 1. Corinth: 4. id est, sit bonum propositum, & studeamus rectè facere, & plerunque rectè faciamus, lapsi uerò sanari nos patiamur. Præterea cùm omnes sciamus facilimè posse labi & errare omnes homines, Et assiduè sint insidiæ Diaboli horrendæ, Simus in inuocatione filij Dei ardentiores, Nec obliuiscamur dicti, Iohan: 15. Sine me nihil potestis facere. Item, Sine tuo numine nihil est in homine.

Aduersus obtrectationes præstandum, ut conscientia sit sine labe, et fama integra apud honestiores.

De secunda quæstione respondeo, utrunque præstandum est: Primùm, ut sit conscientia sine labe. Secundò, ut fama sit integra apud honestiores rectè iudicantes, Sicut dicitur Psalmo 149. Laus eius in Ecclesia sanctorum. Et nota est sententia, Bona conscientia mihi opus est propter Deum, bona fama propter proximum. Et in Ecclesiastico cap. 39. Laudem eorum nunciat Ecclesia.

Quòd autem interea multi sunt maledici, non est culpa eorum, qui fideliter seruiunt, ut dicitur: non est remedium aduersus Sycophantæ morsum, Et multa sunt ingenia plena arrogantiæ & ueneni, inquieta & Sophistica, quæ sæpè etiam plausibiliter instruere calumnias possunt. De his dicitur Prouerb. 17. Semper iurgia quærit malus, & nuncius crudelis mittetur contra eum. Tenenda est autem regula, Matth: 5. Beati estis cùm maledicent uobis mentientes.

Necessaria uirtus est sapienter ferre iniurias maledicentiæ.

Item, Psalmo 18. Illi maledicent & tu benedices.

Et necessaria uirtus est in uita sapienter ferre tales iniurias, ut Dauid, Fabius, non respondent calumniatoribus.

Refutatio erroris Donatistarum.

Hîc & quæstio de Donatistis agitatur, Etsi non sunt eligendi infames, & remouendi erant ij, qui postea cùm sunt in ministerio fiunt infames, Tamen error Donatistarum explodendus est, Qui contendebant non ualere ministerium, cùm eo fungerentur homines polluti contra conscientiam, Contra hos opponenda est doctrina, quòd efficacia ministerij non pendeat ex ministri dignitate, Sed uerè sit opus Dei, sicut Iohannes inquit, Lucæ 3. Ego baptizo uos aqua, alius autem baptizabit uos igni & Spiritu sancto. Matth: 13. confertur Ecclesia sagenæ, in qua boni & mali pisces sunt: ita & in tota Ecclesia & in ministerio sunt boni & mali, Sed tamen de doctrina consentientes. His admonitionibus hoc loco contenti simus.

Vnius uxoris uirum.

Minister Euangelij sit castus.

VVlt ministrum Euangelij castum esse, siue maritum, siue cœlibem. Et quia pauci sunt ad uitam cœlibem idonei, posuit alteram partem, iubet eligi maritum honestum, Ac mentionem coniugij facit etiam hanc ipsam ob causam, ut ostendat concedi coniugium omnibus Euangelij ministris. Omitto autem disputationes de digamia. Vetustas digamos nominabat eos, qui eodem tempore plures coniuges habebant, ut pater Samuelis fuit digamus, sed postea multæ fatuæ opiniones natæ sunt, quas non libet recitare.

Digami antiquitus.

Coniugium.

Tenenda est autem in Ecclesia doctrina, quòd coniugium sit legitima & inseparabilis coniunctio, tantùm unius maris & unius fœminæ, iuxta primam institutionẽ, Et Dominus reuocat Ecclesiam ad primam institutionem. Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas & una fœmina inseparabiliter iuncti. Cùm autem moritur aut maritus aut uxor, concessum est aliud legitimum coniugium contrahere, ut infrà de uiduis dicetur.

Sobrium

Sobrium Ϲωφρονα.

VOcabulum σώφρων suprà enarratum significat modestum in genere: interdum & pro temperantia & pro continentia usurpatur nomen σωφροσύνη. Nomen modestiæ generalius est, Significat enim uirtutem, quæ etiam in opinionibus, sermone & gestu conuenientiam seruat, ut Roman: 12. opponit superbis, arrogantibus, iactabundis, Thrasonibus, Ardelionibus. σώφρων *modestus.*

κόσμιον.

VIcinum est σωφρωσύνῃ, sed propriè significat à leuitate seu scurrilitate alienum. Non deditum indignis ludis aut ineptijs, in uestitu & gestu, Sicut Cardinales Gallici reuersi ex electione Pauli pontificis, Venetijs inuitarunt meretrices, Et apud eas saltarunt saltationes Gallicas. κόσμιος *alienus à leuitate.*

Hospitalem.

HAEC species beneficentiæ sæpè laudatur in concionibus diuinis, & inprimis necessaria est in Ecclesia, propter crebra exilia piorum. Vult autem Deus nos cogitare cur in mundo exulet Ecclesia, uidelicet, uult nos recordari primum exilium, in quo patriam cœlestem amisimus. Deinde uult nos recordari exilium filij, qui propter nos factus est exul, ut nos reducat in Patriam. Sæpè ingens multitudo simul ex urbibus expulsa est, & turmæ equitum immissæ, quæ senes, pueros, mulieres conculcarunt. Interdum Deus in conspectu aliorum aliquos in cœlum abduxit, ut legitur de sene Chæremone & eius coniuge anu, qui cùm ex urbe Aegypti Nilopoli expellerentur, & propter senectæ imbecillitatem non possent procedere, cum reliqua multitudine in cœlum translati sunt. *Hospitalis.*

διδακτικὸν *idoneum ad docendum.*

POstulat non solùm ut teneant ministri doctrinam Ecclesiæ, Sed etiam ut sint idonei ad docendum, Sicut & infrà inquit 2. Timothe: 2. Commenda doctrinam hominibus fidelibus, qui ad docendum idonei sint. Et ad Titum cap. 1. inquit: Sit potens ad docendum, & ad refutandos contradicentes. Et studium præcipit 1. Timoth: 4. Sis assiduus & attentus in lectione, doctrina & consolatione. *Ministri sint idonei ad docendum.*

Hæc dicta familiarissimè nota sint omnibus, ut nos ad discendum excitemus. Sciamus igitur hunc laborem discendi placere Deo, & Deo curæ esse defensionem docentium & discentiũ, Sicut de Sacerdotio inquit Deut: 18. Dominus est hæreditas uestra. Item Isa: 58. Posui in ore tuo Verbum meum, & dextera mea protegam te, ut plantes cœlos.

Seuerissimè etiam puniri negligentiam in discendo certum est, ut Oseæ 4. dicitur, Quia scientiam repulisti repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Hæ commonefactiones excitent diligentiam, Sciant iuniores rem difficilem esse rectè complecti totum doctrinæ corpus, multò autem difficilius esse rectè & perspicuè exponere, Et se ad hæc tanta opera propter gloriam Dei, propriam salutem & utilitatem Ecclesiæ præparent. Ac simul petant, ut Deus regat mentes, Sicut petit Propheta Psalmo 118. Fac cùm seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Hi labores Deo placent & ornantur præmijs, iuxta illud Lucæ 19. Habenti dabitur. *Negligentia in discendo punitur diuinitus.*

Virtutum doctrina distribuenda est in Decalogum.

SEquitur enumeratio multarum uirtutum in uiris & mulieribus, quarum ut ordo & summa comprehendi possit, Sciant iuniores omnium uirtutum doctrinam in Decalogum distribuendam esse, inde & explicatio earum longior sumi potest, & in Ethicis traditur.

Paulus in Episcopo requirit etiam politicas uirtutes gubernatori necessarias.

Ac satis apparet Paulum non solùm Euangelij præconem excellentem esse, Sed etiam politicum monitorem. Nominat enim uirtutes non tantùm priuatas, ut temperantiam, Sed etiam politicas in gubernatione necessarias, ut ne Episcopus sit percussor. Hîc discernit ministerium Euangelij à magistratu politico, qui mandatum habet suo ordine puniendi ui corporali, ut alibi sæpè dictum est.

Iubet item ne sit rixator, id est, ne certamina moueat non necessaria, imò uideat etiam ubi asperitas lenienda sit ἐπιεικείᾳ, toleret in infirmis & sanabilibus aliqua incommoda, Sapienter ferat aliquas iniurias, ne crescant dissidia inflammata mutuis certaminibus. Hac de re sapientissimè præceptum est, multos magnos morbos curari abstinentia & quiete.

Hæc politica præcepta nondum intelligit ætas minor, Sed tamen harum uirtutum nomina utcunq; agnoscere & flectere se ad moderationem discant. Alij grandiores sciant hanc considerationem ad se pertinere, ut uideant ubi necesse sit pugnare, ubi non necesse sit.

Ecclesia Dei viuentis columna & sedes veritatis.

Perpetuitas Ecclesiæ est illustre testimonium præsentiæ Dei & ueritatis doctrinæ.

HIc inserit Ecclesiæ descriptionem & magno animi motu in hac ipsa commemoratione accenditur, ac celebrat magnitudinem bonitatis Dei, qui mirando consilio misit Filium, & colligit æternam Ecclesiam uoce Euangelij, & in genere humano inter Diabolorum furores, inter regum & impiorum tumultus inter impiorum ruinas semper Ecclesiæ reliquias seruat. Hæc perpetuitas Ecclesiæ est illustre testimonium præsentiæ Dei & ueritatis doctrinæ.

Falsæ opiniones de Ecclesia.

Primùm autem nota sit definitio Ecclesiæ, quam rectè constitutam tenere propter multas causas necessarium est. Multi enim nominant Ecclesiam simpliciter regnum pontificium, ut Caiphas nominabat Ecclesiam agmen cum ipso coniunctum, erroribus, sacrificijs, officijs & traditionibus. Alij omnino remouentes externam speciem, loquũtur de Ecclesia inuisibili tanquam de idea Platonica, quæ nusquam cernitur aut exauditur. Et propterea uagantur, & nullius congregationis ciues esse uolunt: Hæc imaginatio etiam reprehendenda est. Etsi enim plerunq; regna pontificia magna sunt, & obscurant ueram Ecclesiam, & ualdè exiguus numerus est rectè inuocantium, ut tempore Zachariæ magnum erat regnum Pharisæorum & Saducæorum, tamen semper aliquis uisibilis coetus est aliâs maior aliâs minor, qui est custos fundamenti, hic cœtus quærendus est, Et ad hunc pij ubicunq; sunt adiungere se debent sua confessione & simili invocatione. Sic igitur hæc definitio.

Ecclesia in hac uita uera descriptio.

Ecclesia in hac uita est cœtus uisibilis, amplectentium Euangelium, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu Deus est efficax per ministerium & multos ad uitam æternam sanctificat, multi tamen in eodem cœtu sunt, qui non sunt sancti, Sed tamen de uera doctrina in externa professione cum sanctis consentiunt. Vt Mariæ tempore erant Ecclesia uisibilis, Zacharias, Simeon, Ioseph, Maria, Elizabeth, Anna, & alij multi, horum doctrinam audientes & cum eis sentientes, & eadem inuocatione Deum colentes, Quorum alij plus, alijs minus iustis habebant.

Talis

Talis cœtus etsi non tenet regnum, sed passim multi sparsi sunt, Tamen conspicitur & auditur. Vult enim Deus in genere humano agnosci filium, Sicut inquit ad omnes gentes, Psalmo 2. Osculamini filium. ideo uult Ecclesiam & conspici & exaudiri sonãtem Euangelium de filio, Sicut scriptum est Psalmo 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. *Ecclesia est cœtus dispersus.*

Sæpè autem horribiliter oppressa & obscurata est regnis idolatricis, ut Esaiæ 1. dicitur, Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus. Et Matth: 24. Nisi abbreuiati essent hi dies, omnis caro periisset, Et tamen reliquiæ supersunt & subinde instauratur Ecclesia, ut Esaiæ 46. dicitur, Etiam in senecta gestabo te &c. Et Esaiæ 59. Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui in sempiternum. item, Matth: 28. Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Et in Symbolo quotidiè hoc profitemur, Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, Credo igitur promissiones Ecclesiæ traditas firmas esse, Credo me exaudiri & recipi iuxta illas promissiones. *Ecclesiam sæpè oppresserunt regna idolatrica.*

Ac magna consolatio est, quòd semper in tali cœtu uocatorum sunt aliqui electi, Quia cùm semper sit aliquis numerus electorum, & non sit nisi inter uocatos, ut Paulus inquit Roman: 8. Quos elegit hos & uocauit, Sciamus non alibi quærendos esse electos extra cœtum uocatorum, & libenter nos ad hunc cœtum aggregemus: ideo dictum est, In hoc cœtu Deum efficacem esse per ministerium, ibi enim conuertuntur electi. *In cœtu uocatorum semper sunt aliqui electi.*

Sed in hac uita manet hæc dissimilitudo, quòd mixti sunt electis in externa societate aliqui non electi & Hypocritæ, qui non sanctificantur, ut Matth: 13. De bonis & malis piscibus dicitur. Remouenda sunt igitur Anabaptistarum somnia, qui Ecclesiam constituere uolebant, in qua tantùm sancti essent. *Electis in hac uita manent admixti hypocritæ & non electi.*

Et quia de uisibili cœtu loquimur, externa signa consideranda sunt, uidelicet puritas doctrinæ, & legitimus usus Sacramentorum. Interdum autem & externa miracula Deus addit. *Externa signa Ecclesiæ.*

Etsi autem loquimur de uisibili Ecclesia, Tamen remouenda est imaginatio & κακοζηλία, quæ transformat Ecclesiam in regnum politicum seu mundanum, cuius propria hæc sunt, Leges de forma gubernationis in moribus, iudicijs, & certis ritibus, ordine personarum, Locorum, Rex uisibilis, & præsidia necessaria ad defensionem regis, legum, iudiciorum, & populi, Et rex habet potestatem legis aliquas condendi, & ambiguas interpretandi. Et ualet interpretatio propter regiam autoritatem. *Ab Ecclesia remouenda est imaginatio de regno politico.*

Vt in regno Gallico sunt leges in aliquibus circumstantijs dissimiles ab aliarum politiarum legibus, Et iudicia constituta sunt certis personis & locis, Nec licet Gallicas controuersias referre ad iudicia aliorum regnorum. Est & rex uisibilis, & hic munitus est necessarijs præsidijs, & habet potestatem interpretandi leges, & condendi aliquas nouas. Tale est regnum pontificis Romani. Tale fuit & regnum impiorum pontificum in Israël. Talia regna in Ecclesia multi omnibus temporibus somniarunt.

Sed discamus fugiendas esse has imaginationes, & Ecclesiam etsi uisibilis est, tamen dissimilem esse imperijs politicis, Et regna illa pontificia significata sunt, quando filius Dei indutus est purpura, & laceratus corona spinea, Sic

contumelia afficiunt filium Dei pontifices, & scriptores, qui Ecclesiam in tale regnum transformant, ubi sine mandato Dei & Leges, & cultus instituuntur, de priuatis Missis, de cœlibatu, & alijs superstitionibus, Et expressè damnantur alij homines, qui hos ritus non seruant, Et præficitur Romanus Episcopus tanquam rex armatus potestate condendi nouas leges, & nouos cultus, & potestate interpretationis, & munitus suis & regum exercitibus.

Sciamus igitur externam speciem Ecclesię dissimilem esse imperijs politicis, Etsi aliquo modo similis est piæ scholę, Et tamē uerum est, Monarchiam seu regnum in hoc uisibili cœtu esse inuisibiliter, ita scilicet, Quia filius Dei in hoc cœtu uerissimè adest, Et uerè est rex & caput credentium, quos regit suo uerbo & Spiritu sancto, & adiungit æterno patri, Sicut Ephe: 1. scriptum est, Omnia subiecit sub pedes eius, & ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus eius, cōgregatio integra perficientis omnia in omnibus. Sic dicit ipse Matth: 18. Ego in medio eorum sum. Item, Iohan: 17. Ego in eis. Psalm 2. Ego autem constituo regem meum super montem Zion.

Externa species ministrorum & auditorum in Ecclesia similis Aristocratiæ.

Externa uerò species ministrorum Euangelij & auditorum est aliquo modo similis Aristocratiæ, Sed alligata Euangelio, & sine potestate politica & sine præsidijs corporalibus, ut Oseæ 1. Non in arcu & gladio, sed in Domino Deo suo saluabo eos, &c. Item in Zacharia capite 4. Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo &c. Nec imaginandum est, inclusam esse Ecclesiam in unius regni politiam, Sicut scriptum est Matthæi 24. Ecce hîc est, ecce illic est. Sed membra ueræ Ecclesiæ in diuersa loca sparsa sunt, & alicubi Deus præbet hospitia publicæ congregationi & ueræ doctrinæ studijs, aliâs magis aliâs minus commoda.

Sapientes offenduntur deformi specie Ecclesiæ.

Valde autem offendit oculos sapientum hæc deformis species, quæ uidetur esse ἀναρχία & dissipatio, nec uidetur diuinitus consociari & custodiri, quod tam uariè laceratum est, sine uisibili capite, sine certa sede, sine ordine. Cùm igitur sapientes ab hac specie abhorreant, concurrunt ad defensionem ordinariæ potestatis, ut nominant. Et magna certamina ex hac iudicij dissimilitudine oriuntur.

Hæc de specie externa Ecclesiæ considerare necesse est, ne deformitate dissipationis deterreamur à ueritate, Sed regulam teneamus, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Postquam diximus, quæ & ubi sit uera Ecclesia, & qualis sit eius species, sequuntur iam hæ quæstiones.

Prima, An in ea sit ueritas semper sine erroribus.

Secunda, qualis sit potestas ministrorum.

Tertia, Quæ sit autoritas in iudicando, & in interpretatione.

DE PRIMA QVÆSTIONE.

An semper sit in Ecclesia ueritas sine erroribus.

Propositiones, Ecclesia errat, Ecclesia est columna ueritatis, sunt Synecdochæ.

REspondeo: hæ propositiones, Ecclesia errat, item, Ecclesia est columna & sedes ueritatis, sunt Synecdochæ, Et alia de alijs congregationibus intelligitur, & loquuntur de diuersis generibus errorum.

Sæpè est magna multitudo, quæ titulum habet Ecclesiæ, quæ tamen non est uera Ecclesia, sed cœtus hostilis bellū gerēs cum electis. Sicut erāt pontifices, Pharisæi, Sadducæi, tempore Zachariæ, Hi nec fundamentum retinebāt, quod ita no-

ita nominat Paulus 1. Corinth: 3. Fundamentum aliud poni non potest, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Defendebant enim Pharisæi & Sadducæi multos errores contra articulos fidei.

Talis multitudo etiamsi titulum sibi arrogat, & dominatur in Ecclesia, Tamen nequaquam est uera Ecclesia seu pars ueræ Ecclesiæ. Ideo scriptum est Iohan: 8. Vos ex patre Diabolo estis, Et talem fuisse multitudinem in Israël manifestum est, fore etiam talem post Apostolos prædictum est, & res ostendit, Matth: 24. Multi Pseudoprophetæ surgent & seducent multos. Et 1. Timo: 4. Spiritus certò dicit postremis temporibus multos à fide discessuros esse, & credituros Spiritibus impostoribus.

Impij gerentes titulum Ecclesiæ non sunt Ecclesia.

Et horrenda est descriptio Antichristi 2. Thessa: 2. dominantis in templo Dei, horribili furore stabilientis idola, & mendacia, quæ pugnant cùm articulis fidei. Hæc tristissima descriptio loquitur de latè dominantibus, & de magna multitudine, & de horrendis idolis & mendacijs. Hinc satis perspicuum est, multos, qui titulum habent Ecclesiæ, errare: Ac necesse est hæc testimonia meminisse, ut opponantur allegantibus nomen Ecclesiæ de impia congregatione.

Multi titulum habentes Ecclesiæ possunt errare.

Sed de altera parte quæ est uera Ecclesia dicamus. Etsi in hac quoque multi sunt infirmi, & aliâs plus, aliâs minus est caliginis, tamen in hac retinetur fundamentum, alioqui prorsus nulla esset Ecclesia. Semper autem aliquos esse electos ostendit dominus, cùm inquit Matthæi 24. Breuiabuntur hi dies propter electos. Item semper uerus est articulus fidei, Credo esse sanctam Ecclesiam Catholicam. Item, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item, Esaiæ 59. Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo & ab ore seminis tui, deinceps & in sempiternum. Matth: 24. In aduentu filij hominis duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur.

Etiam in uera Ecclesia sunt multi infirmi.

Etsi autem & hæc uera Ecclesia edit confessionem, exauditur & conspicitur, tamen eam illa dominatrix Synagoga longè superat multitudine & splendore, ut tempore passionis Christi magna erat paucitas, Et Esaias inquit cap. 1. Nisi Dominus reliquisset nobis semen. Et hîc consideretur immensa bonitas Dei, Sicut enim in Paradiso Diabolus totum genus humanum perdere conatus est, ita perpetuò grassatur & perdit plurimos. Sed tamen reprimit eum filius Dei, ne uniuersum genus humanum pereat, eripit & seruat multos, & subinde instaurat Ecclesiam, ideo de hoc paruo cœtu inuocantium dicitur Danielis 11. Et docti in populo docebunt multos, & ruent in gladio & flamma.

Vera Ecclesia superatur multitudine & splendore ab altera parte dominante.

Manent autem in hac uita, & in hac uera Ecclesia multæ infirmitates, & quidem seniores magis agnoscunt & deplorant suam caliginem, & alienam, & suas sordes. Ideo inquit Paulus 1. Corinth: 3. Alij super fundamentum extruunt aurum, alij argentum, alij stipulas. Extruunt aurum & argentum, cùm refutant hæreses & illustrant articulos fidei, Stipulas nominat contagia opinionum, in quibus aliquid erroris est, ut de Ceremonijs, ut multum stipularum Augustinus & alij sancti super fundamentum extruxerunt.

Manent etiam in uera Ecclesia multæ infirmitates.

Cùm igitur Paulus inquit, Ecclesiam esse columnam & sedem ueritatis, sciamus eum loqui de uera Ecclesia retinente fundamentum, & non propugnante pertinaciter idola & mendacia pugnantia cum articulis fidei, Quia Deus semper in aliqua parte generis humani uult agnosci, etiamsi est exigua. Huc pertinet & dictum ad Ephe: 5. Vt sistat sibi Ecclesiam non habentem maculam, &

Ecclesia uera retinens fundamentum est columna ueritatis.

ut sit sancta & inculpata, scilicet, in uera doctrina,& uera fide Deum inuocans, Et iusta propter filium Dei, imputatione & incoatione.

DE SECVNDA QVÆSTIONE.

De potestate ministrorum.

EXpressum mandatum est Marci ultimo,Prædicate Euangelium omni creaturæ. Et 2. Corinth:3. Sumus ministri noui testamenti non,literæ,sed Spiritus. Et Iohan. ultimo, Sicut misit me pater, sic ego mitto uos. Hoc mandatum complectitur ea,quæ ad substantiam ministerij Euangelici pertinent, uidelicet prædicationem Euangelij,administrationem Sacramentorum, excommunicationem contumacium, Absolutionem agentium pœnitentiam,iudicia de uocatis ad ministerium Enangelicum.Rectè etiam addi possunt iudicia de doctrina, Quia hæc pars necessaria est in prædicatione Euangelij.

Quæ propria sint ministerij.

Nequaquam uerò ulla creatura potestatem habet noua dogmata condendi de essentia aut uoluntate Dei,aut nouos cultus instituendi,Sed filius qui in sinu patris est,enarrauit nobis. De hoc dictum est Matth: 17. Hunc audite,Ipse inquit Iohan: 17. Pater sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. Item Matth: 15. Frustra colunt me mandatis hominum. Ideo falsa & impia est imaginatio Episcoporum, & similium qui tribuunt Episcopis aut alijs potestatem constituendi nouos cultus.

Nulla creatura potest condere noua dogmata de Deo aut cultus.

Est autem debita obedientia in illis, quæ propriè ad ministerium pertinent, sancita in hoc dicto, Lucæ 10.Qui uos audit, me audit, Qui uos spernit, me spernit. In his dictis deducit nos Dominus ad ipsam Euangelij uocem , se uult audiri in prædicatione ministrorum.Nec constituit hæc sententia regnum aliquod extra ministerium, Sicut Episcopi postulant obedientiam traditionibus præstari, quæ sunt extra uocem Euangelij. Præterea nec habent ministri Euangelij potestatem gladio aut ui corporali coërcendi. De qua re aliâs sæpè dicitur.

Obedientia in illis quæ sunt ministerij.

DE TERTIA QVÆSTIONE.

MAnifestum est oriri controuersias etiam in uera Ecclesia, ut Actorum 15. apparet, ideo de iudicijs quæritur,Qui sint iudices,& quæ sit norma iuxta quam iudicari oportet, Et quæ sit autoritas iudicum , & quomodo necesse sit obtemperare iudicato.

Hîc primùm considerentur iudicia politica, ibi iudex est ipse rex aut prætor cum maiore parte consilij. Norma est in quolibet regno propriæ leges,quibus obtemperare & iudicem, & litigantes necesse est. Autoritas iudicum talis est,ut cùm in lege est ambiguitas, possint addere certam declarationem, & hæc additio postea habet uim Legis propter gradum Magistratus , & debetur ei obedientia, etiamsi alicui litiganti secùs uidetur.

Norma & forma iudiciorum politicorum.

Ita dicitur iudicatum ualere autoritate regia uel prætoria , quia Deus autem mauit Magistratum politicum hac potestate , & negocia sunt subiecta rationi. Potest sapiens magistratus probabilem rationem uidere , cur ita pronunciandum sit. Debetur autem ei obedientia propter gradum,ut sit pax & finis litium,& cùm non obediunt condemnati,iustum est eos cogere. Talem esse ordinem & autoritatem iudiciorum politicorum sciamus.

Postea

Postea consideretur, quatenus congruat hæc imago ad iudicia Ecclesiæ, quæ aliquo modo dissimilia sunt iudicijs politicis.

Primùm rectè hoc dici potest, Ministros Euangelij debere præesse iudicijs, & habere mandatum conuocãdi Ecclesiam ad cognitionem, ut in actis cap. 15. Apostoli præsunt cognitioni, & adhibent alios ex cœtu seniorum. Norma uerò est uerbum Dei, & Symbola, quę certè sunt breues articuli, sumti tantùm ex uerbo Dei, iuxta hanc normam nunc quidem post Apostolos iudicare necesse est, iuxta hoc dictum Gal: 1. ca. Si quis aliud Euangelium docet anathema sit. *Norma iudiciorum Ecclesiæ est uerbum Dei.*

Sed quid si sit ambiguitas? Hîc primùm respondeo, Non est ambiguitas in fundamento, id est, in partibus doctrinæ necessarijs, in libris Propheticis, Apostolicis & Symbolis, dextrè consideratis sententijs sine Sophistica, & collato integro doctrinæ corpore, Vt, etiamsi Samosatenus contendit esse ambiguitatem in dicto, In principio erat Verbum, Tamen circumstantia textus eum conuincit, quæ ostendit, Verbum ibi intelligi oportere personam, quia textus inquit, omnia per ipsum facta sunt. Item, Et Verbum caro factum est. Item Ioh: 8. antequam Abraham natus est, ego sum: Et, Abraham uidit diem meum. *In fundamento nulla est ambiguitas.*

Præterea etiamsi quis Sophisticè contendit esse ambiguitatem, ut Anabaptistæ de infantum Baptismo uociferantur, Tamen cùm semper sit uera Ecclesia, semper in aliquibus seu multis seu paucis manet uera lux. Hi in iudicando pronunciant, ostendunt suam confessionem, Narrant quid intelligant, & sunt certi ex ipso sermone Prophetico & Apostolico, & testimonijs Spiritus sancti in ipsis, iuxta illud Ephe: 1. Obsignati estis Spiritu sancto.

Et sententia horum seu multorum seu paucorum confessio est, Ac possunt hi adiuuari consentiente confessione sanctorum, qui antea fuerunt, Sicut nos de tribus personis adiuuamur à Gregorio Neocæsariensi, ab Irenæo, à confessione Nicenæ Synodi, item de Baptismo infantum adiuuamur sinceris testimonijs antiquæ Ecclesiæ, Sicut scriptum est Lucæ 22. Et tu conuersus confirma fratres tuos. *Sententiæ multorum sunt confessio.*

Iam qui agnoscit se conuinci uerbo Dei, obtemperat iudicato propter uerbum Dei, non propter gradum iudicum, & quanquam commonefit auditor iudicum uoce, tamen fides nititur testimonio diuino, Vt in hoc dicto, In principio erat uerbum. Multi autem quia non uolunt conuinci uerbo Dei, postea quoq; contradicunt, sicut Ariani postea quoq; Nicenę Synodo contradicebant, Nec ualet declaratio propter iudicum gradum aut numerum, Sicut in iudicio politico. *Fides nititur testimonio diuino, non auctoritate iudicum.*

Sed dicat hîc aliquis, Nunquam igitur finis erit dissensionum in Ecclesia? Respondeo. Non est finis ut in imperijs, Sed tandem Deus tollit blasphemos, sicut deleuit Synagogam Iudaicam, Manichæos, Arianos & alios. Etiam post Apostolorum decretum de lege, tamen manserunt multi, qui circumcisionem & alias Ceremonias Mosaicas retinuerunt. *Deus tandem tollit blasphemos.*

Alia dissimilitudo.

IN iudicijs politicis utraq; pars obligari potest ante sententiam, ut promittat se obtemperaturam esse iudicato. Sed in iudicijs doctrinæ in Ecclesia homines pij nequaquam se obligent ante sententiam, Quia homines errare possunt, & sæpè maior pars in Synodis est fascinata malis opinionibus, ut in Synodo Syrmiẽsi, quanquam speciosa erat, & magni uiri ex Græca & Latina Ecclesia conuenerant: tamen insigne erratum accidit, sustulerunt ex Symbolo uocabulũ ὁμοούσιος, *In iudicijs Ecclesiasticis nemo debet obligari ad obedientiam ante sententiam.*

& pro eo inseri uoluerunt, ὅμοιος, id est, similis, ut hic cothurnus tolleret dissensionem, sed quia ambiguitas obscurabat ueritatem & confirmabat Arianos, post Synodum Ecclesiæ rectè sentientes hanc corruptelam admittere noluerũt.

Ecclesia non est alligata ad maiorem numerum, aut titulos aut successionem.

Non est enim alligata ueritas ad maiorem numerum, nec ad Romanum Episcopum, aut ad titulum Episcoporum, Quia scriptum est Roma: 2. Deus personam hominis non accipit. Et Iohan: 1. scriptum est, ueram Ecclesiam non esse cœtum propagatione naturali ortum, aut humanis collegijs & ordinationibus collectum, ut sunt Episcoporum collegia: Sed ex Deo natum, iuxta hæc uerba, Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.

Et multæ fuerunt Synodi impiæ, quibus tamen uiri magni interfuerunt, ut illa Syrmiensis & Seleuciensis sub Constantio, Qui cùm uocasset Episcopos Niceam, facturos contrarium decretum priori Synodo Nicenæ, terræmotu dissipati sunt. Postea uerò conuenerunt in Seleucia, ubi maximis contentionibus impia decreta facta sunt contra ὁμοούσιον.

Talia exempla uetera multa sunt, Vtile est & recentium Synodorum errata considerare. In Concilio Lateranensi, quod ualde celebratur tanquam οἰκουμενικὸν, decreta facta sunt de transsubstantiatione, & de enumeratione in confessione, Et recèns Tridentina Synodus decretum fecit, semper dubitandum esse, an simus in gratia. Et falsò detorsit ad hunc errorem dictum Salomonis Eccle: 9. Nescit homo an amore uel odio dignus sit. Cùm igitur non dubium sit, in Synodis maiorẽ partem errare posse, nemo se obliget ante sententiam ad obtemperandum iudicato, sed postea consideret, quid sit pronunciatum, & regulam sequatur, Si quis aliud Euangelium docet anathema sit. Galat: 1.

Considerent etiam pij, quid multi ueterum de plerisq; congressibus iudicarint, Qualis est illa Nazianzeni Epistola ad Procopium præfectum, quam propter iuniores huc adscripsi.

GREGORIVS PROCOPIO.

Epistola Gregorij de Synodis.

SIc affectus sum, si uerum scribendum est, ut malim omnes Episcoporum conuentus uitare, Quia nullius Synodi finem uidi bonum, aut qui magis tolleret mala quàm augeret. Nam cupiditas contentionis ac principatus, & æmulatio, (ne tamen me durum esse censeas sic scribentem) uincunt rationem, & citius aliquis iudicãs de nouo crimine ipse accusetur, quàm alios corrigat. Propterea me reprimo, & hanc quietem amo, in qua non impeditur inuocatio. Nunc uerò & morbum habeo excusantem me in hac excusatione, Subinde tanquam extremum halitum ducens, et languefactus toto corpore. Ignosces igitur mihi, & persuadebis pio Imperatori, ne tribuat ignauiæ, Sed ueniam det ægritudini, propter quam scit se mihi precanti tribuisse potestatem, ut me in hunc secessum abderem, cùm alia splendida officia offerret &c.

Iudicia Ecclesiæ etsi non finiunt controuersias, tamen sunt confessio de ueritate.

Hîc dicat aliquis, quid prosunt iudicia Ecclesiæ, si non finiunt discordias? Respondeo. Vera iudicia in uera Ecclesia multũ prosunt, Quia uult Deus semper extare aliquorum ueram confessionem, iuxta illud dictũ Psalmo 149. Laus eius in Ecclesia sanctorum, Et uult horum uoce & testimonijs erudiri præsentes & posteros, & multos infirmos confirmari, postea uerò Deus suo tempore compescet contradicentes, ut compescuit Synagogam Iudaicam.

Considerandum est etiam, quales cœtus ad iudicandũ conueniant, an tantũ Synago-

Synagoga impia conueniant, ut ad Stephani condemnationem. Si talis cœtus est, manifestum est oportere decretis impijs contradici.

Et manifestè magnum est Sacramentum &c.

IN Græcis codicibus sic legitur, Deus manifestatus est in carne. Cùm autem antea Paulus dixisset, in Ecclesia ueritatem esse, addit quæ sit hæc ueritas, scilicet quòd Deus manifestatus sit in carne, & iustificatus per Spiritum, quasi dicat, in alijs congregationibus non est ueritas Dei, Nec ibi uerus Deus agnoscitur, Nec uera inuocatione ibi colitur, Sed tantùm in hac congregatione, quæ nominatur Ecclesia filij Dei, de Deo uera noticia, & ueri Dei inuocatio est, ubi agnoscitur Deus, qui se in carne patefecit, Sicut ipse filius dicit Iohan: 14. Qui uidet me, uidet & patrem. Item, Nemo uenit ad patrem nisi per filium.

Tantùm in uera Ecclesia uerus Deus agnoscitur & inuocatur.

Iam hîc tota doctrina complectenda est, quam filius tradidit Ecclesiæ, iuxta illud Ioh: 1. Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Sciamus igitur sic agnoscendum & inuocandum esse Deum, sicut se patefecit per hunc ipsum filium, quem inenarrabili sapientia & bonitate misit, ut assumta humana natura fieret uictima pro nobis, & esset propiciator, redemtor, & summus Sacerdos, ac restitutor iusticiæ & uitæ æternæ.

Deus sic agnoscendus sicut se patefecit in filio.

Ita uerus Deus agnoscitur & inuocatur, cùm hunc filium uera fide agnoscimus, & uerum Deum, qui se hoc filio misso, crucifixo, & resuscitato patefecit inuocamus, sicut aliâs sæpè diximus, in inuocatione cogitandum esse, quid alloquamur, & discernendum esse uerum Deum ab omnibus commentitijs numinibus.

Inuoco te omnipotens & uere Deus, æterne & unice pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, & dixisti de filio, Hunc audite, conditor cœli & terræ, angelorum & hominum, & conseruator, unà cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, uerax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, custos Ecclesiæ tuæ, quem inuocauerunt Patres nostri, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Dauid, Baptista, Paulus, miserere mei, & remitte mihi peccata mea, & iustifica me per & propter Iesum Christum filium tuum unigenitum Dominum nostrum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην & ἱκέτην, mirabili & inenarrabili consilio & immensa bonitate, sanctifica cor & animam meam Spiritu sancto tuo, rege & doce me, serua Ecclesiam &c.

Formula precationis, discernens inuocationem Christianam ab Ethnica.

In tali forma inuocationis commonefactio est de ueri Dei inuocatione, & de segreganda inuocatione Ecclesiæ ab Ethnica.

Iustificatus per Spiritum.

ID est, Christus declaratus dato Spiritu sancto, & factis miraculis per Spiritum sanctum, ac ita declaratus est, ut constet ueracem & iustum esse, & Euangelium non esse fabulosum. Nam Spiritus sanctus & publicè testimonium dedit per miracula, sicut inquit Dominus Iohan: 16. Spiritus me glorificabit: & priuatim confirmat corda credentium, cùm erigit ea in media morte, & liberat nos à peccato, & ex doloribus inferorum uera consolatione, quæ sentitur in cordibus, & initium est uitæ æternæ, ut Roman: 8. dicitur. Accepistis Spiritum, quo clamamus Abba pater, ipse Spiritus testimonium præbet Spiritui nostro, quòd simus filij Dei.

Diligenter autem obseruent iuniores phrasin in uerbo Iustificatus est, & considerent, quomodo quolibet loco usurpetur.

Conspe-

Conſpectus Angelis.

Angeli boni & mali quales fuerint erga Chriſtum.

EXiſtimo rem arcanam & magnam ſignificari, Cùm ait, conſpectum eſſe Chriſtum ab Angelis bonis & malis. Vident boni angeli cauſas omnium operum Dei, & quare ſic redimi uoluerit genus humanum, & qualis ſit copulatio diuinæ & humanæ naturæ, & ſeruiunt huic Domino, ut Gabriel eſt nuncius ad Mariam Lucæ 1. Venit Angelus ad Dominum in agone ad eum confirmandum Lucæ 22. Seruiunt ei & in defenſione Eccleſiæ Pſalmo 34. Ebræo: 1. In his rebus omnibus lætantur ſapientia & bonitate Dei, & Deum grati celebrant ingenti & inenarrabili lætitia, & gaudent eſſe ſocij miniſterij pro ſalute hominum, quia uolunt Deum honore à plurimis affici, & nos uerè diligunt, & dolent multos homines perire.

De hac angelorum ſapientia & lætitia dicit Petrus 1. Petri 1. Quæ angeli intuentes lætantur. Contrà uerò cum malis Spiritibus magna certamina fuerunt, ſunt & erunt, Matthæi 4. Acceſſit ad eum tentator, & Iohannis 14. Venit Princeps mundi & non habet in me quidquam.

Sunt & hæc illuſtria teſtimonia præſentiæ & bonitatis Dei, & ſimul ingentia miracula, quòd gentes ad ſocietatem Euangelij uocatæ ſunt, quòd multi uerè conuerſi ſunt, & confeſsionem inter tantas perſecutiones oſtenderunt.

Maximè uerò illuſtre teſtimonium eſt reſurrectio Chriſti, & aſcenſio in cœlum conſpecta magnæ multitudinis oculis.

De his patefactionibus Dei & teſtimonijs inquit in Eccleſia ueritatem eſſe, ut firmiſsimè ſtatuamus tantùm in hoc cœtu, in quo retinetur fundamẽtum, id eſt, articuli fidei incorrupti, ueram agnitionem & inuocationem Dei eſſe, ſicut ſæpè aliâs dicitur, Qui non credit in filium, manet ira Dei ſuper eum, Ioh. 3.

CAPVT QVARTVM.

IN primo capite breuiter ſummam doctrinæ complectitur, ubi de diſcrimine Legis & Euangelij dicit. Item cùm ait, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam. In ſecundo capite dicit de exercitijs Fidei de inuocatione & de alijs bonis operibus. In tertio capite de miniſterio & de Eccleſia.

Summa quarti capitis.

Nunc in quarto capite addit admonitiones grauiſſimas, ut caueat Eccleſia, ne decipiatur falſis dogmatibus: ut enim medicus monſtrat ſalubria, & iubet uitare res nocituras ualetudini, ita in docendo fieri utrunq; neceſſe eſt, Proponenda eſt uera doctrina, & oſtendendum, quæ falſæ opiniones uitandæ & explodendæ ſint.

Diabolus autor impiarum opinionum & traditionum.

Tria autem præcipuè hîc conſiderentur. Primùm nominatim inquit, Diabolum autorem eſſe impiarum opinionum, & uicioſarum traditionum, Sicut de Iuda dicitur Lucæ 22. Satanas intrauit in cor eius. Ideo cùm legimus uel audimus furores Marcionis, Manichæorũ & ſimilium, & Anabaptiſticos, qui uidentur non cadere in homines, expaueſcamus & ſciamus tales homines habitacula eſſe Diabolorum, & regi non naturæ uiribus, ſed impelli à Diabolis. Sit igitur precatio ardentior, Sicut Dominus inquit Lucæ 22. Orate ne intretis in tentationem. Et Propheta inquit Pſalm 118. Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me.

Secundò affirmat Paulus, certò multos in Eccleſia ſparſuros & defenſuros eſſe ma-

esse mala dogmata, non igitur securi nobis blandiamur propter titulum, ut cogitemus nullos errores in hac multitudine hærere, quæ nominatur Ecclesia.

Tertiò disertè inquit, et in specie ponit quędam exempla traditionum, ut agnosci possit, qui Episcopi & Doctores uitandi sint, & quæ sint impiæ traditiones. Vbicunq; igitur hæ notæ inueniuntur, certum est defensores talium errorum non esse membra ueræ Ecclesiæ, sed organa Diaboli.

Hæc admonitio ualde confirmat pios & modestos homines contra terribiles clamores aduersariorum, qui opponunt nobis tanquam Gorgonem uenerandum nomen Ecclesiæ, & uociferantur Ecclesiæ præcipuam partem esse Episcopos & Sacrificulos. His rursus constanter opponenda sunt hæc dicta, in quibus uox diuina affirmat Diabolos autores esse talium traditionum, ac nominatim prohibitionis coniugij, & discriminis ciborum.

De nouissimis temporibus.

ETsi omnia secula inde usq; ab initio generis humani multas magnas confusiones religionum, bella & uastationes habuerunt, Tamen uox diuina sæpè testatur, in ultima senecta mundi maiores futuras esse confusiones, quàm fuerunt antea. Et crescunt mala propter tres causas: Prima, Quia cumulatis peccatis sequuntur maiores pœnæ. Secunda, In his ipsis peccatis & pœnis natura fit languidior & disciplina dissolutior. Tertia, Quia rabies Diabolorum crescit, qui iam scientes instare diem iudicij, in quo eorum malicia omnibus angelis & hominibus palàm ostendetur, odio filij Dei magis sæuiunt in Ecclesiam.

Confusiones & mala postremis temporibus crescant propter tres causas.

Hæc magna pericula nostræ ætatis aliquo modo consideremus, & expauescentes simus uigilantiores in discendo, & modestiores in omnibus negocijs, & ardentiores in petendo auxilio. Intueamur etiam promissiones nominatim factas ultimæ ætati, ut Esaiæ 46. Etiam in senecta & canicie uos gestabo. Et Psalmo 71. Non proijcias me tempore senectæ, cùm deficiet uirtus mea. Item, Etiam in senecta non relinquas me. His cogitationibus exuscitemus nos ad uigilantiam & ad precationem.

Prodest hæc admonitio ad hoc quoq;, ne scandalis turbati existimemus nullam esse Dei Ecclesiã, sed sciamus inter has ipsas confusiones tamen aliquam esse ueram Ecclesiam, & discamus ubi quærenda sit, & nos ei adiungamus, & in ea uerũ Deum in uera agnitione Domini nostri Iesu Christi firma fide & spe inuocemus, & statuamus promissiones nobis ratas esse, & semper nos consolemur hoc articulo, Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Item, Matth: 28. Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item 1. Cor: 11. Hoc facite donec ueniat.

Inter confusiones tamen manebit Ecclesia.

Multi deficient à fide.

NEcessaria diligentia est considerare discrimina professionum in genere humano. Ethnici, Iudæi, Mahometistæ palàm profitentur se esse hostes Christi & Euangelij, Et palàm reijciunt symbola. Hi facilè agnosci possunt. Sint autem primùm aduersus hos munita pectora, sicut aduersus Ethnicos uetustas collegit multas refutationes, quas cogitare utile est.

Prima autem & maximè illustris confirmatio est Ecclesiæ miracula inimitabilia creaturis, quæ testantur hãc doctrinã à Deo traditam esse, ut resuscitatio mortuorum, represio cursus solis, partus in effœta ætate, eductio ex Aegypto.

Testimonia quæ ostendunt Ecclesiæ doctrinam solam esse ueram contra reliquas professiones in genere humano.

1. Miracula.

Hæc

Hæc testimonia uult nos Deus intueri, quia ideo facta & scripta sunt, ut sint testimonia, item ut agnoscamus hunc uerè esse Deum, qui se his testimonijs patefecit, & discernamus eum ab omnibus commentitijs numinibus, Sicut in primo præcepto allegat patefactionem, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Aegypto.

Etsi autem non fiunt similia quotidie, Tamen facta illa multis nota fuerunt, & à fide dignis recitantur, Præterea nunquam Ecclesia caret miraculis, etiamsi non pariter incurrunt in oculos, Et perpetuum miraculum est, conseruatio & instauratio Ecclesiæ & ministerij Euangelici, quod toties delere conati sunt immani rabie plurimi reges & mali Doctores. Cæteræ sectæ etiamsi aliquandiu durauerunt, tamen oppressæ non instaurantur.

II. *Antiquitas doctrinæ in Ecclesia.*

Secunda confirmatio est, Antiquitas nostræ doctrinæ, Cùm enim consentaneum sit, Deum se patefecisse generi humano, & nulla extet doctrina de patefactione antiquior, imò ne quidem sciri possit unde, per quos, quo tempore, Ethnicæ religiones traditæ sint, Fatendum est hanc antiquissimam præ cæteris amplectendam esse. Ac utile est conferre historias, & signa antiquitatis obseruare.

III. *Vaticinia de regnis quibus respondet euentus.*

Tertia confirmatio firma est, uaticinia de regnis, quæ cùm euentus ostenderit uera esse, manifestum est utrunq;, & à Deo regi genus humanum, & hanc doctrinam à Deo esse.

IIII. *Collatio doctrinarum.*

Quarta, collatio doctrinarum. Ethnici tantùm docent Legem, & quidem corrumpunt, quia multa portentosa & abominanda fingunt de Idolis, & tetras libidines permittunt, Postea Ethnici de remissione peccatorũ, de causis calamitatum in genere humano nihil certi dicunt. Manifestum est igitur, eorum doctrinam insufficientem esse, & non ostendere liberationem à malis. Hanc collationem cogitare utile est, quia ostendit genera doctrinarum, discrimen Legis & Euangelij.

V. *Testimonium Spiritus sancti in singulorum cordibus.*

Quinta, Spiritus sanctus in uera consolatione uiuificans corda, ostendit Euangelij ueritatem & efficaciam, sicut Dominus inquit Iohan. 16. Cùm uenit Spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem, & Roman: 8. Spiritus sanctus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Ita Adam habuit testimonia externa & interiora, Foris audiebat uocem diuinam, intus sentiebat se ex morte liberari & uiuificari.

Hæ causæ de discrimine Ethnicorum & Ecclesiæ sæpè & attentè considerandæ sunt.

Iudæos refutare facile est.

Facilius est refutare Iudæos pugnantes cum Ecclesia, qui profitentur se alsentiri Prophetis, Ex his enim conuinci possunt, Apostolorum doctrinam cum Prophetica congruere. Dissentiunt autem Iudæi à nobis de Messia, quem negant esse filium Dei coæternum, negant Passionem, negant eum dare iusticiam & uitam æternam, contendunt regnum politicum habiturum esse &c. Hi præcipui errores refutari ex Prophetarum testimonijs perspicuè possunt.

Mahometistarum refutatio.

Mahometistæ parum differunt ab impijs Iudæis, neq; tamen recipiunt Prophetas, sed refutari possunt à circumstantia temporis. Cùm enim Ecclesia fuerit initiõ, dogma autem Mahometi recèns sit natum post Apostolos, circiter annum sexcentesimum, & pugnet cum Prophetis & Apostolis, Impossibile est Mahometistas esse Ecclesiam Dei. Nihil autem continet doctrina Mahometi, nisi particulam Legis de operibus externis, Deinde addit blasphemias contra

contra filium Dei,& contra Spiritum ſanctum, Et ſuperſtitioſos quoſdam ritus & ſtultas ſatisfactiones pro delictis : ita totum Euangelium reijciunt Mahometiſtæ,& corrumpunt Legem.

Dixi de Ethnicis, Iudæis & Mahometiſtis, ubi de ſingulis conſiderandum eſt, unde ſumantur refutationes. Iam dicam de his,quos Paulus nominat deficientes à fide, Horum duo genera ſunt. Alij apertè negant articulum aliquem Symboli,ut Manichæi poſuerunt duo principia coæterna, Bonum & Malum. Arius negauit filium Dei eſſe ὁμοούσιον æterno patri, Macedonius contendit Spiritum ſanctum tantùm eſſe motum creatum in Angelis & in hominum cordibus, Aliqui negauerunt corpora hominum reſurrectura eſſe. Tales palàm delentes articulum aliquem Symboli facilè agnoſci poſſunt, & refutandi ſunt ex teſtimonijs Propheticis & Apoſtolicis, cùm adhuc uideri uelint aſſentiri Prophetis & Apoſtolis.

Deficientium à fide duo genera. Vnum negantium apertè articulum aliquem fidei.

Alij non ita palàm delent articulos fidei,Sed occultè eos corrumpunt interpretationibus,quæ diſſentiunt ab ipſis articulis Symboli,ut Papa & Monachi retinent uerba Symboli,& tamen quibuſdam articulis addunt falſas interpretationes cum Euangelio pugnantes, ut nominatim his duobus articulis, Credo remiſsionem peccatorum. Item,Credo eſſe Eccleſiam ſanctam Catholicam. Corrumpunt enim articulum, Credo remiſsionem peccatorum,quia addunt interpretationem,Credo remiſsionem alijs dari,non mihi. Item,Non credo remiſsionem,ſed dubito. Non credo gratis dari propter Filium Dei, ſed dari propter merita ſufficientia,propter ſufficientem contritionem & alia opera. Item propter ſatisfactiones. Hæ additiones pugnant cum Euangelio enarrante totum articulum, Credo remiſsionem peccatorum.

Alterum eorum,qui occultè corrumpunt aliquem articulum.

Pontificij duos articulos præcipuè corrumpunt.

Alterius articuli de Eccleſia corruptelæ etiam perniciosæ ſunt,quia fingunt Eccleſiam eſſe regnum politicum,in quo dominari oporteat Epiſcopos, & condere dogmata & cultus,& horum decretorum obſeruationem eſſe iuſticiam coram Deo. Hac hypotheſi poſita procedunt Epiſcopi longius,conſtituunt idola, & ferunt leges ſuæ potentię,ſuis opibus accommodatas,ut Legem de coniugio. Poſtea ui corporali cogunt homines, ut obtemperent, Sicut Nabuchodonoſor coëgit ſuas gentes,ut ſtatuam colerent.

Ita utriuſcę articuli corruptelæ abducunt mentes ab agnitione mediatoris,& extinguunt lucem Euangelij de remiſsione peccatorum,de fide,de interiore cultu,de uera inuocatione,& abſtrahunt homines ad idola. Manifeſtum eſt igitur,eos qui amplectuntur tales corruptelas,deficere à fide. Hęc fiunt illuſtria conſideratis exemplis omnium temporum.

Semper cùm diſceſſum eſt à uerbo Dei initijs errorum,quæ primùm exigua uidebantur,paulatim acceſſerunt tetra idola: ut in Iſraël proceſsit impietas ad humanas hoſtias et ad obſcœna idola,in Papatu manifeſta idola ſunt inuocationes mortuorum,concurſus ad ſtatuas,circumgeſtatio panis,& multę prophanationes in cœna Domini,Et manifeſta turpitudo eſt in Lege cœlibatus.

Ad initia exigua errorum paulatim accedunt tetra idola.

De his furoribus præmonet Eccleſiam Paulus,& duo ſigna expreſsè ponit,prohibitionem coniugij,& diſcrimina ciborum. Sciamus igitur non eſſe Eccleſiam Dei defenſores talium errorum. Et hoc Pauli teſtimonio confirmemus nos,ut ſciamus rectè taxari errores illos,& Eccleſiam Dei eſſe cœtum,qui uocem Euangelij incorruptam amplectitur, & improbat illos errores. Cæterùm de traditionibus & de coniugio alibi doctrina integrè tradita eſt.

Omnis creatura Dei bona est.

Regula contra fanaticos spiritus, de ordine politico & alijs.

OPponit regulam fanaticis spiritibus, qui damnant coniugium, cibos, ordinem politicum, distinctionem dominiorum, iudicia. Semper enim multi fuerunt, sunt & erunt tales hypocritæ, ut olim Marcion, Tatianus, Manichæi, Papa, Monachi, & nunc Anabaptistæ, qui de distinctione dominiorum sic argumentantur: Nemini licet appetere alienum. Omnes res extra spiritum sunt alienæ, ergo non licet appetere ullas tales res, ut facultates.

Res extra spiritum non sunt alienæ.

Respondeo, Maior uera est de alieno, quod politica distinctione dominiorum pertinet ad alterius dominium, iuxta illud: Non concupiscas alterius uxorem, neq; res alterius. Minor est falsa, ut manifestum est: propria uxor, est res extra spiritum, Non dicitur isto modo res aliena, cibi sunt res extra spiritum, & tamen appetendi sunt.

Sic Tatianus argumentabatur, Scriptum est in Euangelio secundum AEgyptios dixisse Christum ad Salomonem, ueni ut soluam opera mulieris, Parere est opus mulieris, ergo Christus abolet coniugium.

Lapsus Euæ propriũ opus mulieris.

Nego minorem, quia parere opus est, quod Deus & condidit, & iuuat. Sed lapsus Euæ est proprium opus mulieris, de hoc lapsu Christus loquebatur.

Hæc exempla recitaui, ut iuniores considerent ludos Sophismatum, & Diabolicas præstigias, & se uera doctrina præmuniant, Nam rectè cognitis fontibus refutatio facilis est.

Creaturæ quatenus sunt à Deo, sunt bonæ.

Quòd autem dixit Paulus, creaturas esse res bonas, intellige quatenus sunt à Deo, & sicut usus ordinatus est, Abusus autem uicium est in uoluntate abutentium. Ideo mox addit Paulus sententiam plenam eruditionis, Sanctificetur per uerbum & precationem, id est, usus coniugij, cibi, imperij, dominij, fit sanctus, concessus à Deo, & Deo placens per uerbum & precationem, id est, cum utens sequitur uerbum Dei, quod regit usum, & habet noticiam Euangelij, Ac scit has res externas non esse iusticiam æternam, sed Deum sibi in hac uita mortali colligere æternam Ecclesiam, ac tantisper uelle, ut uita foueatur cibis, & maneat propagatio ordinata uerbo Dei, & conseruetur communis societas. Quanquam autem hæ res non sunt iusticia æterna, tamen lucent in eis bonitas & sapientia Dei, & uult Deus nos in earum usu exercere & ostendere obedientiam.

Vsus creaturarum fit sanctus per uerbum Dei.

Ac omnino amplissimam sapientiam significat Paulus, cum inquit, usum fieri sanctum per uerbum Dei, id est, agnitione totius doctrinæ Dei de iusticia æterna, & de uita corporali, in qua uult incoari æternam Ecclesiam.

Iubet autem Paulus & precationem addi, id est, petitionem auxilij, confessionem & gratiarum actionem, Quia & hanc corporalem uitam uult Deus esse occasionem exercendæ & ostendendæ obedientiæ, quare de coniugio, de castitate, de educatione & institutione sobolis, de communi societate, de toto ordine politico, de uitandis homicidijs & furtis, tradidit nobis uerbum, & in hoc pulcherrimo ordine, in quo lucent ipsius sapientia & bonitas, uult exerceri timorem, fidem, spem, inuocationem, dilectionem, castitatem, beneficentiam, modestiam, & alias uirtutes.

Necessaria sapientia est in Ecclesia, rectè intelligere discrimen Legis & Euangelij, & iusticiæ æternæ in cordibus, & usus rerum corporalium, quem Deus

Deus suo uerbo certo modo ordinauit, Quia in hac mortali uita Ecclesiam uult colligi,& in harum ipsarum rerum usu lucere fidem, inuocationem, & alias uirtutes.

Necessarium est discrimen Legis & Euangelij, iustitiæ æternæ, & rerum corporalium.

Sed Manichæa & Anabaptistica colluuies fascinata à Diabolo ostentat nouam sanctitatem, quasi reliquerint terram, & uolitent in cœlo extra hanc uitæ societatem,& iactat interea se habere mirandos afflatus. Et quia hæc hypocrisis mendacium est,nec carent rebus in hac uita, faciunt postea confusiones libidinum,& mouent seditiones, & uolunt nouam Ierosolymam constituere, sicut sæpè accidit. Nam & olim similis Tragœdia Monasterienſi accidit in Phrygia in oppido Pepuza, quam nominabant nouam Ierosolymam,& habebant ibi fanaticos uates.

Hæc admonitio contra Anabaptistas & similes spiritus fanaticos, diligenter considerandа est. Ac Paulus ideo inquit, Sanctificatur cibus per uerbum Dei,ut doceat utentes quomodo bona conscientia rebus uti possint,Sicut alibi inquit, Quicquid non est ex fide,peccatum est,Roma.14. Eius dicti sententia natiua rectè tenenda est. Non tantùm est legale dictum,Sicut multi interpretantur hoc modo, Quicquid prohibitum est mandatis diuinis ad nos pertinentibus peccatum est.

In usu rerum corporalium debet lucere fides.

Quanquam autem hic legalis intellectus uerus est, tamen nondum redit totam sententiam,dicti Paulini,Sed quia fit mentio fidei, oportet complecti Euangelium. Nec tantùm intelligatur fides de notitia historię,sicut dicunt, Honesta opera hominis Ethnici non placent Deo, quia non est in professione Christiana: Sed intelligi oportet ueram fidem,quæ accedit ad Deum fiducia Mediatoris, & inuocat eum. Vbi talis fides non est, Sed cor agit contra conscientiam,aut manet in dubitatione,ut suspendens furem,& tamen existimans se contra Deum facere,non potest inuocare Deum,& agit cum contemtu Dei.

Sit igitur nota hæc regula Pauli, & rectè intelligatur & præluceat omnibus actionibus,& ne quid faciamus contra conscientiam, & ut conscientia regatur uerbo Dei, ac possit accedere inuocatio, uidelicet omne quod non est ex fide,peccatum est.

Corporalis exercitatio ad modicum est vtilis,pietas ad omnia,&c.

VTilis distinctio est inter necessaria & non necessaria opera,electa exercitij nostri causa,ut sunt ieiunia,uel alij labores suscepti ad frenandum corpus. Ac semper in Ecclesia externæ obseruationes multum disputationum pepererunt,quia uel propter ordinem,uel propter exercitia,externæ aliquæ obseruationes humano consilio instituuntur aut suscipiuntur,quæ postea superstitione deprauantur,cùm affingitur opinio meriti,cultus aut necesitatis. Ideo etiam uetustas taxauit superstitionem, iuxta dictum memorabile Athanasij: καλὴ ἡ ἄσκησις μέτα ἀληθῆς γνώσεως, καὶ συμμετρίας.

Discerni oportet necessaria & non necessaria opera.

Vt autem rectè iudicetur de ritibus humanis,totum corpus doctrinæ tenendum est,Sicut hîc quoq; Paulus facit antithesin necessariorum & non necessariorum. Pietas utilis est ad omnia. Nominat autem pietatem simul fidem & omnes necessarias uirtutes, seu omnia opera nobis mandata diuinitus, Et ualde insignis sententia est, quòd ait promissiones præsentis & futuræ uitæ

Pietas.

pietati propositas esse, Et addit expressam asseuerationem, Certus est sermo & firma assensione amplectendus.

Duo sunt genera promissionum.

Promißio bonorum æternorum.

Hanc dulcissimam & maximè necessariam doctrinam, de duobus generibus promissionum oportet familiarissimè notam esse. Ac primùm quod ad Euangelium attinet, continet promissionem remissionis peccatorum, & restitutionem uitæ æternæ per Filium Dei, & propter eum, quod manifestissimum est. Constat enim hanc esse principalem uocem Euangelij, missum esse Filium Dei, ut aboleat peccatum & mortem, & restituat uitam æternam.

Ecclesia & subiecta est cruci, & habet promißiones uitæ præsentis.

Sed cur dicit, Euangelium habere præsentis uitæ promissionem, cùm Ecclesia sit subiecta cruci? Item cùm dicit Dominus Matth: 24. Interficient uos & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et Lucæ 9. Filius hominis non habet ubi reclinet caput? Hæ sunt prædictiones mortis, non uitæ præsentis? Sed respondeo. Vtraq; propositio uerissima est, Et subiecta est Ecclesia cruci, et tamen habet promissionem bonorum corporalium, sicut coniungit hæc Dominus Mar. 10. Recipiet centuplum, sed cum tribulatione. Et Esaiæ 30. Audiet clamorem tuum, & dabit uobis panem & aquam in angustia & dolore.

Cùm enim Deus uelit in hac mortali uita ita incoari & colligi Ecclesiam, seruat eam, præbet ei hospitia, fruges, œconomias, politias, facultatem propagandi sobolem, & Ecclesiam, Sicut ipse Dominus inquit Matth. 6. Scit pater uester cœlestis his omnibus uobis opus esse, Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Item, Psalmo 32. Enutriet & alet eos in fame: imò propter Ecclesiam Deus & cæteras gentes & bona corporalia conseruat. Postquam autem uniuersa Ecclesia collecta fuerit, nec fuerint plures electi in genere humano, mox cessabit hæc mortalis uita, & fiet extremum iudicium.

Promißio bonorum corporalium generalis est.

Est autem promissio bonorum corporalium generalis, non alligata certo loco, ut Israëlitis alligata erat ad certum locum, Et semper in hac uita rata est uniuerso cœtui. Ideo semper in hac uita seruat Deus aliquam suam Ecclesiam, etiamsi multa membra interficiuntur, ut si uictoria promissa esset exercitui, rata & uera est promissio, etiamsi aliqui milites interficiuntur.

Promißio bonorum corporalium intelligenda est cum exceptione crucis.

Secundò, promissio corporalis semper intelligatur cum exceptione castigationis & crucis, Vult Deus utrumq; exerceri in petendis bonis corporalibus, fidem & obedientiam. Vult Abrahæ uitam & familiam custodire, sed ita, ut regatur Abraham non solùm humanis consilijs, sed fide, inuocatione Dei, & à Deo petat & expectet auxilium, iuxta dicta Iere. 17. Maledictus qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum. Item Zacha: 4. Non in robore, non in exercitu, sed in Spiritu meo, dicit Dominus.

Vult etiam hoc scire homines, se uerè irasci peccatis, & horribiliter punire lapsus, ut simus diligentiores in nobis frenandis, Sicut tristissimæ pœnæ secutæ sunt lapsus Dauidis, Salomonis &c. Et tamen inter has pœnas aliquod semen Ecclesiæ semper seruatum est, ut in exilio Babylonico.

Ita uidemus promissionem corporalem similiter ratam esse propter gloriam Dei, ne extinguatur agnitio Dei in genere humano, & in petitione hunc finem intueamur, Psal. 114. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Item, Non mortui laudabunt te Domine, Exerceamus igitur & fidem & obedientiam in petitione, & expectatione corporalium bonorum, sicut Dominus

minus iubet petere panem quotidianum, & illas stultas superstitiones eorum execremur, qui hanc petitionem nolunt interpretari de rebus corporalibus.

Semper autem in conspectu sint hæ quatuor causæ, propter quas Deus & tradidit promissiones corporales, & uult ea bona peti. Prima est, Quia uult intelligi hæc bona non spargi casu sine consilio & uoluntate Dei, Sed Deum suo consilio uel fouere naturæ uires, uel deserere, uel dare facultates, uel non dare.

Quatuor causæ propter quas Deus tradidit promissiones corporales.

I.

Primùm igitur sit in nobis hæc fides de prouidentia, quòd non casu spargantur hæc bona sine consilio Dei. Nam hæc fides est fundamentum petitionis & gratiarum actionis. Et sint nota aliqua testimonia Deut. 8. Non in solo pane uiuet homo, sed ex omni uerbo, quod procedit ex ore diuino, Deut. 30. Ipse est uita tua, & longitudo dierum tuorum, Acto. 17. In ipso uiuimus, mouemur & sumus, Matth. 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Prouerb. 10. Benedictio Domini diuites facit. Prouerb. 3. Egestas à Domino in domo impij. Iere. in Threnis capite 3. Quis est iste, qui dicit fieri hæc non iubente Domino, Ex ore Domini nec bona nec mala egredientur?

Sequitur ergo deinde altera causa. Cùm certissimum sit hæc bona diuinitus dari, utroq; modo uult Deus exerceri fidem, petitione et gratiarum actione, Vult se agnosci creatorem esse & datorem uitæ & uictus, uult hoc celebrari in petitione & gratiarum actione, Sicut dicit Psalm. 50. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. II. Causa.

Tertia causa est, Hæ promissiones sunt testimonia de conseruatione Ecclesiæ in hac mortali uita, ideò enim dantur, ne intereat Ecclesia, iuxta illud Psalmi 114. Non mortui laudabunt te Domine. Item Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. III. Causa.

Quarta, omnes promissiones corporales sunt commonefactiones de spirituali, uidelicet, de filio Dei, quia nec inuocare Deum possumus, nisi prius scimus nos recipi & exaudiri propter Mediatorem. Hæc fides in omni petitione etiam corporalium bonorum præluceat: ita perspicuum est, cùm fides petit corporalia, simul oportere exerceri petitionem spiritualem. IIII. Causa.

Hæc tota doctrina de promissionibus spiritualibus & corporalibus notissima sit omnibus, & quotidie in inuocatione exerceatur, in qua publica & priuata bona petenda sunt, salutaria regimina, pax, uictus, bona ualetudo & alia bona. In his exercitijs fiet doctrina magis perspicua, & crescet fides, quæ experietur hanc inuocationem non esse irritam, Sciamus etiam Deum hæc exercitia postulare, & hanc inuocationem esse cultum Deo placentem in credentibus, Sicut inquit Psalmo 50. Inuoca me in die tribulationis & eripiam te.

Esto typus fidelium in sermone, &c.

QVanquam exempla in gubernantibus magis conspicua sunt, tamen hæc sententia Pauli communis regula est, quam singuli intueantur in totius uitæ gubernatione. Nominat autem ordinè hæc membra. *Esto typus in sermone*, Id est, in doctrina, rectè doceas, rectè & non Sophisticè loquaris de doctrina, & moneto alios, ut uitent curiosas quæstiones, falsa, impropriè & perplexè dicta. Denicq; sit doctrina perspicua, necessaria ad exercitia fidei, & ad inuocationem, & ad bonos mores, ut suprà dictum est, doctrina prosit ad ædificationem.

Regula communis, pertinens ad totius uitæ gubernationem in omnibus.

Secundò inquit, *in conuersatione*, Hîc significat iusticiam uniuersalem, id est, honestas actiones iuxta omnia præcepta Dei, non sis infamis ex ulla causa.

In dilectione, Addit aliquid priori membro, non solùm uult externam conuersationem honestam esse, & non famosam, sed uult etiam in corde erga Deum & erga homines dilectionem esse, uult te esse amantem communis consociationis uero corde, placidum & beneficum. Fur est infamis, Sed uult Paulus non solùm uitari furta, sed insuper etiam te beneficum esse uero corde.

In spiritu, Id est, Zelo, uult ita te placidum esse, ut tamen non conniueas ad scelera, & ad pernicioſa dogmata. Sed legitimo modo reprehendas digna reprehensione.

In fide, Id est, in consolatione, in omnibus periculis, uideant alij te fide præstare patientiam & constantiam in persecutione & alijs doloribus, non quærere iniusta auxilia, sed expectare auxilium Dei, & tua consolatione alij erudiantur & confirmentur, Sicut Ieremias regit & consolatur sua fide Ecclesiam sui temporis.

Nominatim & castitatem addit, quæ est uitare omnes prohibitas commixtiones, & necessaria uirtus est, iuxta hoc dictum, 1. Corinth. 6. Nolite errare, Scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei, & fiunt domicilia Diabolorum, qui se polluunt prohibitis commixtionibus.

Sis assiduus in lectione, consolatione & doctrina.

Dictum præcipiens labores docendi & discendi.

PRopter multas causas hoc dictum familiarissimè notum sit omnibus, Primùm, quia studia literarum approbat, cùm ait, Sis assiduus in lectione: quam ad rem opus est multiplici cognitione linguarum & artium. Cùm igitur scis præceptum esse, ut legas sacros libros, intelligis Deo placere hos labores docendi & discendi, & potes ab eo petere & sperare auxilium, & in omnibus periculis & aduersitatibus habes præcipuam consolationem, iuxta illa dicta, Psalmo 36. Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Item 1. Corint. 15. Labor uester non erit inanis in Domino.

In omni genere uitæ est statuendum, an id Deo placeat.

Vniuersaliter enim regula tenenda est. Primùm sciri oportere, an labor aut genus uitæ placeat Deo, iuxta illud Roma. 14. Quidquid non est ex fide, peccatum est. Deinde nemo potest inuocare Deum, petere aut expectare auxilium in negocio quod Deus improbat, iuxta illud Psalmo 5. Non Deus uolens impietatem tu es. Est igitur sententia, Commenda Deo uiam tuam, id est, uocationem, militiam, laborem, uitæ genus ab ipso approbatum.

Ecclesia alligata est ad libros certos.

Monet etiam Paulus hîc Ecclesiam alligatam esse ad certos libros, sicut sæpè aliâs præcipitur de doctrina Prophetica & Apostolica, ut Esaias inquit, cap. 8. Ad Legem & ad testimonia. Necesse est igitur reijci doctrinas & illuminationes pugnantes cum his libris. Item opiniones et cultus extra hos libros.

Priuata & publica lectio mandatur à Paulo.

Tertiò mandat priuatam & publicam lectionem, & ostendit morem in Ecclesijs fuisse, ordine Propheticos libros legere, Sicut & in Synagogis fuit usitatum, & Moyses præcipit Leuitis, Deut. 31. lectionem integræ Legis. Ideo Malach. 2. dicitur, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requiram ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Et Oseæ 4. denunciatur pœna negligentibus, Quia repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.

Hæc

Hæc dicta & similia sint infixa pectoribus, ut nos ad diligentiam in discendo, docendo, & legendo excuscitent. Accedat autem precatio, ut Deus mentes nostras regat, ut dicta diuina propriè accipiamus, Sicut Propheta orat, Psal. 118. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Et Esaias orat, ut retineatur in aliquibus auditoribus ueritas, Isaiæ 8. Obsigna Legem in discipulis meis. *Ad lectionem quæ pertinent.*

Est & collatio cum alijs necessaria, Sicut scriptum est, Luc. 22. Et tu conuersus confirma fratres tuos. Et Samson inquit Iudi. 14. Nisi arassetis mea uitula, non inuenissetis, id est, nisi essetis adiuti labore Ecclesiæ. Audiamus igitur Apostolos & custodes doctrinæ Apostolicæ.

Consideremus etiam, qui à doctrina Apostolica quomodo discesserint. In alijs prorsus Diabolica audacia totam Ecclesiæ doctrinam mutauit, & horrendos furores sparsit, ut in Marcione, Manichæis & similibus. In alijs superstitio inflexit animos ad nouos cultus.

Hæc tota consideratio ad lectionem pertinet, in qua uniuersæ Ecclesiæ series, & omnium temporum historiæ cognoscendæ sunt.

Obseruanda est autem breuis distributio horum generum, lectionis, doctrinæ & consolationis. Cur à lectione orditur? Quia magna dissimilitudo est Philosophiæ & Euangelij. Arithmeticam non incipimus à lectione, sed asserimus multas noticias, quæ sunt uia ad artem, Deus autem sua uoce edidit arcanam doctrinam de Filio, & de redemtione, et tota restitutione generis humani, iuxta hanc suam reuelationem uult agnosci, & hanc scribi uoluit per Prophetas & Apostolos. Ideo ad horum librorum lectionem alligata est Ecclesia, & hi libri sunt fundamentum & norma uniuersæ doctrinæ in Ecclesia, iuxta illud 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Necesse est igitur assiduè legi hæc scripta priuatim & publicè. *Dissimilitudo Philosophiæ & Euangelij.*

Lectionem sequatur doctrina, ut in medicatione corporis finis est sanatio. Et ars medica continet duas partes, doctrinam et modum curandi. Doctrina uerò ostendit naturam corporis humani, qualitates, temperamenta, causas morborum, remedia. Postea modus curandi applicat remedia. Ac medici sapientia est intelligere, quæ ad suam artem pertinent, & consilia dirigere ad sanationem tanquam ad ultimum & principalem finem. Ita sciat concionator se medici similem esse, & finem ministerij Euangelici ultimum esse sanationem, qua per Filium Dei uoce Euangelij liberentur homines ex morte æterna. Non enim tantùm regit mores, ut magistratus politicus. *Lectionem sequatur doctrina.*

Sunt igitur & hîc duo membra doctrina & consolatio. Doctrina loquitur de articulis fidei, discernit Legem & Euangelium, recitat descriptionem peccati, usum Sacramentorum, discrimen iusticiæ æternæ & uitæ politicæ. Sed necesse est accedere consolationem tanquam sanationem, ne homo relinquatur in peccato & morte æterna. *Doctrina quæ res tradat.*

Estq; doctrina hoc ipsum, quòd usitatè nominamus Catechesin, id est, summa dogmatum recitans articulos fidei, descriptionem peccati, discrimen Legis & Euangelij, usum Sacramentorum, discrimen iusticiæ æternæ & uitæ politicæ, sumta ex ipsa uoce diuina, quę prius legitur: & hæc ipsa Catechesis est interpretatio lectionis seu longa seu breuis. Cùm enim in discendo necesse sit integrum corpus doctrinę mente complecti, rudioribus tradendæ sunt ordine *Doctrina est ipsa Catechesis.*

breues ſummæ principalium locorum,& poſtea in ipſa lectione monſtranda ſunt firma teſtimonia,ut fides nitatur uoce diuina.

Hoc conſilio primùm condita ſunt ſymbola, & ſcripti Catechiſmi, Quanquam enim prorſus eadem ſonat lectio,& ipſi libri Prophetici & Apoſtolici fons ſunt doctrinæ,Tamen ideo non tantùm præleguntur libri in Eccleſia à pueris, ſed etiam accedit uox interpretis, ut rudioribus enarrent genus ſermonis,oſtendant capita rerum,de quibus dicitur,illuſtrent ea definitionibus & diſtinctionibus, Sicut in docendo fieri neceſſe eſt. Et fiant hæc ſine Sophiſtica,ſed rectè iuxta artium uias,Nec miſceantur peregrinæ materiæ.

Cùm igitur opus ſit forma aliqua in docendo, iubet Paulus eligi Epiſcopum idoneum ad docendum.Hanc formam hîc doctrinam nominat, quæ eſt Catecheſis ſeu breuis ſeu longa, Quæ quidem & ipſa librorum ſacrorum interpretatio eſt,Quia inde ſumenda eſt Catecheſis,& teſtimonia ibi monſtranda ſunt.

Conſolatio & conſolationis propria, quibus ſit applicatio doctrinæ.

Tertium membrum conſolatio eſt,Quia non ſatis eſt recitare capita doctrinæ, niſi oſtendatur applicatio.Intelligat concionator officij ſui gradus, legat populo ordine libros Propheticos & Apoſtolicos,ſubinde & corpus uerè doctrinæ proponat,ut auditores ſummam rectè complecti poſſint,ſicut in Catecheſi traditur, Nec ſit concio ſine affectibus,ſed commemoratio de ira Dei, exuſcitet timorem,nec tamen relinquantur mentes in pauore & dubitatione,ut poëtarum Tragœdiæ tantùm pœnas oſtendunt, ſed accedat conſolatio ex uoce Euangelij,commonefiant auditores,ut ſibi fide applicent promiſsiones æternas & præſentium bonorum,& exerceant fidem, ſpem, inuocationem, gratiarum actionem,& cæteras uirtutes.

Ita tertius hic gradus propriè de applicatione Euangelij loquitur,qua fit liberatio à peccato & à morte æterna,& leniuntur dolores in hac uita,agnitione bonitatis Dei, fide,& ſpe auxilij diuini. Cùm igitur diſtributio Paulina ſapientiſsimè oſtendat partes officij concionatoris,fidelis concionator hanc normam ſequatur,ſit lector fidelis ſacrorum librorum, & meminerit omnes pugnantes opiniones cum ſacris libris reijciendas eſſe. Deinde integrum corpus doctrinæ ordine proponat,& addat teſtimonia ſine ſophiſtica. Poſtremò & applicationem oſtendat, ut creſcant timor Dei, pœnitentia, fides, inuocatio, ſpes & aliæ uirtutes,& fiat incoatio uitæ æternæ.

CAPVT V.

In 5. capite præcepta de negocijs forenſibus & œconomicis.

HActenus plurima de doctrina dicta ſunt,hîc addit admonitiones particulares aliquot de negocijs forenſibus & œconomicis, Et inſigne teſtimonium eſt,quòd Deo placeant officia debita cognatis. *Diſcant, inquit,propriam domum amanter tractare,& reddere uicem maioribus, hoc enim honeſtum & Deo acceptum eſt.* Eandem ſententiam exaggerat poſtea, dicens: *Si quis ſuos & maximè domeſticos non curat,fidem abnegauit,& eſt infideli deterior.* Hæc amplificatio diligenter conſideranda eſt.Significat autem σοργὰς eſſe uirtutes à Deo conditas in natura,quæ ut cæteræ uirtutes in renatis neceſſariæ ſunt,& Deo placent. Si quis igitur contra has uirtutes facit,ut ſi quis odit aut petulanter lædit parentes aut coniugem,aut natos,aut fratres,aut benefactores, is effundit Spiritum ſanctum,iuxta illa dicta 1. Iohan.3. Qui non diligit fratrem manet in morte.

Officia debita cognatis Deo placent.

Item

Item ibidem, Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Item 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, Habent autem hi cuculi, uidelicet ναυάγιον, magna uulnera conscientiæ.

Hæc breuiter hoc loco monuimus, ut considerent studiosi totam doctrinam de naturali σοφίᾳ, quæ quidem & commonefactrix est de amore æterni patris erga filium, & erga nos, & de amore filij erga naturam humanam, quam assumsit, & erga nos fratres. Hæc arcana & miranda opera Dei nunc procul aspicimus, Sed in uita æterna propius cognoscemus.

Vidua eligatur, &c.

APud templum Ierosolymæ fuerunt mulieres, quæ seruiebant coquendo, lauando, sarciendis uestibus, medicatione Leuitis & pauperibus. Hunc morem Apostoli imitati transtulerunt & ad Ecclesiam, iusserunt eligi grandes natu matronas, quæ ægrotis aut peregrinis seruirent, Et hæ mercedes habebant ex Eleemosynis, quas Ecclesia tunc liberaliter conferebat. De hoc more loquitur Paulus, non de uotis Monasticis, ac cætera perspicua sunt. *Mulieres ministræ in Ecclesia quales fuerint.*

Sed de uotis Monasticis hoc loco ualde uociferantur aduersarij, quia Paulus uideatur damnare contrahentes coniugia post uotum, cùm ait, *Damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerunt.* Etsi autem multę firmæ responsiones sunt, tamen hanc præcipuè teneamus. Etiamsi tunc consuetudo fuisset faciendi uota, quod non dicit Paulus, tamen ea uota dissimilima fuissent uotis Monasticis, quæ sine ulla dubitatione sunt idolatrica. *Paulus non patrocinatur uotis Monasticis.* *Vota Monastica sunt Idolatrica.*

Tenenda est igitur regula uera & immota, Vota quæ obligant ad cultus idolorum aut ad alia peccata facienda, certissimum est irrita esse, ut si quis obligasset se sacrificaturum Iunoni ad impetrandas diuitias, Quia manifesta est uox primi mandati, Exod. 20. Non habebis Deos alienos. Item 1. Corinth. 11. Fugite Idola.

Talia sunt autem uota Monastica iam multis seculis. Primùm opiniones impiæ sunt, ac furores potius, fingere ritus Monasticos mereri remissionem peccatorum, esse iusticiam, esse cultus Dei, esse perfectionem Euangelicam. Secundò manifesta Idola sunt oblatio pro uiuis & mortuis in Missa, item inuocatio hominum mortuorum, & aliæ multæ superstitiones, quæ usitatæ sunt in Monasterijs.

Nequaquam igitur detorquendum est Pauli dictum ad uota Monastica horum recentium temporum, in quibus multa manifesta Idola sunt.

Nec prima fides significat uotum cœlibatus, sed aut fidem, qua promiserant fidelitatem in seruiendo, aut fidem Christianam, qua omnes articulos fidei amplectebantur. Nam hanc quoq; aliquæ curiosæ & salaces mulieres abijciebant, quæ nactæ talia officia magis uagabantur. Et cum multis ueniebant in colloquia, & quia habebant mercedes aliunde, uictitabant largius & indulgebant uoluptatibus. *Fides in his uerbis Pauli quid significet.*

Non igitur damnat Paulus nuptias, sed damnat uel ipsam fidei desertionem, uel alia peccata, quæ salacitatem & curiositatem sequebantur. Vsus est Paulus uerbis significantibus: σπαταλῶσα, id est, delicijs affluens & lasciuię indulgens, Hæc inquit, uiuens mortua est, scilicet propter lasciuiam. σπατάω apud Aristophanem, significat prodigaliter profundo, inde σπατάλαι profusiones & delicię, ut Suidas citat dictum, Nunc saltant mures fruentes delicijs carne felium. *Paulus non damnat nuptias, sed desertionem fidei, uel alia peccata.* *σπαταλῶσα.*

Sunt

Sunt autem uirtutes uicinæ frugalitas,temperantia & continentia, Vt in apibus simul hæ tres uirtutes inprimis conspicuæ sunt. Sunt autem & per seſe res bonæ,& Deo gratæ,& sunt nutrices aliarum maiorum uirtutum,sapientiæ,iusticiæ,fortitudinis.Sunt & uicia uicina prodigalitas intemperantia & incontinentia,& in mulieribus hæc deformitas conspectior est,quia mulieris officium est in œconomia res partas fideliter custodire,& ad necessarios usus arte electas parcè promere. De intemperantia dicitur, Quid enim Venus ebria curat?

Existimo autem Paulum ad descriptiones aliquas tunc notas alluſisse, quia uerba illustria Comœdiarum sumit,Nam & sequens uerbum insigne est, σχνιᾶρ. *Cùm saginatæ sunt ex ipsis eleemosynis contra CHRISTVM.* Verbum σχνιᾶρ est helluari,ingluuie onerari,ut apud Athenæum, Helluatus sum absumto cibo quatuor elephantorum,Et in Apocalypsi capite 18. Reges qui cum ea scortati & helluati sunt.

Sunt & alia uerba hîc insignia, quorum pondera lector si obseruabit, intelliget Paulum sapienter significare,quæ sint propriæ matronarum uirtutes, & quæ sint contraria uicia. Hæc considerare utile est,& fugienda Sophistica, quæ malicioſè & stultè detorquet Paulum ad stabiliendas impias & faruas superstitiones Monasteriorum.Expressè inquit Paulus: *Volo iuniores nubere,esse matres & nutrices familiarum.* Hîc aptè recensetpræcipua officia sexus muliebris,de quibus & suprà dictum est in sententia,Saluabitur mulier per filiorum generationem. Nec addo longiorem enarrationem: extant enim multa œconomica scripta,quæ & nosse & sequi multos oportebat.

Præcipua officia sexus muliebris.

Duplici honore digni ducantur.

Id est, uictu,& reuerentia.Hæc cur discernat considerandum est,Ac primùm deberi uictum docentibus manifestum est, iuxta præceptum Domini, Lucæ 10.Dignus est operarius mercede.Et hîc Paulus accommodat dictum in Lege,Deut.25.*Non ligabis os boui trituranti,* qui ritus imago fuit significans,ut mercedes debitæ laborantibus soluantur,Sicut expressè præcipit Lex Leuit. 19.Non retineas mercedem operarij apud te in crastinum.

Ministerijs debetur uictus & reuerentia.

Ac pertinet hæc cura ad gubernatores,ut Pastoribus Ecclesiarum, & cæteris,qui seruiunt studijs Ecclesiæ docendo,& discendo, de publico auxilium feratur,sicut in Esaia capite 49.& 60.dicitur: Reges erunt nutritores tui,& reginæ nutrices.

Altera pars est reuerentia,cuius multi sunt gradus, Primus & maximè necessarius est obedientia in his, quæ ad ministerium Euangelij pertinent,iuxta hæc dicta, Lucæ 10. Qui uos audit me audit, Qui uos spernit me spernit. Item ad Hebræos capite 13.Obedite & subditi estote præpositis uestris.

Reuerentiæ multi sunt gradus.

Etsi enim hæc dicta non constituunt regna Pastoribus extra Euangelium,tamen affirmant deberi Pastoribus obedientiam in his,quæ sunt propria ministerij Euangelici,Nec spernenda sunt hæc seueriſsima præcepta.

Debetur obedientia Pastoribus,in his quæ sunt ministerij.

Deinde accedant ad externam obedientiam & alij gradus in mente, Bona opinio de toto ministerio & de ipsis pastoribus, & beneuolentia erga eos, Quia sine his interioribus uirtutibus externa obedientia est hypocrisis,non sit contemtus in animis,non sit odium, sicut Paulus inquit,1.Corinth.4. Apostolos in odio esse tanquam καθάρματα.

Etsi

Etsi autem semper multi fuerunt, sunt & erunt de ministerio irreuerenter sentientes: Tamen saniores intelligant eius dignitatem. Est autem dignitas ipsa rei bonitas, quæ in causa efficiente & finali conspicitur. Causa efficiens & conseruans ministerij Euangelici, est ipse Deus immensa bonitate uoce Euangelij colligens æternam Ecclesiam, & genus humanũ auulsum ab ipso rursus sibi copulans. Qui quidem præcipit audiri ac uenerari ministeriũ, ut supra dictum est. *Dignitas ministerij in causa efficiente, & finali conspicitur.*

Causa finalis est, quòd hac uoce Deus uerissimè est efficax, remittit peccata credentibus, dat eis Spiritum sanctum, & facit hæredes uitæ æternæ. Hæc summa beneficia impertit per uocem Euangelij sonantem etiam per miserrimos homines, sicut inquit Dominus Ioan. 20. Sicut pater meus misit me, sic ego mitto uos, id est, certissimum est me efficacem fore per uos, sicut pater per me fuit efficax, ut resuscitatio ex morte ostendit, ita & Paulus inquit Roma. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item, 2. Corin. 3. Euangelium est ministerium Spiritus.

Hæc dicta erunt magis perspicua cùm in ueris consolationibus discemus uera exercitia fidei, & sustentabimus nos cogitatione promissionum. Hunc usum ministerij abijciunt Enthusiastæ, quales sunt Anabaptistæ, Stenckfeldius, & similes, qui quærunt illuminationes & raptus extra Euangelium. Sed in ueris doloribus & uera consolatione discimus Deum efficacem esse cogitatione Euangelij, ut Paulus inquit Roma. 10. Fides ex auditu est. Item, Roma. 5. Iustificati fide pacem habemus. *Contemtores ministerij Anabaptistæ, Stenckfeldius.*

Simul igitur Deo gratias agamus pro edita promissione, pro efficacia per Euangelium, pro constitutione, conseruatione, & instaurationibus ministerij Euangelici, pro collectione Ecclesiæ per Euangelium & Spiritum sanctum, pro donatione iusticiæ & uitæ æternæ, pro mitigatione pœnarum præsentium, pro remissione pœnæ æternæ. Hæc tanta bona agnoscamus, & celebremus, præstemus etiam beneuolentiam debitam ijs, quorum labor in hoc ministerio pio, seruit Ecclesiæ.

Sine præiudicio, &c.

ORdinat forensia quædam, quæ cum & natura nota & in Lege Dei expressa sunt, & in iure usitato repetuntur, non sunt obscura. Iuniores uocabula discant intelligere. *Forensia quædam ordinantur à Paulo.*

Præiudicium significat statuere re nondum ordine cognita, siue id fiat affectu, siue persuasione propriæ sapientiæ. Ita Deut. 16. expressè mandatum est, Audite illos, & quod iustum est iudicate. Et nota sunt dicta, μὴ δ' ἐπὶ λῶ δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκοῦσῃς. Item, δικάζειν ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι. *Præiudicium.*

Et quia sæpè corrumpuntur iudicia affectibus, ideo addit: Nihil facias secundum inclinationem, id est, non discedas à regula iusticiæ ullo priuato affectu. Sic potest accidere uel superbia, cum non uult quispiam cedere alienæ sententiæ, etiamsi uoluntas erga partes æqualis est, uel cum uoluntas non æqualis est erga partes, id nominatur προσωποληψία. Species igitur plures coniunguntur Deut. 16. Non declines in alteram partem, non accipias personam, Et ex eo sumsit Paulus uerbum inclinationem, quo hîc & προσωποληψίαν comprehendit, quæ est esse inæqualem erga æquales, & æqualem erga inæquales.

Vult enim Deus intelligi, iusticiam esse æqualitatem erga æquales, quæ quidem

Iustitia est æqualitas ergà æquales.

quidem habet normam mentem diuinam, quæ diligit similia suæ uoluntati, & reiicit dissimilia suæ uoluntati. Ita iustus Rex seruat omnes iustos, & punit omnes iniustos. Dicitur autem acceptio personæ, cùm aliqua species seu umbra extra causam antefertur regulæ iusticiæ, ut cùm parcit iudex adultero, quia est nobilis, iuxta illud:

Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

προσωποληψία est iniusta.

Est igitur acceptio personarum iniusta, quia discedit à regula iusticiæ, & efficit inæqualitatem.

Hæc tota commonefactio diligenter consideranda est, ut uocabulum expendatur, & hæc dulcissima consolatio sæpè repetita in scripturis familiariter nota sit, quæ dicit, apud Deum non esse προσωποληψίαν, ut Roman. 2. cap. Acto. 10. Et Esaiæ 42. de Messia dicitur: Non accipiet personam, id est, non erit iniustus, non erit inæqualis, Deus uerè æqualis est æqualibus. Damnat peccata in omnibus, & recipit omnes confugientes ad filium, &c.

Nemini citò manus imponito, &c.

COmplectitur utilem doctrinam. Primùm confirmat uocationem & ordinationem, quæ fit per homines in Ecclesia, quia approbat ordinationem quam Timotheus faciebat imponens manus iis, quos Ecclesia uel ipse elegerat. Est autem ingens beneficium Dei, quòd uult ab Ecclesia uocari uel eligi ministros, & per nos uerè uult esse efficax, Sicut inquit Dominus Ioan. 20. Sicut pater meus misit me, ita ego mitto uos. Et postea præcipit Tito Paulus capite 1. Constitue presbyteros.

Ecclesiæ uocationem approbari à Deo ingens beneficium.

Hoc ingens beneficium grati agnoscere debemus, & hac fide exercere ministerium, & uti ministerio, ac statuere, quòd Deus uerè efficax sit uoce horum ministrorum. Ac suprà copiosius dictum est de duplici uocatione ministrorum.

Non admittendi sunt ad ministerium inexplorati.

Altera admonitio hîc comprehensa hæc est, Quòd uult fieri explorationem doctrinæ & morum, nec admitti ad ministerium inexploratos, sicut & infrà præcipit 2. Timoth. 2. Commenda ministerium hominibus fidelibus, qui sunt idonei ad docendum. Vult ergo inspici doctrinam & mores, & nullos admitti ad ministerium, qui non sunt mediocriter idonei.

Nemo est par ministerio, & tamen necesse est obedire uocationi.

Hîc quæret aliquis, Quis gradus obseruandus est? Respondeo, Vtraq; propositio tenenda est. Prima, Nullius eruditionem, sapientiam, & diligentiam parem esse tanto ministerio. Sicut 2. Corinth. 3. expressè dicitur, Non sumus sufficientes. Agnoscenda est igitur nostra infirmitas, & frenanda audacia, ne fiducia nostræ sapientiæ doctrinam rectè traditam turbemus, nec noua dogmata, nec nouos cultus fingamus. Altera propositio addenda est, Necesse est obedire mandato, quod iubet seruire Ecclesiæ uocatos, Ibi requiritur ut fideles simus, ut dicitur 1. Corinth. 4.

Fidelitas quæ comprehendat.

Fidelitas autem opponitur duobus uicijs, Affectatæ ignorantiæ, & affectatæ negligentiæ in iis, quæ necessariò facienda erant. Comprehendit igitur fidelitas mediocrem eruditionem, & mediocrem diligentiam in faciendis iis, quæ necessaria sunt. Hîc autem mediocris eruditio ea existimetur esse, quæ tamen fundamentum integrè complectitur, id est, omnes articulos Symboli, Decalogum, discrimen LEGIS & EVANGELII, intellectum doctrinæ de iustificatione, de usu Sacramentorum, de ueris cultibus & ficticijs. Etsi

Etsi autem nemo satis intelligit hanc diuinam sapientiam, tamen de his materijs omnibus utcunq; oportet quemlibet pastorem scire formam docendi, quę in Ecclesijs emendatè extat, comprehensa in Catechismis.

Nam distinctionem de insufficientia & fidelitate, in qualibet uocatione nosse necessarium est, ut sciamus cur necesse sit seruire, & quas res nos afferre oporteat, & unde petendum & expectandum sit auxilium. Et ut agnita infirmitate nostra nihil extra uocationem tentemus, sicut multi summi uiri lapsi sunt fiducia suæ potentiæ, uel iusticiæ, uel sapientiæ, uel autoritatis, ut Gedeon, Nabogdonosor, Pompeius & alij innumerabiles. *Necessaria distinctio de insufficientia et fidelitate.*

Addit autem hîc Paulus regulam: Non communices alienis peccatis. Quæ congruit cum usitato dicto: faciens & consentiens similiter puniendus est.

Deinde congerit alia præcepta, de castitate, item de tuenda ualetudine, & alia.

Sæpè autem repetitur doctrina de castitate, quam certissimum est uirtutem esse necessariam, iuxta dictum 1. Corinth: 6. Scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei. Item, Hebræo: 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. *Necessaria uirtus castitas.*

De tuenda ualetudine. Pertinet hæc iusticia ad præceptum. Non occîdes. Semper autem ualde multi homines se interfecerunt, & interficiunt intemperantia, aliqui etiam immoderata abstinentia læserunt corpora. Paulus ad Colossen: capite duodecimo insigni uerbo usus est, iubet honorem haberi corpori. Cùm enim sit hospitium & organum Spiritus sancti, tale quiddam est, quod non solùm fouendum est, sicut foues arborem aut pecus, sed etiam ita magnifaciendum est, ut accedat opinio, quòd corpus sit domicilium & organum actionum diuinarum in omni æternitate. Et propter hæc bona ne Deus impediatur, reuerenter tenendũ est, et ars ipsa fabricationis magis admiranda est, quã in alijs corporibus, quia multò plura testimonia de Deo nobis impressa sunt, uidelicet radij sapientiæ diuinæ, noticia numerorum & ordinis, discrimen honestorum & turpium. Hæc casu semper talia esse impossibile est. Sed fatendum est mentem architectatricem esse. Postremò ideo quoq; debetur honos corpori, quia Deus præcipit ne lædatur. Hæc consideratio nos ad diligentiam inuitet in tuendo & regendo corpore. *Honor habendus corpori.*

Quorundam peccata præcedunt iudicium &c.

NON loquitur de extremo iudicio, sed cùm antea dixerit de electione & de censura morum, nunc eadem de re admonitionem addit, & loquitur de iudicio humano in gubernatione, Non diu latent inquit mores, seu boni seu mali, sed aut citò deprehenduntur ante gubernationem, aut si qua fuit simulatio, tamen in gubernatione non potest esse diuturna, sicut dicitur, ἀρχὴ ἀνδρα δείκνυσι. Hæc regula obseruetur, quia in uita necesse est cauere, ne implices te malorum hominum familiaritatibus, ut Syrach capite undecimo inquit, Non quemlibet inducas in domum tuam, quia multę sunt insidiæ dolosæ. Signa igitur uoluntatum & morum consideranda sunt, quæ multa animaduerti possunt, ut mendacia, ostentatio, obtrectatio, familiaritates malorum, non soluere debita, genus studij & laborum, helluationes. De talibus iudicijs humanis hîc loquitur Paulus, & uult nos uigilantes & intentos esse in dijucandis sensibus & naturis eorum, quos nobis adiungimus. *Iudicia humana ante & in gubernatione.*

CAPVT VI.

Euangelium non abolet œconomias et politias.

IN sexto capite initiò seruis præceptum dat, ubi meminerint iuniores communem regulam confirmari, quæ sæpè repetitur, Euangelium non abolet œconomias & politias, sed concionatur de alijs rebus, uidelicet de æternis bonis, de æterna iusticia & uita, quam Deus efficit in cordibus hominum, quos tamen uult in hac uita Mortali subiectos esse huic ordini, qui iuxta uoluntatem Dei conuenit uitæ corporali. Vult nos cibo & potu sustentari, uult esse legitima coniugia, & propagationem, Vult esse consociationem ordinariam generis humani, distinctionem dominiorum, defensionem per imperia, contractus, leges, iudicia, pœnas. Ita hîc uidemus approbari seruitutem, qualis tunc in legibus descripta fuit. Prodest autem & conscientijs, & ad pacem intelligere hanc doctrinam de approbatione ordinis politici.

Si quis aliter docet &c.

Præceptum de custodienda puritate doctrinæ.

PRæceptum de custodienda puritate doctrinæ sæpissimè repetitum est in omnibus scriptis Prophetarum & Apostolorum, iuxta illud Gal: 1. Si quis aliud Euangelium docet &c. Id hîc quoque longa commemoratione repetitum est, quæ monet & quales sint qui doctrinæ corruptelas spargunt, & quales sint materiæ, & quanta mala ex inutilibus quæstionibus oriantur.

Postea infert dictum: *Putant pietatem quæstum esse*, Id est, putant doctrinam & nomen religionis esse aucupium quæstus, & ita circumferunt, ut quæstus causa exerceant aliqui artes prorsus inutiles, circulatoriam, funambulatoriam, & similia.

Verbum τετύφωται.

Vtitur autem uerbo τετύφωται, quod significat, attonitus est, seu fulmine stupefactus, ut iudicium & delectus amissus sit. Demosthenes & alij hoc uerbo usi sunt, pro amens sum. Est enim à τυφὼν, quod significat turbinem, & uetustas pro specie fulminum usurpauit.

Attonitos seu stupefactos quos nominet.

Significat ergo tales esse alucinatores, qui corruptelas ueræ doctrinæ fingunt, ut iudicio errent, & uelut cœci uicina apprehendant, non ea quæ petunt. Deinde & hyperbolas addunt, quales nostra ætate multos uidimus: ut cùm Paulus inquit, πολίτευμα nostrum in cœlis est, significans Euangelium non constituere politiam mundanam. Anabaptistæ simpliciter damnant omnia politica officia, distinctionem dominiorum, magistratus, iudicia, iuramenta.

Cùm uetustas dixisset, Iusticia est communicatio Dei cùm æqualitate, scilicet ordinata, Hæretici addebant hyperbolen, cum æqualitate, scilicet uniuersali, ita ut æqualiter ad alienas uxores singuli accederent. Talia exempla ostendunt, quid nominet attonitos seu stupefactos, ita ut amentia sequatur.

Initia amentiæ quæ sint, de qua Paulus loquitur.

Initia autem huius amentiæ hæc sunt, quando homo non rectè didicit fundamentum, & sine timore Dei, & sine precatione iudicat, & admiratione suæ sapientiæ fascinatus amat suas imaginationes, accedit Diabolus & magis impedit iudicium, sicut scriptum est Lucæ 22. Intrauit in eum Satanas. Item, Tenentur captiui laqueis Diaboli, inquit Paulus 2. Timoth. 2. Cùm igitur & magna sit infirmitas nostra, & Diabolus tanquam Leo rugiens quærat quem deuoret, studiosè discamus fundamentum, & assidua precatione petamus, sicut Propheta sonans uocem omnium sanctorum, Psalmo: 118. Fac cum seruo

ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me.

Dicat autem aliquis, unde diſcernam quæſtiones utiles ab inutilibus? Reſpondeo. Norma ſit fundamentum, ut Paulus inquit 1. Corin: 3. Fundamentum aliud poni non poteſt, niſi id quod poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Comprehenditur autem fundamentum ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola, & illuſtre diſcrimen eſt Legis & Euangelij. Item iuſticiæ fidei & operum. Item ueri cultus à Deo inſtituti, & falſi cultus ab hominibus inſtituti &c. Intra has metas coercendæ ſunt cogitationes, & frenanda eſt curioſitas, ut Eccleſiaſtæ 5. dicitur: Non ſis uelox ad loquendum coram Deo. Et paulò antè capite 4. Accede ad templum ut audias. Roman: 12. Sapite modeſtè ſecundum menſuram unicuique datam &c.

Fundamentum eſt norma diſcernens utiles quæſtiones ab inutilibus.

Et prorſus fugiendæ ſunt illæ peſtes, Oſtentatio argutiarum, Sophiſtomania, & amor contentionis, quæ damnantur omnibus dictis, quæ præcipiunt ueritatem, & prohibent mendacium, iuxta illud: Non dicas falſum teſtimonium. Ephe: 4. Deponentes mendacium, loquimini ueritatem. Et regulas etiam ſequamur: Fugienda conſuetudo falſa docentium, iuxta dictum 1. Corinth: 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Item Lucæ duodecimo: Cauete fermentum Phariſæorum.

In docendo quæ peſtes fugiendæ ſint.

Magnum lucrum eſt pietas cum αὐταρκείᾳ.

BIS uſus eſt uocabulo Quæſtus, primùm de aucupio loquens, & taxans impios homines, qui religionem quæſtui habent, quod ſemper in mundo uſitatum eſt. Poſtea opponit aliam ſignificationem uocabuli, inquiens, religionem reuera eſſe magnum lucrum, quòd eò dicitur, non quòd uelit eſſe uenalem, ſed quia uult intelligi, rectè habenti eam per ſeſe bonum æternum eſſe, cui Deus etiam addit bona corporalia, iuxta illud Matthæi 6. Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Item 1. Timoth: 4. Pietas habet promiſsiones præſentis & futuræ uitæ.

Pietas cum αὐταρκείᾳ *lucrum.*

Addit autem, ſic eſſe lucrum, ut tum etiam oporteat nos paruo contentos eſſe, Et quidem ſi ordine uiueremus, natura paruo contenta eſſe poſſet. Sed augentur ſumtus multis ſtultiſſimis cauſis, quæ & facultatibus, & moribus, & animæ, & Rebuspublicis nocent. Ac Paulus taxat hæc uicia, profuſiones, rapacitates, auariciam. Præterea cùm nominat αὐτάρκειαν, uult nos obedire in cruce, ac meminiſſe doctrinam de promiſſionum corporalium intellectu, quòd uidelicet intelligendæ ſint cum exceptione caſtigationis & crucis. Tunc quoq; animus contentus ſit, iuxta illud 1. Petri 5. Humiliamini ſub potenti manu Dei, & petat mitigationem à Deo.

Præcipio tibi &c.

TAndem repetit præceptum de tuenda puritate doctrinæ, & miſcet dictum: *Coram Deo qui uiuificat omnia.* Hæc partieula pertinet ad doctrinam, quæ traditur in enarratione Symboli de creatione, quòd uidelicet Deus non diſceſſerit à rebus conditis, ſicut diſcedit faber à naui conſtructa, ſed ſemper ſuſtentet res, donec ſunt: & quidem ſuſtentet liberrimè. Ita dicitur in actis capite. 17. In ipſo ſumus, uiuimus & mouemur. Item, Lucæ 12. Duo paſſeres aſſe ueneunt, & unus ex illis non cadit ſuper terram ſine patre ueſtro. Veſtri autem capilli

Deus ſemper ſuſtentat res creatas.

capitis omnes munerati sunt. Item, Psalmo 144. Qui dat escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

Hanc liberam præsentiam & uoluntatem Dei cogitare necesse est in omni inuocatione, Quia qui retinent imaginationes, quæ fingunt naturam sic ferri sine Deo, aut Deum ad causas secundas alligatum esse, non inuocant Deum, sed contumelia eum adficiunt, ut Epicurei aut Stoici. His impijs cogitationibus fides magno labore repugnet. Et hæc pugna in quotidiana inuocatione discenda est. Ad eandem doctrinam pertinet dictum infrà positum 1. Timoth. 6. Speremus in Deo uiuente, & præbente nobis omnia ad fruendum, ubi etiam testatur uictum nobis à Deo dari, sed dari ad fruendum, id est, ad usum conuenientem naturæ, non ad profusiones Antonianas &c.

Finis primæ Epistolæ.

IN ALTERAM AD TIMOTHEVM ENARRATIO DOMINI PHILIPPI MELANTHONIS.

Argumentum secundæ Epistolæ ad Timotheum.

SECVNDAM Epistolam ad Timotheum scripsit Paulus Romæ captiuus, cum eum ad se ex Epheso uocaret. Confirmat & consolatur eum, præcipit, ut doctrinæ puritatem custodiat, & eligat idoneos doctores. Miscet admonitiones de summa doctrinæ, de lectione Propheticorum librorum, de cruce, de uenturis disidijs. Et multa illustria uerba sparsa sunt in hanc breuem Epistolam, ut, iubet ἀναζωπυρεῖν, id est, excitare uelut ignem dona Dei in nobis. ὀρθοτομεῖν, id est, rectè secare uerbum Dei. Sermo hæreticorum serpit ut Gangræna morbus. Erunt homines ἄσοργοι, ἄσπονδοι, τετυφωμένοι, Et alia multa digna singulari consideratione.

Parentes Timothei qui fuerint.

Initio autem fit mentio auiæ & matris Timothei. Sciant iuniores ibi ea quæ de patria & parentibus Timothei scripta sunt in actis cap. 16. Natus est Timotheus in oppido Lystris, quod in Lycaonia situm est, sub Galatia, non procul ab Iconio, quæ urbs non procul abest à Tauro monte, Et sæpè celebratur in historijs, Et propter nomen εἰκὼν multæ fabulæ de ea traditæ sunt, Sed existimo propter insigne idolum sic appellatum esse. Pater Timothei Ethnicus fuit, mater & auia fuerunt mulieres Iudaicæ, quibus quidem tribuit Paulus testimonium ueræ inuocationis. Sic olim inter gentes propagata est agnitio ueri DEI.

Verbum ἀναζωπυρεῖν.

Initio autem iubet eum excitare dona Spiritus sancti, & illustri uerbo usus est, ἀναζωπυρεῖν, quod significat ignem penè extinctum rursus excitare, & sæpè usurpatur pro eo quod dicimus, rursus accendere calorem in corpore penè extinctum. Ideo autem pleniore uerbo usus est, ut taxet ignauiam & hypocrisin, Vult nos nec ocioſos esse nec laxare frenum cupiditatibus. Deinde ubi est diligentia, non sit hypocritica, ut sunt superstitiosa exercitia Monachorum, sed sint opera utilia. Et sint in mente uera notitia filij Dei, pœnitentia, timor, fides, uera inuocatio.

Quomodo excitentur dona in renatis.

Sed dicat aliquis, quomodo excitantur dona? Respondeo. Homo renatus non est ut statua, sed ideo datur Spiritus sanctus, ut incoetur in nobis libertas, & possumus iam incoare obedientiam, nec Spiritus sanctus est ocium, sed est flamma & agitatio diuina repugnans Diabolo, & infirmitati carnis,

carnis & accendens motus tales, qualis ipse Spiritus sanctus est. Ideo dictum est ad Romanos octauo capite: Spiritus opitulatur infirmitati nostræ. Item Ephe: 5. Ambulate accurratè, non ut fatui. Item, 1. Corint: 6. Adhortamur uos, ne frustra gratiam accipiatis. Item, Lucæ 16. Quantò magis dabit pater uester cœlestis Spiritum sanctum petentibus. Item 1. Petri 5. Sitis sobrij ad precationem. Excitantur igitur dona primùm omnium cogitatione doctrinæ, Deinde inuocatione, exercitijs pœnitentiæ, consideratione nostræ infirmitatis, repugnando subitis incendijs affectuum, sustinendo certamina & pericula in confessione. In talibus actionibus uult Paulus crescere dona, sicut dicitur Lucæ 19. Habenti dabitur. Et huc pertinet tota parabola de negociantibus.

Non Spiritum timoris &c.

REtineamus usitatam distinctionem: Alius est timor seruilis, uidelicet pauor sine fide, cum quo sunt fremitus & indignatio aduersus Deum, & horribilis fuga Dei, & pœnarum, ut in Saul, Iuda & similibus: Alius est timor filialis, uidelicet uerus pauor cum fide, id est, consolatione, qua cor iam acquiescit in mediatore, non fugit Deum, sed agnita eius misericordia luctatur cum pauore, & incipit credere Deo, inuocare eum, & se ei subijcere uera reuerentia. Talis timor est in Ioseph & in omnibus sanctis. Hæc in experientia, in quotidiana inuocatione considerentur, non inuoluantur obscuris dubitationibus. *Timor seruilis.* *Timor filialis.*

Sit igitur hæc plana responsio: *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris*, id est, timorem seruilem, indignationem aduersus Deum, & horribilem fugam, non dubitationes.

Econtrà nominat *Spiritum potentiæ*, id est, Spiritum potentem seu fortem, primùm fide uiuificantem corda & consolantem, ut ad Deum accedant, non fugiant, non irascantur, non opprimantur desperatione & morte. Est item potens seu constans in retinenda assensione doctrinæ contra Diabolos, & contra hostes Euangelij. Est & fortis in perferendis odijs & cruciatibus, in confessione. Ex his effectibus intelligi potest, quid nominet Spiritum potentem. Sic & in primo capite ad Ephesios inquit: *Credentes secundum efficaciam potentiæ roboris eius, quam potentiam effecit per Christum excitans eum à mortuis*, Id est, Deus efficax est in conuersione, & fide uiuificat & liberat ex morte, confirmat assensionem in corde, & constantiam in confessione. *Spiritus potens seu fortis uiuificans.*

Spiritum dilectionis &c.

ANtea nominauit Spiritum potentem, ut illustri uocabulo ignauiam & hypocrisin taxaret. Intelligit enim ueros motus, quibus uiuificamur in pauoribus, & excitamur ad inuocationem, & confirmamur in confessione & in omnibus periculis & laboribus ministerij contra diabolos & eorum organa. Nunc nominat Spiritum dilectionis. Vt enim prius de uiuificatione nostri dixit, ita iam de uirtutibus erga alios loquitur.

Etsi autem uocabulum Dilectionis aliâs aliter usurpatur, tamen hîc complectitur dilectionem erga Deum, & erga homines propter Deum, ut cùm dicitur Roman: 13. Dilectio est impletio Legis. Et significat Spiritu sancto accendi dilectionem erga Deum, id est, feruorem et zelum in conseruatione doctrinę, *Spiritus dilectionis erga Deum & homines.*

inuocationem,gratiarum actionem,& lætitiam in Deo, patientiam in cruce & confessione. Deinde erga homines significat amorem concordiæ, curam uitandi odia & semina dissidiorum, repressionem superbiæ & cupiditatis uindictæ, placidè monere & audire alios. Denicq; sumatur declaratio dilectionis ex ipso Decalogo. Ac datur Spiritus sanctus,ut accendat motus congruentes Legi diuinæ. Et talis est ipse, quales motus in lege describuntur.

Fides antecedit dilectioni.

Quoties autem dicitur de dilectione nostra erga Deum, sciant auditores oportere dilectioni fidem antecedere, & sensum dilectionis Dei erga nos, quia cor non accedit ad Deum,nisi fide acquiescat in Mediatore,& statuat Deum reconciliatum esse, ut dicitur ad Ephesios 4. Per hunc habemus accessum ad Deum fide. Hoc cùm fit, sentitur consolatio, quæ est agnitio dilectionis Dei erga nos, de qua dicitur ad Romanos 15. Dilectio Dei effusa est in corda nostra per Spiritum sanctum, id est, sentimus nos diligi à Deo. Et ad Roman: 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Item apud Zachariam capite 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Nominatur Spiritus gratiæ, quo sentimus nos esse in gratia in uera consolatione,in lucta pœnitentiæ. Hæc consolatio cùm fit in nobis,uicissim incoatur dilectio nostra erga Deum,Et sequuntur inuocatio,gratiarum actio,lætitia in Deo,patientia in cruce, Quia hos interiores cultus Propheta complexus est nomine inuocationis. Hæc consideratio de uocabulo dilectionis & de fide prælucente ualdè necessaria est.

Spiritum modestiæ.

Spiritus modestiæ,id est,moderans & frenans impetus.

COnsidera restrictionem, Spiritus potens seu fortis est acer,agit negocia difficilia,& adit magna pericula. Sed tamen sancti prospiciunt metas,non euehuntur extra uocationem,sicut multi,qui primùm spiritu ardentes egerunt res utiles, postea elati rebus secundis tentarunt aliqua extra uocationem, cùm quidem existimarent se rectè facere,quæ postea exitus tristes habuerunt, ut Samson,Iosias & alij.

Historiæ prophanæ habent innumerabilia exempla, quia Duces ignorantes Deum non frenantur Spiritu sancto,ut Hercules, Themistocles, Paulas, Marius, Pompeius, Iulius. De his omnibus uera fuit uox: Deponit potentes de sede. Item 1. Petri 5. Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Hæc bellatorum exempla magis incurrunt in oculos.

Inde utcunq; considerentur exempla regentium Ecclesias. Multi suo quodam zelo multa rectè fecerunt, postea fiducia sui uel dogmata finxerunt, uel alias res extra uocationem mouerunt,ut Gregorius multa instituit,Et Episcopi sæpè prætextu religionis mouerunt seditiones, & multi omnibus temporibus quodam stulto zelo,prætextu religionis uolunt constituere nouas politias. De talibus omnibus dicit ad Romanos capite. 12. Sapite,sed ad modestiam,id est, manete intra uerbum & uocationem. Et 2. Petri 1. In fide in uirtutem, in fide in scientiam, id est, fides non sit ignaua, sed sit ardens, ardeat autem cum iudicio & delectu.

Ita quia hoc loco addidit restrictionem, Deus nobis dedit Spiritum fortem,sed tamen impetus moderantem,& compescentem animos,ne elati dogmata fingant,aut nouos cultus, ne sint tubæ seditionum, ne Ecclesiam dilacerent λογομαχίαις aut alijs non necessarijs rixis. Ita contra stultum zelum,contra superbiam

biam, contra cupiditatem uindictæ, contra πολυπραγμοσύνην, & contra petulantiam nominat ſpiritum modeſtiæ, id eſt, Spiritum compeſcentem & moderantem inordinatos impetus.

Cæterùm notum eſt in ſermone Apoſtolico uocabulo σωφροσύνης comprehendi modeſtiam, temperantiam & caſtitatem, Item cùm dictum ſit de uirtutibus, quæ in conuerſis accenduntur à Spiritu ſancto, repetenda eſt & admonitio de doctrina iuſtificationis. Quanquam in conuerſis certiſsimum eſt eſſe ſpiritum ſanctum, quem pater & filius in corda eorum ſpirant, & obedientia in eis incoata eſt: tamen ſtatuere debent, ſe non illa nouitate iuſtos eſſe, id eſt, habentes remiſsionem peccatorum, & acceptos eſſe ad uitam æternam, ſed propter Mediatorem filium Dei, cuius merito placata eſt ira Dei, & qui eſt perpetuus interceſſor, cuius merita nobis donantur, ut imputetur nobis iuſticia. Hunc mediatorem fide apprehendi oportet, & retineri hanc perpetuam conſolationem, quòd propter hunc Mediatorem placeamus, non propter noſtram nouitatem, cum qua multum adhuc ſordium eſt, iuxta dictum Pſalmi 143. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens, ſcilicet propria dignitate ſeu qualitatibus, ſed iuſtificati fide pacem habemus.

σωφροσύνης Vocabulum in ſermone Apoſtolico quid ſignificet.

Quòd autem aliqui dicunt, nos eſſe iuſtos inhabitatione diuinitatis, ſciendum eſt, inhabitationem eſſe effectionem nouitatis. Hæc effectio ita fit, cùm cor prius apprehendit remiſsionem peccatorum & conſolationem, intuens in mediatorem filium DEI, & ſtatuens te propter illum mediatorem habere remiſsionem, & iuſtum eſſe, id eſt, placentem DEO, non propter effectionem nouitatis aut nouitatem. Ita manet uera propoſitio: Paulus conuerſus habet remiſsionem peccatorum, & eſt iuſtus, id eſt, acceptus DEO propter meritum Chriſti, ſeu propter propiciatorem ſola fide, iuxta illud: Quem poſuit propiciatorem per fidem, per ſanguinem eius. Hæc conſolatio ſemper ſit in conſpectu, qua cùm reguntur corda, ſimul fit uiuificatio, & illud quod dicitur Iohannis decimo quarto: Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Diſcernenda tamen eſt conſolatio à nouitate, quia in uero agone cernimus noſtra peccata, & iram Dei, nec poteſt niti iuſticia, noſtra nouitate, iuxta illa dicta Exodi 34. Coram te innocens non eſt innocens. Item Iob nono: Verè ſcio, quòd non ſit iuſtus homo coram Deo.

Inhabitatio diuinitatis eſt effectio nouitatis.

Ne igitur te pudeat teſtimonij Domini noſtri.

DIxit datum eſſe Spiritum non timiditatis, ſed efficacem in conſolatione, & conſtantem in confeſsione. Nunc addit adhortationem tanquam conſequens. Ergo eſto conſtans in confeſsione, non pudeat te teſtimonij, id eſt, confeſſionis, non frangaris ſpecie crucis, & econtrà autoritate & ſapientia aduerſantium, ſicut alibi inquit 1. Corinth: 9. Non pudet me Euangelij. Sicut manifeſtum eſt, moderatæ naturæ ingentem dolorem eſſe, ſtare inter paucos & ſpretos, & uideri ſtultè aut petulanter aduerſari ſummorum hominum, qui antecellunt ſapientia, uirtute & autoritate, iudicijs, & turbare publicum ſtatum, dici facem ſeditionum, tubam bellorum eſſe. Aduerſus hanc tentationem Eſaias inquit capite 59. Ne timete probra hominum.

Adhortatio ad conſtantiam.

Sustineas mala cum Euangelio secundum potentiam Dei, qui fecit nos saluos &c.

Nostra opera non sunt causa uel meritum remissionis peccatorum.

POstea inserit sæpè repetitum dictum: Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Affirmat nostra opera nequaquam esse causam uel meritum remissionis peccatorum seu reconciliationis, sed dicit nos secundum propositum Dei & gratiam saluari & uocari. Intellige gratiam gratuitam misericordiam Dei erga nos promissam propter filium, sicut sæpissimè loquitur Roma: 5. Multò magis exuberat gratia & donum per gratiam uel in gratia. Vbi gratia significat relatiuè gratuitam acceptationem, Donum uerò significat donationem Spiritus sancti, nouam & æternam iusticiam & uitam.

Complectitur enim integra beneficia, nec filius Dei sic tantùm aufert peccata, ut non imputet, & tamen natura maneat in his sordibus & in morte, sed ipsa aufert, cùm restituit uitam æternam.

Scio cui credidi &c.

HIc mouentur disputationes de dubitatione, An conuersus debeat manere in dubitatione, utrum habeat remissionem peccatorum, & an sit in gratia? Hîc planè respondendum est. Quanquam naturaliter hæret in hominibus dubitatio, tamen certissima doctrina est, & uox Euangelij perspicua, conuersos oportere uincere dubitationem, & statuere quòd habeant remissionem peccatorum, & sint in gratia.

Conuersos oportet uincere dubitationem naturalẽ

Dubitanti promissio est manis sonitus.

Ideo enim promissiones diuinitus traditæ sunt, ut naturalis dubitatio tollatur, & non credenti seu manenti in dubitatione promissio inanis sonitus est. Ideo Paulus inquit ad Romanos capite quarto: Ideo ex fide Gratis, ut sit firma promissio. Hæc fides opposita est dubitationi, iuxta illud ad Romanos capite quinto: Iustificati Fide pacem habemus & accessum ad Deum. Quanquam autem sentitur trepidatio, tamen sciant corda dictum in Marco capite nono, Credo Domine, sed opem fer diffidentiæ meæ. Sic petamus & nos confirmari, iuxta illud: Quantò magis dabit pater cœlestis Spiritum sanctum petentibus: & hæc fides intueatur promissionem, & trescat in inuocatione. Hoc cùm fit, consolatio ipsa in nobis est testimonium, quo agnoscimus nos liberari ex morte æterna, de qua consolatione inquit Paulus ad Romanos capite octauo: Accepistis Spiritum clamantem Abba pater. Hîc spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Et in hanc sententiam ait Augustinus: Credens scit se credere.

Fides Prophetarum non nitebatur ipsorum donis sed misericordia Dei.

Verum est autem, Prophetas & Apostolos habuisse singularia testimonia, quæ etiamsi propter ministerium, & propter auditores ipsis data sunt, tamen etiam ipsos priuatim confirmant, & tamen ipsorum fides nitebatur non illis donis & miraculis, sed misericordia propter filium Dei promissa.

Monachorum certitudo non in promissione sed qualitatibus proprijs.

Quærunt Monachi hanc certitudinem non in promissione, sed in qualitatibus suis, Vbi cùm inueniant immunditiem, iubent manere in dubitatione. Contrà uerò sciendum est, fidem intueri promissionem, non qualitates nostras, sicut rectè dictum est ab Augustino: Totius fiduciæ certitudo esse debet in pretioso sanguine Christi.

Formam retineto sanorum verborum.

Repetit

Repetit præceptum de conſeruanda puritate doctrinæ, quod ſæpiſsimè in diuinis concionibus recitatur. Et ſumma comprehenſa eſt in hoc dicto: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit. Vſus eſt autem Paulus hîc ſingulari uerbo: *Retineas formam ſanorum verborum*, id eſt, quæ tibi antea delineata eſt. Vult & res ipſas retineri, & modos loquendi perſpicuos, & uſitatos Prophetis & Apoſtolis. Quanquam enim non ſuperſtitioſè poſtulat ubiq; eadem uerba recitari: tamen uult uitari ambiguitates & λογομαχίας.

Forma ſanorum uerborum quid ſignificet.

Exaggerat autem præceptum, cùm iubet cuſtodiri doctrinam tanquam præclarum depoſitum. Conſtat autem in cuſtodiendo depoſito ſeueriſſimè poſtulari bonam fidem. Nec fruſtra addit: *Vt cuſtodiat per Spiritum ſanctum.* Vult nõ indulgere auditores rationi quærenti cauillationes contra rectè tradita, uult inuocatione Dei confirmari corda, ut ſint firma in retinendis rectè traditis. Multi indulgentes ſuis ſpeculationibus, & habentes ſtudium contradicendi excutiunt Spiritum ſanctum, quales hîc nominat quoſdam, Phigellum & Hermogenem & reliquos. Præcipit igitur ad Corinthios 2. Corinth: 10, redigi mentes in captiuitatem Chriſto.

Det miſericordiam domui.

NON prætereunda ſunt hîc exempla, quæ hîc recenſet Paulus, quorum primus eſt de Apoſtatis uel corruptoribus doctrinæ, quod commonefaciat nos de inſidijs Diaboli, & de noſtra infirmitate. Cum enim hi defecerint, qui familiares fuerunt Apoſtolis, & ſpectatores fuerunt miraculorum, quid poſtea fiet? Expaueſcamus igitur & oremus nos confirmari, ac meminerimus illa dicta Lucæ 12. Diabolus depopoſcit uos, ut cribraret uos tanquam triticum, uerùm tamen ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua Petre.

Exempla Apoſtatarum.

Alterum exemplum eſt hominis benefici erga Eccleſiam, de quo genere Eleemoſynæ extant præcepta, promiſſiones, commonefactiones & exempla, quæ omnia nota ſunt. Geneſis 12. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Et Deuteronom: trigeſimo tertio. Doctrina tua à uiro ſancto tuo. Qui dicit patri & matri uxori & liberis, neſcio uos, hi erunt cuſtodes Legis meę. Benedicã holocauſto tuo, Qui oderunt eũ, non conſurgent. Vides plùra membra. Primùm alligat Sacerdotes ad certum genus doctrinæ diuinis teſtimonijs traditum per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos. Poſtea addit præceptum, quales eſſe uelit Doctores, uidelicet, tali robore fidei, ut anteferant confeſsionem uitæ. Poſtea addit promiſsionem quòd ſit exauditurus hoc Sacerdotium diuinitus ordinatum. Poſtremò minatur hoſtibus huius Sacerdotij Syrach capite ſeptimo. Time Dominum & honore afficito Sacerdotes, & des eis partem eorum. Prouerbiorum tertio: Honora Dominum de primitijs frugum tuarum, & replebuntur horrea tua abundantia, & uino torcularia tua. Et Matthæi capite decimo. Qui dederit potum aquæ frigidæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico uobis, non perdet mercedem ſuam. Primæ Corinth: nono. Nemo militat ſuis ſtipendijs. Et 2. Corinth: 9. Qui dat ſemen ſeminanti, augebit ſemen ueſtrum.

Exemplum benefici hominis erga miniſterium & teſtimonia de beneficentia.

Conſiderentur & exempla: Deus benefecit obſtetricibus Aegyptijs, quæ noluerunt interficere infantes Hebræos. Reddidit gratiam hoſpitij Abdiæ, qui abdiderat

abdideratProphetas in ſpecubus contra Ieſabel.1.Reg.9.Item Abdemelech,qui benefecit Ieremiæ,ut narratur Ieremiæ 39. Et hoc loco Paulus benè precatur Oneſiphori familiæ,& infrà agit gratias Philemoni propter beneficia erga Eccleſiam,& quidem dulciſſimis uerbis uſus eſt: *Viſcera ſanctorum per te reficiuntur*, Id eſt,in magnis periculis & doloribus habent defenſionem,& hoſpitium apud te,ita ut pericula depellantur,& leniantur dolores tuis officijs, in quibus nihil eſt fucatum. Viciſſim igitur acquieſcunt ſancti ſincera lætitia cordis ſine metu & ſuſpicionibus.

Iam hæc præcepta, promiſſiones comminationes & exempla primùm docent,nos quoq; debere in hoc genere officioſos eſſe. Secundò conſolatur benefícos,ut uiciſsim expectent auxilium à Deo. Tertiò ſignificant Eccleſiæ non deeſſe hoſpitia in hac uita, & qualia ſint, uidelicet: rara apud ſummos principes, ſed frequentiora apud mediocres, quales fuerunt Abdias, Abdemelech, Sergius,Oneſiphorus,Philemon & alij ſimiles.

CAPVT II.

IN Secundo capite initiò rurſus teſtimonium extat ordinationis, uelle Deum eligi miniſtros Euangelij per Eccleſiam, & approbare horum electionem. Quare ſine ulla dubitatione horum miniſterio eſt efficax,iuxta dictum Rom.1. Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.

Aßiduitas & conſtantia in ueritate requiruntur in doctore.

Deinde monet,quales eligi uelit,ubi nominatim duas uirtutes flagitat,facultatem docendi,& fidelitatem,id eſt, aſſiduitatem & conſtantiam in ueritate. Cùm autem fit mentio facultatis docendi, manifeſtum eſt multa comprehendi. Ita ſuprà iubet eligi διδακτικόν. Item ad Titum caput 1. iubet eligi talem,qui poſſit refutare aduerſarios. Ad hæc difficilia opera neceſſe eſt iuniores diſcendo præparari. Talibus dictis omnibus præcipiuntur, & approbantur ſtudia doctrinæ. Hac erecti conſolatione libentius diſcamus & feramus communes difficultates noſtri ordinis, & expectemus auxilium & defenſionem à Deo. Iuxta illud 1. Corinth: 15. Non eſt inanis labor ueſter in Domino.

Nemo militans implicat ſe negocijs victus &c.

SImilitudo ſumta eſt à militibus, qui non poſſunt domi manere, ut regant œconomiam, neq; uagari negociationum cauſa, ſed miles totus ſeruit ſuæ functioni: Ita uult miniſtrum Euangelij totum ſeruire propriæ uocationi, & non ingerere ſe in alienas, in gubernationem politicam. Non habeat miniſter Euangelij alterum pedem in templo, alterum in curia. Et Petrus inquit: 1.Petri 4. Non ſitis ἀλλοτριοεπίσκοποι. Item 1. Theſſ. 4. In hoc ſitis φιλότιμοι, ut ſitis quieti, & propria agatis.

Miniſtri Eccleſiæ toti ſeruiant propriæ uocationi.

Laborantem Agricolam oportet primùm ſuorum laborum participem eſſe &c.

VVlt Deus intellectum iuſticiæ & aliarum uirtutum in hominibus lucere,ut agnoſcamus ipſum qualis ſit, & diſcernamus eum à malis naturis. Cùm autem ſit bonus & ſeruans creaturas, eſt etiam æqualis, bonus bonis, id eſt, ſeruans bonos, & puniens malos. Hæc in eo æqualitas nominatur iuſticia. Ac

Docentes uictum habeant ex collatione Eccleſiæ.

docet

docet nos quoq; iusticiam esse æqualitatem, & eam à nobis flagitat. Hunc igitur ordinem instituit, ut homo seruet æqualitatem erga homines, non noceat alijs, det res pro rebus, pro labore mercedem. De hac æqualitate loquuntur dicta Leuit. 19. Diligas proximum sicut teipsum. Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Lucæ 10. Dignus est operarius mercede. Talis est æqualitas, ut is qui suo labore coluit agrum, fruatur rebus ibi nascentibus.

Cùm autem Paulus antea præceperit, ne implicentur Doctores negocijs uictus, quæ impediunt officium, mox addit responsionem ad eam quæstionem, quæ opponi poterat, Vnde igitur uiuent docentes? Respondet proposita similitudine: Agricola fruatur suo labore, ita docentes uictum habeant ex collatione Ecclesiæ. Hoc præceptum sæpè repetitum est, Quia uerò addit Paulus admonitionem, *Considera quod dico, det tibi Dominus intellectum in omnibus,* significat non tantùm loqui se de mercede corporali, sed etiam de incremento donorum, quæ fideliter docentibus auget Deus. Vt Agricola primùm fruitur suo labore, Sic Doctor fidelis primùm percipiet sui laboris præmia, accendet Deus in ipso maiorem lucem, maius robur fidei, & alia dona, quia fideliter docet, sicut parabola de negociantibus docet, Lucæ. 19. Habenti dabitur, & à non habente etiam id quod habet auferetur.

Præsta te ministrum rectè secantem sermonem veritatis &c.

EXistimo sumtam esse metaphoram à diuisione membrorum in uictimis, quas non licuit temerè partiri, sed pectus & harmos oportuit abscindi ab adipe, & dari sacerdotibus, qui inde uictitabant: Adeps, renes, cauda cremabantur. Et Lex non solùm significationis, sed etiam utilitatis rationem adhibuit. attribuit enim eas partes Sacerdotibus, quæ sunt magis carnosæ, reliqua comburebantur. Cauda significabat omnes actiones referendas esse ad Deũ tanquam ad finem. Adeps seu pinguedo significabat rigari omnia à Deo. Renes significabant carnales affectus esse cremandos.

Ab illa igitur arte secandi uictimam sumit similitudinem, cùm iubet rectè secari uerbum Dei. Complectitur autem uniuersam diligentiam rectè docendi, & quia in docendo diuisionum & definitionum magna uis est, Doctorem tenere necesse est ordinem membrorum totius doctrinæ rectè distributum, ut manifestum est, horrendas confusiones sequi, quando non rectè miscentur genera doctrinarum, Legis & Euangelij, doctrinæ spiritualis & politicæ. Assuefaciat etiam doctor auditores, ut ipsi quoq; integrum doctrinæ corpus mente comprehendere possint, & uideant seriem membrorum, initia, progressiones & exitus. Hæc sententia etiam testatur placere Deo studia discentium, quia nemo potest rectè docere nisi didicerit, sicut & suprà 1. Tim. 4. monet, inquiens: Attendite lectioni, consolationi & doctrinæ.

Verbum ὀρθοτομεῖν complectitur diligentiam rectè docendi.

Prophanas verborum inanitates vitato.

GAngræna Vocabulum, est factum à uerbo γραίνειν, quòd significat arrodere. Est autem malum sæuius cancro, urens et arrodens carnem & ossa, ut statim uelut in cinerem redigantur. At nisi membrum citò præcidatur, occîdit hominem.

Gangræna.

Hac imagine significat impia dogmata, & celeriter latè uagari, & ualde pernicioſa esse. Qua in re non solùm uanitas & leuitas humanæ naturæ agnoscenda & deploranda est, quæ delectatur mendacijs, sed etiã Diabolorũ malicia, & po-

Impia dogmata latè uagantur ut gangræna.

& potentia consideranda est, qui gratis, sine ullo suo incommodo spargunt & confirmant tetros furores, tantùm ut Deum contumelia afficiant, & odio Christi perdunt homines.

Cohorrescamus etiam cogitantes de potentia, de qua dictum est Lucæ 22. Satan intrauit in eum. Ac idola Ethnica omnium temporum mundi, Bacchanalia, humanæ uictimæ, & alij furores, sunt testimonia eius potentiæ, & inter eos, qui nominari uolunt Ecclesia Dei, semper fuerunt multa tetra deliramenta.

Tempora uicina Apostolis etiam habuerunt turpissimas sectas.

Etiam tempora uicina Apostolicis habuerunt turpissimas sectas, inquinatas abominandis opinionibus & confusionibus libidinum. Hæc exempla consideranda sunt, ut simus memores grauissimarum admonitionum Matth. 26. Orate, ne intretis in tentationem. Item 1. Petri ult: Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Excitet in nobis cogitatio periculorum, timorem & inuocationem, ne opprimamur ociosi, securi, ebrij, aut uoluptatibus, aut ambitione, aut alijs cupiditatibus, & opponat fides potentiæ diabolorum potentiam Christi, qui dicit Iohan: 10. Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item 1. Iohan. 3. Apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Item Gene. 3. Semen mulieris conculcabit capit Serpentis.

Considerandum & hoc est, quòd fascinatos à Diabolo Paulus inquit, paulatim in maiorem impietatem ruere, sicut alibi dicit, Roma. 1. Tradidit eos in reprobum sensum.

Stat firmum fundamentum &c.

PAulus ingressus in hanc tristem commemorationem de dissipationibus Ecclesiæ, opponit consolationes duas, Alteram publicam, alteram pertinentem ad singulos. Publica hæc est: Quòd certissimum est tamen filium Dei sedentem ad dexteram æterni patris, regnantem & reprimentem Diabolos, & assiduè intercedentem pro nobis, esse Sacerdotem æternum, & colligere sibi Ecclesiam in genere humano, quantumcunq; aduersantibus Diabolis. Hoc decretum firmum & immotum est.

Semper est futura aliqua Ecclesia.

Tenenda est igitur hæc consolatio, semper fore aliquam Dei Ecclesiam, aliâs magis, aliâs minus frequentem, aliâs magis, aliâs minus oppressam erroribus, iuxta dicta Christi Lucæ 17. Erit sicut in diebus Noæ &c. Item, Matth. 24. Propter electos abbreuiabuntur isti dies, Erunt semper aliqui electi usq; ad finem mundi, & non sunt electi, nisi in cœtu uocatorum, luxta illud Roma: 8. Quos elegit, hos & uocauit. Seruabit igitur Deus semper aliquos rectè docentes & discentes, seu multos seu paucos.

Semper sunt aliqui electi, & hi sunt in cœtu uocatorum.

Altera consolatio, Sed dicat aliquis, etiamsi mansura est electorum Ecclesia, quid hoc ad me pertinet, an & ego sum inter electos? Aut ubi illi quærendi sunt, cùm ubiq; multum sit uiciorum & dilacerationum? Hæ quæstiones ualde turbant mentes, sed firmissimè tenendæ sunt hæ sententiæ diuinitus expressè traditæ, Primùm quòd semper sint aliqui electi in hac uita, iuxta illud Matth. 24. Propter electos abbreuiabuntur isti dies. Item, Matt: 28. Ego uobiscum sum usq; ad consummationem mundi. Omnes autem electos sciamus oportere in cœtum uocatorum peruenire, luxta illud Roma: 8. Quos elegit, hos & uocauit.

Cùm uerò audimus electos tantùm in cœtu uocatorum esse, quærunt mentes

mentes talem Ecclesiam, quæ sit politia tranquillissima, honestissima, & officiosissima. Sed ex uoce diuina sciendum est, aliud esse Ecclesiam, & aliud hospitia, scilicet politias, in quibus plurimi palàm sunt hostes Euangelij & Ecclesiæ. Deinde ipsa Ecclesia uisibilis in hac uita est cœtus bonorum & malorum, ut manifestè docent dicta Christi, Matth. 13. Simile est regnum cœlorum sagenæ &c. Et in hac ipsa Epistola ad Timotheum dicitur: In magna domo sunt uasa aurea honorata, & testacea ad deformes usus facta.

Aliud est Ecclesia, & aliud sunt politiæ.

Nec propterea dubitent pij, cœtum, in quo est professio ueræ doctrinæ, esse ueram Dei Ecclesiam, etiamsi uident multos inquinatos manifestis uicijs. Hac præmonitione necesse est omnes esse confirmatos, ne faciant dissipationes, sicut Donatistæ faciebant. Sed maneamus in communi congregatione rectè docentium, etiamsi magno cum dolore cernimus negligi disciplinam, & sit inuocatio piorum eò ardentior, sicut manebant in communi congregatione Zacharias, Simeon, & similes.

Cœtus ueram doctrinã profitens est Ecclesia, etsi in eo sunt multi inquinati.

Audiuisti igitur ubi sint quærendi electi, scilicet, in cœtu uocatorum. Iam cùm disputat tua mens, an & tu sis in numero electorum, semper teneas hanc Regulam: Nos de uoluntate Dei ex uerbo ipsius iudicare oportere, cùm agis pœnitentiam, & in uera consolatione credis te recipi propter Mediatorem, certum est tunc te placere Deo, iuxta dicta Ezech. 18. Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item Roman. 5. Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Sic cùm in agone perseueras in fide, & in inuocatione, certum est te esse electum, Iuxta illa dicta, Matth. 24. Qui perseuerarit in finem, hic saluus erit. Et Apocalypsis 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et Apocal. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam &c. Et 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

De uoluntate Dei, erga se quisq; iudicare debet ex ipsius uerbo.

Hæc dicta simul ostendunt oportere in hac uita incoari sanctificationem, & certò beatos esse, qui in hac uita ad Deum conuersi sunt uera pœnitentia & fide, & in agone pœnitentiam & fidem retinent, iuxta illa dicta, Iohan. 6. Hæc est uoluntas Dei, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam æternam. Item Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut agnoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Hæc simplex consideratio uera est, & utilis pijs mentibus.

Cæterùm alibi sæpè dictum est, causam reprobationis esse peccatum in illis ipsis, quos Deus non elegit ad salutem, contrà uerò electionis causam esse nequaquam nostra merita, sed mericordiam, qua propter Filium deprecatorem & Mediatorem diuinitas recipit illos, qui fiunt membra Mediatoris, cùm tracti uoce Euangelij fide amplectuntur filium Mediatorem. Ibi non indulgeamus diffidentiæ, nec uelut Enthusiastæ expectemus uiolentos raptus, sed sentientes initia fidei, clamemus ad Deum propter Filium, ut Spiritu suo sancto nos adiuuet, sicut præceptum est, Lucæ 16. Quantò magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Causa reprobationis est peccatum in reiectis.

Impediuntur humanæ mentes, de electione in Deo cogitantes, cùm imaginantur successionem temporum. Ab hac imaginatione, cùm utcunque nos abducimus, multæ quæstiones tolluntur, ut etiam ueteres scriptores dixerunt.

Recitata hac præmonitione de electione & de Ecclesia, melius intelligi potest, cur Paulus dicat, *Si quis mundauerit se à uasis deformioribus, erit uas ad*

honorem. Hæc mundatio non est desertio congregationis, sed est conuersio ad Deum.

Electi etiam uocantur uoce Euangelij.

Dices autem, Quomodo fieri conuersio potest, si tantùm electio est causa? Respondeo, Electio sic est causa, ut Deus etiam uocare te uelit. Vult igitur te audire Euangelium, & non repugnare, non indulgere diffidentiæ, sed luctari cum infirmitate, & petere, ut Spiritu sancto adiuueris. Concurrunt enim hæ causæ, Verbum Dei, Spiritus sanctus, & uoluntas non repugnans, uerè luctans cum dubitatione, & petens ut iuuetur Spiritu sancto, sicut dictum est, Rom. 8. Spiritus opem fert infirmitati nostræ.

Hæc fiunt magis perspicua considerato hoc fundamento, quod utraque prædicatio uniuersalis est, scilicet prædicatio pœnitentiæ, & promissio gratiæ, & quod utrunque præceptum uniuersale est, uidelicet, ut omnes & singuli agamus pœnitentiam, & omnes & singuli credamus in filium Dei. Ad hoc fundamentum congruunt hæc dicta: Deus uult omnes homines saluos fieri. Item, Acto. 10. Rom. 2. Apud Deum non est acceptio personarum. Has consolationes tenere utile est ad refutandas multas quæstiones, & ad reprimendam tentationem de particularitate.

Sic ergo intelligatur Paulus hoc loco de mundatione: *Mundes te*, id est, agas pœnitentiam, agnoscas errores & delicta, & doleas, & credas Euangelio, hæc cùm fiunt, audita uoce Euangelij, simul Spiritus sanctus est efficax in uoluntate non repugnante, sed luctante cum dubitatione & petente auxilium.

Sectare Iusticiam, &c.

INtelligo Iusticiam uniuersalem, id est, obedientiam iuxta omnia præcepta Dei. Quanquam autem deinde adduntur nomina specierum, quę inclusæ sunt in uniuersali iusticia, tamen nõ est inusitatum posito toto aliquas insignes partes deinde nominatim recitare, præsertim cùm id fit singulari consilio, ut hîc uult monere Paulus, ita placere obedientiam, quando coniuncta est cum fide: ideò expressè addit nomen fidei. Iactant obedientiam & hypocritæ, ut Luc. 18. sed necesse est in Ecclesia semper in conspectu esse hanc Regulam Psalmi 143. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Sed quòd certò habeamus remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ propter Mediatorem, sola fide, non propter nostras uirtutes, sicut ille Pharisæus Lucæ 18. somniat.

Obedientia placet coniuncta cum fide.

Dilectio & pax opponuntur contentiosis.

Postea nominat dilectionem & pacem, ut opponat hoc contentiosis, qui prætextu iusticiæ mouent non necessaria certamina, de quibus dicitur, Roma. 10. Habent zelum, sed non secundum scientiam, sicut de Paschate, de fermentato olim rixæ fuerunt, & multæ nunc sunt futiliores, ut de dormitione animarum, & an Noë mures induxerit in Arcam. Et ex sequentibus apparet, nomina dilectionis & pacis hîc expressa esse, ut maiore cura retineatur in Ecclesia concordia, Quia mox addit insignes admonitiones, quæ continent multa illustria uerba. Manifestum est autem necessariam esse uirtutem, dilectionem & studium retinendæ concordiæ. hæc autem retineri non potest, nisi infirmitates aliquas in alijs placidè toleremus, & omittamus rixas de aliquibus non necessarijs quæstionibus.

PROPO-

PROPOSITIONES

COMPLECTENTES PRÆCIPVOS ARTICVLOS doctrinæ cœlestis, traditæ in schola Vuitebergensi, à D. Philippo Melanthone, vt essent materia disputationum contra præstigias Pontificias & multas recentes.

I.

MVLTA sunt illustria testimonia in natura, quæ ostendunt esse Deum, & qualis sit, de quibus & Roma.1. dicitur, Vt ordo corporum mundi, & motuum cœlestium, conseruatio specierum, & in homine noticiæ discernentes honesta & turpia, & uindex conscientia: sed mens Christiana aspiciat patefactiones Dei, factas in eductione populi Israël ex Aegypto, in resuscitatione mortuorum, & in alijs miraculis, & in tota historia Domini nostri Iesu Christi. Habet & pia mens non ignara pœnitentiæ in suis consolationibus certa testimonia de Deo, Sicut Paulus inquit, Roma.8. Ipse Spiritus testatur spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Et 2.Corinth.1. Dedit arrabonem spiritum in corda nostra. Et rectè dictum est ab Augustino: Credens scit se credere.

Mens Christiana non tantũ testimonia naturæ, sed patefactiones diuinas aspiciat.

II.

Ago igitur gratias Deo, quòd se patefecit generi humano illustribus testimonijs, & uult agnosci Filium Mediatorem, & uera fide amplector totam doctrinam in Prophetarum & Apostolorum libris traditam, & comprehensam in Symbolo Apostolico, Niceno & Athanasiano.

III.

Et iuxta hanc doctrinam credo esse aliquam ueram Dei Ecclesiam, quæ est cœtus uisibilis amplectens Euangelium, in quo cœtu filius Dei mediator est efficax per ministerium, & multos regenerat spiritu sancto, ut sint æterna ipsius hæreditas. Simul autem multi sunt in hoc uisibili cœtu non sancti, qui tamen professione doctrinæ cum sanctis consentiunt.

Est aliqua uera Ecclesia & est uisibilis.

IIII.

Non ludo præstigijs interpretationum, nec misceo religiones in unum chaos, sed in hac sola Ecclesia Domini nostri Iesu Christi adfirmo donari hominibus remissionem peccatorum, iusticiam, & salutem æternam: & sententiam in singulis doctrinæ membris fideliter retineo, qua in Catholica Ecclesia Dei intelliguntur, & damno omnes furores damnatos iudicijs Catholicæ Ecclesiæ Dei, uidelicet, Ethnicos, Epicureos, Stoicos, Academicos & similes, Item Iudaicos, Mahometicos, Ebioneos, Manichæos, Arianos, πνευματομαχικοὺς, Pelagianos, Nouatianos, Donatisticos, & magiam, & cultus idolorum, Ethnicos, & recentes Papæ & Monachorum. Et Deo gratias ago, quòd me ex his tenebris eduxit, & in suam Ecclesiam collocauit. Ac profiteor me esse membrum Ecclesiæ Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & inuoco Deum cum tota Ecclesia rectè sentiente, quam non fingo ideam Platonicam, sed dico cœtum uisibilem esse, in quo sonat uox Euangelij incorrupta, cuius cœtus membrum est hæc ipsa Ecclesia harum regionũ, in quibus uiuo, etsi in hac quoq; magna est infirmitas.

In sola Ecclesia Dei donatur hominibus remissio peccatorum.

V.

Homo conditus est à Deo sine peccato, & in creatione ornatus est illustri noticia Dei, & rectitudine uoluntatis & cordis, congruente cum sapientia & uoluntate

Homo conditus sine peccato cum certis donis.

uoluntate Dei, & libertate uoluntatis non impedita, fuitq; templum Dei, placens Deo.

VI.

Imago Dei cur dicatur homo.

Propter hæc dona dici eum Imaginem Dei Paulus quoq; testatur Ephes. 4. Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate uera. Gene. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ergo fit mentio de ea Imagine, quæ congruit ad singulas personas, quæ est mentis, uoluntatis, sapientiæ & iusticiæ similitudo, nec tamen mihi displicet dici, totum Adam creatum esse ad archetypum filium Dei, qui est substantialis imago æterni Patris, & erat assumturus humanam naturam.

VII.

Adam & Heua peccarunt sua uoluntate decepti à Diabolo.

Adam & Heua lapsi, ut recitat narratio in Genesi, peccauerunt abusi sua libertate, non coacti necessitate, nec Deus fuit causa eius lapsus, sed peccatum à Diabolo, & ab illis ipsis hominibus ortum est. Sicut Paulus inquit Roman. 5. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, id est, in genus humanum. Et 2. Corinth. 11. Serpens Euam decepit sua astutia. Et execramur Stoicos & Manichæos furores de necessitate.

VIII.

Spiritus intelligentes creati sunt sine peccato, sed diaboli libera uoluntate peccarunt.

De spiritibus etiam dicimus, à Deo omnes spiritus intelligentes creatos esse sine peccato. Sed hos, qui nominantur Diaboli, suæ uoluntatis libertate peccasse, non coactos necessitate, nec Deus fuit causa eius lapsus, sed ab ipsis Diabolis ortum est eorum peccatum, ut expressè affirmat Dominus, Iohan. 8. Cùm mendacium loquitur, ex propriis loquitur, & est mendacij pater. Et in Epistola Iudæ, Angelos qui non retinuerunt originem suam, & reliquerunt domicilium proprium. Et Psal. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es.

IX.

Lapsum primorum parentum quæ mala sint sequuta.

Primi parentes lapsi rei fuerunt æternæ iræ, & amiserunt lucem & rectitudinem uoluntatis & cordis, & desierunt esse templum Dei, & propter ipsorum lapsum tota posteritas nascens ex commixtione maris & fœminæ adfert peccatum originis, ut appellatione usitata utamur.

X.

Peccatum originale.

Peccatum originale est carere iusticia originali, id est, luce in mente & rectitudine uoluntatis & cordis, & gubernatione diuina in nobis, propter quam deprauationem, quæ secuta est lapsum primorum parentum, & propter eorum lapsum nascentes rei sunt iræ æternæ, nisi fiat remissio propter filium Dei, de qua postea dicetur.

XI.

Pelagianorum & Anabaptistarum errores damnantur.

Damnamus Pelagianos & Anabaptistas, & similes, qui prorsus negant ullum esse peccatum originis, & fingunt naturam hominis esse integram, & posse legi Dei satisfacere, & fieri iustam lege. Damnamus & Monachos, qui etiamsi retinent nomen peccati originis, tamen postea dicunt, hanc naturam hominum posse legi Dei satisfacere, & lege iustam esse. Fingunt item lege non damnari peccatum originis, quia lex loquatur tantùm de actionibus, non de iusticia uel iniusticia originali. Sed hæc deliramenta manifestè refutantur dicto Pauli Rom. 7. cùm citat ex Decalogo, Non concupisces, & adfirmat ibi damnari hoc malum, quod nunc nominamus originale peccatum.

XII.

Volun-

Voluntatem & iudicium Dei ex uerbo ipsius cognoscimus, ideo cum quæritur quid sit peccatum, inspiciatur uerbum Dei, sicut & Paulus deducit nos ad uerbum, inquiens, Rom. 3. Per Legem agnitio peccati. Et Iohannes inquit, 1. Iohan. 3. Peccatum est quiddam pugnans cum Lege Dei. Et Dominus inquit Iohan. 3, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me. *Peccatũ quid sit discitur ex uerbo Dei.*

XIII.

Verum est, peccatum esse quiddam discrepans â sapientia, & uoluntate Dei, sed hæc ipsa sapientia & uoluntas Dei in uerbo expressa est. Ideò cum de illa deprauatione in nobis dicitur, fiat collatio ad uerbum Dei. Non est in homine non renato assensio firma de iudicio Dei, non est agnitio filij Dei, non sunt timor & dilectio Dei, nec obedientia congruens ad cætera præcepta Decalogi. Hæc collatio rectè facta, ostendit quale & quantum malum sit peccatum originis, de quo dicit Paulus Rom. 8. Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, & simul monet quãta lux & quantum decus fuisset humanę naturæ, si retinuisset integritatem, & quantus lapsus fuerit abijcere hæc bona pro se & pro tota posteritate. *Sapientia & uoluntas Dei in uerbo est expressa.*

XIIII.

Lex Dei est sapientia æterna & immutabilis in Deo, reuelata in doctrina Legis, præcipiens quales nos esse, & quæ facere, & quæ omittere oporteat, seu postulans congruentiam cum sapientia & uoluntate Dei, quæ in uerbo expressa est, & promittens bona obedientibus, & damnans omnes, qui non habent hanc congruentiam, quæ est perfecta obedientia. *Lex Dei.*

XV.

Etsi Lex erat noticia naturæ addita in creatione, & post lapsum manserit in natura hominis, tamen quia propter deprauationem caligo magna est in mentibus, ideò Deus eam & uoce sua promulgauit, ut extet testimonium arguens peccatum, & postea docens iustos quales cultus approbet. *Deus legem post lapsum sua uoce repetiuit.*

XVI.

In hac deprauata natura sine regeneratione manet in homine aliquo modo noticia Legis, sicut insunt humanę menti noticiæ numerorum, & aliæ quædam Physicæ noticiæ. Manet etiam hæc pars libertatis, quod mens & uoluntas possunt imperare locomotiuæ, ut externa membra uel moueat, uel coerceat, Vt Achilles quanquam iratus, tamen ratione commonefactus potest imperare manibus, ne stringant gladium, & pedibus, ut ab Agamemnone discedant. Hanc partem libertatis uoluit Deus in homine reliquam esse. Primùm, ut intelligatur discrimen inter agens liberum & non liberum. Deinde, ut scia-mus ipsum Deum esse agens liberrimum. Tertiò, ut nos regamur disciplina. Quartò, ut consideremus magnitudinem deprauationis in nobis, cùm intelligimus libertatem esse mutilam, & cor non obedire Legi Dei, & externam disciplinæ gubernationem difficilem esse. Hæc ut aliquo modo aspiciantur, nota sit puerilis doctrina de potentijs animæ. *In deprauata natura manet aliqua noticia legis & pars libertatis.*

XVII.

Seuerissimè præcipit Deus externam disciplinam, & punit uiolationem atrocibus pœnis in hac uita, & pœnis æternis, si non fiat conuersio. Ac nota sint dicta etiam de præsentibus pœnis, ut de cultu idolorum, blasphemia, magia, dicitur Exod. 20. Puniam in tertiam & quartam generationem. Item, *Deus requirit externam disciplinam & uiolationem punit.*

Leuit. 20. Ponam faciem meam contra eos, ut interficiam eos de medio populi. De homicidijs Matth. 28. Qui gladium acceperit, gladio peribit. De furtis Esaiæ 33. Væh qui spolias, quia spoliaberis. De incestis Leuit. 18. Cauete ne & uos similiter euomat, cum similia facietis, sicut euomuit gentem quæ fuit ante uos. Et quia in toto genere humano multipliciter & atrociter uiolatur disciplina, ideo cumulantur pœnæ, fiunt magnę gentium dissipationes & uastationes, Sicut Esaias inquit, cap. 64. Iniquitates nostræ sicut uenti dissipauerunt nos.

XVIII.

Non renati aliquomodo faciunt externã disciplinam, quæ præstanda est propter quatuor causas.

Etiam non renati, possunt aliquo modo externa Legis opera facere, & sciantur causæ quatuorcur, hæc disciplina sit præstanda.

Primùm quia Deus eam præcepit, cui simpliciter omnes creaturæ debent obedientiam. Secundò, ut uitentur pœnæ. Tertiò propter aliorum tranquillitatem. Quartò, quia est multiplex pædagogia & commonefactio, & perseuerans in delictis contra conscientiam, non est conuersus ad Deum, iuxta illud 1. Timot. 1. Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.

XIX.

Dissensio rationis & Euangelij de disciplina.

Sed hîc magna dissensio est rationis & Euangelij. Ratio admiratur disciplinam, quia est magnum decus, ut uerè dictum est: Nec Hesperus nec Lucifer formosior est iusticia: ac somniat eam Legi Dei satisfacere, placare iram Dei, mereri remissionẽ peccatorum, & uitam ęternam. Et hac opinione in Israël cumulabant multi sacrificia, & semper fuit, est, & erit hæc persuasio plurimorum hominum, homines esse iustos hac disciplina coram Deo: Sed omnibus temporibus uox ministerij Euangelici, quam sonabant Patres, Prophetæ, filius Dei, Apostoli, & deinde aliqui rectè docentes, taxauit & taxat Pharisaicas, Pelagianas, Philosophicas, & Papisticas persuasiones de Lege, & expressè adfirmat, in omnibus hominibus, propter filium Dei, horrendam esse discrepantiam ad Legem Dei, propter quam discrepantiam rei sunt, de qua Paulus inquit, Rom. 8. Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, nec potest Legi Dei subijci. Et Ieremias inquit cap. 17. Peruersum est cor hominis & ærumnosum, id est, auersum à Deo, & uariè ruens, & fugiens Deum tristi fremitu sine consolatione & fide.

XX.

Nemo hominum præter Christum, legi Dei satisfacit.

Inquit igitur Paulus, Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Est igitur peccatum in omnibus hominibus præter Christum in hac uita, nec possunt homines satisfacere Legi Dei, nec disciplina aut ulla nostra opera merentur remissionem peccatorum, nec Lege homines iusti sunt coram Deo. Sed Lex ostendens peccatum, est ministerium mortis, ut Paulus inquit, Roman. 7. Lex iram efficit &c. Manifestum est igitur nequaquam in homine talem libertatem uoluntatis reliquam esse, ut possit tollere peccatum & mortem, seu efficere interiorem obedientiam, quam Lex Dei postulat. Et doleamus nos non satis intelligere deprauationem & immunditiem in cordibus nostris.

XXI.

Ne totum genus humanum periret, decretum factũ est de mittendo filio.

Quia uerò Deus immensa misericordia deprecante pro nobis filio suo unigenito, non uoluit totum genus humanum perire, decretum factum est, ut per filium satisfieret iusticiæ diuinæ, & redimeretur genus humanum, & promissio edita est, quæ est uox Euangelij, comprehensa in his uerbis Iohan. 3. Sic Deus

Deus dilexit Mundum,ut Filium ſuum unigenitum dederit,ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam.

XXII.

Hæc promiſsio & uox Euangelij ſapienter diſcernenda eſt â Lege,& ſemper in conſpectu ſit omnium diſcrimen Legis & Euangelij. Etſi enim ſuæ quædam ſunt promiſsiones additæ Legi, Tamen alia eſt promiſsio Euangelij propria,qua propter Filium Dei gratis,non propter Legem aut merita noſtra datur uita æterna. *Promiſsio Euangelij diligẽter diſcernenda eſt à Lege.*

XXIII.

Eſt igitur Euangelium prædicatio pœnitentiæ, & promiſsionis, in qua propter filium Dei, GRATIS, non propter ulla noſtra merita donantur credentibus in Filium, remiſsio peccatorum, imputatio iuſticiæ, Spiritus ſanctus, per quem Filius Dei uerè eſt efficax in credentibus, & hæreditas æternæ iuſticiæ & uitæ. *Euangelium.*

XXIIII.

Vna eſt Lex moralis æterna, quæ eſt æterna ſapientia & uoluntas in Deo, cuius ſuæ ſapientiæ radios Deus in creaturas rationales transfudit, & quam ſapientiam Deus expreſsit in Decalogo,& eius declarationibus ſæpè repetitis in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis: Eſt autem iudicium Dei aduerſus peccatum omnibus temporibus, Et uox diuina teſtificans,qui cultus Deo placeant. Forenſes Leges Moyſi & Ceremoniales,traditæ fuerunt ad certum tempus,ſicut Deus ſingulari beneficio uoluit politiam Moſaicam certo tempore ſedem eſſe ſuæ doctrinæ & Eccleſiæ,ut eſſet certa natio, in qua extarent teſtimonia de patefactionibus diuinis, & ubi naſceretur, conſpiceretur, audiretur promiſſus Redemtor, & ubi extarent teſtimonia paſsionis & reſurrectionis eius. Nam propter hos fines politia illa conſtituta fuit. *Vna Lex moralis æterna, quæ eſt iudicium Dei aduerſus peccatum.*

XXV.

Vnicus eſt Filius Dei, deprecator pro nobis & Mediator,Redemtor humani generis, & ſaluator, quem norant Patres edita promiſsione, & qui affuit Patribus & Eccleſiæ omnibus temporibus,ſicut ipſe inquit,Iohan.5. Pater meus uſq; modò operatur, & ego operor, quæ ille facit,& filius ſimiliter facit. Huius filij fiducia omnes agentes pœnitentiam, & uerè credentes in eum ab initiò Eccleſiæ uſque ad finem acceperunt, accipiunt & accipient remiſsionem peccatorum,imputationem iuſticiæ,Spiritum ſanctum,ęternam iuſticiam & uitam, non propter Legem. Ideo Iohannes inquit,Iohan.1.capite,De plenitudine eius omnes accepimus. Eſt igitur omnium Euangelium omnium temporum, prædicatio pœnitentiæ, & uox promiſsionum. *Vnicus filius Dei deprecator et redemtor.*

XXVI.

Beneficia ſumma, quæ filius Dei meruit & dat hominibus,ſunt rèmiſsio peccatorum,imputatio iuſticiæ, donatio Spiritus ſancti,per quem eſt efficax in credentibus,& donatio æternæ iuſticię & uitæ. Hæc bona comprehendit Paulus, inquiens, Roma.5. Gratia Dei & donum per gratiam unius hominis Ieſu Chriſti,exuberat in multos. Gratia ſignificat gratuitam remiſsionem peccatorum propter filium, & reconciliationem gratuitam, ſeu imputationem iuſticiæ. Donum ſignificat totum reliquum beneficium, ſcilicet nouitatem incoatam Deo efficiente,& conſummandam in uita æterna. Ideo poſtea dicit, Gratia regnat per iuſticiam in uitam æternam per Ieſum Chriſtum. *Beneficia quæ meruit filius Dei.*

XXVII.

Dari remissionem peccatorũ gratis propter Filiũ Dei sola fide, propositio explicata & certa.

Nulla ambiguitas est in hac propositione: Propter filium Dei habemus remissionem peccatorum, fide gratis, seu sola fide, id est, fiducia acquiescente in Mediatore. Nec potest negari, dari nobis remissionem peccatorum propter meritum Christi, cùm ipse dicat Matth. 20. Filius hominis uenit dare animam suam λύτρον pro multis. Et 1. Iohan. 1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Et Hebræ. 9. Sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purificat conscientiam uestram. Idq; significarunt sacrificia Veteris Testamenti. Et Esaias inquit capite 53. Ponet animam suam hostiam pro peccato. Hæc dicta adfirmant nobis propter meritum Christi donari remissionem peccatorum, quod quidem est æquiualens precium, quia est filij meritum, qui est essentialiter iustus, Sicut hîc inquit Epistola ad Hebræos, Qui sese per spiritum æternum obtulit. Hic filius ingreditur in Sanctum Sanctorum, uidet arcanum consilium æterni Patris, & sese subijcit Patri.

XXVIII.

Vocabulum fidei.

Vocabulum fidei significat fiduciam misericordiæ acquiescentem in filio Dei Mediatore, Quem constituit Pater propiciatorem. Complectitur autem hæc fides omnes articulos Symboli, & refert cæteros ad hos, Credo remissionem peccatorum, Credo uitam æternam. Nec significat fides tantùm noticiam, qualis est in Diabolis. Necesse est enim discerni hanc Propositionem, Dæmones credunt & contremiscunt, ab illa fide, quæ pacem efficit, sicut dicitur, Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus.

XXIX.

Quomodo fide efficiantur tranquillæ cõscientiæ.

Cùm homo in ueris pauoribus accipit fide propter filium Dei remissionem peccatorum, simul certo hæc fiunt: Homo liberatur ex morte æterna per filium Dei, & sentit consolationem accepto Spiritu sancto, & persona iam est reconciliata Deo, est in gratia, id est, accepta Deo ad uitam æternam propter filium, & hæres uitæ æternæ. Hæc omnia coniungit Paulus, loquens de remissione peccatorum. Nec dicimus hæc ociosa speculatione fieri, nec securitatem confirmamus in his, qui non agunt pœnitentiam, sed simul doctrinam de pœnitentia seu conuersione rectè proponimus, & dicimus, oportere in hominibus ueros pauores esse, sicut scriptum est: Ad quem respiciam, ad contritum spiritu, & trementem sermones meos. Et addimus consolationem in uoce Euangelij propositam, qua cum eriguntur corda fide, uerè regenerantur homines, & fiunt domicilium Spiritus sancti, iuxta dictum Galat. 4. Misit Deus spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem: Abba pater. Et simul Pater & Filius spirant Spiritum sanctum in corda nostra, iuxta dictum, Iohan. 14. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus &c.

XXX.

In renatis manent reliquiæ peccati.

Quanquam autem renati sunt domicilium Dei, tamen semper in hac uita mortali in hominibus, manent tristissimę reliquiæ peccati, multiplex caligo, & dubitatio, carnalis securitas, admiratio sui, frigus in dilectione Dei, & magnæ sordes cupiditatum errantium, & omissiones & errata. Ideo semper indigent Sancti remissione peccatorum, sicut in Psalmis dicitur, Psalmo 32. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus. Item Psalm. 143. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item Iob 9. Non iustificatur homo coram Deo &c.

Semper

Semper igitur fides accipiat remissionem propter Mediatorem, & quidem propter meritum eius. Hæc ita manifesta sunt, ut non dubitem, omnes ueritatem & consolationem quærentes assentiri.

XXXI.

Cùm Petrus in Actis dicit, cap. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum: Non hoc uult, homines tantùm habere remissionem peccatorum, postea proprijs uirtutibus iustos esse, Sed una forma loquendi complectitur remissionem peccatorum, id est, mali hærentis in natura, & malarum actionum præteritarum, & personæ totius acceptationem, cum qua semper fit donatio Spiritus sancti, & incoatio nouitatis in nobis, quæ postea erit integra in uita æterna. Sic Paulus loquitur, cùm nominat reconciliationem Rom. 5. Item cùm nominat gratiam, Non estis sub Lege, sed sub gratia, Roma. 6. complectitur haud dubiè remissionem peccatorum & acceptationem totius personæ propter propiciatorem. Est enim umbraculum filius Dei, nõ solùm ut propter eum detur remissio, sed ut tota persona propter eum accepta sit, tecta imputatione iusticiæ ipsius, ut postea dicemus. Ideo & Rom. 5. dicitur, Per illius obedientiam iusti constituentur multi.

Vocabula remissionis peccatorum et reconciliationis perspicuè à Paulo coniunguntur.

XXXII.

Nihil ambiguitatis est in uocabulis remissionis peccatorum & reconciliationis, Sed de uocabulo iusticiæ & iustificationis mouentur certamina. Qui sic loquuntur, Iustificari significat ex iniusto iustum fieri, id est, ex non habente obedientiam Legis, fieri habentem obedientiam, Et non simul complectuntur remissionem peccatorum & reconciliationem, id est, acceptationem personæ, Non rectè loquuntur. Quia certissimum est, Paulum non loqui tantùm de mutatione qualitatum in nobis, cùm inquit Roma. 3. Iustificamur Gratis ipsius gratia per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius. Hîc cùm Paulus usus sit uerbo Iustificamur, Et dicat, nos iustificari fide per sanguinem Christi, certè intelligit simul remissionem peccatorum, pro quibus sanguis effusus est, Et reconciliationem, cum qua uerum est coniunctam in nobis esse renouationem, quam efficit hic ipse Christus, Deus & Homo, dans Spiritum sanctum in corda nostra. Sed tamen primùm hæc consolatio quæritur, unde certò habeas remissionem peccatorum. Omittamus præstigias Sophismatum, & reuerenter teneamus hoc decretum diuinum, hîc in Paulo expressum, & satis ab ipso declaratum, Nam hoc uult Paulus, propter alium homines habere remissionem, Postea uerò nos esse iustos propter propiciatorem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, Deum & semen mulieris.

Diuersa significata uocabulorum iusticiæ, & iustificationis.

XXXIII.

Vsitata phrasis est Iohan. 14. & 11. Ego sum Vita, Via, Veritas, Resurrectio, & tamen discerni oportet uitam essentialem in Christo à uita creata in renatis. Rectè igitur dicitur, hanc phrasin effectiuè intelligi, Ego sum uita, id est, efficiens uitam. Via, id est, ducens & regens. Veritas, id est, efficiens ueraces, lumen accendens in mente & corde, quo agnoscitur & diligitur Deus. Resurrectio, id est, resuscitans alios qui crediderunt Euangelio.

Vita, uia, ueritas &c. effectiuè intelligenda sunt.

XXXIIII.

Ita ne-

Discerni oportet iusticiam essentialem in filio à iustitia nobis communicata.

Ita necesse est discerni iusticiam essentialem, quæ est in Filio, à iusticia nobis communicata per imputationem & effectionem, ut cùm dicitur 1. Corint. 1. Christus factus est nobis sapientia à Deo, iusticia, & sanctificatio, & redemtio. Hæc oratio non hoc dicit, nos esse sapientes sapientia essentiali Christi, non luce communicata, aut sanctos non communicata sanctitate, cùm alibi dicat, 2. Corinth. 3. Transformamur in eandem imaginem.

De redemtione manifestum est, dici de merito seu de obedientia filij Dei, quæ fuit precium pro nobis. Ita cùm dicitur, Christus est iusticia nostra, non hoc dicitur, Nos esse iustos, quia filius sit ab æterno iustus: Sed quia nobis imputatur eius meritum ad remissionem peccatorum, & ad reconciliationem, & quia efficit in nobis nouitatem, quæ postea erit consummata iusticia in uita æterna.

Sic loqui Scripturam de merito Christi, & de effectione manifestissimum est, iuxta illa dicta Iohan. 1. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, uidelicet, sustinens iram in ipsum effusam, & auferens remittendo & efficiendo nouitatem. Item Gen. 3. Semen mulieris conculcabit caput serpentis, id est, hic filius uirginis tollet peccatum & mortem, & reddet iusticiam & uitam æternam, Et fides, qua iustificamur, hunc ipsum filium intuetur assiduè pro nobis deprecantem.

XXXV.

Remissio peccatorum comprehenditur in uocabulo iustificationis.

Comprehendi remissionem peccatorum in uocabulo iustificationis etiam ex illo dicto Pauli Roma. 4. manifestum est, ubi Paulus expressè inquit, sicut & Dauid inquit, Beatitudinem esse hominis, cui Deus imputat iusticiam sine operibus, Beati quorum tecta sunt peccata. Ibi etiam nominat imputationem iusticiæ, ut ostendat non solùm remitti peccata, Sed etiam recipi personam propter alienam iusticiam imputatam, scilicet Mediatoris, Dei & hominis, ut postea dicetur, Per unius hominis obedientiam iusti constituentur multi, Roma. 5. Non quæramus sophismata in uerbo imputationis, Necesse est intelligi receptionem personæ propter alienam iusticiam Mediatoris: & tamen hæc omnia uera sunt, simul efficere filium Dei nouitatem per Spiritum sanctum.

XXXVI.

Fides facit discrimen inter Dauid et Saulem.

Sed obijcitur hîc, Oportet esse discrimen inter Saulem & Dauidem, oportet aliquid esse in Dauide, propter quod pronuncietur iustus, alioqui Deus esset iniustus? Respondeo. Fides facit discrimen, & ipse Mediator fide apprehensus, dignitas propria non facit discrimen. Dauid in uero agone tristi sensu peccati & iræ Dei premitur, sicut inquit: Tibi tantùm sum peccator, & malum coram te feci, ut tu iustificeris, & uincas cùm iudicaris, Psal. 51.

XXXVII.

Ecclesia etsi sit templũ Dei tamen tantùm placet propter Filium.

Agnoscamus immensum Dei beneficium, & summa reuerentia Deo gratias agamus, quòd Ecclesiam sic discernit ab alijs creaturis, ut propriè faciat eam sibi templum & domicilium, & habitet in singulis sanctis, Tamen semper præluceat hæc consolatio, quòd propter filium Dei, Deum & Hominem, habeas remissionem peccatorum, & persona reputetur iusta, fide, non propter proprias uirtutes, quia simul retinenda est sententia, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, scilicet propris qualitatibus seu operibus. Hanc ueram consolationem retinere necesse est, quæ quidem opponenda est ijs, qui dicunt,

Personam

Personam non esse iustam propter Semen mulieris, cùm necesse sit semper agnosci filium Dei, Deum & Hominem propiciatorem & deprecatorem pro nobis.

XXXVIII.

Iusticia more legis loquendo.

Nunc ad uocabuli enarrationem redeo. Legis more loquendo, uocabulum iusticiæ significat congruentiam ad totam Legem, & ita intelligitur in his dictis, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Rom. 3. Non est iustus, ne unus quidem, id est, congruens ad totam Legem.

XXXIX.

Iusticia apud Paulum.

Cùm autem postea inquit Paulus, Nunc autem sine Lege iusticia Dei manifestata est, sine ulla dubitatione significatur iusticia à Deo per Messiam reddita generi humano, de qua promissiones loquuntur. Daniel perspicuè inquit cap. 11. Delebitur peccatum, & adducetur iusticia æterna. Ita hîc iusticia est remissio & deletio peccati, & econtrà reconciliatio seu imputatio iusticiæ, qua nos Deus reputat iustos propter Filium, & donatio & effectio illius iusticiæ & uitæ in nobis, quæ erit æterna. Loquitur enim Daniel de toto beneficio. Sicuti Roma: 5. Paulus, Per Christum gratia, & donum per gratiam. Nec potest uocabulum sic intelligi, iusticia Dei, id est, essentialis iusticia, quæ in Deo est, non meritum redemtoris, de quo præcipuè loquitur Euangelium, non remissio peccatorum danda propter meritum Christi.

XL.

Thomæ & Osiandri interpretationes uocabuli iustificari.

Vsitatum est hîc interpretari uerbum, iustificamur, id est, ex iniustis efficimur iusti, & id intelligunt Thomas & similes de qualitatibus in nobis, ex non obedientibus efficimur habentes obedientiam, ut si dicam, Aqua frigida fit calida. Hi cogitant conuersum iustum esse propriis qualitatibus, & nihil dicunt de remissione peccatorum & de imputatione. Deinde Osiander, ne de nostris qualitatibus loquatur, dicit, Paulus fit ex iniusto iustus, id est, habens iam in sese iusticiam Dei essentialem.

Verum significatum uocabuli iustificari apud Paulum.

Nos dicimus, ex iniusto fieri iustum, esse, ex reo & inobediente fieri habentem illam iusticiam, de qua loquuntur promissiones, & de qua dicit Paulus, Iusticia Dei in Euangelio manifestatur, quæ est remissio peccatorum, & imputata iusticia propter filium Dei, & æterna uita & iusticia tunc cùm consummabitur.

XLI.

Vocabulum Iustificatio complectitur remissionem peccatorũ & imputationem iusticiæ.

Complecti enim Paulum remissionem peccatorum & imputationem manifestum est, cùm inquit Ro. 5. Iustificati sanguine eius. Item, Per unius obedientiam iusti constituentur multi, id est, habentes remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, & incoatam nouitatem, quæ postea erit perfecta. Loquitur enim Paulus de integro beneficio.

XLII.

Perspicuè sic dici potest, Iustificari est ex iniusto iustum fieri, id est, ex reo & inobediente fieri habentem Christum, qui est iusticia nostra, sicut 1. Iohan. 5. dicitur, Qui habet Filium, habet uitam.

Christus est iusticia nostra.

Est autem Christus iusticia nostra, quia propter eius meritum, & per eum, habemus remissionem peccatorum, & imputatam iusticiam, & donationem Spiritus sancti, ut æterna uita & iusticia in nobis restituantur. Hæc omnia complexus est & Iohannes, inquiens, Qui habet Filium habet uitam, 1. Iohan. 5.

Habetur

Habetur autem fide, qua fit consolatio in ueris doloribus, cùm fides intuetur Christum passum, resuscitatum, regnantem, interpellantem pro nobis, & uiuificantem nos, sicut & ad Philippenses 3. dicitur, Vt Christum lucrifaciam, & inueniar in eo, non habens iusticiam, quæ est ex Lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, quæ est iusticia ex Deo propter fidem, ad agnoscendum eum & potentiam resurrectionis eius. Cùm ait, quæ est iusticia ex Deo, certè non intelligit essentialem in Deo, Sed hæc omnia, remissionem peccatorum, imputatam iusticiam, & incoatam æternam uitam & iusticiam, quæ postea consummabitur.

XLIII.

Dictum est de consolatione, qua fide in ueris pauoribus, id est, fiducia Filij Dei Gratis accipimus remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, donationem Spiritus sancti, & uitam æternam. Hanc consolationem esse uocem Euangelij nihil dubium est.

In uera consolatione fit regeneratio per Spiritum sanctum.

Nunc addenda est doctrina de nouitate & bonis operibus. In ipsa consolatione, in qua fit remissio peccatorum, uerè fit regeneratio, qua cor in pauoribus uiuificatur, ut Roma. 8. dicitur. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus, Abba pater. Et Galat. 3. Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Et Galat. 4. Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Ita enim tollit peccatum & mortem filius Dei, & nos regno Diaboli eripit, ut prorsus abolito peccato & deleta morte, restituat in nobis uitam æternam, iuxta illa dicta Oseæ 13. O mors ero mors tua, & ô inferne ero pestis tua. Item, 1. Iohan. 5. Qui habet filium, habet uitam. Necesse est autem in hac mortali uita incoari nouitatem, iuxta hæc dicta, 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Item, Apocal. 2. Esto fidelis usq; ad mortem.

XLIIII.

Pater et Filius spirant Spiritum sanctum in corda credentium.

Verum est, Patrem & Filium spirare Spiritum sanctum in corda credentium, in consolatione, de qua dictum est, & aliâs nominatim de Patre dicitur, aliâs de Filio, ut apud Paulum, Misit Deus spiritum filij sui, Galat. 4. Et Iohan. 14. Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit uobis. De Filio in Actis dicitur, cap. 2. Dextra Dei exaltatus promissionem sancti Spiritus accipiens à Patre effudit eum. Et Iohan. 15. coniunguntur personæ, Cùm uenerit Paracletus, quem ego mittam à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit. Ideo in Iohanne dicitur, cap. 14. Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et corda in petitione intueantur totam diuinitatem, & petant propter filium Dei Spiritum sanctum.

XLV.

Spiritus sanctus ciet in corde motus congruentes Legi Dei.

Spiritus sanctus ciet in corde motus congruentes cum Lege Dei, Ideo dicitur Ierem. 31. Dabo Legem meam in corda eorum. Et Rom. 8. Deus misit Filium in similitudine carnis, & de peccato damnauit peccatum, ut compleatur Ius Legis in nobis, id est, ut solueretur debita pœna, & nobis iusticia imputetur, & in nobis restituatur integritas, qualem Lex describit. Idem dicitur Zachar: 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Spiritus sanctus nominatur Spiritus gratiæ, quia in consolatione testificatur nos esse in gratia, cùm eluctantes ex pauoribus, acquiescimus in Deo per Mediatorem, sicut Paulus inquit Roman. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo cla-

quo clamamus: Abba pater. Spiritus precum nominatur, quia agnita miseri-cordia in Mediatore proposita, excitat corda ad inuocationem, & sic simul subijciunt se corda Deo.

XLVI.

Etsi hæc obedientia uoluntaria est, tamen hæ propositiones ueræ sunt, Noua obedientia congruens Decalogo, est debitum, sicut & Paulus loquitur, Roma. 8. Debitores sumus. Item, Noua obedientia congruens cum Decalogo est necessaria. Item, Quicquid pugnat cum Lege Dei, est peccatum, et quiddam damnatum à Deo, & non est iusticia, nec congruit cum Spiritu sancto. Quædam autem talia sunt, ut, quanquam reliqua sunt in renatis in hac uita, tamen propter Mediatorem condonentur, quia renati & retinent ueram fidem, & repugnant illis peccatis, & in talibus manet Spiritus sanctus. Alia uero peccata contristant & excutiunt Spiritum sanctum, ut cum hi qui fuerunt renati amittunt fundamentum, & ruunt contra conscientiam. Tales propter illa peccata iterum fiunt rei æternæ pœnæ. Ideo Paulus expressè dicit 1. Corinth. 6. Nolite errare, scortatores & adulteri, homicidæ, idolatræ, non possidebunt regnum Dei. Item Coloss. 3. Propter hæc uenit ira Dei super inobedientes. Et Matthæi 12. dicitur, Redire spiritus immundos in domum uacuam, quæ fuerat antea purgata. Et 2. Petri 2. Cum hi, qui effugerunt rursus contaminantur ijsdem peccatis, fiunt eis posteriora peccata deteriora prioribus.

Noua obedientia etsi est uoluntaria, tamen est necessaria et debitum.

Quæ peccata sint reliqua in sanctis, quæ excutiant Spiritum sanctū.

XLVII.

Ideo execrandi sunt Diabolici furores Anabaptistarum, qui dicunt, in renatis non esse reliquum peccatum, & sic nos à Lege liberatos esse, ut iam nihil sit Lex, sint concessa adulteria & homicidia, & alia pugnantia cum Lege. Hos Diabolicos furores, eruditè refutare discamus.

In renatis non esse peccatum reliquum, furor est dicere.

XLVIII.

Sicut sapientia & uoluntas Dei est æterna & immota, ita & Lex Moralis est æterna, quia Deus est talis, qualem se in Lege describit, Et manet ordo immotus, ut creatura Deo obtemperet. De hoc ordine dicimus cùm nominamus uocabula debiti & necessitatis. Noua obedientia est debitum. Item est Necessaria, Non quod sit coactione extorta, sed quia hic ordo immotus est, Vt creatura Deo obtemperet.

Vocabula debiti & necessitatis significant ordinem immotum, ut creatura Deo obtemperet.

XLIX.

Quanquam igitur persona recipitur propter filium Dei, & per eum tanquam Mediatorem & umbraculum tegitur: Tamen non propterea Deus peccatum reliquum approbat. Sed has reliquias etiam deleri uult in morte corporis, Reijcit etiam rursus personam ipsam non repugnantem peccato, Si actiones carnis spiritur mortificabitis, uiuetis, Roma. 8.

Deus reliquias peccati deleri uult morte corporis.

L.

Manet sapientia Dei & Lex, semper peccatum est quiddam damnatum, & corda ad Deum conuersa, sentiunt ueros dolores, quibus peccatum iudicatur. Imò Ecclesia horribilibus ærumnis subiecta est propter has reliquias, Nec uenit Redemtor, ut confirmet peccatum, sed ut prorsus destruat, restituta integra iusticia, Sicut 1. Iohan. 3. dicitur, Apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli, scilicet peccatum & mortem. Et ipse Dominus inquit Matth. 5. Non ueni soluere Legem, sed implere. Implet autem Primo sua obedientia. Deinde

Peccatum semper est quiddam damnatum.

Christus implet Legem quatuor modis.

satisfaciendo pro nobis in sustinenda pœna, quam nos debemus. Tertiò, efficiendo in nobis iusticiam, eam ipsam, de qua concionatur Lex. Quartò, sanciendo Legem, quia & approbat & illustrat eam. Damnandi sunt igitur & Monachorum & Anabaptistarum errores, utrique enim fingunt, in renatis non esse peccatum, etsi Anabaptistarum insania atrocior est, quia facta contra Legem negant esse peccata, &c.

LI.

Credentes liberati à damnatione Legis.

Interea tamen scire necesse est, doctrinam de liberatione à Lege, iuxta dictum illud, Roma. 6. Non estis sub Lege, sed sub gratia, id est, conuersi iam fiducia Mediatoris ad Deum, id est, uerè renati, non sunt damnati ut antea: placent enim propter Mediatorem, qui & Legi satisfacit pro nobis, & eam in nobis restituit, & quanquam adhuc hærent in nobis reliquiæ peccati, tamen eas tegit imputata iusticia. Ac diligenter obseruandum est, quòd nominat gratiam, & nos gratia placere adfirmat, quod significat iusticiam gratuitam, quia propter Mediatorem passum pro nobis, & iam deprecantem pro nobis, placemus, sicut & alibi gratiam nominat, inquiens Roma. 5. Quantò magis gratia Dei & donum per gratiam, propter unum hominem Iesum Christum exuberat in multos. Ac diligenter consideret Lector uocabulum gratiæ in talibus locis, ut hanc necessariam consolationem teneamus, quòd in magna infirmitate conuersi, tamen placeant propter Mediatorem, Deum & hominem.

LII.

Liberationem à Lege, illustrat integrũ beneficium.

Magis perspicuè intelligitur liberatio à Lege, quando integrum beneficium intuemur, Tunc cum resuscitati habebimus iusticiam & uitam æternam, sine peccato & sine morte, manifestè cernemus nos non accusari à peccato, & esse iustos, non lege, sed sapientia, iusticia diuinitus in nobis accensa, Sicut Paulus inquit, 2. Corinth. 3. Transformari tanquam à Domino spiritu. Sed in hac uita durantibus reliquijs peccati, hæc libertas incoata est, & interea retinenda est consolatio prorsus necessaria, quanquam in nobis multum est caliginis & sordium, sicut inquit Iohannes, 1. Iohan. 1. Si dicimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, &c. Conuersi ad Deum placeant sola fide, per gratiam, propter Mediatorem Deum & hominem, iuxta hoc dictum, Non estis sub Lege, sed sub gratia.

LIII.

Plura de liberatione à Lege, sumantur ex alijs scriptis longioribus. Nunc breuiter pertexenda sunt, quæ de renouatione dicere cœpimus, Ac plerunq; docendi causa distribuo hanc materiam in hos quinq; titulos.

Quinq; quæstiones de noua obedientia.

I. Quòd necessaria sit Noua obedientia.
II. Quomodo fieri possit in hac tanta infirmitate humanæ naturæ.
III. Quomodo placeat Deo.
IIII. De præmijs.
V. De discrimine peccatorum, quæ non sunt in renatis, & quæ maneant in eis.

Quomodo incoetur noua obedientia.

De necessitate dictum est, Et quomodo fieri possit, seu incoari noua obedientia, ostendunt etiam suprà dicta: Ideo filius Dei apparuit, ut destruat opera Diaboli, peccatum & mortem. Colligit igitur Ecclesiam uoce Euangelij, & Spiritu suo sancto accendit in nobis lucem fidei, & motus nouos in cordibus, qui

bus,qui sunt incoata obedientia, & sustentat Ecclesiam, & depellit diabolos horribiliter grassantes per se & per sua organa.

Cogitemus igitur promissiones diuinas de auxilio,Matth.11.Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis,ego reficiam uos. Item Iohan.10.Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.Item Iohan.15.Dabo uobis Paracletum, qui procedit à Patre. Item Iohan.14.Veniemus ad eum,& mansionem apud eum faciemus.Et apud Esaiam capite 7. nominatur filius Emanuel, id est,nobiscum Deus,uerè adest,exaudit,iustificat,protegit,gubernat,uiuificat,liberat ex morte & inferis,Sicut inquit,O mors,ero mors tua. Consideremus infirmitatem & pericula nostra. Sciamus Deum immensa bonitate uoluisse his malis opponere hæc sua beneficia,quæ per Filium præstat, & ei gratias agamus, & ea ardentibus uotis in quotidiana inuocatione petamus. Hanc inuocationem experiemur re ipsa non esse irritam, & in his exercitijs crescant agnitio Dei, lux fidei, spes & aliæ uirtutes,Sicut dicitur Lucæ 19.Habenti dabitur.

Hæc de possibilitate breuiter dicta sint. Alibi sæpè repetita est distinctio de libero arbitrio, hîc locomotiua aliquomodo regitur, etiam in non renatis, ut regebant externos gestus Aristides,Scipio & similes. Sed sine uoce Euangelij,& sine Spiritu sancto non fit incoatio Legis Dei in corde.

LIIII.

Quomodo placeat noua obedientia inter has sordes.

Quomodo placeat in hac tanta infirmitate hominum in hac uita, & inter has sordes noua obedientia,seu renatus? Hac quæstione anxiè excruciantur homines,ut omnes experimur,& multæ causæ sunt dubitationum, magnitudo præteritorum lapsuum,& conspectus præsentium sordium. Dauid intuetur pręteritum lapsum,deinde pœnas,in quibus accidunt tot tetra scandala,cędes,incesta contaminatio coniugum & aliæ confusiones, retro etiam considerat exempla superiora,Saulis exitum,& multorum aliorum. Hæc obiecta & alia multa concutiunt eum dubitationibus, quanquam est in eo incoata nouitas.In hac quæstione utrumq; consideretur,Primùm agnoscamus nostram immunditiem. Secundò teneamus ueram consolationem in Euangelio propositam.

Reliquum est in renatis malum pugnans, cum lege Dei.

Fatendum est in conuersis ad Deum,id est, renatis in hac uita, reliquum esse malum,quod nobiscum nascitur,pugnans cum Lege, Scilicet magnam caliginem & prauas inclinationes,& hinc oriuntur multæ flammæ uicioſorum affectuum,multi errores,multi lapsus ignorantiæ & omissionis. Hæc omnia sunt uerè peccata suo genere.Ideo dicitur in Psalmo 143.Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Moyses Exod.34.ac Iob 9.capite,Non iustificabitur coram te homo.Et Paulus Roma:3. Vt reus sit totus mundus Deo,& obstruatur omne os.Cùm igitur manifestum sit,reliquum esse peccatum in uerè conuersis in hac uita,& Deus nos id uelit uero dolore agnoscere,& ostendat consolationes,Necesse est homines de hac tanta re rectè doceri.

In conuerso fide acquiescente in Deo habitat Deus.

Hic primùm hoc planissimè affirmamus,cùm in conuersione homo accipit remissionem peccatorum fide,& sentit se acquiescere in Mediatore,tunc in homine iam habitat Deus, & uerissimum est dictum, Accepistis Spiritum adoptionis filiorum,quo clamamus Abba pater,Roma.8.Hic si quis dicit,nos tantùm loqui de imaginaria imputatione,non de regeneratione, quæ fit Deo in nobis inhabitante,palàm refutant eum testimonia omnium nostrarum Ecclesiarum.

Sed facta iam tali conuersione & regeneratione, tamen hæc quæstio manet, Quomodo placeas Deo, cum sentias tantam infirmitatem & immunditiem? Sentiunt sancti interdum aliquos nouos motus, alij minus, alij magis illustres, sed tamen multò sæpius omnes sentiunt suas trepidationes & dolores propter præsentes lapsus, & præsentem infirmitatem, & singulos in quotidiana inuocatione cogitare de hac infirmitate necesse est, cum quidem & sentiant se conflictari cum tristi dubitatione. Hîc proponitur hæc consolatio comprehensa in his uerbis, Roma. 5. Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Fide oportet statuere, placere personam propter filium Dei Mediatorem, & summum Sacerdotem, Deum & Hominem, qui pro te satisfecit, & iam pro te deprecatur, Sicut inquit Paulus, Rom. 8. Qui & pro nobis interpellat. Hæc fides est fiducia misericordiæ propter Mediatorem promissæ. Ita Prophetæ mentionem faciunt misericordiæ, Dauid clamat, Psalmo 51. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Item Psalm. 6. Domine ne in furore tuo arguas me, saluum me fac propter iusticiam tuam. Et Dan: 9. Non propter iusticias nostras, sed in misericordia tua multa exaudi nos, propter Dominum.

Sancti agnoscant propriam infirmitatem, & fide accedant ad Deum.

Sic ubiq; loquuntur Prophetæ. Docent igitur conuersos agnoscere propriam infirmitatem, & fide accedere ad Deum, & hanc fidem esse fiduciam acquiescentem in Mediatore. Hanc fidem oportet prælucere in omni inuocatione, & in omnibus actionibus.

Hanc consolationem traditam esse in Prophetis & Apostolis manifestum est, Et cum hac consolatione corda eriguntur, simul fit uiuificatio per Filium, Iuxta illud, Habac. 2. Iustus fide sua uiuet. Hanc doctrinam qui reprehendunt & dicunt, Fidem non significare fiduciam misericordiæ. Postea dicunt homines iustos esse Deo inhabitante, qui facit, ut iusta faciant. Hi quam consolationem conuersis proponunt? aut quò pertinent omnia illa dicta de misericordia, in Psalmis & alibi, si fides non significat fiduciam misericordiæ acquiescentem in Mediatore. Nec propterea dicimus, nos per creaturas, per fidem aut alias qualitates saluos fieri.

Discerni oportet causam, id est, Deum effectorem & effectus in nobis.

Certissimum est Deum ipsum esse effectorem uitæ & iustificationis, & sanctificationis: Sed tamen discerni causam & effectus, qui fiunt in nobis, oportet, sicut Paulus inquit, 2. Corinth. 3. Transformamur à Domini spiritu. Deus est efficax, ita, ut ipse fidem & uitam in nobis accendat.

Omitto autem cauillationes, & adhortor unumquemq;, ut intueatur suam infirmitatem, & cogitet, unde uera consolatio petenda sit. Consideret etiam dicta Prophetica, in quibus & confessio est nostræ infirmitatis, & mentio iusticiæ Dei, Psalmo 18. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Psal. 32. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus cui non imputat Deus peccatum. Loquitur Psalmus de conuersis seu sanctis, & continet confessionem, consolationem, & precationem. Confessio est, qua fatentur conuersi adesse adhuc peccatum, propter quod Deus iustè posset hominem damnare, Ideo postea inquit, Dixi, cõfitebor aduersum me iniusticiam meam Domino. Hæc confessio est in uero dolore & uera contritione fateri, quòd simus rei & digni pœna, & non fremere aduersus Deum in pœna, sed subijcere cor Deo, sicut apud Danielem dicitur, Daniel. 9. Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Huic confessioni additur precatio, Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Expressè nominat hunc præsen-

Psal. 32.

sentem sanctum,ut ostendat,se loqui de conuerso,qui sanctus est,id est,sanctificatur à Deo inhabitante, & tamen iam sentiens reliquias peccati, quærit remissionem & iustificationem,quærit autem fide, Nam oratio sine fide est inane murmur, & fides ipsa est fiducia misericordiæ, acquiescens in Mediatore ostenso in promissionibus.Ita hic sanctus petit remissionem, & fide statuit se placere Deo propter Mediatorem,quanquam cernit tristissimos lapsus præteritos,& præsentem infirmitatem,ideo inquit,Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino,& tu remittis impietatem peccati mei. Ac initio Psalmi summa huius consolationis recitatur, quæ est generalis doctrina, & promissio ad omnes credentes pertinens:Beati quorum remissæ sunt iniquitates,id est,omnes tales sunt,ut nõ sint beati,id est, iusti,& accepti Deo ad uitam æternam,nisi Deo remittente peccatum,uidelicet,præsentem immunditiem.Et ut promissio declaretur,addit uerba tegendi & non imputandi,significans adesse quidem peccata, sed ea tegi, id est, non imputari ad pœnam æternam,non pronunciari ut persona sit damnata.Et uerbo tegendi significatur mediator Filius Dei, qui est umbraculum, quo tegimur, quia ipse in sese deriuauit iram, pro nobis satisfecit iusticiæ Dei,& iam quoque deprecator est,& propter eum nobis parcitur,& imputatur nobis ipsius iusticia, Sicut Paulus inquit Rom. 5. Propter unius obedientiam iusti constituentur multi. Item, Iam non estis sub lege, sed sub gratia,Rom. 6. id est, non estis captiui legis, sed tegitur uestra infirmitas gratuita misericordia, remissione & reconciliatione donata propter Filium,& per eum.Item Rom. 5. Gratia exuberat supra peccatum.Item Rom. 8. Nulla nunc est condemnatio in his, qui ambulant in Christo Iesu.

Oratio sine fide est mane murmur.

Mediator filius Dei,umbraculum est quo tegimur.

Etsi igitur planissimè affirmamus, in conuerso fieri regenerationem & uiuificationem per Filium: tamen non solùm de effectione dicendum est, sed etiam de hac consolatione necessaria omnibus sanctis in conspectu suæ indignitatis,& in uero agone,ubi necesse est scire,in iustificatione semper comprehensam esse remissionem peccatorum,& hac fide,id est, fiducia acquiescente in Filio Dei,accipiendam esse, & hæc fides nititur mediatore & summo sacerdote, Deo & homine. Hæc ipsa consolatio est modus,quo fit regeneratio, Sicut in summo agone sentit homo conuersus se erigi consolatione, quando mens oppressa ingentibus doloribus,fide apprehendens mediatorem, sentiens se ex inferis & ex morte educi,& iam habere pacem apud Deum, sicut Psalmo 102.dicitur,Benedic anima mea Domino,qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui redimit de interitu uitam tuam. Quare in Psalmo 31. additur,Non est in spiritu eius dolus, id est, est confessio peccati,& uiuificatio spiritus,cùm fide accipitur remissio &c.

Consolatio in ueris pauoribus,est modus quo fit regeneratio.

LV.

Recitata consolatione necessaria omnibus in hac uita, uidelicet quòd persona placeat Deo propter Filium Dei Mediatorem & deprecatorem fide, qua apprehendi eum necesse est,& erigi corda in ueris pauoribus:postea etiam sciamus,membra nostra præbenda esse,ut Deo obediant, nec ruamus contra conscientiam. Hæc igitur incoata & quantumuis languida obedientia,tamen placet Deo propter Mediatorem,Sicut Petrus inquit,1. Pet.2. Offerte hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum.Et Roman. 14. Qui in his seruit Christo,placet Deo,& probatus est hominibus. Hebræ.13. Per ipsum offeramus sacrificium laudis acceptum Deo,hoc est,fructum labiorum confitentium

Incoata & quantumuis languida obedientia,propter Mediatorem placet.

nomini eius, beneficentiæ & communicationis, ne obliuiscamini. Et in his dictis simul comprehensa est fides, Per ipsum offerimus,id est, fide statuimus, & nos & hæc opera propter Mediatorem placere,& referimus ea ad hunc finem,ut Deo exhibeatur honos,& mouet corda nostra filius Dei, & simul coram Deo est deprecator & summus Sacerdos.

Peccatum est, quod non est ex fide, id est, ex agnitione filij Dei, & fiducia in eo acquiescente.

Huc pertinet dictum,Omne quod non ex fide est,peccatum est.Hæc uerba non tantùm νομικῶς,intelligantur,ut Monachi enarrarunt,Omne quod non est ex fide,peccatum est,id est,quod prohibitum est Lege Dei, ut adulteria, furta,usuras,dicunt non esse ex fide.Etsi autem uerum est, peccatum esse quicquid pugnat cum lege Dei,Tamen & hæc Euangelica sententia addenda est. Peccatum,est omne quod non est ex fide,id est, ex agnitione filij Dei, & fiducia statuente,quòd propter Mediatorem placeant persona & opus, ut opera Saul honesta,non sunt ex fide,id est,ipse fugit Deum,irascitur ei, & fremit aduersus Deum, non acquiescit & non lætatur in Deo, propter Mediatorem, quare nec inuocat eum.Huc adde & alia testimonia,quæ & docent,quomodo placeant bona opera renatorum,& adfirmant ea placere Deo, ut Psalmo 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Singularis honos est,nominare nostram obedientiam Sacrificia,& semper includuntur in hac appellatione & beneficia Christi.

LVI.

De discrimine peccatorum.

Discrimina peccatorũ necessaria sunt.

Necesse est discerni peccata, quæ manent in renatis in hac uita,ab illis lapsibus,per quos homo desinit esse templum & domicilium Dei, & desinit esse iustus,& fit reus pœnæ æternæ, Sicut & Paulus discernit inter peccatum regnans & non regnans,Roma.8.Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis,si secundum carnem uixeritis,moriemini.

LVII.

Homines renati labi possunt.

Certissimum est,homines qui fuerunt renati & sanctificati, posse rursus labi,& amittere iusticiam & Spiritum sanctum,Sicut Adam & Eua erant electi,& tamen in lapsu reuera auersi sunt à Deo, & facti sunt rei iræ æternæ, Sicut Paulus inquit Rom.5.Per unius inobedientiam peccatum in homines peruenit.Et Deut.9.Aduersus Aaron ualdè iratus est Dominus, ut deleret eum, sed pro eo deprecatus est Moyses. Et Matth.12.dicitur, Quando spiritus immundus redit in domum purgatam,fiunt nouissima hominis deteriora prioribus.Item 2.Pet.2.Cùm hi qui effugerunt inquinamenta mundi rursus inquinantur,fiunt eis nouissima peiora prioribus.

Delicta propter quæ renati desinunt esse iusti.

Sunt ergo aliqua delicta,per quæ hi,qui fuerant renati,desinunt esse iusti & domicilium Dei,& sunt rei æternæ pœnæ.Hæc delicta sunt amissio fundamenti,id est,siue errore,siue petulanter aliquem articulum fidei abijcere.Item, Nolle credere remissionem peccatorum.Item,Facta contra conscientiam, quia hæc meta necessaria est,Milita bonam militiam,habens fidem & bonam conscientiam.

LVIII.

Quomodo Christus nos liberauerit à Lege.

Cùm dicitur,Christus nos liberauit à Lege,id dictum nequaquam hoc uult,Legem nunc nihil esse,& non discerni recta & non recta, sicut furenter imaginantur Anabaptistæ,quia certissimum est,semper in Deo manere naturam æternam,discernentem recta & non recta,Sicut manifestè inquit Psalm.5. Non

Non Deus uolens iniquitatem tu es. Item Matth.5. Non ueni soluere Legem, sed implere. Item Rom.8. Vt ius Legis impleatur in nobis. Liberat igitur nos à Lege, soluens pœnam, & reddens nobis iusticiam, scilicet, remissione peccatorum, & reconciliatione, reuera efficiens hoc in nobis, quod Lex postulat. Ergo contraria Legi faciens, facit contraria Christo.

LIX.

Etsi igitur peccata manent in renatis in hac uita, Tamen id peccatum nequaquam approbat Deus, imò semper iudicat, & nisi filius Dei esset umbraculum, extingueremur iudicio Dei tanquam igni. Est igitur tale peccatum in renatis, scilicet, reliquiæ morbi nobiscum nascentis, & uiciosi affectus, quibus tamen repugnamus, id est, dolemus propter hanc caliginem, & immunditiem, & statuimus tegi hæc mala per Christum, pro nobis deprecantem. Sic nominat Paulus hæc mala peccatum non regnans. Sed qui non repugnant & obtemperant prauis affectibus contra conscientiam, desinunt esse domicilium Dei, & fiunt rei æternæ pœnæ, ac faciunt Christo contraria, & Spiritui sancto. Ideò dicit Iohannes, 1. Iohan.3. Qui facit iusticiam, iustus est, qui facit peccatum, ex Diabolo est. Item Galat.5. Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio &c. qui hæc agunt, non possidebunt regnum Dei. Ezech.33. Cùm recesserit iustus à iusticia sua &c. Hæc mala nominat Paulus peccatum regnans, quod alioqui nominant peccatum mortale.

Deus non approbat peccatum reliquum in sanctis, & quale illud sit.

LX.

Aliquid etiam de præmijs addam. Verissimum est dictum, Cùm feceritis omnia mandata uobis, dicite, serui inutiles sumus, Lucæ 17. Et Iacob inquit, Gene.32. Minor sum cunctis miserationibus tuis, id est, sum indignus tantis bonis, mea obedientia nequaquam est meritum, id est, æquale precium tantorum bonorum, quibus me cumulasti. Cùm autem Deus immensa misericordia propter Filium, & per eum uelit Ecclesiam in hac uita colligere. Primùm tenenda est hæc firmissima doctrina & consolatio, Gratis, propter filium Dei, & per eum dari remissionem peccatorum, & iustificationem, & hæreditatem uitæ æternæ, non propter aliquod meritum nostrum. Deinde, cùm in reconciliatis placeant bona opera, Deus discernit Ecclesiam ab impijs, addit etiam præmia bonis operibus, uidelicet, incrementa bonorum spiritualium in hac uita, & post hanc uitam, Sicut dicitur, Lucæ 19. Habenti dabitur.

Etsi remissio peccatorum datur gratis, tamen Deus etiam præmia addit bonis operibus.

Ac bona corporalia tribuit suo sapientissimo consilio, ad conseruationem Ecclesiæ. Cùm enim colligantur electi in hac uita, opus est uictu, ualetudine mediocri, hospitijs œconomicis & politicis, ut dicitur Psalm.113. Non mortui laudabunt te Domine. Imò propter Ecclesiam seruatur reliquum genus humanum, ut dicitur Matth.24. Propter electos abbreuiabuntur dies isti. Interea mirabiliter Deus Ecclesiæ quanquam exulanti, tamen aliqua hospitia attribuit, ubi sunt honesti congressus publici, ubi uox Euangelij passim sonat, ubi fit educatio et institutio. Ideò Paulus inquit 1. Timoth.4. Pietas habet promissionem præsentis & futuræ uitæ.

LXI.

Hîc utile est considerare causas, propter quas & corporalium bonorum promissiones traditæ sunt.

Cauſæ propter quas traditæ ſunt promiſſiones bonorum corporalium.

Prima cauſa.

Prima eſt,ut doceamur de prouidentia & de fide, Ne ſtatuamus hæc bona caſu ſpargi,aut tantùm humana induſtria acquiri, Sed uerè etiam conſilio Dei diſtribui,iuxta hæc dicta Deut.30. Ipſe eſt uita tua, & longitudo dierum tuorum.Pſalmo 126.Niſi Dominus ædificauerit domum. Pſalmo 103.Omnia à te expectant,et tu das eis eſcam ipſorum in tempore oportuno,dante te eſcam colligent.Pſalmo 144.Oculi omnium in te ſperant Domine. Prouerb.3. Egeſtas à Domino in domo impij,habitacula iuſtorum benedicentur. Prouer.10. Benedictio Domini diuites facit.

Poſtremò in precatione dominica à Deo petimus panem quotidianum, ut & hæc bona uerè & liberrimè à Deo dari agnoſcamus. Hæc & ſimilia teſtimonia nobis ſæpè proponamus,ut nos conſolemur,& repugnemus Stoicis furoribus,qui non leuiter lædunt mentes.

Secunda cauſa.

Secunda cauſa eſt,Cùm Deus Eccleſiam ſuam in hac mortali uita, & colligat & ſeruet,addit promiſsiones,ut ſciamus non interituram eſſe Eccleſiam in tantis difficultatibus, iuxta hæc dicta, Matth.6. Primum quærite regnum Dei,& cætera &c.Item,Scit Pater ueſter cœleſtis uos indigere iſtis.Hîc autem ualdè utile eſt,ſæpè cogitare dicta de Eccleſia,quæ adfirmant, ſemper manſuram eſſe Eccleſiam , etiam in hac mortali uita,& docent,quæ,& ubi ſit Eccleſia in tanta multitudine contumacium, & inter tantos furores Diabolorum turbantium genus humanum, bellis, diſsidijs, & alijs modis. Sæpè dubitant etiam,an adhuc uſquam ſit Eccleſia Dei,aut quærunt quæ & ubi ſit.

Hîc ſint mentes bene munitæ teſtimonijs, Matthæi ult: Ecce ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationē ſeculi.Matth.24.Duo erunt in tecto,unus aſſumetur,& unus relinquetur. Et Eſaiæ 59.Hoc eſt fœdus meum cum eis,dicit Dominus,Spiritus meus,qui eſt in te,& uerba mea,quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo,& ab ore ſeminis tui &c. Vbi autem ſit, docent hæc dicta Iohan.10.Oues meæ uocem meam audiunt. Item,Iohan.10. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.1.Corinth.3.Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt.Roma.1.Euangelium eſt potentia Dei,ad ſalutem omni credenti, &c.

Tertia cauſa.

Tertia cauſa eſt, Vult Deus exerceri inuocationem & fidem petitione bonorum corporalium,iuxta hæc dicta, Pſalmo.50.Inuoca me in die tribulationis.Item.Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Quarta cauſa.

Quarta cauſa, Vult Deus in petitione corporalium ſimul exerceri fidem, qua accipimus gratiam,per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.Nam in omni petitione fidem prælucere oportet,iuxta hoc dictum: Iuſtificati fide pacem habemus,& acceſſum ad Deum. Et ſciendum eſt,omnes promiſsiones corporales propter æternam traditas eſſe,& propter Mediatorem ratas eſſe. Valet igitur petitio corporalium,nominato Mediatore,& fiducia ipſius,iuxta dictum Iohan.16.Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hæc doctrina de promiſsionibus & præmijs corporalibus, ualdè utilis eſt, & ſæpè cogitanda,ut in his tantis miſerijs uitæ exerceamus fidem, & petamus mitigationem,ſicut omnium ſanctorum exempla oſtendunt,Mulieris Cananææ,Danielis,& ſimilium &c.

LXII.

Neceſſaria cōſideratio eſt,agnoſcere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſecundum naturam humanam & diuinam, redemtorem eſſe merito ſuo,& eſſe

esse secundum diuinam & humanam naturam iustificatorem merito & communicatione sui,& summum Sacerdotem: Hæc considerandæ sunt, ut Filio Dei debitus honos tribuatur,et nos teneamus ueram & firmam cõsolationem.

Christus redemtor & mediator, secundum utramq; naturam & quomodo.

LXIII.

Pro uocabulo meriti,uox diuina utitur his uocabulis multò plenioribus, λυτρον,ἀντίλυτρον,& ἀπολύτρωσις, ut Matthæi 20. Venit Filius hominis,dare animam suam λυτρον pro multis. Et 1. Timoth.2.Qui dedit sese ἀντίλυτρον pro omnibus. Et Roma.3.Per redemtionem quæ est in Christo Iesu. Significat enim redemtio talem liberationem,quæ fit aliqua compensatione,seu precio, seu merito. Voluit enim Deus iusticiæ suæ hoc modo satisfieri, ut pœna deriuaretur in aliquem,qui esset æquiualens precium.

λυτρον. ἀντίλυτρον. ἀπολύτρωσις.

LXIIII.

Est igitur Dominus noster Iesus Christus redemtor, Quia tota ipsius obedientia in hac uisibili conuersatione,est precium pro nobis,idq; rectè intelligatur,Quanquam enim sola natura humana laceratur & moritur, Sicut Petrus inquit,1.Pet.3. Passus est in carne,Tamen redemtor est,non tantum secundum naturam humanam,sed secundum naturam diuinam & humanam propter quinq; causas.

Christus redemtor propter causas quinq;.

Prima,Hanc humanam naturam,in quam pœna deriuanda erat,oportebat esse sine peccato,& talem,in qua esset iusticia immutabilis.

Secunda,Oportebat esse æquiualens precium.

Tertia,Nulla creata natura sola potuisset sustinere hanc pœnam.

Quarta,Nulla creatura uidet arcanum consilium æterni Patris de singulis hominibus,sed Filius solus ingreditur in sanctum Sanctorum,id est,in arcanum consilium æterni Patris,& uidet magnitudinem iræ Patris,& offert se,id est,subijcit se iræ Dei,& est deprecator pro singulis: Et in officio Redemtoris includitur deprecator,Sicut ipse inquit Ioh.17. Ego pro eis sanctifico me.Item Esaiæ 53.Et pro transgressoribus rogauit.Addo & quintam causam,Hanc humiliationem ipsius naturæ diuinę,quòd Patri in hoc mirando decreto obtemperat,& hoc arcanum Sabbatum seruat, quiescit,nec exercet potentiam suam,ut uitet hanc passionem. Ideo scriptum est Psalmo 39. In principio libri scriptum est de me,ut faciam uoluntatem tuam,Deus meus,uolo,& Lex tua in medio cordis mei. Tribuenda est igitur hæc gloria Domino nostro Iesu Christo,quòd sit Redemtor,non tantum secundum naturam humanam,sed secundum diuinam & humanam,& cum precij magnitudinem cogitamus, crescat fides,consolatio & inuocatio,Iuxta hæc dicta,1.Petri 1. Non auro redemti estis,sed precioso sanguine,tanquam agni immaculati, Christi.

LXV.

Vt autem uerè sit Redemtor, non tantum persoluit pœnam,sed etiam liberat nos à peccato, & à morte æterna, ideo & ipse reuiuiscit ex morte, & restituit nobis iusticiam & uitam æternam. Hæc nequaquam posset efficere ulla creatura, ideo hic Redemtor est Deus & Homo. Hæc de Redemtore diligenter considerandæ sunt,& ut debitus ei honos tribuatur, & ut fides in consolatione & inuocatione crescat. Ac diligenter considerandum est nomen Redemtoris, ut Esaiæ 59. Et ueniet Sion redemtor, his, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, & ego hoc fœdus feci cum eis,dicit Dominus: Spiritus meus,qui est in te,& uerba mea, quæ posui in ore tuo,non discedent

Testimonia uetera,de nomine redemtoris.

ab ore

ab ore tuo,& ab ore seminis tui nunc & in æternum. Et Iob inquit capite decimo nono,Scio quòd Redemtor meus uiuit. Et postea de puluere surrecturus sum,& rursus circundabor pelle mea,& in carne mea uidebo Deum,quem uisurus sum ego ipse,& oculi mei conspicient eum,& non alius. Rectè agnoscit Dominum,qui est liberator,& persoluet precium,& reddet ei iusticiam & uitam æternam. Cùm enim inquit,In carne mea uidebo Deum,simul adfirmat restitui uitam & iusticiam æternam,quæ comprehenditur in hac descriptione, Videbo Deum. Refutat & furores eorum,qui somniant Pythagoricam migrationem animarum, Inquit enim, ego uidebo, oculi mei,circundabor pelle mea,&c.

LXVI.

Applicatio redemtionis est iustificatio.

Redemtionis applicatio ad nos, est iustificatio, cùm audita uoce Euangelij,per fidem accipimus remissionem peccatorum, per redemtorem, & propter eum,& Pater uerè nos recipit,& Filius,qui est Verbum æterni Patris,in nobis uiuificat nos,& sanctificat Spiritu suo sancto. Et nos, quanquam adhuc in nobis hærent reliquiæ peccati, tamen fide propter redemtorem, Deum & Hominem,interpellantem adsiduè pro nobis, accipimus remissionem peccatorum,& sumus iusti,accepti Deo, & reconciliati imputata nobis iusticia redemtoris.

LXVII.

Christus est Iustificator noster, secundum utramq; naturam,merito & communicatione sui.

Est igitur iustificator Dominus noster Iesus Christus, secundum diuinam & humanam naturam, merito & communicatione sui : Merito, quia semper statuendum est, nos propter eius obedientiam habere remissionem peccatorum, & iustos, id est, reconciliatos seu acceptos Deo esse fide propter ipsum, Roman:5. Iustificati nunc sanguine ipsius saluabimur per ipsum. Item, Reconciliati sumus Deo per mortem Filij sui.Item,Per obedientiam unius,iusti constituentur multi. Hebræ.10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Hæc de merito dici manifestum est, cùm expressè nominet oblationem corporis Christi semel factam. Ephes.1. Per quem habemus redemtionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.1.Iohan.1.Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Esaiæ 53. Liuore eius sanati sumus. Hæc & similia dicta loqui de Domino nostro Iesu Christo, Deo & Homine,& de eius obedientia, manifestum est. Oportet igitur fide intueri Mediatorem,Deum & Hominem,& statuere,quòd propter hunc uerè sint tecta peccata nostra, iuxta illud,Beati quorum remissæ sunt iniquitates,& quorum tecta sunt peccata. Hæc consolatio etiam post regenerationem omnibus Sanctis in hac uita necessaria est.Nitatur fides merito & intercessione summi Sacerdotis Christi,iuxta dictum, Totius fiduciæ certitudo est in precioso sanguine Christi.

LXVIII.

In uera consolatione fit regeneratio.

In illa ipsa uerò consolatione, qua nos audita uoce Euangelij sustentamur,& in qua uiuificamur,& ex doloribus inferorum liberamur,uerè fit regeneratio ad uitam æternam,nec fit ociosa speculatione, sed quanquam in alijs magis, in alijs minus sentiuntur hi motus, tamen sentiri eos non dubium est,iuxta dicta de terroribus,& de consolatione.Esa.38.Sicut leo contriuit omnia ossa mea.Item Rom.5.Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Eph.4.

Accedi-

Accedimus ad eum cum fiducia. Aba: 2. Iustus fide sua uiuet. Galat. 7. Per Legem Legi mortuus sum, uiuo autem non iam ego, sed uiuit in me Christus.

Fit igitur regeneratio, cum audita uoce Euangelij, filius Dei, qui est Verbum æterni Patris, est nobis iam ueritas & uita, Iohan. 14. Mouet corda nostra fide per Spiritum sanctum, ut credamus nobis ab æterno Patre remitti peccata, & nos recipi propter Mediatorem, Deum & Hominem, passum & resuscitatum. In hac consolatione uiuificati, iam sumus domicilium & templum Dei, sicut dictum est, Iohan. 14. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Item Galat. 2. Viuit uerò in me Christus. Item Iohan. 10. Ego uitam æternam do eis. Item Iohan. 5. Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Item Iohan. 10. Nemo potest rapere oues meas ex manibus meis. Item Iohan. 5. Vos in me estis, & ego in uobis, Ego sum uitis, uos palmites.

Quomodo fiat regeneratio.

Ac expressè semper damnauimus & damnamus Pharisaicas & Pelagianas tenebras omnium, qui fingunt, hominem iustum esse non regeneratum. Clamamus etiam assiduis gemitibus ad Dominum nostrum Iesum Christum, qui est Immanuel, & mirabili ac inenarrabili consilio Dei caput est, per quod sustentatur & uiuificatur tota Ecclesia, ut sit efficax in nobis, & magis magisq; nos transformet à claritate in claritatem Spiritu suo sancto. Ita communicatione sui filius Dei reddit nobis uitam & iusticiam æternam in nobis, sicut inquit Iohannis decimo, Ego uitam æternam do eis.

Pharisaicæ et Pelagianæ opiniones damnantur, quòd homo non regeneratus sit iustus.

LXIX.

Sed in hac mortali natura manent adhuc simul in nobis reliquiæ peccati, multæ & magnæ, Vult autem Deus Ecclesiam præcipuè intelligere, uerè eum irasci peccato, uult non esse securam, etiamsi sunt in nobis initia regenerationis, semper uult crescere in nobis pœnitentiam, sicut inquit Dominus Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis, similiter peribitis. Huc pertinent hæ concliones, sæpè repetitæ Exod. 34. Coram te innocens, non est innocens. Psalmo 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Cum igitur simul maneant reliquiæ peccati in nobis, semper hæc uerissima & unica consolatio tenenda est, quòd propter Mediatorem, Deum & Hominem, qui est umbraculum, & interpellat pro nobis, habeamus remissionem peccatorum, & placeamus Deo per misericordiam, Et nisi fide apprehendatur hæc consolatio, desinit homo esse domicilium Dei, & alij securitate carnali pereunt, alij statim oppressi desperatione extinguuntur. Necesse est igitur de hac consolatioue, & de hac fide doceri homines.

Contra reliquias peccati tenenda consolatio, quòd habeamus semper remissionem peccatorum propter Christũ.

LXX.

Et congruunt dicta dulcissima Ieremiæ 23. Et suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & hoc est nomen, quod uocabunt eum Deus iusticia nostra. Hic Deus, scilicet Messias, qui est & Deus & germen Dauidis, est iusticia nostra, & donata nobis ad remissionem peccatorum, & reconciliationem, quam nobis meruit, & in nobis habitat, ut uitam æternam & iusticiam nobis reddat, sicut in Iohanne dicitur, Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Gratia, id est, Remissio peccatorum, & reconciliatio. Veritas, id est, uera & æterna sapientia, agnitio uera Dei, uita & iusticia æterna per Iesum Christum nobis communicata est.

Gratia & Veritas.

LXXI.

Necesse

Renati agnoſcant ſemper ſe placere Deo propter Chriſtum.

Neceſſe eſt doceri renatos in hac uita, quanquam iam ſunt templum Dei, tamen ſemper eos debere credere, quod propter filium Dei, Deum & Hominem, deprecantem pro ipſis, placeant æterno Patri, non propter nouitatem, quia ſimul adhuc in nobis hærent reliquiæ peccati, multæ & magnæ, quod agnoſci neceſſe eſt. Ideo Daniel inquit capite nono, Non propter iuſticias noſtras, ſed propter Dominum exaudi nos. Et Roma. 8. Filius ſemper interpellat pro nobis. Et Hebr. 7. Semper uiuens, ut interpellet pro nobis. Hac fide lucente in renatis, manent ſancti templum Dei, hac fide extincta, ruunt uel in contemtum, uel in deſperationem, & deſinunt eſſe templum Dei. Hanc conſolationem proponit, & doctrina de Sacerdotio filij Dei.

LXXII.

Chriſtus eſt ſummus Sacerdos ſecundum utramq; naturam, & quibus de cauſis.

Chriſtus eſt ſummus Sacerdos ſecundum diuinam & humanam naturam. Eſt enim hic Summus Sacerdos perſona immediatè à Deo ordinata, ut Euangelium proferat ex arcano conſilio diuinitatis, & ſonet inter homines & offerat Deo Sacrificium pro alijs, ad placandam iram, & ſit deprecator aſſiduus pro eis, de quo & promiſsio ſancita eſt, uerè ipſius Sacrificio placari iram Dei, & exaudiri eum pro nobis deprecantem. Hæc comprehenduntur omnia in dicto Pſalmi 110. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchizedech. Eſt igitur ſummus Sacerdos natura Deus, ut arcanum conſilium de remiſsione peccatorum, & de modo reſtituendi genus humanum ex ſinu æterni Patris proferat, & ut ſemper Eccleſiam colligat uoce Euangelij, ſparſa in genere humano. Eſt Homo, ut offerat Sacrificium, deriuata in ſeſe ira pro genere humano, quam, ut ſuſtinere poſſet offerens, eſt perſona diuina, ſicut Hebræos nono dicitur, Qui per Spiritum æternum ſeſe obtulit immaculatum Deo. Et in Pſalmo 40. Volui, & Lex Dei in corde meo eſt.

Oportuit & deprecatorem, eſſe Deum & hominem.

Deprecator etiam eſt Deus & Homo, Nam arcanum conſilium æterni Patris, de ſingulis hominibus uidet hic deprecator, & pro ſingulis applicat ipſe Sacrificium, quod in natura humana ſemel factum eſt. Sicut Hebræos decimo dicitur, Voluntate ipſius ſanctificati per oblationem corporis Ieſu Chriſti. Item, Habentes fiduciam intrandi in ſancta per ſanguinem Ieſu. Vult igitur fidem noſtram intueri hunc Mediatorem, Deum & Hominem, & niti ipſius ſacrificio ſeu merito, & ipſius deprecatione, hoc cum fit, ſimul ipſe eſt efficax in nobis, & uiuificat nos.

LXXIII.

Remiſsio peccatorum & uiuificatio, coniunguntur in hac uita.

Semper in hac uita in iuſtificatione comprehenduntur, ſimul & remiſsio peccatorum, & uiuificatio, quæ fit per filium Dei in nobis, Sicut Roma: quarto expreſsè comprehendit remiſsionem peccatorum, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Verbum igitur iuſtificare, intelligatur ex reis, & non habentibus iuſticiam Dei, fieri non reos, ſed abſolutos, & habentes Chriſtum, qui & efficax eſt in nobis, & aſsiduè pro nobis Patrem interpellat, ut propter ipſius Sacrificium ſit placatus, & imputetur nobis eius iuſticia. Hoc de Chriſti merito complecti neceſſe eſt.

LXXIIII.

Dictũ Eſaiæ, Noticia ſerui mei, &c.

Eſaiæ 53. dicitur. Noticia ſui ſeruus meus iuſtus, iuſtificabit multos. Hîc non dubium eſt, dici de Meſsia, qui nominatur Seruus, id eſt, miniſter, miſſus ad hanc obedientiam, ut uocem Euangelij, prolatam ex ſinu æterni patris, ſonet inter

inter homines,& fiat Victima,Redemtor,& Saluator,Sicut Esaiæ 42.scriptum est, Ecce Seruus meus, quo delectatur anima mea. Hic minister Deus & Homo, iustificabit multos, & remissionem peccatorum dabit, & dabit æternam uitam & iusticiam. Complectitur enim integrum beneficium, sicut usitatum est in Prophetico sermone. Paulus autem ita nominat beneficia Rom. 5. Gratia Dei, & donum per gratiam, quæ est unius hominis IESV CHRISTI, exuberat in multos. Gratiam haud dubiè nominat remissionem peccatorum, & reconciliationem gratuitam, qua sumus accepti Deo, propter Mediatorem, de quo hîc Paulus expressè inquit, per gratiam, quæ est unius hominis IESV CHRISTI, ut testetur nobis & initiò dari remissionem peccatorum, & postea, propter meritum Mediatoris, Dei & Hominis. Postea Donum nominat consecutionem totius beneficij, uidelicet, uitam & iusticiam æternam, quæ datur nobis per Filium, qui est Verbum æterni Patris, & dat nobis Spiritum sanctum suum. Inquit autem Esaias, hæc beneficia accipi hoc modo, uidelicet, agnitione huius ministri iusti, Id est, fide, de qua supra dixit, Quis credit auditui nostro. Hæc fides intuetur Mediatorem Deum & Hominem, & est fiducia, qua in eo acquiescimus, quia ipse sua obedientia placauit iram æterni Patris, & dans remissionem peccatorum, simul in nobis est efficax, sicut inquit, Ego uitam æternam do eis.

LXXV.

Fides, quæ intuetur Mediatorem Deum & Hominem, & nititur merito Mediatoris, seu gratia, qua ipse acceptus est æterno Patri, propter quem & nos, qui sumus eius membra, accepti sumus. Hæc inquam fides, quæ nititur merito filij Messiæ, est ipsa fiducia misericordiæ, qua propter eum Pater nos recipit. Et cum Prophetæ ad misericordiam confugerint, de hac ipsa fide agnoscente & apprehendente Mediatorem concionantur, propter quem promissa est misericordia, Sicut Daniel inquit, Non propter nostras iusticias, sed in misericordia tua exaudi nos propter Dominum. Et Psalmo 6. Domine, ne in furore tuo arguas me, saluum me fac propter misericordiam tuam &c. Et Psalmo quinquagesimo, Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Vbi postea Mediatorem significat, Asperges me Domine hyssopo, id est, propter sanguinem Filij tui remittas mihi peccata. Deinde etiam uerè de efficacia in nobis loquitur, Cor mundum crea in me Deus &c. Ita ubique uox diuina utrumq; proponit, consolationem, qua propter Mediatorem habemus remissionem peccatorum & reconciliationem. Deinde & sanctificationem & uiuificationem, in qua filius Dei uerè in nobis est efficax. Et hæc nominat Paulus Gratiam & Donum per gratiam, quæ est unius hominis IESV CHRISTI.

Fides intuens Mediatorem est fiducia misericordiæ.

LXXVI.

Quotidie in recitatione Symboli, cum recitamus Articulum, Credo remissionem peccatorum, fides confirmetur, & sic statuat, mihi quoque remitti peccata, Credo iuxta dictum in Actis capite decimo, quòd omnes Prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per Nomen eius, omnes qui credunt in eum. Et simul mens intueatur summam doctrinæ de iustificatione, & complectatur totum Symbolum. Scias propter filium Dei passum, crucifixum, & resuscitatum, & per eum dari remissionem peccatorum, & recipi ab æterno Patre &c. Sicut in Iohanne dicitur, Pater diligit eum, Et æter-

In articulo symboli, credo remißionem peccatorum, quisq; statuat sibi etiam remitti peccata

num Patrem & Filium ſpirare Spiritum ſanctum in corda credentium in illa ipſa conſolatione. Sicut ibidem dicitur in Iohanne, capite decimo quarto, Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Intelligatur autem remiſſio peccatorum, de continua remiſsione, etiam poſtquam renati ſumus, Sicut Roman. quinto dicitur: Gratia & donum per gratiam, quæ eſt unius hominis Ieſu Chriſti. Et ſciant renati ſe quoque aſsiduè accipere remiſsionem peccatorum, & nitatur fides propiciatore, Deo & Homine.

LXXVII.

DE ECCLESIA.

Deus colligit Eccleſiam per miniſterium Euangelij.

Deus immenſa bonitate, propter Filium, & per eum, colligit ſibi æternam Eccleſiam in genere humano, per miniſterium Euangelij, & hanc uult incoari in hac mortali uita, Iuxta hæc ipſa dicta, Marci ultimo, Ite docete Euangelium omnes Gentes, & baptizate &c. Item, 2. Corinth. 5. Superinduemur ſi tamen non nudi reperiemur. Item, Omnes manifeſtari oportet coram tribunali IESV CHRISTI, ut reportet unuſquiſque ea quæ egit in corpore. Item Apocalypſis decimo quarto, Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Eccleſiæ deſcriptio.

Deſcribenda eſt igitur Eccleſia, in qua in hac uita ſonat uox miniſterij. Eſt igitur hæc uiſibilis Eccleſia, uiſibilis cœtus amplectentium Euangelium incorruptum, & rectè amplectentium & utentium Sacramentis, in quo Deus per miniſterium multos regenerat, ſuntq; in eo cœtu multi non ſancti, ſed tamen de doctrina conſentientes.

LXXVIII.

Semper & manſura eſt Eccleſia, & ratæ futuræ ſunt promiſſiones uſque ad reſurrectionē mortuorum.

In tanta confuſione opinionum, in tantis ruinis regnorum, ſæpè his dubitationibus concutiuntur animi, an ſit aliqua Dei Eccleſia, quæ, & ubi ſit, & qualis ſit. Neceſſe igitur eſt, bene confirmatas eſſe in ſingulis has ſententias, quod & ſemper uſque ad reſurrectionem mortuorum aliqua ſit uera Dei Eccleſia, & ſemper ratæ ſint promiſsiones credentibus, etiamſi ſæpe exigua eſt Eccleſia, Et quòd oporteat unumquemq; ſeſe adiungere ad ueram Eccleſiam, confeſsione doctrinæ, & inuocatione filij Dei, & ſtatuere ſeſe membrum eſſe ueræ Eccleſiæ ubicunque eſt.

Teſtimonia de duratione Eccleſiæ.

De duratione tenenda ſunt hæc dicta, Matthæi ultimo, Ecce ego uobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſeculi. Matthæi uiceſimo quarto, Propter electos abbreuiabuntur dies iſti. Semper igitur erunt aliqui electi, donec illuceſcat dies reſurrectionis. Item, In aduentu filij hominis duo erunt in agro, unus aſſumetur, & alter relinquetur. Matthæi decimo tertio, Sinite utraque creſcere uſq; ad Meſſem. Et poſtea, Meſsis conſummatio ſeculi eſt. Primæ Corinthios undecimo, Hoc facite in mei commemorationem, donec ueniam. Hæc perſpicua teſtimonia, quæ expreſſè loquuntur de duratione Eccleſiæ in hac mortali uita uſque ad reſurrectionem, ſint in conſpectu, ut inter tanta ſcandala nos confirment, ne exiſtimemus prorſus nullam eſſe Eccleſiam, cum tantæ ſint opinionum & morum confuſiones, Sicut & Prophetas excruciat hæc cogitatio, Adiungamns autem & hæc duo teſtimonia ex Eſaiæ 59. Hoc eſt Fœdus meum cum eis, dicit DOMINVS, Spiritus meus qui eſt in te, & uerba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore ſeminis tui, dicit Dominus, deinceps & in ſempiternum. Eſa. 46. Etiam in ſenecta ego geſtabo uos.

De ad-

De adiunctione singulorum ad ueram Ecclesiam, nota sint hæc testimonia, & statuat unusquisque sese membrum esse ueræ Ecclesiæ. Psalmo uicesimo sexto, Vnum hoc petij à DOMINO, hoc requiro, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ, ut uideam uoluntatem Domini, & uisitem templum eius. Psalmo 84. Beati qui habitant in domo tua Domine. Psalmo 91. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebimus. Psalmo uicesimo nono, Odi Ecclesiam malignantium Domine, dilexi decorem domus tuæ. Psalmo trigesimo quarto, Confitebor tibi in Ecclesia magna. Huc pertinent omnia dicta, quæ præcipiunt audiri ministerium, & prohibent disiunctiones facere à uero ministerio, ut, Qui uos audit, me audit, qui uos spernit, me spernit. Ephesios quarto, Soliciti seruare unitatem spiritus copulati pace. Hebræos decimo, Non relinquentes congregationem uestram. Cum autem sciamus, & duraturam esse Ecclesiam, & nos oportere eius membra esse, necesse est simul considerari, quæ & ubi sit uera Ecclesia, & qualis sit, & quæ res ad eius unitatem requirantur.

Vnusquisq; se ad ueram Ecclesiam tanq̃ membrum adiungat.

LXXIX.

Quid & ubi sit Ecclesia, ex definitione intelligi potest, Certissimum est enim illos homines & illos cœtus non esse Ecclesiam Dei, qui aut prorsus ignorant Euangelium, aut aliquem Articulum fundamenti, Id est, aliquem articulum fidei, aut doctrinam Decalogi oppugnant, aut manifesta idola defendunt. Hîc nota sint testimonia Iohannis quinto, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item, 1. Corinthios 3. Fundamentum aliud poni non potest, quàm quod positum est, quod est IESVS CHRISTVS. Item, Galat. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Tantùm igitur illi homines & illi cœtus sunt membra Ecclesiæ, ubicunque sunt, qui amplectuntur Euangelij doctrinam incorruptam, & quanquam alij plus alij minus lucis habent, Tamen necesse est eos retinere fundamentum, & omnes articulos fidei, doctrinam Decalogi, & non pertinaciter defendere idola. Huc pertinent dicta, Oues meæ uocem meam audiunt. Item, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

In quo cœtu sit Ecclesia.

LXXX.

Hîc iam sciri oportet, qualis sit uera Ecclesia, Libenter enim cernerent homines coniunctam forma regni politici, florentem imperio, sicut Episcopi transformant Ecclesiam in regnum politicum, Sed habet Ecclesia quædam uera signa, quibus agnosci potest: Vocem Euangelij incorruptam, Legitimos usus Sacramentorum, & obedientiam debitam ministerio. Hæc signa auribus & oculis iudicari possunt, quæ quidem & necesse est considerari, ut sciamus, cui cœtui nos adiungere debeamus. Nec dubium est, in his ipsis cœtibus aliquos esse electos, etiamsi multi admixti sunt, qui non sunt sancti, Iuxta dictum Esaiæ primo, Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus. Et ad unitatem Ecclesiæ consensus in his tribus rebus necessarius est, uidelicet, in doctrina fundamenti, in usu legitimo Sacramentorum, & in præstanda obedientia debita ministerio. Id est, Populus audiat doctrinam, obtemperet iudicijs. Complector enim iudicia cum nomino obedientiam debitam ministerio. Item ne faciat distractiones à communi societate Ecclesiæ. Et cùm nomino consensum in fundamento, requiritur consensus in articulis fidei & in Decalogo,

Qualis sit uera Ecclesia in hac uita.

etiamsi supra fundamentum alij aurum alij stipulas extruunt, & aliquid erroris habent multi, & aliquid est dissensionum. Manet enim aliquid caliginis & infirmitatis in sanctis, Et Paulus inquit, Infirmos in fide assumite Roman: decimoquarto.

LXXXI.

Similitudo ceremoniarum humanarum non est necessaria ad unitatem Ecclesiæ.

Ad unitatem Ecclesiæ nequaquam necessaria est similitudo Ceremoniarum humanarum, ideo dictum est: Nemo uos arguat in cibo & potu, in ritibus dierum Festorum. Hanc doctrinam sciri necesse est, ne alij condemnent alios propter dissimilitudines in ritibus humanis, ut sunt contentiones de pane azymo, de fermentato, de ieiunijs, de discrimine ciborum. Vult autem conspici Deus libertatē in his ritibus humanis, ne delabantur homines in errores Pharisaicos, & putent tales externas obseruationes esse iusticiam Euangelij, item esse merita remissionis peccatorum. Iustinus respondet Iudæo pugnanti de seruandis Ceremonijs, Christus est nostra Lex: id dictum dextrè intellectum dulcissimam doctrinam continet, Sed ipse de Ceremonijs loquitur. Christus est Lex, scilicet impleta, ipse significatur agno mactato, & ipsum habentes habemus quod Lex significauit, Sicut & Paulus inquit, Legem fuisse umbram, Corpus autem esse CHRISTVM. Dextrè autem accommodari ad totam Legem potest. Christus nostra Lex est, scilicet impleta, Quia & merito, seu imputatione, & communicatione sui seu effectione iustificat. Exhibet igitur quod Lex significabat, quia sumus iusti, id est, habentes remissionem peccatorum & reconciliationem propter mediatorem, Deum & hominem fide, Et simul habentes ipsum qui in nobis est efficax, & uiuificat nos ad uitam æternam, Sicut inquit, Ego uitam æternam do eis.

LXXXII.

Ecclesia in hac uita est subiecta cruci, & sanctis admixti sunt multi non sancti.

In consideratione qualis sit Ecclesia, necesse est etiam scire, in hac uita admixtos esse sanctis multos non sanctos, item subiectam esse cruci & sparsam in diuersa mundi imperia, nec Euangelio constitui unum aliquod regnum, quod corporalibus præsidijs defendat sanctos. Hæc scire necesse est, ne offendat nos hæc deformitas, quòd multi non sancti sunt admixti Ecclesiæ. Item, quòd sine certo imperio sparsa est in mundum, & ingentibus ærumnis subiecta. Huc pertinent dicta Matthæi decimotertio de sagena missa in mare. Item, quòd non constituat imperia, 2. Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia. Item de cruce, Si quis uult me sequi, tollat crucem suam & sequatur me. Hîc prodest etiam causas cogitare, quare DEVS uelit Ecclesiam subiectam esse cruci.

LXXXIII.

Differunt in Ecclesia potestas ordinis, & potestas Iurisdictionis.

Deinde de potestate ministrorum Euangelij quæritur, de qua usa est uetustas hac partitione. Alia est potestas ordinis, Alia est potestas Iurisdictionis. Potestas ordinis est mandatum docendi Euangelij, administrandi Sacramenta, absoluendi non ut in iudicio, sed ut in ministerio, & ordinandi ministros. Sed potestas Iurisdictionis est iudicia Ecclesiastica exercere contra reos delictorum, qui conuinci possunt, & conuicti puniantur non ui corporali, sed excommunicatione donec resipiscant. Est autem & cognitio necessaria, sicut iubet uox diuina Deut: 17. Audi & inquire diligenter, & cùm uerum erit certum punies &c.

Hîc

Hîc autem Romani Episcopi quatuor insignes errores addunt. I. Sumunt sibi potestatem instituendi nouos cultus. II. Item obligandi conscientias peccato mortali, si qua ipsorum traditio uioletur. III. Item potestatem interpretandæ scripturæ autoritate regia. IIII. Item potestatem politicam transferendi regna mundi. Hæ falsæ persuasiones necessario taxandæ sunt.

Quatuor ingẽtes errores Romani Episcopi.

LXXXIIII.

Quòd non habeant potestatem instituendi nouos cultus ulli homines, manifesta uox diuina est Lucæ 17. Frustra colunt me mandatis hominum.

Episcopi non habent potestatem constituendi cultus.

LXXXV.

Quod traditiones humana autoritate factas uiolare extra casum scandali non sit peccatum mortale, Constat ex hoc dicto Colossen: 2. Nemo nos arguat in cibo aut potu.

Non est peccatum mortale uiolare traditiones humanas extra casum scandali.

LXXXVI.

De interpretatione scripturæ sciendum est, Magnum discrimen esse inter politicum iudicem, & iudices in Ecclesia de doctrina. Quando Lex est generalis seu ambigua, potest rex seu prætor facere interpretationem, & hæc interpretatio ualet propter officij seu loci autoritatem, Quia Deus armauit magistratum hac autoritate ferendi suas leges, & addendi interpretationes, cum opus est. Sed iudices in Ecclesia habent præscriptam uocem diuinam: ab hac nequaquam discedendum est, iuxta dictum Galat: 1. Si quis aliud Euangelium docet anathema sit, Semper autem in Ecclesia sunt aliqui seu multi, seu pauci, qui retinent ueritatem, ut Zacharias, Simeon, Maria, Elizabeth. Cùm igitur conueniunt iudices aliqui pij, recitant interpretationem ueram quæ est ipsorum confessio. Multi uerò impij sæpè contrariam fingunt, nec obligant hæ sententiæ cæteros propter loci autoritatem, Sed aliqui dociles commonefacti à pijs, mouentur dictis Propheticis & Apostolicis, ut ueram interpretationem amplectantur, non propter personas aut loci autoritatem, ut in controuersia Samosateni mouentur pij, ut statuant uerbum esse personam, quia audiunt rectè congruentia testimonia sine Sophistica.

Differunt iudicia Ecclesiastica & politica.

Credunt igitur propter uocem diuinam,
non propter iudices.

Hactenus Philippus, &c.

PROPOSITIONES THEOLOGICAE REVERENDORVM VIRORVM D. MARTINI LVTHERI, ET D. PHILIPPI MELANTHONIS,

CONTINENTES SVMMAM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, SCRIPTÆ ET disputatæ Vuitebergæ, inde usque ab anno 1516. De quo tempore uaticinatus est Iohannes Hilten, initium fore reformationis Ecclesiæ anno

1516.

CVM PRÆFATIONE D. PHILIPPI MELANTH.

CLARISSIMO VIRO, PRVDENTIA, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRAESTANTI D. PAVLO

Prætorio, Consiliario inclyti Principis, Sigismundi Archiepiscopi Meideburgensis, Primatis Germaniæ &c. Marchionis Brandeburgensis &c. Patrono suo, S. D.

IACOBVS EISENBERG HALLENSIS.

TILE EST SEMPER IN CONSPECTV HABERE OMNIVM *temporum Ecclesiam inde vsque ab initio, vt & confirmemus nos ijs testimonijs, quæ ostendunt verè esse Ecclesiam certam, Deo placentem, distinctam à colluuie aliarum gentium inimica Deo, & consideremus, quæ fuerit semper propria Ecclesiæ doctrina, quæ certamina, quæ dijudicationes. Error enim est, velut Empusa seu spectrum subinde alias formas induens, & contrarias species, & confusas chimæras hominum oculis objiciens. Veritas autem vna & consentiens vox est, & vnum portum monstrans. Itaque & Petrus consensum Prophetarum citat, inquiens: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.*

Multa autem fuerunt Patrum & Prophetarum certamina de ijsdem rebus, de quibus dimicant Apostoli & veri Doctores, qui Apostolorum doctrinam retinuerunt. Damnarunt Patres & Prophetæ idola, id est, omnia quæ inuocabantur, quæ non sunt verus Deus, patefactus in promissione de venturo Redemtore, damnabant cultus excogitatos sine mandato Dei. Docebant Deum non rectè inuocari, sine agnitione promissi Mediatoris, & sine fide & fiducia misericordiæ promissæ propter Mediatorem. Damnabant dubitationes de Deo. Item, confidentiam Pharisaicam, quæ fingebat tolli peccata sacrificijs & alijs operibus hominum.

De his materijs extant perspicuæ asseuerationes in scriptis Propheticis. Post Apostolos autem exortæ sunt fanaticæ opiniones multæ. Marcion & alij multi, cùm disputarent de causa mali, finxerunt duo principia pugnantia, coæterna, φῶς καὶ σκότος: & addiderunt deliramenta de Stoica necessitate. Ita oppugnata est veritas de vno Deo creatore sapiente, bono & iusto. Fuerunt & qui Filium tollere conati sunt, qui contenderunt, nihil esse Filium antequam nascitur ex virgine, Et λόγον in Iohanne significare vocem euanescentem, seu decretum quod non sit ὑφιστάμενον.

Hæc quæstio tam diu hæsit in mundo, donec inde potentissimum regnum Mahometicum ortum est. Erant & qui ceremonias Mosaicas retinere conabantur. Erant qui

nerues vitæ politicæ tollebant, qui præcipiebant facultates conferre in commune, & confusiones libidinum faciebant. Quidam vt in Theogonia Hesiodus multos Deos gignebant, vt eluderent doctrinam de Patre, Filio, & Spiritu sancto, & transformarent in allegorias. Omnium falsarum opinionum arx hæc fuit vna, audacia fingendi propriam opinionem, relicto sermone Prophetico & Apostolico. Aly palàm abyciebant Apostolica scripta, vt Ebion & Marcion, & deinde Manichæi, alij transformabant in allegorias, aut callidè fingebant suas quasdam interpretationes.

De his præstigijs longa querela est apud Irenæum. Nunc verò hanc ipsam arcem & Pontificij tenent. Inde oppugnant veritatem, aut palàm anteferunt suas leges scriptis Propheticis & Apostolicis, aut astutè cogitatis interpretationibus. Sermonem eorum in peregrinas sententias transformant.

Antiochus Epiphanes, cùm delere Ecclesiam conaretur, libros Propheticos vndique conquisitos comburebat. Mox Pharisæi & Sadducæi cum libros ipsos delere non possent, nec auderent, sermonem Propheticum in peregrinas sententias transformarunt. Idem recentes Iudæi faciunt. Prorsus eodem modo Pontificij nostras Ecclesias oppugnant. Suas interpretationes mundo obtrudunt, nec volunt audire natiuam significationem in scriptis Propheticis & Apostolicis. Postea mutilata dicta ex Scriptoribus aliquot priorum seculorum coaceruant, & vociferantur se habere Patrum suffragationes. Ita fucum faciunt Regibus & Principibus, vt eos confirment in retinendis & stabiliendis idolis & erroribus, qui & contumelioſi sunt contra Deum, & magna agmina animarum trahunt in æternum exitium.

Planissima est & minime ambigua oratio primi præcepti: DOMINVM DEVM TVVM adorabis, & illi soli seruies. Hæc oratio, cùm sine vlla dubitatione damnet inuocationes omnium rerum, quæ non sunt Deus: Tamen Pontificij iubent inuocare homines mortuos, & panem in circumgestatione, & postea plures opiniones adfingunt contumelioſas contra Deum. Perspicua est oratio Pauli & minimè ambigua, quæ inquit: Iustificamur autem GRATIS fide, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu &c. Pontificij dicunt excludi tantùm ceremonias Mosaicas. Et, quod dolendum est, quærunt, malè detortis aljs dictis, suæ interpretationi prætextus, qua in re faciunt, vt Viperæ, quæ Balsamo pascuntur & inde præstantissima venena gignunt. Sed vulnera rursus sanantur puro Balsamo.

Ita nos facimus, cùm Pontificij scripta Prophetica & Apostolica verterunt in venena prauis interpretationibus, opponimus remedia ex ipsa continua oratione Prophetica & Apostolica, non ex venenatis interpretationibus. Quod enim vociferantur Staphylus, & aliæ viperæ, scripta Prophetica & Apostolica ambigua esse, & deducunt homines ad illa Balsama in viperis conuersa in venena, contumelia Deum afficiunt. Etsi sunt alia dicta alijs magis perspicua, tamen collatio omnium membrorum doctrinæ ostendit perpetuam Dei sententiam. Ideoq; vult Deus esse studia doctrinæ in Ecclesia. Nec vult nos noua dogmata gignere, Sed veram sententiam ex suo sermone, rectè collatis membris sumere, quod fieri potest ab omnibus, qui adferunt ad iudicandũ pias mentes, sicut scriptum est: Initium sapientiæ timor Domini. At viperæ illæ Balsama in suas naturas vertunt.

Hæc præfatus sum in editione harum disputationũ, quia scio, Pontificios opponere suas interpretationes. Sed hoc egit D. Lutherus in his propositionibus, vt detergeret sordes Pharisaicas, à sermone Prophetico & Apostolico. Nec erit difficile pio Lectori videre, quæ pars in his contentionibus pura Balsama, aut viperarum succos proponat.

Etsi autem extant libri longiores de his controuersijs, quarum hîc fit mentio, Tamen hæc capita disputationum sæpè legi vtile est, quia summæ rerum maximarum melius comprehendi possunt in talibus breuibus assseuerationibus. Addidi autem & disputationum capita, quæ post mortem Reuerendi viri D. Lutheri, in Academia nostra proposita sunt, vt pij videant, eandem doctrinæ vocem esse, Dei beneficio in nostra Ecclesia & Academia, quæ fuit viuente D. Martino Luthero. Si quis secus de nobis loquitur, manifesta iniuria, & Ecclesiam & nos afficit, Et cum refutari his ipsis paginis manifestè possit, omnes honestos oramus, vt illud Thucydideum cogitent:

Διαβολὰς μὲν οὐ σῶφρον οὔτε λέγειν, οὔτε τοὺς ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι.

Bene vale. Vuitebergæ Calendis Iulij, Anno

1558.

HONESTISSIMO VIRO, PETRO EISENBERG SENATORI IN SALINIS SAXONICIS, PHILIPPVS MELANTHON S. D.

COmmonefactio est apud Pindarum, quæ sæpe repetitur ad leniendam mœsticiam in bonis mentibus, quæ dolent in mutationibns, quanquam iustis & necessarijs, tamen multa tristia incidere, quæ sapienter ferenda sunt, ne principale bonum amittatur, & ne Deo repugnemus. Quid fuit melius eductione Israëlitarum ex Ægyptiaca tyrannide, cuius tanta crudelitas fuit annos circiter octoginta, vt recens nata soboles interficeretur: Et tamen illam dulcissimam liberationem quantæ calamitates comitatæ sunt? Verba Pindari hæc sunt.

Ἐμ παῖ ἐσλὸμ, πίκματα σὼν δύο δαίονται βροτῖς
ἀδάνατοι. τὰ μὲν ἔων
οὐ δώσαντα νήπιοι κόσμῳ φέρειν.
ἀλλὰ ἀγαθοὶ τὰ καλὰ ξέψαντες ἔξω.

Cùm credamus esse Dei Ecclesiam, & hanc voci diuinæ obedire debere, iuxta dictum: Hunc audite, & Idola fugienda esse, necesse est fateri fuisse & esse necessariam emendationem errorum, quos Pontificy & Monachi in Ecclesiam ante multa secula sparserunt. Necesse fuit etiam agnitæ veritati nos adsentiri, quia scriptum est, Si quis blasphemiam dixerit, non remittitur ei &c. Hac nos consolatione confirmemus, qui veram doctrinam amplexi sumus, nec frangamur animis propterea quod mutationem multa incommoda secuta sunt, exorta dissidia & alia mala, quæ nunc multi nobis obijciunt, vt veritatem obruant. Nulla dissensio ciuilis est sine magnis incommodis, multa sunt enim praua ingenia, quæ priuatas cupiditates causis publicis miscent, vt dicitur, Ἐν δὲ δυσσασίῃ πᾶν πάγκακον ἔμπορε λιμῆς. *Quæ extat litera Staphyli de doctrina. Tantùm Sycophantica scripta edit, reprehendit nostra, & nullum doctrinæ corpus ipse proponit, ac ne potest quidem. Sed auariciam ducem sequitur, & linguam & stylum precio vendit in Aulis, quæ nostris Ecclesijs inimicæ sunt: His vt gratum faciat, gnauiter sequitur Præceptum Thessalicum, Calumniare audacter, semper aliquid hæret, Sine fronte manifesta mendacia contra nos fingit. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt Ecclesias*

Ecclesias nostras aduersus Tyrannos & Sycophantas semper protegat, flectat etiam mentes Principum & Doctorum, vt omnibus officijs fouere has Ecclesias studeant, quas non dubium est esse Dei Ecclesiam, etiamsi & infirmæ & ærumnosæ sunt, & mixti sunt multi dissimiles. Nos etiam cogitemus sapienter ferendas esse nostras miserias, & lenidendas candore & ἐπιεικείᾳ, si qua leniri possunt. Prodesse autem & ante viginti annos iudicaui, & nunc iudico, legi initia emendationis doctrinæ, quæ quidem gratiora sunt ijs, qui considerant, quantæ tenebræ sint in doctrina Monachorum, quæ adhuc extat, quam pij conferentes ad hanc emendationem, Deo gratias agunt pro hoc tanto beneficio, quòd puriorem doctrinam ostendit. Bene vale.

1558.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE IN SCHOLA PROPOSITAE ET FIDELITER EXPLICATÆ A PHILIPO Melanthone, Ab anno Christi 23. usque ad annum præsentem.

D. MARTINVS LVTHERVS
Pijs & fidelibus in Christo fratribus.

IAS PROPOSITIONES PHILIPPI MELANTHONIS utile est inuulgari & seruari, præsertim hoc pessimo & ingratissimo seculo, ut habeant post nos pij & fideles in Christo Fratres, uelut breue quoddam memoriale, seu, ut dicitur, Breuiarium & fasciculum earum rerum, quæ istis nostris ferè 20. annis doctæ, disputatæ & tractatæ sunt, summis uiribus & studijs, aduersus maximas & indomitas abominationes & profanationes impijssimarum Religionum, quas Satanas contra Christi Euangelium, per efficaciam erroris, & mendacia prodigia in Ecclesiam Dei (ut Paulus nimis uerè prædixit) inuexit & inundauit, ad pœnam incredulorum & ingratorum. Si fortè admonita nostra posteritas, suæ salutis memor, & Deo magis, quàm nos fuimus, grata, cautior deinceps & diligentior reddi possit in obseruandis insidijs Diaboli aduersarij nostri, non dormientis neque cessantis, sed incredibili furia insanientis, ut nouissima faciat peiora prioribus, sicut nimio satis rerum status testatur, Aut si admoneri nolit, & sua uoluntate perierit, sine culpa nostra, sanguis eorum super caput eorum sit.

Nam qui hodie sumus & uocamur Ecclesię ministri, & confessores Euangelij Christi, nihil intermisimus laborum, uigiliarum, officiorum, curarum, orationum &c. quod ad erudiendam, seruandam, defendendam Ecclesiam pertinet, de quo securè in Domino gloriamur, cuius hæc sunt dona, quæ & fecimus, facimus, & habemus. Id quod etiam Aduersarij, uelint nolint, fateri coguntur, Res ipsa nobis testis est, & ipsorum infinita inuidia ac pertinax furor, nisi

nisi quòd hoc nolunt Ecclesiam uocari, quam nos uocamus Ecclesiam (de qua re iam non disputamus) sed tamen pro ea congregatione, quam nos Ecclesiam uocamus, uocent ipsi Synagogam Satanæ,& quocunque nomine uelint, fateri coguntur nos nihil non feciſſe, nihil non pertuliſſe,& propter eam in nos concitaſſe totius orbis odium.

Hoc teſtimonium hoſtium nobis ſatis eſt pro noſtris poſteris admonendis,Scilicet,ne ſciant nos impigrè, fortiter & inuictè ſtetiſſe pro iſta (quam illi Synagogam Satanæ uocant) Eccleſia, quam nos fortè breui defuncturi, relinquimus,non quidem marmoream aut argenteam, ſed ſolidè in Chriſto formatam,eruditam & munitam,Ipſi uiderint quomodo eam conſeruent. Non quòd dubitemus, Chriſtum conſeruaturum eſſe ſponſam ſuam, quam uſque ad noſtra tempora mirabiliter & omnipotenter ſeruauit, ſed ne (ueluti mortuus ſit Satan) ſecuri nimium quidam fiant, qui tum ſibi uidentur maximè Eccleſiam promouiſſe, cum eam optimis ſuis conſiliis (uti putabant) peſſundederint, & ita non tantum Eccleſiam amiſerint, quæ ſuo ſponſo ſtabit in æternum contra omnes portas Inferorum inuicta, ſed etiam alios multos ſecum in barathrum traxerint, antequam putârint. Sicut contigit etiam hoc decennio magnis uiris,magno dolore noſtro,& fruſtra nobis miſerantibus.

Res eſt ſeria,quæ agitur,imò res eſt æterna,ſiue ad mortem,ſiue ad uitam quæ iſtis Propoſitionibus tractatur, ſummo timore Dei attingenda etiam. Et ut ad alia,quæ antea per nos ſcripta ſunt,parua uideantur fortaſſe, tamen,fragmenta ſunt Euangelica, quæ, ſicut Chriſtus loquitur, colligenda ſunt,ne pereant, Sunt enim in his Propoſitionibus articuli principales Euangelij in ſummam coacti, ſine quibus uerè intellectis & purè tractatis, Eccleſia Chriſti non poteſt ſubſiſtere, Et niſi uirtute omnipotentis illius Filij Dei & hominis per eas hactenus ſubſtitiſſet, & ſeruata fuiſſet, ad nos nullo modo peruenisſent,ſed ante mille annos, per portas Inferorum extincti fuiſſent.

Commendatas ergo habeat has Propoſitiones PHILIPPI MELANTHONIS Eccleſia Dei (quod libens faciet) & reliqua poſteritas quoque (ſi uolet) uel hiſtoriæ cauſa. Qui uerò oderit, odiat, Qui perit, pereat.

Chriſtus Ieſus uiuit & regnat per ſecula ſeculorum, qui reddet credentibus in eum, quod promiſit, & incredulis, quod minatus eſt, Cui ſit gloria, Amen.

Datum Vuitebergæ Calend: Ianuarij, Anno 1534.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE IN SCHOLA PROPOSITAE ET FIDELITER EXPLICATAE, A PHILIPPO MELANTHONE.

De peccato Originis.

Peccatum originis.

PEccatum Originis eſt reatus, quo propter lapſum Adæ & propter uicium, quod hæret in natura,poſt lapſum,homines rei ſunt coram Deo,luxta illud: Naſcimur filij iræ, id eſt, rei æternæ pœnæ.

2. Cùm

2. Cùm uicium nomino, complector totam prauitatem, seu ἀταξίαν mentis, uoluntatis & appetitus sensitiui, ut uulgo loquuntur. *Vicium hærens in natura.*

3. Ea prauitas continet horribiles defectus, & prauas inclinationes.

4. Defectus sunt, ignoratio Dei, non ardere amore Dei, uacare metu, fiducia Dei.

5. Hos comitantur prauæ inclinationes, amor nostri, superbia, seu admirari nostram sapientiam, consilia, ludere opinionibus fingendis de Deo, & cultibus, Quærere humana præsidia contra uoluntatem, Dei anteferre uitam, uoluptates nostras, mandato & ordinationi Dei.

6. Hi defectus & inclinationes non sunt propriè sentientis potentiæ, sed superiorum, mentis & uoluntatis, tamen sequitur etiam ingens ἀταξία in inferioribus uiribus. *Defectus & inclinationes prauæ.*

7. Anselmus utrumque complecti uoluit, defectus & inclinationes, cum ait, Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis. *Anselmus.*

8. Cæteri nomine concupiscentiæ utrumque complexi sunt, idque expressè monet Bonauentura. *Bonauentura.*

9. Significat igitur concupiscentia in hac quæstione, non substantiam creatam à Deo, sed morbum, qui accessit post lapsum, id est, ἀταξίαν, seu defectus, & prauas inclinationes in mente, uoluntate, & cæteris uiribus. *Concupiscentia.*

10. In Baptismo reatus tollitur, morbi manent, etsi frenantur à Spiritu sancto.

11. Nec existimetur leue malum esse, reliquum uicium.

12. Tria sunt grauissima testimonia, quæ ostendunt magnitudinem huius mali. Dignitas uictimę magnitudo, calamitatum humanarum, quibus subiecti sunt & Sancti, propter hoc malum, item lapsus Sanctorum, ut Moses dubitauit ad rupem, unde aquam elicere iussus erat, & duriter obiurgatur propter id peccatum. Dauid quàm graues lapsus habet? Aaron adsensit facientibus uitulos. Denique omnes Sancti peccant securitate, diffidentia, superbia, impatientia, & alijs multis flammis cupiditatum. *Magnitudo peccati originalis.*

13. Non igitur hic morbus ἀδιάφορον quiddam est, sed uicium pugnans cum lege Dei, dignum morte æterna, ubi non condonatur, & cum Sanctis condonatur, luctari cum hoc malo fidem oportet.

14. Sententiarij non eodem modo senserunt omnes, Bonauentura, & quidam alij agnoscunt uicium in mente & uoluntate esse, pugnans cum lege Dei. Laudat enim dictum Hugonis, qui ait, Peccatum originis est ignorantia in mente, & concupiscentia in carne. *Sententiarij.* *Hugo.*

15. Nec reprehendimus eos, qui rectè sentiunt, ne illi quidem nostros improbaturi erant, cum negamus illum morbum ἀδιάφορον esse.

16. Occam mauult dicere peccatum originis tantùm esse reatum, sine ullo uicio. *Occam.*

17. Reliqua turba apertè negat in uoluntate uicium esse post acceptam gratiam, postea addit fomitem tantùm in corpore esse, nec concedunt esse uicium.

18. Franciscanus Colonienſis etiam rem bonam esse putat, inquiens: Si carni præciperetur, non concupisces, perinde esset, Ac si Deus præciperet Soli & Lunæ, ne lucerent, Igni, ne arderet. Hæc omnia agunt ui naturæ impellente. *Franciscanus Colonienſis.*

19. Quid

19. Quid magis asininum cogitari potuit, quàm quòd fingit concupiscentiam rem bonam esse, ut lumen Solis?

20. Discerni enim debent, substantia à Deo creata, & uicium, seu ἀταξία, quæ postea accessit.

Formale peccati. 21. Formale peccati propriè est reatus, Materiale est ipsum uicium, hoc est, defectus & inclinationes prauæ.

Sententiarij. 22. Hoc non satis attenderunt recentiores Sententiarij, qui uocant defectum formale peccati, cum sit formale uicij, Materiale uocant concupiscentiam, id est, appetitiones in sensu.

23. Ideo remoto defectu in Baptismo, sicut ipsi imaginabantur, cætera putabant esse ἀδιάφορα.

24. Et, ut fit, in hoc errore multi sunt errores inuoluti, quos explicare longum esset, & multa dicunt contra Dialecticam.

25. Hinc sequitur, quòd fingunt hominem legi Dei satisfacere posse &c. nec de fide quicquam dicunt.

26. Quare simplicem ueritatem retineamus, nec quæramus, quomodo excusemus aliorum errata.

Peccatum in Sanctis. 27. Et Prophetæ, & Apostoli apertè uocant peccatum, naturæ infirmitatem reliquam in Sanctis.

28. Et Paulus discernit inter peccatum & damnationem, hoc est, inter uicium illud pugnans cum lege Dei, & reatum.

Autumnus. ETsi autumnus plerisque auget morbos, tamen rectè dicit Hesiodus, in Autumno corpora melius affecta esse.

μετὰ δὲ τέτρατα μῆνα γόως
πολλὸν ἐλαφρότερος.

Hyems. 30. Rectè illud, plus hyeme cibi dandum esse hominibus ἐπὶ δὲ χωρὶ τὸ πλέον εἶναι, Et tamen idem Poëta inquit, bobus tunc dimidium pabuli tantum dandum esse.

ALIA DISPVTATIO DE *concupiscentia.*

Appetitionum gradus. ARistoteles rectè constituit tres gradus appetitionum. Diuidit enim ὀρέξεις in ἐπιθυμίαν, θυμὸν & βούλησιν.

2. Est & hæc diuisio uera, Tres esse potentias appetentes, naturalem, sensitiuam & uoluntatem.

3. Naturalis appetit cibum, potum, & generationem.

4. Sensitiua est adfectuum cordis, item delectationis & doloris in tactu, & cæteris sensibus.

5. Voluntas est & ipsa superior potentia appetens, quæ cum sit infirma, rapitur motibus cordis, etsi etiam habet aliam actionem, qua cohibet externa membra.

Animæ partes. 6. Partes animæ sunt creaturæ Dei, & aliquæ earum appetitiones, sunt naturæ hominum diuinitus attributæ, quæ essent res bonæ, si natura esset integra, nunc hærent in natura mutilatæ ac distortæ, sunt enim auersi motus à Deo, sed restituuntur in renascentibus.

7. Fames, sitis, appetitio generationis, στοργαὶ φυσικαὶ, nemesis heroica, misericordia, uelle oppetere mortem pro patria, & similes motus, etsi diuinitus nobis

nobis attributi sunt, & in integra natura nihil haberent uicij, tamen à concupiscentia contaminantur, ut maneat uniuersalis sententia: Sensus carnis mors est.

8. Concupiscentiam uerò, quæ per se & simpliciter peccatum est, de qua concionatur Paulus Roman: 7. sic uerè definio, Esse horribilem ἀταξίαν, seu defectus & impetus in omnibus uiribus humanis contra legem Dei, sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Item de defectu: Omnes carent gloria Dei. *Concupiscentia.*

9. Hinc sunt simpliciter peccata in anima, ignoratio Dei, dubitatio, contemtus iudicij diuini, audacia in fingendis opinionibus & cultibus Dei contemto eius uerbo, Amor nostri, superbia, appetitio gloriæ & uoluptatum omnis generis, mendacia, libidines. His uitijs seruiunt motus similes uitiosi in corde, Et appetitio uoluptatum, quæ est motus cordis, incendit libidines, irritat gulam, & conturbat ordinem naturalium appetitionum.

10. Iam quanta uis sit concupiscentiæ, ostendit uita humana, in qua uidemus hos affectus concupiscentiæ regnare. Historiæ omnium temporum Tragœdiæ, Poëmata, pingunt mundi Idolatriam, ambitionem, perfidiam, auaritiam, iniustas cædes, libidines &c. *Vis concupiscentiæ.*

11. Impiè errant scholastici Theologi, cùm uociferantur, concupiscentiam non esse peccatum. *Scholasticorum Theologorum error.*

12. Et stoliditas est, quòd fingunt concupiscentiam tantùm esse in sensitiuo appetitu.

13. Hi errores obscurant et contaminant doctrinam Ecclesiæ necessariam, de peccato & de gratia.

14. Nam & in pœnitentia crescere debet agnitio nostræ infirmitatis, & amplitudo gratiæ, ac iusticia fidei intelligi non possunt, obscurata Euangelij doctrina de magnitudine peccati & morbo nostro.

15. Quare sceleratè facit Eccius, qui ueram sententiam de hac re labefacere conatur, eaq; in re partim scurrilibus conuicijs ludit, partim manifestam Sycophantiam exercet, deprauans rectè dicta. *Eccius.*

16. Non est extenuandum hoc peccatum, quod uidemus, quantum Deo displiceat, cùm propter id morti & tot ingentibus calamitatibus humanum genus subiecerit, cumq; non tolli potuerit, nisi per Filium Dei.

17. Quare cùm Paulus dicat: Si quis aliud Euangelium docuerit, Anathema sit, sciamus non posse esse membra Christi ullos, qui aut fouent aut probant tales impios Doctores, quales sunt Eccius & eius Thyasotæ.

ALIA DISPVTATIO DE PECCATO *reliquo in renatis.*

MVltæ graues & magnæ causæ sunt, quare necesse sit doceri Ecclesias, quòd in Renatis sit reliquum peccatum. *Peccatum reliquum in renatis.*

2. Nam qui fingunt renatos sine peccato esse, imaginantur eos legi Dei satisfacere, & hanc qualemcunq; obedientiam esse legis impletionem.

3. Ita amittitur discrimen inter iusticiam philosophicam, & iusticiam fidei & obscuratur doctrina de iusticia fidei, denicq; horribili caligine obruitur Euangelium.

Peccati definitio.

4. Ac ne quid erroris sit in appellationibus, primum definio peccatum esse defectum, aut inclinationem, aut actionem in uoluntate, aut uiribus obtemperantibus, pugnantem cum lege Dei, offendẽtem Deũ, seu promerentem iram Dei & æternas pœnas, nisi fuerit facta remissio seu condonatio. Hæc est uera & perspicua definitio peccati.

5. Manent autem in renatis, caligo in mente, quæ parit dubitationes de Deo horribiles, & in uoluntate defectus timoris & amoris erga Deum & multi uicioſi impetus, manet & contumacia inferiorum uirium, quas uoluntas, ut deberet, regere non potest, nec ipsæ obtemperant, sed fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Naturæ prauitas.

6. Nec ociosa est hæc naturæ prauitas, sed adsiduè parit uicioſos motus, dubitationes, diffidentiam, carnalem securitatem, amorem & admirationem sui, admittit illecebras inconcessas &c.

7. Hæc mala, hoc est, ipsa naturæ prauitas, & motus inde orti etiam *in renatis*, sunt sua natura peccata, etiamsi condonantur renatis.

Magnes.

8. Magnes est lapis trahens ferrum, nisi impediatur, Si allio fuerit tinctus, non trahit ferrum, & tamen natura Magnetis manet.

9. Ita rectè & planè loquuntur Prophetæ & Apostoli, cum iustis tribuunt peccatum. Nam peccatum est, quod pugnat cum lege Dei, offendit Deum, seu meretur iram Dei & æternas pœnas, nisi fuerit remissum.

10. Manet natura peccati, etiamsi remissio accedit, qua iam tollitur reatus, hoc est, Deus irasci desinit, & obligationem ad pœnam æternam aufert.

11. Hæc faciliora & planiora sunt, quàm quæ ab alijs de materiali & formali hoc loco dicuntur.

Infirmitas in Renatis.

12. Sed ne de uocabulo uideamur rixari, illud defendimus, Reliquã in renatis in mente caliginem, in uoluntate, & appetitu sensitiuo contumaciam seu concupiscentiam, ut uocant, non esse quiddam ἀδιάφορον aut pœnam tantùm, sed quiddam pugnans cum lege Dei, de quo fide petere, & amplecti condonationem debemus, sicut inquit Augustinus, Manet infirmitas, de qua petendum est, Dimitte nobis debita nostra.

13. Quotidie cùm incipis precationem ad Deum, obstrepit agnitio propriæ indignitatis. Hîc fatendum est, hæc mala esse peccata, & credendum, quòd propter Filium Dei uerè placeamus Deo, & exaudiamur, non propter nostram dignitatem.

14. Hæc exercitia ignorant, qui tantùm pœnam & ἀδιάφορον esse concupiscentiam putant.

Concupiscentia.

15. Vocamus autem concupiscentiam, non appetitiones ipsas, aut σαρκὰς conditas à Deo, sed deprauationem.

Inuocatio in dubitatione.

16. Inuocatio in dubitatione, hoc est, cùm dubitat mens, an Deus tibi inuocanti sit propicius, est Academica & impia inuocatio, non est cultus DEI.

17. Nam in inuocatione semper oportet per Mediatorem Christum petere, & fide statuere, quòd Deus sit tibi inuocanti propicius, ac uelit inuocari, & quòd preces non sit irritæ, etiamsi euentus in periculis corporum aliâs aliter gubernat.

18. Certò tamen agens pœnitentiam statuere debet, sed fide accipere propria Euangelij beneficia, quę nominatim iussit Deus peti & expectari, uidelicet remissi-

remissionem peccatorum, iustificationem, & uitam æternam, Iuxta illud: Qui confidit in Dominum, Non confundetur.

19.

ORganum affectuum, qui proprij sunt potentiæ sentientis, est cor. Post quam pars cognoscens accepit obiectum, Spiritus feriunt cor, ut expetat aut fugiat obiectum. *Cor organum affectuum.*

20. Et cor rapit secum uoluntatem, sicut equus contumax sessorem.

21. Non loquimur hîc de delectatione aut dolore, tactum, gustum ac olfactum proximè comitante, nam eius delectationis ac doloris organa sunt nerui, sed loquimur de adfectibus cæteris, qui existunt sine contactu.

ALIA DISPVTATIO DE DISCRIMINE Peccati Originalis & Actualis.

LOngè plus complectitur appellatio peccati in uerbo Dei, quàm in Philosophia. Ideo lapsi sunt Pelagius & similes, qui peccatum in Euangelio tantùm intellexerunt Philosophico more de actionibus, quas ratio uidet, & iudicat esse uitiosas. *Pelagius.*

2. Nam peccatum significat non modò actiones, sed horribilem corruptionem in natura, ream iræ Dei.

3. Etsi Paulus non discernit appellationes peccati originalis & actualis, tamen distinctio illa illustrat Pauli sententiam, & retinenda est, quia Paulus de utroq; loquitur, de peccato originis & de fructibus.

4. Magnitudo beneficij Christi fit conspectior, cùm agnoscitur morbi nostri magnitudo.

5. Philosophia moralis quærit causam humanæ infirmitatis, nec potest eam inuenire, nec remedia firma ostendit. Ergo fit Philosophia gratior, cùm ad eam confertur Euangelium, quòd monstrat causam infirmitatis, & addit remedia.

6. ἠθικὸν significat moderatos & lenes animi motus, tales sine fide habere in magnis calamitatibus nemo potest. *ἠθικὸν.*

7. Ideo ut fiant uera ἤθη necesse est accedere cognitionem Christi.

8. Cùm de Sanctorum infirmitate & lapsibus dicitur, necesse est retineri discrimen peccati uenialis & mortalis.

COmetæ non sunt stellæ, sed flammæ sparsæ à magna mole halitus, & affecerunt siccitates. Ideo uerè & physicè inquit Aratus: *Cometæ.*

ὤφρα μὲν εὐετίη χαίρῃ πεδιήγυιος ἀνήρ,
μήδ' ἔτερ' ἀστέρες ἀστράσι μιγνύμενοι φαίνοιεν ἀεί.
μήδ' εἷς, μήτε δύω, μηδὲ πλέονες κομόωντες,
πολλοὶ γὰρ κομόωσιν ἐπ' αὐχμηρῷ ἐνιαυτῷ.

Fertilis Agricolæ votis contingat vt annus,
Nunquam crinitum videatur in aëre sidus.
Non vnus, geminiúe micent, pluresúe Cometæ,
Apparere solent nam sicco tempore crebri.

ALIA DISPVTATIO DE DISCRIMINE veteris & noui Testamenti.

Lex cur sit lata.

LEX cùm non iustificet, lata est ut iudicet.

2. Hoc est cur Deut. 31. scriptum est: Sit contra te in testimonium.

3. Ideo præter ea, quæ de iusticia Spiritus constituta sunt, additæ sunt iusticiæ carnis, ceremoniæ & iudicia.

4. Vt caro coerceatur ut impijs.

Euangelium ministerium uitæ.

5. Quia Euangelium ministerium uitæ est, ideo nihil constituit de carnalibus & ciuilibus iusticijs.

6. Impiè uetus Testamentum sic à nouo discernunt Scholæ, ut ueteri manum tantùm, nouo concupiscentiam prohiberi statuant.

7. Nam & lex Moysi concupiscentiam uetat, & nouum Testamentum non Lex, sed remissio peccati est.

8. Euangelio iusticia & uita æterna donatur, Ideo ea pars Legis, quæ de rebus externis constituit, antiquata est.

9. Ea pars non est antiquata, quæ iudicat corda.

10. Nam peccatum remitti non potest, nisi lege ostensum fuerit.

11. Hoc est cur Decalogus exigatur, reliqua pars legis non item.

Libertas Euangelica.

12. Iusticia & uita æterna est libertas Euangelica.

13. Hanc comitatur libertas utendi rebus externis, pro arbitrio Spiritus, quia Domini est terra &c.

14. Sed Spiritus subijcit liberos per caritatem, ut rebus utantur, nec contra naturam, nec contra ciuiles ordinationes, quatenus scandali ratio poscit.

ANNO M. D. XXIII.

ALIA DISPVTATIO THEOLOGICA Philippi Melanthonis.

De Lege & Promissionibus.

Falsa legis distinctio.

VSitata & falsa distinctio est, tres esse leges, Naturalem, Mosaicam & Euangelicam.

2. Et magis impium est, quòd adfingunt singulos propter suæ legis obseruationem consequutos esse remissionem peccatorum & uitam æternam.

Lex una.

3. Vna enim Lex moralis est omnium ætatum, donec manet natura Hominum.

4. Eaq; Lex aliquo modo naturaliter nota est.

Euangelium unum.

5. Est & unum Euangelium, uidelicet promissio de beneficijs Christi, reuelata statim post lapsum Adæ, & tradita posteris, ac magis magisq; patefacta, mansura perpetuò.

6. Nec notum est Euangelium rationi, sed tantùm diuinitus reuelatum, ut Iohannes inquit: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

7. Nec patres, nec quisquam saluatur propter Legis obseruationem.

Patres fide saluati.

8. Sed patres fide, id est, fiducia misericordiæ promissæ propter uenturum Liberatorem, saluati sunt gratis, non propter legem.

9. Sicut & nos fide, id est, fiducia misericordiæ promissæ propter eundem Liberatorem Filium Dei iam exhibitum saluamur, gratis, non propter legem.

Patres semper sub lege.

10. Patres etiam ante legem Moisi, ut erant sub morte, ita & sub lege, id est, terroribus iræ & iudicij diuini erant.

11. Sed à Lege liberabantur fide, seu agnitione Christi.

12. Nam

12. Nam & promissiones intelligebant de uera liberatione.

13. Et nonnulli conspexerunt Filium Dei, ut extaret testimonium, quo ad monerentur pij, uerè gubernari & saluari Ecclesiam à Filio Dei, & defendi aduersus horribilem sæuitiam Diaboli. Sic uiderunt Filium Dei, Iacob, Moses, & Daniel, Ideo & Dauid inquit: Osculamini Filium. *Patres uiderunt filium Dei.*

14. Quantò magis nunc statuere debemus, adesse nobis Christum, postea quàm se palàm ostendit mundo.

15. VVicelius impiè corrumpit Pauli dictum: Ex operibus legis non iustificamur, cùm contendit, excludi tantùm ceremonias, non opera moralia sequentia conuersionem. *VVicelius.*

16. Christus enim Patres, & totum genus humanum liberauit à Lege.

17. Quare non intelligenda est liberatio à lege tantùm de ceremonijs, cùm hæ non pertinuerint ad Gentes, aut Patres ante legem.

18. Absurdissima est Basilij uox, qui quærenti, Quomodo simus iusti, cum tamen in singulis sint peccata, respondet, Si plura sint peccata, sit peccator, Sin autem plura rectè facta, sit iustus. *Basilij error.*

19. Hoc dictum abolet doctrinam de fide, & adfert desperationem. Verba eius hæc sunt in Homilia de Pœnitentia, Pagina 436. ἐι πλείονα τὰ ἁμαρτήματα, ἔσω ἁμαρτωλός, ἐι δὲ πλείονα τὰ δικαιώματα, ἔσω δίκαιος.

VErum est dictum Platonis, nasci nobiscum aliquas noticias, ut numerorum, ordinis, proportionis, consequentiæ syllogisticæ, quædam principia Geometrica, Physica & moralia. *Noticiæ aliquæ nobiscum nascuntur.*

21. Etsi ad has excitandas primùm moueri oportet intellectum cognitione aliquorum singularium.

22. Nec intelligo unde esse, moralium certitudo, nisi essent innata principia, Ideo Paulus inquit: ἔργον τὸ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις.

MAcrobius tribuens Semidiametro Horizontis centum et octoginta stadia, id est, miliaria germanica circiter quinq, loquitur de horizonte quatenus acies oculorum terminum constituit. *Macrobius. Semidiameter Horizontis.*

24. Proclus semidiametro horizontis tribuens mille stadia, id est, milliaria germanica circiter triginta, loquitur de horizonte, quatenus uariant sensibiliter cœlestes apparentiæ, secundum longitudinem & latitudinem. *Proclus.*

25. Postea rursus inquiens horizontem uariari post 400. stadia, id est, milliaria germanica circiter duodecim, non uult hanc esse diametrum, Sed negat tanto spacio uariari cœlestes apparentias sensibiliter, hoc est, quarta horæ parte.

26. Et hæ descriptiones uariant locis, Ideo eruditè Geographi discernunt interualla locorum gradibus, non stadijs.

ALIA THEOLOGICA DISPVTATIO
De Iustificatione.

Quare fide iustificemur non dilectione.

ETiam aduersarij nostri coguntur fateri, Quòd in Iustificatione necesse sit primùm fieri remissionem peccatorum, quia omnes sub peccato sumus.

2. Impossibile est remissionem peccatorum fieri, nisi fide in Christum, cùm apprehendimus Christum Mediatorem, & opponimus eum iræ Dei. Hęc fides consolatur & erigit conscientias.

3. Impietas est sentire, quòd dilectione Dei consequamur remissionem peccatorum, Quia id est sentire, quòd propter nostrum opus, non propter Christum habeamus remissionem peccatorum, Ita meritum Christi tolleretur & obrueretur.

4. Imò impossibile est adesse dilectionem, nisi prius sit apprehensa misericordia, Nam priusquam hoc fit, corda fugiunt iram Dei, & irascuntur iudicio Dei.

Sola fide iustificamur.

5. Ergo manifestum est, quòd sola fide iustificemur, hoc est, ex iniustis accepti efficiamur, & regeneremur.

Triplex iustitia.

6. Triplex iustitia est, Vna rationis, Altera, quam lex Dei exigit, Tertia quam Euangelium promittit.

7. Constat nos neq; ratione iustificari, neq; lege, sed Euangelio, Nam alioqui frustra Euangelium traditum esset.

8. Constat Christum mediatorem esse, nec nos habere accessum ad Deum ratione, aut lege prius, quàm per Christum.

9. Nec per Christum habemus accessum, nisi fide, Roman. 5.

Iustitia rationis.

10. Iustitia rationis est iustitia operum, quæ ratio efficit, Hanc iustitiam Homines intelligunt.

11. Falsum est, quòd talia opera rationis, ut monachatus, & similia exercitia, mereantur remissionem peccatorum.

12. Nam hoc est honorem Mediatoris ademtum Christo, tribuere illis operibus rationis. Fide per Christum habemus accessum ad Deum, non per opera rationis.

Iustitia legis.

13. Iustitia Legis est, dilectio Dei & proximi, hanc non intelligit ratio humana, Et Sophistæ loquentes de dilectione Dei, quid sit dilectio non possunt ostendere, quia natura humana oppressa concupiscentia, non uidet quid sit diligere Deum.

14. Honos Mediatoris non est tribuendus nostræ dilectioni, etiamsi qua esset, Ideo accedimus ad Deum, non merito dilectionis nostræ, sed fide propter Christum.

15. Ideo dicit Paulus, Nos non iustificari ex lege, sed ex promissione.

16. Necesse est igitur iustitiam promissionis adesse ante iustitiam legis.

17. Promissio fide accipitur, Prius igitur fide iusti sumus, quia accipimus promissam reconciliationem, quàm legem facimus.

18. Maledicti sunt, qui ad Deum lege aut ratione accedunt, sine Mediatore Christo.

Iustitia legis in renatis incoata.

19. Et tamen cùm fide renati sumus, accepto Spiritu sancto, fit in nobis iustitia legis, dilectio Dei & proximi, timor Dei, obedientia erga Magistratus, Parentes, patientia, & similes uirtutes.

20. Hæc incoata impletio Legis est effectus in his, qui iam fide iustificati sunt & renati.

21. Non igitur regenerat dilectio.

22. Principio igitur iustificamur fide, cum qua simul incoatur nouitas.

23. Nec honos Mediatoris postea transferendus est in impletionem legis, quæ in nobis fit.

24. Ideo nec postea reputamur iusti coram Deo propter illam legis impletionem, sed ideo, quia fide habemus accessum per Christum.

25. Et

25. Et illa legis impletio est ualde exigua & immunda, quia manent in nobis reliquiæ peccati.

26. Et tamen hæc iusticia legis fidem necessariò sequitur.

27. Sed hoc est præstandum, ne ita quæramus iusticiam Legis, ut fidem tollamus, nêue confidamus illa Legis impletione, Certò statuendum est, quòd fide propter Christum iusti reputemur, qualis qualis sit illa legis impletio, quæ sequi debet.

28. Sophistæ tantùm loquuntur de Legis impletione, de fide non dicunt, fingunt nos iustos reputari propter illam impletionem legis, non per fidem.

29. Et sumus iusti per illam iusticiam, non iusticia legis, quam Deus non acceptat, nisi propter fidem, qua Mediatorem Christum apprehendimus.

30. Hinc facilè omnes sententiæ de operibus explicari possunt:, Nunquam potest fieri lex, aut si quid fit, non est acceptum, nisi prius fide apprehenderimus Mediatorem Christum. sic docet Christus: Sine me nihil potestis facere. *Lex quando fiat.*

31. Ergo quandocunq; laudantur opera, necesse est intelligi, quòd fides adsit, quia sine Christo nihil placet Deo.

32. Insania est imaginari, quòd lex uerè fiat sine Christo, tantùm igitur opera propter fidem sunt accepta.

33. Iacobus dicit, Iustificamur fide & operibus, quia opera iustificant iusticia Legis, quæ certè fidem sequi debet, sed tamen hæc iusticia legis, non est iusticia coram Deo, nisi propter fidem.

34. Et hæc sequentia opera, quia propter fidem placent, etiam meritoria sunt, non iusticiæ aut uitæ æternæ, sed aliorum bonorum corporalium & spiritualium. *Opera sequentia fidem meritoria.*

35. Lex enim habet mercedem, quare in nobis impletio Legis meretur certa præmia.

36. Cùm dicimus: Sola fide iustificamur, intelligi hoc debet, non tantùm quòd fides initio accipiat remissionem peccatorum seu conuertat, sed etiam quòd deinceps sola fides reputetur à Deo pro iusticia, tametsi impletio Legis necessariò sequitur: uerùm hæc impletio legis non est accepta coram Deo, nisi propter Christum, qui apprehenditur fide. *Sola fide iustificamur.*

37. Ita habent Conscientiæ certam consolationem in Christo per fidem, & sciunt quomodo operandum sit, & quæ opera placeant, & quòd fide per Christum accipiant Spiritum sanctum, ut benè operari queant.

38. In summa: Concluſit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

39. Aristoteles rectè & prudenter dicit, medium in uirtute, constituendum esse proportione Geometrica non Arithmetica. *Aristoteles.*

ALIA DISPVTATIO DE ANTITHESI

humanarum opinionum, & Veræ sententiæ de Iustificatione.

DVo genera sunt eorum, qui dicunt, fide & operibus iustificari homines.

2. Primi sunt, Qui fidem tantùm intelligunt de noticia historiæ, & somniant homines pronunciari iustos simpliciter propter propriam dignitatem.

3. Iubent enim dubitare conscientias, an Deo placeamus.

4. Hæc prima & uulgata opinio merè fanaticum somnium est.

5. Est enim extrema cœcitas, somniare hominem legi satisfacere, hominem sine peccato esse. Hæc deliramenta hærent in primo genere.

Fides est Paulo fiducia misericordiæ.

6. Et apud Paulum fides haud dubiè significat fiduciam misericordiæ, non tantùm noticiam historiæ. Loquitur enim Paulus de quadam fide, quæ est motus pacificans corda, & quæ agit aliquid in certamine conscientiæ &c.

7. Et hæc fides maximè pugnat cum dubitatione.

8. Facilè confutari potest hæc prima opinio, quia constat, neminem Legi satisfacere. Constat & hoc, Paulo fidem esse fiduciam misericordiæ. Constat item dubitationem impiam esse. Itaq; etsi hoc somnium indocti adhuc retinent, tamen cordati omnes explodunt.

9. Vident enim cordatiores omnino fatendum esse, quòd Legi nemo satisfaciat, quòd nemo sit sine peccato, uident Paulum prohibere, ne quis glorietur, Agnoscunt dubitationem rectè reprehendi. Fatentur Paulo fidem significare fiduciam misericordiæ. Fatentur item, longè anteferri hanc fiduciam non solùm ceremonijs, sed etiam operibus moralibus.

10. Habenda est igitur gratia his, qui hæc monuerunt, & Ecclesiam tamen à priore opinione plus quàm monstrosa liberârunt.

11. Sed hæc secunda opinio ita docet, homines principaliter iustos esse fide, id est, fiducia misericordiæ, minus principaliter propter dignitatem operum, eò quòd legi nemo satisfaciat, ideoq; fiducia misericordiæ sarciat id quod deest.

12. Hæc secunda opinio concinna est in speciem, Ideo diligenter excutienda est.

13. Paulus enim disertè dicit, gratis, item, sine operibus, Item prohibet disertè, ne quis glorietur. Et Daniel inquit: non in Iustificationibus nostris, sed in misericordia tua.

14. Secunda opinio etiam relinquit conscientias incertas, quia fides hîc etiam pendet ex dignitate nostra, & ex aliqua parte legis. Nec tamen potest ille gradus legis constitui, qui Deo satisfaciat. Ideo non minus fit res incerta hîc, quàm iuxta priorem opinionem, idq; conscientiæ experiuntur.

15. Tertia est igitur nostra sententia, de exclusiua, Quòd iusti pronunciemur propter solam misericordiam in Christo promissam, & hanc misericordiam oportet fide apprehendi.

16. Seponendæ interea sunt disputationes de Libero arbitrio. Nam hîc agitur, promissionem esse donationem, ut sit certa, non agitur illud, nos nihil agere, etsi hoc scire oportet, neminem legi satisfacere.

17. Hæc facilia intellectu sunt, si quis semel constituerit, Paulo fidem significare fiduciam misericordiæ, quia fiducia non potest niti communiter Deo & nostra dignitate.

18. Cùm meritum tollitur ideo, quia nos nihil agamus, manent incertæ conscientiæ, quærunt enim suam nouitatem, & obrepit opinio, nos pronunciari iustos, non quia promissio sit gratuita, sed quia iam renouati simus, Nunquam autem minus nouitatis conspicitur, quàm cum maximè angitur conscientia.

Nouitas sequitur uerbum et fidem.

19. Illa est recta uia, ordiri à uerbo, & quærere in uerbo consolationem, Nec somniandum est, quòd nouitas antecedat uerbum, sed sciendum, quòd sequatur uerbum & fidem.

20. Non igitur tollimus opera, tantùm ostendimus, unde conscientiæ fiant certæ, imò summa & difficilima opera præcipimus, Nam hæc fiducia non est fri-

est frigida noticia, sed est opus, quod perpetuò luctatur cum dubitatione & imbecillitate nostra, nec existit nisi in pœnitentia.

21. Et Christiani sciant, se hanc fidem quotidie in omni inuocatione, in omnibus periculis exercere debere.

22. Estq; opus præcipuè meritorium, & tamen existere & exerceri non posset, si pendêret ex conditione dignitatis nostræ.

23. Idq; tum consolatur pias mentes, tum adhortatur ad ea opera exercenda.

24. Si secunda opinio transfert fiduciam tantûm ad misericordiam, non ad nostra opera, inflectitur quidem ad nostram sententiam, sed tamen quia uidetur assuere conditionem, manent incertæ conscientiæ.

25. Manifestum est, Paulum de fiducia loqui, non de noticia historiæ. Manifestum & hoc est, Paulum anteferre fiduciam non solùm ceremonijs, sed etiam moralibus operibus, id si quis negat, plus quàm πεπφώμων est.

26. Non igitur id agit tantùm Paulus, ut ceremonias abroget, sed collationem instituit omnium operum, seu totius Legis, & eius beneficij, quod adfert Christus.

27. Ita igitur antefert, nos iustos pronunciari propter beneficium Christi, non propter legem, quia legi nemo satisfacit.

28. Secunda opinio, iubet homines quàm minimum tribuere suæ dignitati, scilicet, ne animis fiducia Christi excutiatur.

29. Quantò igitur magis hoc iuuat conscientias scire, quòd uerè gratis accepti simus, Id uerò quantum accenderet bonas mentes, si scirent, se hoc statuere debere.

30. Et nihil est periculi detrahere fiduciam operibus omnino, cum tamen ipsa opera requirantur.

31. Itaq;, ut teneamus certam & firmam consolationem, defendimus, statuendum esse, quòd certò iusti simus gratis per misericordiam propter Christum fide.

REctè dicit Aristoteles, sua sponte Homines bona & mala facere, Et tamen uerum illud est, quod ait Plato in Timæo, Nemo uolens malus est, sed mali fiunt tales propter prauum corporis habitum & effrenem educationem, κακὸς μὲν ἑκὼν οὐδεὶς γίγνεται· κακὸν δὲ σώματος ἕξις ἀνάτροφός τε ἔμφυτος ἀνάξιος. Nocet igitur moribus barbarica ingluuies huius ætatis. *Aristoteles. Plato.*

33. Heraclitus in hanc sententiam uerè dixit, ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη, Nam in hanc sententiam Plutarchus interpretatur. Quodq; Galenus physicè dictum scribit, non displicet, quare etiam physicè intellectum non improbamus. *Heraclitus.*

ALIA DISPVTATIO DE SENTENTIA *dicti: Fide iustificamur.*

IVsticia ciuiliter significat obedientiam erga superiorem, ut in Ethicis rectè & eruditè docet Aristoteles. *Iusticia ciuilis.*

2. Et iusticia sic sumta significat nostram qualitatem, & nostra opera.

3. Et complectitur obedientiam pariter omnium mandatorum.

4. Hanc significationem Theologi intempestiuè philosophantes transtulerunt in Paulum, & somniauerunt à Paulo iustos dici, quia habeant qualitates ac uirtutes, quibus Legi obediant. *Theologi intempestiuè Philosophantes.*

5. Id

5. Id uerò est docere fiduciam propriæ qualitatis ac propriorum operum.

6. Ad eundem modum uocabulum gratiæ deprauant, qui gratiam intelligunt, non relatiuè de misericordia seu gratuito fauore, sed de qualitate.

7. Cùm dicunt, Homines per gratiam Deo placere, intelligunt gratiam, non misericordiam Dei, sed dilectionem nostram.

8. Id quoq; est docere fiduciam nostræ qualitatis, seu operum nostrorum.

9. Hæc deprauatio uocum inprimis obscurat Paulum.

10. Itaq; cùm de Iustificatione disputatur, primùm germana & simplex uocum significatio quæri debet, quemadmodum in omnibus disputationibus initiò faciendum est.

11. Verissimum enim illud est, quod Aristoteles inquit, hos qui uim uocũ non tenent perinde decipi, ut falluntur in computando imperiti Arithmetices, Ὥσπερ κἀκεῖνοι μὴ δεινοὶ τὰς ψήφους φέρειν ὑπὸ τῶν ἐπισκμόνων βλάπτονται, ἐν αὐτὸν ξόπον καὶ τῶν λόγων οἱ τῶν ὀνομάτων τῆς δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται, καὶ αὐτοὶ διαλεγόμενοι καὶ ἄλλων ἀκούοντες.

12. Significat igitur iustificari apud Paulum propriè reputari iustum. est enim Ebraica consuetudine forense uocabulum, ut si quis dicat, Populus Romanus iustificauit Scipionem accusatum à Tribunoplebis, hoc est, pronunciauit iustum, innocentem.

Iustificari apud Paulum quid significet.

13. Relatiuè igitur intelligantur hæc uocabula, non de qualitatibus. Iustus pro eo qui Deo placet, seu pro accepto. Iustificatio, acceptatio, approbatio. Iusticia, reputatio iusticiæ, seu acceptatio passiuè.

14. Et gratia non nostram qualitatem, sed misericordiã in Deo significat.

15. Etsi uerum est, quòd in iustificatione fit regeneratio, & nouæ qualitates existunt in nobis, certè enim noua uita existit.

16. Sed non pronunciamur iusti, hoc est, accepti propter nostras nouas qualitates ac munditiem, sed per misericordiam propter Christum, ut paulò pòst dicemus.

17. Deinde, cùm de Iustificatione dicitur, discerni debent Lex & Promissio, in qua offertur reconciliatio per Christum.

Lex & promissio discernenda.

18. Obedientia erga legem esset iusticia, si legem faceremus.

19. Sed quia Legi nunquam satisfacimus, non est sentiendum, nos à Deo pronunciari iustos propter obedientiam erga legem. Non igitur quærenda est in Lege iustificatio, sed mens à lege ad promissionem misericordiæ reuocari debet.

20. Ideo Paulus ait: Homines fide iustificari, quia sola fides apprehendit promissionem.

21. Nam ideo fide iustificamur, quia est fiducia alieni beneficij, non nostræ qualitatis.

22. Hæc sunt opposita inter se, Fide iusticamur, &, fide iustificamur propter opera. Nam fide iustificari est iustificari fiducia misericordiæ, non propter opera.

23. Ideo ridicula est interpretatio Sophistarum qui affingunt ad uerba Pauli, fide iustificamur, propter dilectionem.

24. Nec potest dici Synechdoche, fide iustificamur, ideo, quia incoet renouationem, cæterùm homines reipsa iustos esse propter sequentem dilectionem.

25. Nam Synecdoche non comprehendit pugnantia, Ideo enim fidei tribuitur iustificatio, hoc est, apprehensioni misericordiæ, quia adimitur nostris operibus.

Cur tribuatur fidei iustificatio.

26. Sequi-

26. Sequitur igitur clarè, Quòd homines sola fide iusti reputentur.

27. Hæc tria disertè coniungi debent, Fide, hoc est, non propter nostram mundi tiem, sed fiducia misericordiæ, consequimur remissionem peccatorum, Item consequimur, ut iusti reputemur, item consequimur uitam æternam.

28. Incerta esset remissio, si pendêret ex conditione nostrorum meritorum, Ideo sola fide accipimus remissionem peccatorum.

29. Incerta esset conscientia in homine renato, si postea sentiendum esset, homines reputari iustos propter opera, aut legis impletionem. Semper enim accusat nos lex.

30. Necesse est autem conscientiam habere firmam consolationem, quare & renati sola fide propter Christum reputantur iusti.

31. Necesse est & renatos sentire, quòd per misericordiam iusti reputentur, non propter suas qualitates.

32. Et tamen uerum est, quòd fide etiam renouamur, cùm enim liberet ex terroribus, parit gaudium, & nouam uitam in corde. *Fide renouamur.*

33. Sequitur eam & obedientia erga Legem, quia postquam & iram Dei aduersus peccata, & rursus fide misericordiam cognouimus, & sentimus Deo uerè nos curæ esse, diligimus & inuocamus eum.

34. Liberi sumus à Lege, non ita, ne fiat Lex, sed quia obligatio cessat iustificationis per legem quærendæ, Donatur enim Iustificatio non propter legem, sed propter Christum. *Liberi à lege quatenus simus.*

35. Et hæc opera legis, sunt iusticia, quatenus sunt obedientia erga Legem, Neq; tamen propter ea reputamur iusti, quia non satisfaciunt legi, Et certè persona est immunda, nisi fide remissionem impetret.

36. Sunt igitur bona opera meritoria, non remissionis peccatorum, aut iustificationis, aut uitæ æternæ, quia tunc demum placent Deo, cum fiunt in iustificatis, prius igitur personam fide iustificari oportet.

37. Vita æterna est merces, non quia opera sint precium dignum uita æterna, sed postquam datur iustis uita æterna propter aliam causam, simul compensat tamen bona opera. *Vita æterna merces.*

38. Neq; tamen habent tantùm mercedem post hanc uitam, sed habent præmia & in hac uita, Iuxta illud: Honora Patrem & Matrem, si uis esse longæuus super terram.

39. Hinc euidenter apparet, quòd Euangelium non abolet Legem.

40. Legem tollere ex hominum natura, est totam naturam & uniuersitatem rerum dissoluere, ut si quis ordinem cœlestium & aliorum corporum dissolueret.

41. Etsi subtiliter cogitatum est à Stoicis, duo esse prima & æterna principia λόγον & ὕλην: Tamen nulla afferri firma eius sententiæ ratio potest, sicut neq; Aristotelis rationes firmæ sunt, quibus conatur persuadere Mundum esse æternum. *Mundus est æternus.*

ALIA DISPVTATIO DE EXCLV-

siua : Sola fide &c.

NEq; intelligi, neq; defendi potest hæc sententia, Quòd sola fides iustificet, si quis imaginatur, ideo fide Homines iustificari, quia fides in nobis sit nouitas quædam, seu noua qualitas.

2. Si enim propter nostram nouitatem iusti pronunciaremur, non solum propter

propter hanc partem nouitatis,sed multò magis propter totam nouitatem,& omnes motus legi Dei consentientes,iusti pronunciaremur.

3. Et abijciendæ sunt istæ imaginationes, Homines ante regenerationem non esse iustos,quia nondum habent munditiem. Post regenerationem iustos esse propter munditiem, quam consecuti sunt.

4. Hæ imaginationes oppresserunt Pauli doctrinam, quæ tamen uel maximè necessaria est conscientijs.

Fidei iusticia quid.

5. Fide homines iustificari, est homines per misericordiam certò iustos pronunciari,modò ut id credant.

6. Nomen fidei significat correlatiuè fiduciam alienæ rei, scilicet misericordiæ Dei.

7. Ergo hæc propositio, Fide iustificamur, in sua simplici & germana significatione, est exclusiua,etiamsi non addatur particula,Sola.

8. Quia fides est fiducia alienæ rei, excludens fiduciam cuiuslibet nostræ qualitatis aut operis.

9. Proinde simpliciter idem significant,fide iustificamur, &,sola fide iustificamur.

10. Et hæc iustificatio, traditur in Euangelio, ut sciamus, quomodo cum Deo agere debeamus, uidelicet ut semper apprehendamus misericordiam. Quis autem adeo demens est, qui non cogitet sibi misericordia coram DEO opus esse?

11. Hoc tantùm quærunt conscientiæ non uecordes, Vtrum illa misericordia sit certa, & quomodo sit certa.

12. Hîc Euangelium docet nos, hanc misericordiam certam esse, & quidem gratis propter Christum.

13. Hoc igitur est fide iustificari,confugere ad illam misericordiam,& statuere, quòd sit certa.

Scholastici, et Campanus.

14. Scholastici, Campanus, & multi passim errant, Illi fidem intelligunt fidem formatam. Campanus dicit,fidem significare simul fidem & opera, Alij fingunt alias cauillationes.

15. Et hæ cauillationes omnes oriuntur ex hac imaginatione, quòd simus iusti propter illam nouitatem, quæ est fides,& alij motus in corde.

16. Et tamen necesse est corda renouari,& nouos motus legi Dei consentientes existere in cordibus.

17. Neq; tamen est fingendum,quòd propter hanc nouitatem iusti simus, sed per misericordiam propter Christum.

18. Summa huius doctrinæ est, quòd per misericordiam simus iusti, & quòd misericordia sit certa.

19. Quis autem tam demens est,qui non cogitet sibi misericordia opus esse? quis est tam uecors ut non optet misericordiam certam esse?

Cur oporteat dici sola fide.

20. Cûm de his rebus oporteat conscientias doceri & confirmari, necesse est doceri,quod sola fide iusti pronunciemur.

21. Quia conscientiæ nullam possunt habere certam & firmam consolationem, nisi sciant nos per misericordiam iustos pronunciari, & misericordiam illam certam esse.

Iusticia quid significet Gratia.

22. Significat igitur Iusticia non qualitatem, sed acceptationem; Iustus eum,

eum,qui acceptus est. Gratia misericordiam in Deo, seu gratuitam acceptationem. Iustificatio,reputari seu pronunciari iustum. *Gratia.*

23. Paulus non tantùm excludit ceremonias,cùm detrahit operibus Legis iustificationem,quia illæ propositiones uerè sunt contradictoriæ: Fide misericordiæ iustificamur,& operibus iustificamur.

24. Quia operibus iustificari est ex debito propter propria opera pronunciari iustum.

25. Non ideo detrahimus laudem meriti bonis operibus,quia bona opera non fiant nostris uiribus,ut Augustinus disputat.

26. Imò ut maximè fiant auxilio Dei,tamen Scriptura pronunciat ea nostra esse,& promittit pro eis mercedem, Sunt igitur meritoria,perinde ac si omnino à nobis fierent.

27. Sed non sunt meritoria remissionis peccatorum, iustificationis,& uitæ æternæ,quia hæc habent aliam causam. Si enim pendêrent ex conditione meritorum,tunc fierent incerta,Nullus enim Sanctus affirmare potest, se habere sufficientia merita. *Opera non meritoria remißionis peccatorum.*

28. Periculosa est imaginatio,Deum dare uitam æternam, non quidem propter opera naturalia,sed propter spirituales qualitates in nobis conditas, Non enim debet fiducia misericordiæ transferri in nostras qualitates.

29. Et tentatio omnis excutit illas qualitates, & ostendit immunditiam nostram,Ideo necesse est quærere aliam causam uitæ æternæ, scilicet gratuitam promissionem, & erigere corda fiducia illius gratuitæ promissionis, ac certæ misericordiæ.

30. Hæc sunt uera,& consentanea dictis Sanctorum, sed cum loquuntur extra disputationes.

31. Et hæc omnia quæ hîc dicuntur de Iustificatione,pertinent tantùm ad conscientiam,luctantem cum iudicio Dei.

32. Interea enim oportet tamen sequi nouitatem in nobis.

33. Et hæc nouitas est qualitas in nobis,& est iusticia Legis seu impletio legis. Hæc iustícia non est sola fides,sed timor,dilectio,inuocatio,obedientia erga magistratus,castitas,& omnes uirtutes,sicut Philosophi uocant uniuersalem iusticiam,quæ omnes uirtutes complectitur. *Iusticia Legis in nobis.*

34. Sed,ut prius dictum est,coram iudicio Dei, propter uirtutes nostras non pronunciamur iusti,hoc est,accepti,semper enim intelligimus nobis opus esse misericordia.

PHILOSOPHICVM.

In hoc Epigrammate uenustè significatum est utrunq;, & turbari mentem uino,& accendi corpora ad libidinem.

ὅπλισμαι πρὸς ἔρωτα περὶ στέρνοισι λογισμόν,
οὐ δέ με νικήσει μοῦνον ἐὼν πρὸς ἕνα,
νυκτὸς δ' ἀθανάτῳ σαυλεύσομαι, ἣν δὲ βοηθὸν
βάκχον ἔχῃ, τὶ ποιεῖν πρὸς δύ' ἐγὼ δύναμαι;

Hoc est.

Sum satis illecebras contra munitus amoris,
Ne solum solus me superare queat.

Nec formido Deum, quamuis mortalis, at iste
Si Bacchi adiunget numina magna sibi,
Non hostes contra geminos contendere possum,
Et spolia ex uno est non graue ferre duos.

35. Ad hæc Seneca ait, Ebriosos etiam cum non biberunt, tamen furere, Idq; uoluit Paulus cum ait, Ne inebriemini uino, quæ res parit ἀσωτίαν, Id defendimus rectè & physicè dictum esse.

CONFIRMATIONES SENTENtiæ Pauli: Fide iustificamur.

Cur non pronunciemur iusti, propter nostras uirtutes.

PAuli argumenta Roma. 4. rectè & aptè probant, quòd non propter nostras uirtutes aut opera pronunciemur iusti, hoc est, accepti coram Deo, sed tantùm per misericordiam propter Christum, si tamen hanc fide apprehendimus.

1. Primum sumtum est ab Autoritate, hoc est, ex testimonio Scripturæ, in quo clarè definitur, quomodo reputemur iusti.

Locus in Genesi clarè dicit, Abraham pronunciari iustum, quia credidit: Igitur pronunciamur iusti, non propter nostras uirtutes & opera, sed per misericordiam, cum hanc fide apprehendimus.

2. Secundum sumtum est ex definitione Iustificationis, quæ in Psalmo traditur.

Iustificatio est propriè remissio peccatorum, iuxta illud: Beatus uir cui non imputat Dominus peccatum. Item, Beati quorum remissę sunt iniquitates, Igitur pronunciamur iusti, nō propter nostras uirtutes, sed per misericordiam.

3. Tertium sumtum est ex ordine causarum & effectuum.

Circumcisio non iustificat.

Abraham pronunciatur iustus ante circumcisionem, Igitur circumcisio non iustificat.

4. Quartum sumtum est ex causa iustificationis, scilicet ex promissione, & fit argumentum ex natura Relatiuorum.

Omnis promissio fide accipitur. Iustificatio est res promissa, Igitur necesse est eam fide accipi.

5. Quintum sumtum est ex proprio legis effectu.

Lex semper accusat conscientias, & ad desperationem adigit. Igitur Lex non iustificat, quia conscientia desperans fugit & odit iudicium Dei, non diligit Deum.

6. Sextum est repetitio quarti, & explicatio, ac naturam fidei multo clarius ostendit, & est huius totius controuersiæ σύνεχον, quo non intellecto, non potest Pauli sententia teneri. Sumitur autem hoc argumentum ex causa promissionis, uidelicet, Vtrum nostra merita sint causa promissionis, an sola Dei misericordia.

Si promissio pendêret ex conditione nostrorum meritorum, esset incerta & irrita. Nunquam enim habemus sufficientia merita, propter quæ conscientia statuere possit, nos dignos esse remissione peccatorum, dignos esse, quos Deus reputet iustos & acceptos: Item, dignos esse uita æterna. Igitur necesse est, promissionem gratuitam esse, & non pendêre ex conditione nostrorum meritorum, alioqui enim erit incerta & inutilis. Iam si pendet reputatio iusticiæ,

sticiæ,non ex conditione nostrorum operum,sed ex sola promissione,sequitur necessariò,Homines pronunciari iustos,sola fide, accipiente illam promissionem,non propter nostras uirtutes aut opera. *Reputatio iusticiæ, pendet ex sola promißione.*

Hoc est quod inquit Paulus, Ideò ex fide gratis,ut sit firma promissio. Item,Si ex lege consequeremur hæreditatem, sublata esset fides,& irrita promissio.

Impia calumnia est,cauillari Paulum: quòd abutatur Scripturæ testimonijs,& hyperbolis quibusdam fidem immodicè ornet,ut in re noua facilius alliciat homines ad Euangelium.

8. Itaq; defendo,& testimonia à Paulo citata aptè quadrare ad hanc causam,& ipsam causam his argumentis satis munitam atq; confirmatam esse.

9. Defendo item Paulum intelligere fidem, fiduciam misericordiæ, non noticiam historiæ,aut præceptorum.

10. Defendo & hoc,quòd detrahat Iustificationem non tantum ceremonijs,sed omnibus uirtutibus ac operibus moralibus,& transferat eam ad misericordiam,quę non est incerta,ut in iudicio humano,sed certa iuxta promissionem. *Paulus detrahit iustificationem omnibus uirtutibus.*

11. Hæc doctrina,quàm sit necessaria,quàm plena consolationis,ita rectè iudicari poterit,si eam experiamur.

12. Hæc autem fides concipitur in pœnitentia,Ideò impij,neq; quid sit fides,neq; quæ sit fidei uis intelligunt.

ALIA DISPVTATIO,
De Fide.

ETiam cum Fides expectat liberationem corporalem, ut fides Mosi ad mare rubrum,aut Fides Noæ, aut Abrahæ expectantis posteritatem: tamen hæc fides existere non potest, nisi adsit fides credens remissionem peccatorum. *Fides expectans liberationem corporalem.*

2. Ideò Paulus rectè accommodat sententias citatas,ut,credidit Abraham Deo,&c. Et rectè dicit,1. Corinth.10. Omnes per Mosen baptizati sunt in nube & mari.

3. Itaq; non intelligunt quid sit fides,qui dicunt Paulum abusum esse testimonijs.

ALIA DISPVTATIO, DE SENtentia & confirmationibus Pauli.

QVod Origenes & alij interpretantur,Paulum abrogare ceremonias Mosaicas,cum disputat,neminem coram Deo iustum esse propter legem,non falluntur.

2. Sed Paulus magis belligeratur cum opinione,quam de lege habebant Aduersarij, quàm cum ipsis ceremonijs,& causam abrogatæ Legis quærit, quòd uidelicet ideò reijciat ceremonias,quia nemo sit iustus coram Deo propter Legem. *Paulus quærit causam abrogatæ Legis.*

3. Itaq;,quod Origenes interea affingit,Homines iustos esse propter opera moralia,obruit beneficium Christi,& conscientias adducit in dubitationem. *Origenis error.*

4. Dubitatio est peccatum,quare necesse est,conscientiam certo statuere, quòd simus iusti,hoc est, accepti Deo.

5. Illa certitudo nullo modo teneri potest, si pendet iustificatio ex conditione nostræ dignitatis seu operum moralium.

6. Defendimus igitur hanc esse Pauli sententiam, Quòd pronunciamur iusti per misericordiam, non propter nostra opera, aut nouitatem nostram, sed gratis, & tamen fide hanc misericordiam accipi oportet.

Iustificatio relatiuè intelligenda.

7. Fides significat fiduciam misericordiæ, Iustificatio intelligitur relatiuè, pro acceptatione, non pro infusione habitus. Iusticia hîc non significat habitum in nobis, ut in Philosophia, sed significat relatiuè acceptationem.

8. Defendimus & exclusiuam à Paulo doceri, scilicet, Quòd sola fide iustificemur, hoc est, quòd fiducia misericordiæ non pendeat ex conditione nostræ dignitatis. Imò nihil aliud uenit in quæstionem apud Paulum, nisi illa exclusiua, & hoc propriè intelligit Paulus, quoties ait: Fide iustificamur. Sentit enim, quod iusti pronunciemur, non propter nostram dignitatem, opera, nouitatem, sed gratis propter Christum.

9. Defendo ad hanc sententiam propriè & rectè quadrare argumenta, quæ affert Paulus.

Testimonia Scripturæ, quod sola fide iustificemur.

I. Ex testimonijs Scripturæ.

CRedidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Hîc Scriptura pronunciat Abraham iustum, quia crediderit, Igitur fide iustificamur.

II. Ex Definitione.

IVstificatio est tantum remissio peccatorum, sicut Psalmus ait: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Igitur sumus iusti, non propter nostras uirtutes, sed diuina acceptatione, quæ approbat indignos.

III. Ex ordine causarum & effectuum.

ABraham pronunciatur iustus antè Circumcisionem, Igitur circumcisio non iustificat. Circumcisio & postea cultus Legis habuerunt præcepta Dei, Ergo si opera iustificabant, necesse fuit, idem sentire etiam de his operibus, At apertè testatur Scriptura, Abraham & Dauidem non esse iustos propter cultus Legis, igitur neq; moralibus operibus erant iusti.

IIII. Ex causa promissionis, Estq; σύνεχον totius negocij.

Promissio pendens ex conditione legis incerta.

PRomissio pendens ex conditione Legis, fit incerta.

Promissionem reconciliationis oportet esse ratam & certam.

Igitur Promissio reconciliationis non pendet ex conditione Legis, sed accipitur sola fide, non propter Legem aut operum dignitatem.

Maiorem probat hoc modo.

Lex semper accusat & condemnat conscientias, Igitur promissio pendens ex conditione Legis fit incerta.

Hinc etiam sumitur argumentum de effectu Legis.

Lex tantum accusat & condemnat, & affert desperationem & odium Dei, Ergo Lex non iustificat, Itaq; non pendet Iustificatio ex conditione legis, tanquam ex causa & precio.

Hæc

HAEc sunt argumenta Pauli, Roma. 4. quæ defendo esse firma, & propria huic causæ. Nosq; τὸ ῥητὸν defendimus, & sententiam ex ipsis Pauli uerbis haurimus, quam sæpè inculcat Paulus. Et cum Aduersarij non retinentes τὸ ῥητὸν, gignant sententiã dissidentem à uerbis Pauli, in qua multa insunt apertè falsa, rectius est sententiam retinere, quam propria uerba Pauli pariunt.

Hæc præconia de Fide: Fide iustificamur, non sunt hyperbolæ, aut synecdochæ, sicut quidam scribunt, qui interpretantur, Paulum seruientem temporis, rhetoricis aut potius sophisticis Encomijs plus iusto uoluisse fidem ornare, ut his laudibus plures ad Christum attraheret, aut certè, ut durius castigati Iudæi, superstitiosam persuasionem de ceremonijs, quas pertinacissimè defendebant, abijcerent. Ac Ricius plus quàm iudaizat, qui Pauli sententiam transformat in durissimam hyperbolen, & contendit, non solum moralibus operibus, sed etiam ceremonijs tribuendam esse iustificationem.

Præconia de Fide in Paulo non hyperbolicè accipienda.

Ricius iudaizans.

12. Non reddunt Pauli sententiam, qui hanc synecdochen comminiscuntur: Fide iustificamur incoatiuè, quia fides regenerat & affert nouas qualitates. Et iudicant renatos uerius propter sequentes qualitates iustos esse, quàm gratuita imputatione.

13. Et prorsus corrumpit Pauli sententiam synecdoche Scholasticorum, qui interpretantur, fide iustificamur, scilicet formata charitate. Apertè enim transferunt iustificationem ad nostra opera, cum contrarium uelit Paulus.

14. In quarto argumento, ubi dicit, Ideo non pendêre promissionem ex conditione Legis, ut rata sit, non loquitur de prædestinatione, sed de certitudine nostræ mentis erga Deum.

15. Aduersarij neq; τὸ ῥητὸν in Paulo retinent, quia sententiam quandam gignunt ex humana ratione contra uerba Scripturæ, neq; tenent τὴν διάνοιαν, quia in ipsorum sententia multa insunt manifestè falsa, & pugnantia inter se.

16. Nam manifestè falsum est, Remissionem peccatorum contingere propter nostram dignitatem, Nunquam enim certi essemus de remissione, si ex conditione nostræ dignitatis pendêret. Manifesta impietas est, quòd iubent dubitare, utrum simus in gratia, utrum habeamus remissionem peccatorum, quodq; dubitationem negant esse peccatum. Et stultissimum somnium est, quod fingunt, Homines consequi posse remissionem dubitante conscientia.

Homines non consequuntur remissionem dubitante conscientia.

17. Item manifestus error est, quòd docent, Homines legi Dei satisfacere posse. Denicq; hærent alij multi errores in Aduersariorum doctrina.

ALIA DISPVTATIO, DE IVSTIficatione Fidei, & iusticia Legis seu Vniuersali.

IVstificatio nullis operibus aut meritis humanis, sed soli fidei, quæ est fiducia misericordiæ propter Christum promissæ, tribuenda est.

Iustificatio soli fidei tribuenda.

2. Nihil enim aliud est iustificari, quàm à Deo condonari peccata, & imputari iusticiam credentibus, ut Dauid definit.

Iustificari quid.

3. Et hæc beneficia non pendent ex conditione meriti, seu dignitatis nostræ, sed gratis propter Christum promittuntur.

4. Imò nisi remissio peccatorum sit gratuita, non potest dici remissio, sed potius est quædam compensatio & satisfactio pro peccatis.

5. Eodem modo imputatio iusticiæ,nisi gratis fiat, non erit imputatio secundum gratiam,sed debitum potius.

Nemo ex operibus Legis iustificatur.

6. Certum est ergo,neminem ex operibus Legis,nedum ex obseruatione traditionum humanarum,sed omnes sola fide in Christum, coram Deo iustificari.

Dilectio legis impletio.

7. Quod uerò Paulus ait,Dilectionem esse legis impletionem,dictum est legaliter, nec pugnat cum nostra sententia.

8. Sed interea etiam hoc affirmamus,nouitatem uitæ in reconciliatis esse necessariam.

9. Nec tamen ideo bona opera sunt aliqua partialis causa iustificationis.

10. Et blasphemi sunt in Christum,tam ij,qui operibus & fide pariter iustificari nos sentiunt,quàm qui solis operibus iustificationem attribuunt.

Iusticia in Philosophia quid?

11. Cæterum,Iusticia in Philosophicis disputationibus,non significat imputationem iusticiæ,seu diuinam acceptationem.

12. Hanc enim gratuitam Dei misericordiam ratio naturalis prorsus ignorat.

13. Sed significat qualitatem,seu habitum in nobis, ac uel in genere obedientiam erga omnes leges,uel tantum eam uirtutem,quæ in ordinatione personarum,& contractibus suum cuiq; tribuit.

14. Hæc est præcipuum uinculum societatis in consuetudine hominum, quo dissoluto,necesse est disipari, & corruere Respublicas.

ALIA DISPVTATIO, DE FIDE

Vincente dubitationem.

DIscernendæ sunt promissiones additæ Legi, & illa, quæ est Euangelij propria, uidelicet, promissio reconciliationis propter Filium Dei.

2. Paulus ait promissionem Euangelij propriam,gratuitam, & fide accipiendam esse,Roma.4.Ideo ex fide gratis,ut firma sit promissio.

3. Cum accipi promissionem fide oporteat, fides necessariò significat assentiri illi promissioni,& cum dubitatione pugnat.

Cur non dubitandum, an Deo placeamus.

4. Ergo impiè obruunt Euangelium,qui semper iubent dubitare,an Deo placeamus,& docent eam dubitationem non esse peccatum.

5. Hac dubitatione Filius Dei contumelia afficitur,quia quæritur reconciliatio,non propter Filium Dei,sed propter dignitatem propriam.

6. Et ambigenti animo excutitur consolatio, Et corrumpit præcipuos Dei cultus dubitatio.

7. Nam inuocatio dubitantis,an Deo curæ sit, an placeat Deo, an audiantur suæ preces,est ethnica inuocatio, & nihil differt ab inuocatione,quam recitat Vergilius: An te Genitor,cum fulmina torques, Nequidquam horremus.

8. Dubitatio parit contemtum aut odium Dei, hæc sunt peccata, quæ,ut Paulus ait, per Legem existunt.

9. Rectè Iacobus inquit: Petat in fide non hæsitans.

Honor Dei proprius.

10. Vult Deus sibi hunc honorem tribui, quòd uerè propter Filium suum nos recipiat, respiciat & audiat preces nostras. Sic uult inuocari, non ut inuocant Xenophon aut Cicero,seu Academici, quales nos esse uolunt,qui iubent dubitare.

Tenen-

11. Tenendum est dictum Iohannis: Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Ergo non credens promissioni Euangelij, non tribuit Deo laudem ueritatis.

12. Quoties incipis dicere precationem, quoties inuocas Deum in omnibus negocijs, initio cogita, & propicium esse tibi Deum, & certò audiri tuas preces, propter Filium Dei, Sicut inquit ipse: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, &c. *Quid cogitandum in uera inuocatione.*

13. Nisi præluceat hæc fides in inuocatione, precatio est inanis.

14. In hoc exercitio disces ueram esse propositionem, propriè loquendo, Sola fide coram Deo iusti, id est, accepti seu reconciliati sumus.

15. Et tamen uerissima est propositio, Reconciliatum necesse est habere incoatam obedientiam spiritualem, & iusticiam bonæ conscientiæ.

16. Amissa iusticia bonæ conscientiæ, excutitur fides, & amittitur gratia, Iuxta illud: Summa mandati dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.

17. Vera est Propositio, & in quarto modo dicendi per se, Sola uolumus, etiamsi uoluntas nunquam est sola, sed semper cum intellectu coniuncta. Ita uera est Propositio, Sola fide sumus iusti, id est, accepti, etiamsi fides nunquam est sola.

18. Nec tamen de uerbis litigamus. Rem retinere cupimus, ut intelligant bonæ mentes, se habere condonationem, & placere Deo propter Filium ipsius, Fide, non propter Legem, seu propriarum uirtutum dignitatem.

19. Nec dubium est, hunc esse consensum Prophetiçæ & Apostolicæ scripturæ, sicut & Petrus in Actis adfirmat.

20. Ideò detestanda est Aduersariorum rabies & pertinacia, qui damnant has sententias de fide, ac insuper iubent dubitare, & uocabulum fidei deprauant, quo non aliud intelligunt, nisi professionem historiæ de Christo.

21. Non est Synecdoche, cum dicitur: Fide iustificamur, sed propriè sic dicitur, & fides significat fiduciam misericordiæ promissæ propter Filium Dei, Hæc fides intuetur promissionem, sicut Paulus Roma. 4. docuit.

22.

FInis hominis non est uoluptas, ut Epicurus inquit, & uox illa Epicuri, quam citat Athenæus, non tam hominis est, quàm pecudis, ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονὴ, καὶ τὰ σοφὰ τὰ πρόσω ταύτην ἔχει τὴν ἀναφοράν. *Voluptas non est finis hominis.*

23. Nec Aristotelis sententia de fine bonorum integra est, Nam & ueræ rationis iudicio finis est hominis, Deum celebrare, & propter Deum recta facere.

24. Hoc iudicium manet in mente, etiamsi in hac naturæ depraua tione non acquiescit uoluntas in Deo, uel quia de prouidentia dubitat, uel quia fugit Deum offensum.

25. Ratio causarum ostendit, celebrationem Dei, finem esse hominis, quia natura condita est debitrix Conditori, & homo ad imaginem Dei conditus est, Ergo lucere Deum in illa imagine oportuit.

26. Lex naturæ est pars imaginis Dei, tunc enim imago mutilata est.

ALIA DISPVTATIO,
De Fide.

Chrysostomi dictum de fide.

RECtissimè & suauissimè dicit Chrysostomus, Fide non solum diligimus Deum, sed etiam credimus nos diligi à Deo, quanquam multipliciter reos, & nobis remitti peccata.

2. Rectè etiam dicit, hunc fidei cultum præstantiorem esse, quàm reliquos cultus, ut non furari, non occidere, Et addit duas causas.

3. Nam fide agnoscimus aliquo modo Deum.

4. Item, Fide tali tribuimus Deo summam gloriam, quòd nos non simus iusti, sed ipse sit iustus & iustificans. In cæteris operibus non sic tribuimus Deo gloriam.

5. Sic non loquuntur de fide Papistæ, Quare non opponant nobis autoritatem Patrum, quos iniustè fingunt patrocinari erroribus & impietati.

6. Christus iubet diligi inimicos, Id non pugnat cum dicto Pindari, qui iubet amico amicum esse, inimicum uerò adoriri lupi more, Verba sunt hæc.

φίλον μὲν εἶναι φιλέμεν.
ποτὶ δὲ ἐχθρὸν ἅτε ἐχθρὸς ἐὼν,
Λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι,
Ἀλλ' ἄλλοτε πατέων ὁδοῖς σκολιαῖς.

7. Stomachus frigidior est appetentior cibi, & tamen in æstate uentriculus minus cibi appetit, quo tempore uentriculus frigidior est.

ALIA DISPVTATIO, DE DISCRIMINE *promissionum Legis & Euangelij.*

PRomissiones Legis habent conditionem Legis, ut: Qui fecerit ea, uiuet in eis.

2. Promissio noui Testamenti non habet conditionem Legis, tanquam causam aut meritum, sed propter Christum gratis, non propter Legem, offert remissionem peccatorum, reputationem iusticiæ, & uitam æternam, & hæc est propria noui Testamenti seu Euangelij promissio.

Promissio noui Testamenti, non pendet ex conditione Legis.

3. Si promissio noui Testamenti pendêret ex conditione Legis, nihil esset nisi Lex, nec magis iuuaret perterrefactas conscientias quàm lex.

4. Ad hæc prorsus irrita & inutilis esset promissio, habens conditionem impossibilem.

5. Nemo enim satisfacit legi Dei, sicut Dauid clarè testatur, cum ait: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

6. Vt igitur promissio sit firma, hoc est, ut certò consequamur promissam reconciliationem, necesse est, in ea, sine conditione Legis, & non propter Legem, offerri reconciliationem.

7. Ac oportet conscientiam certam esse de remissione peccatorum, & reputatione iusticiæ, & donatione uitæ æternæ.

8. Nam conscientia dubitans, an Deo placeat, odit & fugit iudicium Dei, & ruit in desperationem.

Dubitatio de Dei uoluntate impia est.

9. Opinio Sophistarum, quæ iubet dubitare conscientiam, an Deo placeat, prorsus est impia, & tollit uniuersum uerum cultum Dei & inuocationem. Quomodo enim inuocabunt, nisi crediderint? inquit Paulus.

Tollit

10. Tollit & uniuersam consolationem conscientiarum, deniq; abolet uniuersum Euangelium.

11. Hic locus, Quòd promissio debeat esse certa, hoc est, quòd conscientia debeat certò statuere, quòd consequatur remissionem peccatorum, & reputationem iusticiæ, item quòd promissio non habeat conditionem Legis, totius controuersiæ de iustificatione σώεχον est.

12. In hunc igitur locum, Quòd promissio debeat esse certa, item quòd non habeat conditionem Legis, semper intueri nos oportet, & ut hinc firmam & certam consolationem ac doctrinam, de uero cultu Dei sumamus, & ut fontes sententiæ Pauli cognoscamus.

13. Nam hinc intelligi potest, quare doceat Paulus, quòd sola fide iusti reputemur, scilicet, quia iusti reputamur, non propter legem, sed certò per misericordiam propter Christum.

14. Si enim non propter Legem, sed gratis pronunciamur iusti, sequitur nos fiducia solius misericordiæ iustos reputari.

15. Quanquam autem promissio noui Testamenti, non habet conditionem Legis, tanquam causam, Tamen obedientia erga Legem sequitur promissionem, tanquam effectus, seu debitum, Sicut ortum Solis sequitur aëris calefactio, & tamen calefactio aëris non est causa, cur Sol oriatur. Item connubium sequitur soboles, & tamen soboles non est causa connubij. *Obedientia erga legem sequitur promissionem.*

16. Quanquam sequitur obedientia illa promissionem, tamen non est causa remissionis peccatorum, cùm peccata remitti constet, etiamsi adhuc plena sit natura peccatis.

17. Præter promissionem propriam noui Testamenti, sunt & legales promissiones, quia enim obedientia Legis sequi debet, habent & opera suas promissiones.

18. Tales sunt: Date & dabitur uobis. Frange esurienti panem, & Dominus exaudiet te.

19. Cùm nemo Legi satisfaciat, hæ quoq; promissiones inutiles & irritæ essent, sine promissione Euangelij.

20. Sicut igitur Lex impletur imputatiuè per Euangelium, ita promissiones Legis fiunt utiles & ratæ per Euangelium. *Promissiones legis utiles & ratæ per Euangelium.*

21. Postquam enim fide habemus id, quod Lex requirit imputatiuè, hoc est, postquam iusti pronunciamur, opera iam merentur mercedem, ac si Legi satisfactum esset.

22. Et quidem Legi satisfecimus imputatiuè. Pronunciamur enim iusti propter Christum, perinde ac si Legi satisfecissemus.

23. Placent igitur illa opera, non propter suam dignitatem, non quia Legi satisfaciant, Sed placent propter Christum, per quem persona est accepta, quæ apprehendit misericordiam propter Christum promissam.

24. Non igitur iustificant illa opera. Nam & persona est accepta propter aliud, & opera ipsa per sese Legi non satisfaciunt.

25. Quare semper statuendum est, nos indigere misericordia, quia & natura est immunda, & opera sunt immunda, & sentiendum est, nos reputari iustos propter Christum per misericordiam.

26. Et hæc fides ad personam referatur, quòd persona placeat per misericordiam.

Quòd

Fides est fiducia misericordiæ.

27. Quòd Paulus dixit: Omne quod non est ex fide, peccatum est, Fidem uocat fiduciam misericordiæ, sicut aliâs. Non uocat fidem tantum notitiam Legis, aut obedientiam erga Legem.

28. Noticia legis est timor, Fides autem est fiducia misericordiæ.

Quicquid non est ex fide, peccatum est.

29. Ideò autem peccatum est, quod non fit ex fide, quia dubitatio conscientiæ est peccatum & desperatio.

30. Quod facilè potest intelligi, si ad personam referatur. Persona dubitans an placeat Deo, non sentit se exaudiri, ideo non uerè inuocat Deum, imò irascitur Deo, fugit & odit iudicium Dei. Iam si persona est immunda, opus etiam immundum est.

31. Econtra, cum persona habet fiduciam misericordiæ, credit se exaudiri, uerè inuocat Deum, non irascitur Deo. Postquam igitur persona placet, placent & opera. Ita si fides ad personam referatur, facilius intelligi potest, quomodo ex fide fieri bona opera debeant.

32. Hæc doctrina de dubitatione eximenda, necessaria est, Et quia hoc peccatum, uidelicet, perpetuam dubitationem de misericordia, non ferè intelligunt homines, diligenter hac de re admonendi sunt, ut luctari cum impietate naturali discant, & dubitationem fide superare.

33. Ita discent uerè inuocare Deum, & uerè colere.

34. Hoc interest inter Euangelij doctrinam, & doctrinam hypocriticam. Hypocritica docet & cumulat cultus, cum hac dubitatione. Euangelium contrà docet hanc dubitationem impiam esse.

35. Ex his facilè iudicari potest, quatenus ualeant promissiones legales, & quomodo bona opera mereantur præmia, & quomodo conditio Legis, quæ re ipsa est impossibilis, per Euangelium suppleatur imputatiuè.

36. Plato rectè & uenustè dixit, Cœlestes orbes dissectos figura literæ X contrarios motus efficere.

ALIA DISPVTATIO, DE DISCRIMINE ueteris & noui Testamenti, deq; Legis abrogatione.

MAgnopere prodest tenere discrimen ueteris & noui Testamenti, quia infiniti errores sparsi sunt in Scholis ac populo, propterea quia id discrimen non est intellectum.

Vetus Testamentum Lex est.

2. Vetus Testamentum lex est, hoc est, Decalogus & aliæ ordinationes politicæ, & ceremoniæ additæ Decalogo.

Nouum Testamentum est Euangelium.

3. Nouum Testamentum non est Lex, sed est remissio peccatorum & promissio gratiæ, & donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ propter Christum.

4. Etsi politia Mosaica desijt, nihil enim ad gentes pertinebat: tamen præcipua pars Legis, quæ uocatur moralis, & Decalogo continetur, non desijt, quia in natura scripta est.

5. Durat igitur eadem Lex, tantisper, donec humana natura durat.

6. Non igitur uetus Testamentum ideo uetus intelligi putemus, quia post aduentum Christi Lex desierit, sed potius, quia Lex prius publicè promulgata est, quàm Euangelium in totum mundum sparsum, & quia est doctrina cohercens & mortificans ueterem hominem.

Et Euan-

7. Et Euangelium tum quoq́,cum Lex doceretur,traditum erat, etsi nondum publicè Mundo promulgatum erat.

8. Quare non eò dicitur nouum Testamentum,quòd fuerit ignotum aut inutile tempore Legis. *Cur dicatur nouum Testamentum.*

9. Imò Euangelium reuelatum est longè ante Mosi legem.

10. Sed dicitur nouum Testamentum,& quia Christus exhibitus est nouissimis temporibus,& quia tunc demum in totum mundum publicè sparsum est,cum antea pauci scirent,& quia in singulis hominibus succedit Euangelium uincitur & impletur.

11. Ita utrunq́ Testamentum,uetus & nouum,hoc est, Lex & Euangelium semper in mundo extiterunt & existent. *Lex & Euangelium semper in mundo extiterunt & existent.*

12. Nam Lex ad iustificationem coram Deo sine Euangelio simpliciter inutilis est.

13. Et Patres iustificati & saluati sunt,non per Legem, sed per Euangelium,quia fide acceperunt reconciliationem et Spiritum sanctum propter Christum.

14.

PErnicioſissimè errant isti,qui somniant Legem Mosi habuisse certa opera atq́ obseruationes, quibus tunc homines coram Deo iustificati sint. Et nunc Euangelium succesisse, tanquam legem meliorem, quòd ceremonias leuiores tradiderit,& Decalogum requirit,ut his operibus iustificentur homines.

15. Multo magis errant Pontifices, qui putant humanas traditiones esse necessarias ad iusticiam noui Testamenti,sicut putant in lege Mosi,ceremonias fuisse cultus necessarios ad iustificationem.

16. Illa κακοζηλία legis Mosaicæ hunc errorem apud imperitos peperit.

17. Cum Lex Mosi præter moralia habuerit & certas ceremonias,& certas politicas leges,de duabus partibus abrogatio facilè intelligi potest.

18. Nam Euangelium tradit iusticiam Spiritus seu æternam, iuxta illud: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate.

19. Non igitur necessariæ sunt ceremoniæ,& politicæ leges Mosi.

20. Atq́ hæ tantùm ad politiam Israël pertinebant, tantisper duraturæ, donec illa respublica duraret.

21. Planè autem prædicit Scriptura,desituram politiam Israël, & successuram Euangelij prædicationem,spargendam in totum orbem terrarum.

22. Sicut errant, qui κακοζηλίαν Mosaicarum ceremoniarum necessariam esse putant,Ita errabat Carolostadius,qui fingebat ex lege Mosi res politicas iudicandas esse.

23. Quomodo simus liberi à Decalogo,difficilius est intellectu.

24. Nam is scriptus est in mentibus hominum, ut Decalogum abolere idem sit,quod mentem & creaturam Dei tollere.

25. Itaq́ non est abrogatus Decalogus ita,ne fiat,sed alia res ad iustificationem proposita est,scilicet promissio reconciliationis propter Christum.

26. Non igitur Decalogus,sed exactio iustificationis per Decalogum,& ius condemnandi Homines (nemo enim implet præter Christum) sublata sunt. *Quomodo simus liberi à Decalogo.*

Et in

27. Et in iſtis ſolis ſublatum eſt illud ius legis, qui fide apprehendunt promiſſam iuſtificationem propter Chriſtum.

28. In his igitur abrogata eſt Lex, qui fide uicerunt Legem accuſantem, perterrefacientem & condemnantem eos.

29. Hoc ſentit Paulus, cum ait: Non eſtis ſub lege, id eſt, Etſi non ſatisfacitis Legi, tamen ſentite uos iuſtos reputari propter Chriſtum, non propter ueſtram impletionem legis, Dilectionem aut opera.

30. Et tamen quia fides affert Spiritum ſanctum & nouam uitam, adfert & ſapientiam ac iuſticiam nouam, uidelicet dilectionem Dei, & alios motus legi Dei conſentientes. Fides enim per Chriſtum accedit ad Deum.

31. Non igitur ita liberati ſumus à Decalogo, ne fiat, fieri enim neceſſe eſt, Ideoq; Spiritus ſanctus datur, ut Chriſtus glorificetur, & ſublato peccato, Lex uerè fiat in nobis.

Quare non aboleatur Decalogus.

32. Et hinc apparet, quare cum ceremoniæ & Iudicialia prorſus omittantur, Decalogum fieri neceſſe ſit, Quia Decalogus continet motus cordis, quales neceſſariò ſecum adfert Spiritus ſanctus. Ideo manet illa pars legis in hac ſpirituali & æterna iuſticia. Reliquæ uerò partes de externis ritibus cum non contineant res æternas, ſed alligatas locis & temporibus, non manent.

Credentes non ſub Lege.

33. Quòd Paulus ait, Credentes non eſſe ſub Lege, nullo modo debet detorqueri ad ciuilem uitam, ſed ad iudicium conſcientiæ erga Deum.

34. Diligentiſsimè admonendi ſunt Homines de illis Paulinis ſententijs, ut ſciant quò referri debeant.

35. Cum enim pauci ſint ſpirituales, alij carnales transferunt illam libertatem ad ciuilia, & ſomniant, ſe in hac corporali & ciuili uita legibus ſolui.

36. Euangelium pertinet ad conſcientiam conſolandam coram Deo, & ad uitam æternam. Lex autem pertinet ad Mundum & totam exteriorem uitam.

37. Imò Mundus lege conſiſtit, & diſsipari omnia neceſſe fuerit legibus ſublatis.

Lex Dijs imperat.

38. Et grauiter dictum eſt à Pindaro, legem imperare Dijs etiam. Nam ordinatio hæc uoluntas Dei eſt, quæ non poteſt eſſe ſui diſsimilis, ac uiciosa.

39. Maximè prodeſt aſſuefacere rudes ad legum reuerentiam, Nihil enim pernicioſius eſt priuatim & publicè quàm legum diſsipatio.

40. Sicut autem non iuſtificamur ceremonijs Moſaicis coram Deo, ſed propter Chriſtum: Ita nec Pontificum traditionibus iuſtificamur coram Deo.

41. Nec ſunt factæ traditiones illæ à Patribus ad iuſtificationem, Sed partim propter bonum ordinem in Eccleſia, partim propter diſciplinam.

42. Sic grauiſsimè ſcripſit Epiphanius, traditiones ſeruari in Eccleſia, διὰ τὴν ἐγκράτειαν καὶ διὰ τὴν πολιτείαν.

43. Taxat enim Encratitas, qui ſicut Monachi noſtri prohibebant uſum carnium & uini, ut per opera illa colerent Deum, & mererentur iuſtificationem.

44. Hanc opinionem reprehendit uelut impiam, & addit alios fines traditionum, ſcilicet, diſciplinam ſeu caſtigationem carnis, aut politiam, hoc eſt, bonum ordinem in Eccleſia.

ALIA

ALIA DISPVTATIO DE *abrogatione Legis.*

VEtus Testamentum dicitur Lex Mosi, quia prius reuelata est cum publico testimonio quàm Euangelium.

2. Nouum testamentum est Euangelium, quia etsi Euangelium ab initio mundi reuelatum fuit, tamen illa reuelatio fuit apud paucos, Et Euangelium publicè sparsum est in totum mundum, longè post reuelatam legem Mosi.

3. Lex semper durat ab initio Mundi ad finem.

4. Etiamsi certi quidam mores Mosaici non durant, qui fuerunt instituti ad discernendum illum populum ab alijs gentibus. *Lex semper durat, quia scripta est in mentibus hominum.*

5. Durat tamen Decalogus scriptus in mentibus hominum. Manent & apud nos nostræ πολιτῖαι.

6. Lex non ideo durat, quia Mosi data est, sed quia diuinitus in animis scripta est.

7. Itaq; donec manet hominum natura, manet Lex.

8. Lex Moisi nihilo magis ad nos pertinet, quàm leges Solonis, Itaq; tenemur lege, non propter Moisen, sed quia in natura scripta est.

9. Euangelium semper durat ab initio mundi usq; ad finem, non quia in natura scriptum sit, sed quia reuelatum est diuinitus. *Euangelium semper durat quia reuelatum est diuinitus.*

10. Patres non per legem, sed per Euangelium, eadem fide in Christum uenturum salui facti sunt, qua sancti nunc quoq; salui fiunt.

11. Legis abrogatio non debet intelligi de ciuili uita, etsi uerum est, Mosaicam politiam nihil ad nos pertinere.

12. Lex tamen in nostris mentibus, scripta, & mores politici ad nos pertinent, & ciuilis uita semper est sub lege.

13. Imò sicut hæc natura rerum consistit ordinatione temporum, & fœcunditatis terræ atq; animantium, ita lege consistit, nec posset retineri Lex in mundo, nisi Deus retineret.

14. Sic senserunt & apud gentes magni uiri. Plato ait: Legem Deum esse: Idem dixit Aristoteles secutus Platonem. Et Pindarus ait: Legem etiam Deo imperare, est enim uoluntas Dei, quæ non est sui dissimilis & uiciosa.

15. Legis abrogatio tantùm ad conscientiam consolandam coram DEO transferri debet.

16. Si necesse est manere Decalogum donec natura manet, facilè intelligi potest, Decalogum non esse abrogatum.

17. Itaq; non Decalogus sed exactio iustificationis per Decalogum abrogata est, & ius condemnandi homines, Non enim iustificat Decalogus, sed sola fides in Christum. *Quomodo lex abrogata.*

18. Necesse est igitur fieri Decalogum, etsi non iustificat, nemo enim implet.

19. Et in his tantùm abrogata est Lex, qui fide in Christum uicerunt legem, quæ accusabat & terrebat conscientias.

20. Ita Lex fuit abrogata semper sanctis Patribus, uidelicet, quia fide liberabantur à terroribus legis, & sentiebant se fide iustos reputari propter Christum. *Lex etiam patribus abrogata.*

21. Politia Moisi ideo non est necessaria, quia nobis non est data lex Mosi, sed tantùm populo Israël.

22. Sicut igitur Patres tenebantur ſua politia, Ita nos noſtris tenemur.

23. Et tamen ſicut patres non ſunt iuſtificati coram Deo ſua politia, ita nos non iuſtificamur coram Deo noſtra politia.

24. Vtrumq; neceſſarium eſt, & alere reuerentiam legum, & oſtendere pijs conſcientijs liberationem à lege, quæ fit per fidem.

Cometa cur dirus dicatur. VIrgilius rectè deſcripſit Cometas, cum ait: Nec diri toties arſere Cometæ. Oſtendit enim Cometam non eſſe ſtellam, ſed ardentem exhalationem. Et dirum uocat propter triſteis ſignificationes, ſicut Lucanus ait: Et terris mutantem regna Cometen.

ALIA DISPVTATIO DE LIBERTATE Chriſtiana.

Libertas Chriſtiana quid. LIbertas Chriſtiana non eſt politica aut externa libertas, Sed eſt gratis liberari à peccato, à poteſtate Diaboli, & à morte æterna. De hac libertate loquitur Chriſtus, cùm ait: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis.

Gradus libertatis Chriſtianæ. Faciemus autem docendi cauſa gradus quatuor. Primus gradus eſt, gratuita remiſsio peccatorum & gratuita imputatio iuſticiæ, propter Chriſtum.

2. Secundus gradus eſt, qui neceſſariò coniunctus eſt cum priore, donatio Spiritus ſancti, & uitæ æternæ, & auxilium Dei contra Diabolum.

3. Tertius gradus uerſatur in rebus exterioribus, ſed habet in ſuperioribus gradibus cauſam. Eſt autem libertas, quod non neceſſe eſt, nos retinere ceremonias & politiam Moſi.

Quia reputamur iuſti, non propter noſtras obſeruationes, ſed propter Chriſtum, ideo non eſt opus obſeruationibus Moſaicis.

Item, quia Euangelium docet de iuſticia æterna ac uita æterna in corde, Igitur non requirit ceremonias aut politica Moſi.

4. Ex ijſdem rationibus ſequitur quartus gradus libertatis, uidelicet quòd humanę traditiones non ſunt exiſtimandæ neceſſarij cultus, ideoq; ſunt ἀδιάφορα, & omitti ſine peccato poſſunt.

Quæſtio.

Si à lege Moſi liberati ſumus, cur non & à Decalogo liberati ſumus, cùm ea pars legis uerè ſit difficilima.

Reſponſio.

Quomodo ſimus à lege Moyſi liberati. Sic ſumus à tota Lege, & quidem à Decalogo liberati, quod ad iuſtificationem attinet, hoc eſt, quòd propter Chriſtum reputamur iuſti, non propter Decalogi obſeruationem. Item, quòd Decalogus non habet ius damnandi hos, qui accipiunt remiſsionem peccatorum propter Chriſtum.

Cæterùm, non ſolum uita corporalis eſt ſubiecta Legi, ſed etiam uita Spiritualis.

De uita corporali ac ciuili non eſt dubium, Sicut enim Euangelium non tollit naturam hominum, ita nec Iura naturalia, quibus ſocietas humana deuincta eſt, Itaq; Euangelium non tollit res politicas.

Imò Euangelium ſubijcit uitam exteriorem politicis rebus.

Eſt & uita ſpiritualis ſubiecta legi, quia hæc Lex eſt æterna & immutabilis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & diliges proximum.

Ideo ait Chriſtus: Si uis ingredi in uitam, ſerua mandata. Et

Et Paulus inquit ad Romanos: Debitores estis. Quia omnes creaturæ necessariò debent obedire Deo.

Itaq; neq; à Decalogo, neq; à politicis legibus liberati sumus, quod ad obedientiam attinet.

Decalogum in uita Spirituali facere necesse est.

In uita corporali necesse est obedire politicis legibus.

Ideo autem liberat nos Euangelium à politia Mosi, quia concedit uti omnium Gentium politijs, sicut aëre, cibo, uestitu, artibus apud omnes Gentes utimur. Nam Euangelium non constituit politiam corporalem, sed docet de rebus æternis.

Ergo cùm Paulus ait: Non estis sub lege, Item iusto non est Lex posita, tantùm accipi debet quod ad iustificationem attinet. Iustificatio enim ad Euangelium, non ad legem pertinet. Cæterùm iusto & in uita spirituali & in uita ciuili est lex posita, quod ad obedientiam attinet. *Iusto lex posita.*

Libertas traditionum sine primo & secundo gradu non est libertas Christiana, sed potius libertas barbarica, scythica, uandalica.

Cùm politicis rebus uita exterior subiecta sit, debet & ceremonijs subiecta esse, quia sunt παιδαγωγίαι in politica uita necessariæ.

Nec satis est uociferari: Episcopi non habent potestatem leges condendi, ideo licet uiolare traditiones, Debemus enim obedire etiam iniqua imperantibus.

Sed ita, ne opera illa instituant tanquam cultus, aut tanquam res profuturas ad promerendam remissionem peccatorum.

Cultus est opus, cuius proprius finis est, non corporalis utilitas aut disciplina, sed honos Dei.

Hæ opiniones in traditionibus sunt impiæ uidelicet, traditiones esse cultus, hoc est, opera, quæ ex opere operato reddant Deo honorem, quæ mereantur remissionem peccatorum, sicut ait Christus: Frustra colunt me mandatis hominum. *Quæ opiniones in traditionibus impiæ.*

Paulus uiolat legem Mosi, ut doceat ceremonias legis non esse cultus noui testamenti. Item, ut doceat Homines gratis reputari iustos, non propter LEGEM.

Et hæc est firma causa excusans uiolantem traditiones, si cùm talibus opinionibus præcipiantur.

Est & alia causa firma, uidelicet, quòd in nouo Testamento hæ res pronunciantur debere pro liberis haberi, ne putetur iusticia Christiana requirere tales cultus, tanquam necessarios.

Et hanc libertatem non tollebant Apostoli, cùm conderent traditiones ad ἐυταξίαν.

Aduersarij nostri sic ratiocinantur, Ieiunia, feriæ, & similia, sunt cultus Dei in genere præcepti in Euangelio. Et Episcoporum est, cultus in genere traditos in Euangelio determinare ad certum modum. Igitur traditiones humanæ sunt necessarij cultus. *Traditiones humanæ non sunt cultus Dei.*

In hac ratione hypotheses sunt uitiosæ, Transformant enim Euangelium in legem Mosi, quia fingunt Euangelij iusticiam esse cultus similes Mosaicis. Deinde assuunt, homines habere potestatem cultus noui Testamenti similes Mosaicis instituendi.

Paulus has ipsas opiniones reprehendit, cùm contra legem Moisi & traditiones concionatur.

Neq; uerò tantùm hoc peccant Aduersarij, sed etiam addunt, quòd hæc opera traditionum mereantur remissionem peccatorum.

Has opiniones impias abijcere necesse est, & ut eximantur bonis, necesse est de libertate docere.

Non est autem necesse, mores ac ritus abijcere.

Libertate uerecundè utendum.

Imò uerecundè utendum est libertate, quia mores sunt παιδαγωγίαι populo necessariæ, quarum dissolutio parit infinita scandala. Et difficile est bonis, post quam libertatis exempla prębuerunt, sustinere talium scandalorum conscientiam. Occurrunt & aliæ rationes, quæ uexant conscientias inter exempla libertatis.

Ita dulcissimus gustus libertatis infuso aceto postea corrumpitur: quemadmodum Lysandrum, cùm initio libertatem græcis ciuitatibus, quas occupabat, concederet, postea impositis præsidijs, acerbè eis imperaret, dixerunt, dulcissimum libertatis gustum infuso aceto corrupisse.

Prorsus quid senserit Aristoteles non intelligunt isti, qui in his uerbis iudicant eum affirmare, animas immortales esse, cùm ait, Intellectum agentem immortalem & perpetuum esse.

ALIA DISPVTATIO DE VSV LIbertatis in ἀδιαφόροις & scandalo.

Vsus liber τῶν ἀδιαφόρων.

VNus ex gradibus libertatis Christianæ est, qui concedit nobis liberum usum τῶν ἀδιαφόρων, cibi, potus &c.

2. Præsertim quo ad meritum remissionis peccatorum, uel cultum.

3. Hoc est, ne ita sentiamus, nos harum rerum usu, uel abstinentia promereri remissionem peccatorum, aut præstare cultum, quem Deus requirat uel exigat.

4. Iuxta sententiam Pauli ad Colos: Nemo uos iudicet in cibo & potu &c.

5. Sed tamen prudenter hac libertate utendum est, præsertim in casu scandali.

6. Quemadmodum & idem diuus Paulus monet ad Rom: 14. Verum si propter cibum frater tuus tristitia afficitur, iam non secundum caritatem ambulas.

7. Sed cauendum est, & ex altera parte, ne aliquando abstinentia nostra noceat pijs.

8. Nam incidunt nonnunquam tempora, cùm scandali uitandi causa hac libertate utendum sit.

Alcibiades solis pane, sale & aqua uictitans reprehenditur.

9. Quemadmodum refertur exemplum ab Eusebio in Historia Ecclesiastica de Alcibiade, qui cùm propter fidem in Christum uinctus teneretur, solis pane, sale & aqua uictitare constituit, quem S. Attalus Martyr singulari reuelatione diuina admonitus increpauit, quòd non rectè faceret, qui & ipse creaturis Dei iuxta Scripturam non uteretur, & alijs occasionem scandali præberet. Quo audito, Alcibiades cœpit usitatis uescì cum gratiarum actione.

10. Quamobrem, cautè ac prudenter & utendum est rebus medijs, & abstinendum, ne in utranque partem nostra exempla noceant alijs.

11. Rectè Dionysius Heracleotes, doloribus calculi uictus, à Stoica disciplina

plina desciuit, & exclamauit falsa illa esse, quæ de dolore antea sensisset, nempe, quòd dolor non esset malum.

12. Nam experientia & ipsa natura eum coëgit, mutare priorem sententiam, cùm uideret dolore destrui ipsam naturam.

13. Idemq; sentiunt Christiani, nempe dolorem esse malum, Mortem esse malum.

14. Nam cùm hæc sint pœnæ peccati, rectè iudicantur mala.

15. Sed proposita est nobis liberatio ex his & ex omnibus malis, per Redemtorem nostrum Iesum Christum.

ALIA DISPVTATIO DE DICTO PETRI

Acto: 15. Neq; nos neq; Patres &c.

PEtrus negans potuisse portari ceremonias, negat fideli corde, hoc est, glorificante Deum, spontaneo & hilari fieri potuisse. *Ceremoniæ legis Mosaicæ non potuerunt portari.*

2. Idem sentit in Ezechiele Dominus cùm inquit: Dedi eis præcepta non bona, & pollui eos in muneribus &c.

3. Proinde non satisfiebat ceremonijs, quia primo Decalogi præcepto non satisfiebat.

4. Nam fidele cor exigitur primo præcepto.

5. Inde fit, ut non de ceremonijs modò, sed de uniuersa Lege intelligi debeat Petri sententia: Nec nos nec patres nostri portare potuimus.

6. Sic iudicandum est de similibus locis.

7. Ad eum modum qui psallunt, aut aliud quodcunq; opus in specie bonum faciunt, sine cordis hilaritate, peccant.

8. Miserrima & uulgatissima hypocrisis est, uiuere in bonis operibus sine fide, adeoq; sine lætitia cordis in Deo.

9. Concilia non posse errare, tam falsum est, quàm uerum est, omnia quorum extant constitutiones, alicubi peccasse. *Concilia omnia alicubi peccarunt.*

10. Vna & simplex Fidei regula est, scriptura Canonica.

11. Misere ineptiunt Parisienses, qui principia fidei uocant Conciliorum & Scholarum dogmata. Anno M. D. XXI. *Parisiensium ineptiæ.*

ALIA DISPVTATIO DE SENTENTIA:

Iusto non est Lex posita.

CHristus inquit: Non ueni soluere Legem, sed adimplere.

2. Et æterna est obligatio obedientiæ erga Deum.

3. Sed officia legis tria sunt, Lex coercet carnales, accusat, & requirit obedientiam. *Officia legis.*

4. Iusto non est Lex posita, quòd attinet ad hæc duo officia, uidelicet iustum neq; coercet Lex, neq; accusat.

5. Quia enim iustus est, non habet opus pædagogia coercente, Sed caro mortificatur pœnitentia & ueris affectibus.

6. Deinde, etsi nemo Legi satisfaciat, tamen lex non accusat iustum, propterea, quòd Christus redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum.

7. ITA duo Legis officia cessant in iustis, manet tertium, uidelicet, quòd obedientia requiritur, Sed non est assuenda opinio, quæ tollit Mediato-

rem Christum, quasi postea lege iusti simus, hoc est, propria dignitate.

8. Paulus non potest statuere, se dignum esse uita æterna propter suam obedientiã, sicut inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum.

9. Persona est iusta, id est, habet remissionem peccatorum, & est accepta ad uitam æternam, sola misericordia propter Christum promissa, iuxta illud: Concluſit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, hoc est, quod dicitur, sola fide.

10. Et tamen sequens obedientia necessaria est, & fit iusticia, quia persona est accepta.

11. Nihil periculi est bonæ menti sic sentire, uidelicet, ut in Domino glorietur.

Gloriã impletio legis in mulicre peccatrice.

12. Christus transfert gloriam impletæ legis in mulierem, cùm ait: Remittuntur ei multa, quia dilexit multum.

13. Et quidem docet, non accipi remissionem peccatorũ, nisi à diligentibus.

Quantitas mensis synodici.

14. Luna mensem conficit 29. diebus & 6. horis, Fuit igitur triceſimus dies ἕνη καὶ νέα. Et tamen ad hanc Solon rectè addidit mensi unum diem.

Trachea an potus causa facta.

15. Iure reprehenditur Plato, quòd putauit tracheam arteriam esse potus causa factam. Et tamen aluntur & pulmo, & trachea, uidelicet per uenam arterialem, ideoq; rectè dixit Poëta, τέγγε πνευμόνας οἴνῳ.

16. Etsi phlegma sua natura ciet διαῤῥοίας, δυσεντερίας, tamen cruditas in æstu magis parit δυσεντερίας, Ideoq; præcipuè cauendæ sunt cruditatum causæ.

ALIA DISPVTATIO DE SENTENTIA: *Deus vult omnes homines saluos fieri.*

IN disputationibus de prædestinatione, prudentia adhibenda est, ne colligantur illa φορβικὰ, quæ perturbant conscientias, & labefactant fidem.

Promissio gratiæ est uniuersalis.

2. Tres sunt causæ, quare hæc sententia uniuersaliter, sicut sonat, intelligenda sit: Deus uult omnes homines saluos fieri, scilicet, quod ad ipsius uoluntatem attinet.

3. Nam & promissiones Euangelij sunt uniuersales, & mandatum de Christo, ut credamus, haud dubiè est uniuersale. Deinde, si imaginanda esset particularitas, fides labefactaretur, quia conscientia dubitare cogeretur, an ad se pertineat promissio, si è regione statuendum esset, promissionem non esse uniuersalem. Postremò Scriptura sæpè affirmat, in Deo non esse προσωποληψίαν. Est autem προσωποληψία paribus simpliciter non tribuere paria.

4. Nos igitur simpliciter interpretamur hanc sententiam uniuersaliter: Deus uult omnes homines saluos fieri, scilicet, quòd ad ipsius uoluntatẽ attinet.

Causa instrumentalis electionis.

5. Quoniam à uerbo ordiendum est, & promissio est uniuersalis. Iudicamus à posteriore, aliquam in nobis causam esse electionis, scilicet, instrumentalem, apprehendere promissionem.

6. Et tamen misericordia principalis causa est electionis & iustificationis.

7. Voluntas nostra non est efficax sine Spiritu sancto, Sed cùm Euangelio se erigit & sustentat, adiuuatur à Spiritu sancto.

8. Verè enim statuendum est, quòd Euangelij beneficia consequamur, in his est etiam donatio Spiritus sancti.

9. Quoniam à uerbo ordiendum est, docendi sunt homines, ut repugnent naturali diffidentiæ.

10. Non

10. Non probo Manichæos, qui nullam actionem uoluntati humanæ tribuebant, ne quidem cùm à Spiritu sancto adiuuaretur.

11. Placet mihi Augustini dictum, qui ait, Eos, qui uocationis munus congrua pietate susceperint, & quantum in homine est, Dei in se bona seruantes, adiuuat.

12 Ergo & agnoscendum est Dei beneficium, quòd promissio sit uniuersalis, & quòd Deus uelit nos iuuare: & excitanda est in nobis cura & diligentia, ne indulgeamus naturali diffidentiæ, sed repugnemus.

13. Vtrunq; prodest pijs mentibus, excitare diligentiam, & intelligere Dei auxilium.

14. Etsi alia subtiliter de electione disputari fortasse possunt, tamen prodest pijs tenere, quòd promissio sit uniuersalis, Nec debemus de uoluntate Dei aliter iudicare, quàm iuxta uerbum reuelatum, & scire debemus, quòd Deus præceperit, ut credamus.

15.

SToica doctrina de ἀπαθείᾳ est falsa & indigna Philosophis, pugnat enim cum Physica. *Stoica ἀπάθεια falsa.*

16. Hippocrates utiliter præcipit, πόνοι σιτίων ἠγείσθωσαν, Labores præcedant cibum. Item, πόνος τοῖς ἄρθροισι καὶ χρῃσὶ, σῖτος, ὕπνος τοῖς λάγχνοισι, Labor articulis & carni prodest, cibus & somnus uisceribus.

DE ECCLESIA DISPVTATIO.

CVM Ecclesia in Symbolo sancta appellatur, necesse est Ecclesiam definire, Sanctorum congregationem. *Ecclesia quid.*

2. Sed ut à nobis etiam agnosci possit Ecclesia, necesse est eam certas notas externas habere.

3. Est itaq; Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Euangelium docetur, & Sacramenta administrantur.

4. Et tamen in illa congregatione sæpè fit, ut mali etiam sint, quorum alij iudicari à nobis possunt, alij non possunt.

5. Fit etiam, ut Ministri aliqui mali sint.

6. Et tamen licet per horum ministerium Sacramentis uti.

7. Ecclesia non est politia constituta ordinationibus humanis, sacrificiorum, sacerdotij & rituum.

8. Ideo in Symbolo additur, Catholica, ut significetur eandem Ecclesiam per totum orbem sparsam esse, de doctrina consentientem, tametsi ritus sint dissimiles. *Ecclesia sancta catholica.*

9. Nec ideo ab Ecclesia excluſi sunt, si qui ritibus utuntur alijs, quàm Romanis.

10. Amplissimam consolationem continet Articulus, qui præcipit credere, unam esse sanctam Ecclesiam, testatur enim Ecclesiam esse mansuram, nec fore ut à Deo abijciamur.

11. Qui hunc articulum sic considerant, rectius eum intelligunt, quàm qui inde colligunt, quòd oporteat similes ubiq; ritus humanos esse.

ALIA DISPVTATIO DE AVTORITATE

Ecclesiæ, & de dicto Augustini: Euangelio non crederem, &c.

AVguſtini uerba: Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret autoritas, non hoc uolunt, quòd Eccleſiæ autoritas maior ſit, quàm Euangelij, aut quòd Eccleſia poſsit Euangelium abolere.

2. Sicut Iudex non credit narrationi, niſi propter teſtes, nec tamen ſequitur quòd teſtes poſsint mutare narrationem. Item, nuncio credimus, nec ſequitur, quòd nuncius poſsit mandata mutare.

Eccleſiæ autoritas.

3. Ita Eccleſiæ credimus tanquam nuncio, aut teſti Euangelij, aut certè ſicut Doctori credimus.

4. Stultiſsimum eſt ſomniare, quòd Eccleſia fuerit ante uerbum Dei. Certum eſt enim, quòd homines ab initio mundi uocati ſunt, & renati per uerbum Dei, ſicut Adam uocatus eſt, audita promiſsione.

5. Quare ridicula cauillatio eſt, maiorem autoritatem Eccleſiæ, quàm Euangelij eſſe, quia Eccleſia fuerit ante ſcripturam, quaſi uerò Euangelium non fuerit, niſi poſtquam literis mandatum eſt.

6.

Eccleſia quid.

ECcleſia propriè eſt congregatio ſanctorum & habet externas notas, prædicationem Euangelij, & adminiſtrationem Sacramentorum.

7. Et tamen illi congregationi ſunt admixti hypocritæ & mali.

8. Et licet nobis uti Sacramentis, ſi porrigantur à malis, qui ſunt in miniſterio Eccleſiæ, niſi ſint apertè blaſphemi, ſicut Turci aut Iudæi.

Eccleſia columna ueritatis.

9. Et tamen promiſsiones, quòd Eccleſia ſit columna ueritatis, & ſimiles, pertinent ad propriè dictam Eccleſiam, id eſt, ad Sanctos.

10. Interea in Eccleſia multi labi poſſunt, & abijcere fidem. Et accidit, ut exiſtant admixti Eccleſiæ impij, qui pernicioſè errent. Nam hoc quoq; prædixit Scriptura, multos fore Pſeudochriſtos & Pſeudoprophetas. Et diſertè prædictum eſt à Paulo, futurum eſſe, ut Antichriſtus ſedeat, hoc eſt, dominetur in Eccleſia.

11. Non igitur Eccleſia propriè dicta probat, quidquid probant mali Doctores, admixti Eccleſiæ.

12. Si Eccleſia impiorum haberet promiſsionem, quòd non poſſet errare, ſequeretur pugnare ſcripturas, quæ dicunt, quòd Eccleſia ſit columna ueritatis, & quòd ſint futuri Pſeudoprophetæ in Eccleſia.

13. Eccleſia propriè dicta iudicans de Scripturis, iudicat ex alijs ſcripturis, non ex propria opinione, ſine teſtimonio Dei.

Eccleſia alligata ad uerbum.

14. Igitur quòd Eccleſia repudiauit quædam Euangelia, repudiauit uel tanquam teſtis, quia ſciebat eſſe ἀναντίρρητα, aut repudiauit tanquam iudex, ſecuta ſcripturas certas.

15. Furor eſt, etiam in Canonibus damnatus, præferre humanam autoritatem diuinæ.

16. Furor eſt etiam, exiſtimare, quòd de uoluntate Dei, ſine uerbo Dei, ſed tantùm ex hominum conſenſu aut opinione, corda debeant ſtatuere & credere.

Eccleſiæ unitas.

17. Ad Eccleſiæ unitatem ſatis eſt conſentire de Euangelio & adminiſtratione Sacramentorum, Non eſt neceſſaria ſimilitudo traditionum humanarū.

18. Hæ enim nihil pertinent ad uitam ſpiritualem, & ſine eis exiſtere fides & uita æterna in corde poteſt.

19. Sic iudicauerunt & Apoſtoli de Paſcate, concedentes, ut cum his obſeruaretur, qui ex Iudaiſmo conuerſi erant. Et addunt, nihil referre, etiamſi illi

illi non obseruarent iusto tempore. Verba extant apud Epiphanium, qui citat quoddam Apostolorum decretum, ὑμεῖς μὴ φυλάξητε, ἀλλὰ τηρεῖτε ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς μετ' αὐτῶν ἅμα ποιῆτε, καὶ πλανηθῶσι, μηδὲν ὑμῖν μελέτω.

20. Canon, qui dicit: Frustra seruari Euangelium, nisi seruentur Canones Conciliorum, non uult obseruationem Euangelij, ueram fidem & caritatem inutilem esse sine traditionibus humanis. Sed olim uocabant Canones, non traditiones de cibis, & similibus nugis, sed decreta de dogmatibus contra Hæreticos facta, quales fuerunt Niceni Concilij Canones. De his rectè dicit Canon, Frustra seruari Euangelium, nisi seruentur Canones, quia illi Canones sunt ipsum Euangelium. Concilia enim non condunt nouos Articulos fidei, sed ipsos articulos positos in Scripturis, ab hæreticis labefactatos, restituunt Ecclesiæ.

21. Vera Ecclesia etiam habet suam imbecillitatem, & suos lapsus. Sed tamen retinet fundamentum, de quo ait Paulus: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est. Etiamsi alij aliud superædificent, nam alij aurum & argentum superædificant, hoc est, uerè laudata opera in scripturis, Alij stipulas, hoc est, opiniones inutiles de cibis, & similibus rebus, & opera inutilia. *Ecclesiæ lapsus.*

ALIA DISPVTATIO DE VERA ET FICTA Ecclesia, & de eodem dicto Augustini: Euangelio non crederem, &c.

ECclesiæ autoritas maxima est. dicitur enim populus Dei, & allegat promissiones, quòd non sit eam deserturus Christus.

2. Ideo necesse est, Homines sanos moueri autoritate Ecclesiæ.

3. Sed quia econtra extant etiam comminationes, quæ significant, in Ecclesia regnaturum esse Antichristum, & impios Doctores, Ideo necesse est de doctrina in consilium adhibere, non tantùm uulgares opiniones in Ecclesia, sed aliud quiddam certius, Necesse est & discernere Ecclesiam ueram à ficta.

4. Plurimum igitur refert hoc tenere, Semper in Mundo duos esse populos, qui inter se de Ecclesiæ titulo dimicant. *Homines de titulo Ecclesiæ semper contenderunt.*

5. Alter populus uerè est Ecclesia. Alter nomen Ecclesiæ sibi arrogat, cùm reipsa non sit corpus Christi.

6. Ficta Ecclesia etiam gloriatur se habere uerbum Dei, & quidem docet Legem, habet cultus, habet prærogatiuas multas, antiquitatem, miracula, Patrum exempla. Hæc omnia detorquet ad se, sicut etiam promissiones ad se detorquet. Habet & gloriam ac Regnum, idq; regnum arbitratur se oportere defendere. Ideo persequitur ueram Ecclesiam, tanquam impiam, blasphemam & seditiosam.

7. Econtra uera Ecclesia habet suas notas, docet enim non tantùm Legem, sed & Euangelium. Cæterùm, neq; regnum habet, neq; gloriam coram mundo, sed est operta formis crucis, audit blasphema, seditiosa, patitur persecutionem. *Ecclesiæ quibus notis cognoscatur.*

8. Sicut his titulis Christum Synagoga ornabat: ita mundus perpetuò de uera Ecclesia iudicat.

9. Ideo & Paulus ait, Apostolos haberi tanquam καθάρματα & περιψήματα.

Notum

Notum est autem, his uerbis significari res execrabiles & damnatas, quibus pollui tota rerum natura putatur.

10. Difficile est autem sustinere talia iudicia, non solum foris coram mundo, sed etiam debilitantur interdum animi his iudicijs, ut dubitent, utrum Deo placeat hoc genus doctrinæ, in quod Deus permittit tantam exerceri sæuitiam.

11. Oportet igitur bene munitos esse Christianos aduersus hos Diaboli impetus, ne fidem inter hæc scandala abijciant.

12. Imò uerè gratias agant Deo, quòd absint ab impiorum cœtu, nec interfint ijs sacrificijs & cultibus, quos Deus testatur se abominari, sicut Christus ait: Non recipiam libationes eorum de sanguinibus, Nec memor ero nominis eorum in labijs meis.

Regnum Christi.

13. Et erigant se his consolationibus, quòd regnum Christi non sit externa quædam politia, seu regnum mundi, sed quòd uera Ecclesia sit subiecta cruci.

14. Quòd de Ecclesia oporteat iudicari ex uerbo Dei.

15. Quòd ibi demum uera sit Ecclesia, ubi est pura Euangelij doctrina.

16. Quòd oporteat magis credi Euangelio quàm Ecclesiæ.

17.

Augustinus de autoritate Eccleſiæ.

QVòd Augustinus ait: Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas. Hæc uerba non hoc uolunt, quòd Ecclesiæ autoritas maior sit, quàm Euangelij seu Scripturæ, aut quòd Ecclesia possit Euangelium abolere.

18. Sed cùm fides affirmet aliquid certi de uoluntate Dei, necesse est, eam non ab humana autoritate pendêre, sicut & Iohan. inquit: Deum nemo uidit unquam, Vnigenitus Filius, qui est in sinu patris, ille enarrauit.

19. Ecclesia tantùm testatur hanc Scripturam diuinitus acceptam esse, Sicut nuncius testatur se mandata domini perferre.

20. Fides igitur, quę affirmat de uoluntate Dei, pendet ex ipso uerbo Dei, etiamsi ad cognitionem uerbi inuitatur Ecclesiæ testimonio.

21. Sicut iudex non credit narrationi, nisi propter testes, Nec tamen sequitur, quòd testes mutare narrationem possint. Item, Nuncio credimus, nec sequitur, quòd nuncius mutare mandata possit.

22. Ita Ecclesiæ credimus tanquam testi aut nuncio.

23. Valet tamen Augustini sententia aduersus Hæreticos. Cùm enim necesse sit fuisse aliquam Ecclesiam, ac uerum Dei populum, rectè repudiantur dogmata, quæ neq; Scripturæ, neq; ullius Ecclesiæ testimonia habent, Sicut Manichæi excogitauerunt nouas reuelationes, reiectis sacris libris. Ibi rectè opponi potest Ecclesiæ testimonium. Necesse est enim antea extitisse Ecclesiam, quare necesse est & uerbum Dei extitisse.

24. Ita Augustinus pro Scriptura allegat Ecclesiæ testimonium. Ideo non sunt ferendi homines indocti, qui detorquent id dictum contra Scripturæ autoritatem.

Scriptura non incerta.

25. Impium est dicere, quòd Scriptura sit incerta & ambigua, ita ut de rebus necessarijs ad salutem, non possit ex ea sumi plana & certa doctrina.

26. Ideo cùm Ecclesia iudicat de Scripturis, iudicat ex alijs Scripturis, non ex humana opinione, sine testimonio Dei.

27. Quòd Ecclesia repudiauit quædam ἀδέσποτα scripta, reiecit tanquam testis,

tanquam testis, cùm sciret ea sine certò autore edita esse, aut tanquam Iudex secuta alias scripturas.

28. Iniuria est, accusare homines defectionis ab Ecclesia, propter mutatas humanas traditiones.

29. Quia ad Ecclesiæ unitatem satis est consentire de doctrina Euangelij, & administratione Sacramentorum. Nec est necessaria similitudo humanarum traditionum, hæ enim nihil pertinent ad uitam spiritualem, quare sine eis existere potest fides & uita æterna.

30. Etsi enim sua debetur Pastoribus obedientia, tamen istos sciamus uerè desertores esse Ecclesiæ, qui non rectè docent Euangelium, & manifestam Idolatriam defendunt, & retinere conantur. *Ecclesiæ desertores.*

31. Qui piam & necessariam Ecclesiæ doctrinam damnant, & abolere conantur.

32. Qui ita requirunt traditiones humanas, ut propter earum mutationem accusent bonos defectionis ab Ecclesia.

33. Qui ut aboleant piam & necessariam Ecclesiæ doctrinam. Item, ut retineant traditiones, quas ne ipsi quidem obseruant, infinitam crudelitatem in pios exercent.

34. Vt cætera omittamus, certè hæc consolatio bono uiro non contemnenda est, quod facilè est iudicare, iurène isti sibi arrogent Ecclesiæ titulum, qui talem sæuiciam exercent, quę profecto minimè decet Ecclesiam. Et est quædam felicitas, nec autorem, nec administrum, nec suffragatorem esse illius crudelitatis, sicut Dauid precatur: Ne perdas me cum uiris sanguinum.

35. Plato inquit, Tunc unamquanq; Rempublicam optimè se habere, quando nomen suum ipsa sonat coram Deo & hominibus, hoc est, quando status ipse cùm appellatione consentit.

36. Porrò Ecclesia habet nomen ouium Christi. Hanc autem uocem non sonat ista Ecclesia, quæ sæuit in pios. Nec oues Christi sunt, qui Christum audire nolunt, nec Christi lenitatem imitantur, qui non hoc agunt, ut sanent homines, & consulant ambigentibus conscientijs, sed tantum trucidant. *Ecclesia sonet suum nomen.*

37. Verba Platonis hæc sunt: Ἕκτις μὲν ἂρ οὖν ἡμῶν πολιτειῶν νῦν ἁυτῆς φθέγγηται φωνὴν, πρός τε θεοὺς, καὶ πρὸς ἀνθρώπους, καὶ τῇ φωνῇ τὰς πράξεις ἑπομένας ἀποδιδῶ, δίκαιόν τε καὶ σωζεται, μιμουμένη δὲ ἄλλην φθείρεται.

38.

Luna uicenis diebus septenisq; & tertia diei parte peragit cursum suum, & tamen à tricesima luce, ut inquit Plinius, ad easdem uices rursus exit. *De Lunæ cursu.*

ALIA DISPVTATIO DE OBEDIENTIA & consensu Ecclesiæ.

Articulus in Symbolo: Credo sanctam Ecclesiam catholicam, non solum significat esse unam aliquam Ecclesiam, sed etiam requirit obedientiam debitam ministerio externo. *Ecclesia sancta Catholica.*

2. Requirit enim consensum cum Ecclesia catholica, quare requirit obedientiam debitam ministerio.

3. Significat igitur Ecclesia catholica congregationem piorum, non solùm in spiritu, sed etiam in externis aliquibus rebus consentientium, scilicet de ministerio.

4. Est autem una Catholica Ecclesia, & qui ab ea discedunt, sunt impij & maledicti.

5. Ergo

5. Ergo qui à ministerio Ecclesiæ Catholicæ discedunt, sunt impij & maledicti.

Ministerium Ecclesiæ Catholicæ.

6. Est autem ministerium Ecclesiæ Catholicæ, doctrina Apostolica, tradita ab ipsis Apostolis, & propagata per sanctos Patres.

7. Ecclesia Catholica significat non tantùm præsentes ministros, sed consensum sanctorum de doctrina omnibus temporibus.

8. Qui ab hoc consensu discedit, is dissentit ab Ecclesia catholica.

9. Quare prudenter uidendum est, quid consensus Doctorum & piorum in ministerio probauerit omnibus temporibus, ne nouas & ignotas opiniones catholicæ Ecclesiæ recipiamus. In hanc sententiam ait Augustinus: Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ catholicæ crederem.

10. Et de illa Ecclesia catholica rectè dicitur, Ecclesiam non errare. Retinet enim fundamentum, etsi alij aurum, alij stipulas supraædificant.

11. Opiniones ignotæ ueteri Ecclesiæ, etiamsi hoc tempore sunt receptissimæ, tamen non sunt dogmata catholicæ Ecclesiæ.

12. Quia catholica Ecclesia includit ueterem Ecclesiam.

13. Vetus Ecclesia ignorat profanationem, & uenditionem Missarum, ignorat inuocationem sanctorum, non docuit traditiones humanas cultus esse iustificantes, aut necessarias.

14. Non distraxit coniugia Sacerdotum, docuit propter Christum gratis donari remissionem.

15. Non igitur rectè arrogant sibi titulum catholicæ Ecclesiæ hi, qui defendunt opiniones ignotas ueteri Ecclesiæ.

16. Ecclesia catholica habet simile ministerium, non requirit similitudinem traditionum. Vbicunq; igitur est catholicum ministerium, ibi est pars Ecclesiæ catholicæ, etiamsi traditiones uariant.

17. Et tamen etiam in traditionibus debetur obedientia ministris, ita uidelicet, ne sine causa discedatur ab eis.

18. Sed Paulus inquit: Si quis aliud Euangelium Euangelizauerit, Anathema sit. Iubet igitur dissentire ab ijs, qui docent & defendunt impias opiniones & impios cultus.

Philosophicum.

De uoce ἐνδελεχεία.

CICERO non rectè reprehenditur, quòd ἐνδελέχειαν uertit continuatam motionem. Nam Aristoteles non aliud uoluit, cùm definit animam esse ἐνδελέχειαν.

Animæ hominis.

20. Sicut Plato posuit tres animas in homine, ita Aristoteles, cùm ait: Mentem extrinsecus aduenire, docet animam rationalem non oriri ex materia, & aliam esse in homine, præter uegetatiuam & sensitiuam.

ALIA DISPVTATIO DE POLITIA ECCLESIÆ seu ministerio & ordinationibus.

Politia Ecclesiæ.

POlitia Ecclesiastica, hoc est, externa forma Ecclesiæ, constat duabus partibus.

2. Prima pars est ministerium diuinitus ordinatum.

3. Id continet quinq; partes, Ius uocationis, hoc est, ius eligendi & ordinandi ministros, mandatum docendi Euangelij, remittendi peccata, administrandi Sacramenta, & Iurisdictionem, hoc est, ut excommunicentur obnoxij criminibus.

4. Paulus

4. Paulus de hac parte politiæ Ecclesiasticæ loquitur, quæ est iuris diuini, cùm ait ad Ephe: 4. Dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores.

5. Prima enim ordinatio fuit Christi, postea Ecclesiæ datum est ius uocandi & eligendi, & ordinandi ministros.

6. Ingens beneficium Dei est, quòd concessit hominibus ius uocationis, Idq; approbat, & testatur se per uerbum illud futurum efficacem.

7. Hanc ordinationem seu uocationis dignitatem magnopere refert intelligere, ut magnitudinem beneficij Dei consideremus, & ut magis ueneremur & amemus ministerium uerbi.

8. Nam neq; saluat Deus sine illo ministerio, quod ipse ordinauit, iuxta illud: Qui crediderit & baptizatus fuerit. Neq; Ecclesia existere potest extincto hoc ministerio.

9. Ideo horribiliter peccant Anabaptistæ, qui publicum ministerium contemnunt, & sibi suas quasdam illuminationes somniant, ut olim ἐνθουσιασταὶ, Hæretici.

10. Peccant etiam alij profani homines, qui ministerium Euangelij abolent, dum ministros non alunt nec tuentur.

11. Veteres, ut magnitudinem & dignitatem ministerij commendarent hominibus, sapienter posuerunt ordinationem inter Sacramenta.

12. Ius uocandi & eligendi ministros, pertinet non tantùm ad populum, sed Paulus iubet Titum constituere Presbyteros, Et Timotheo scribit: Nemini citò manum impone. *Ius uocandi & ordinandi ministros.*

13. Necesse est igitur, Pastores à Pastoribus ordinari.

14. Et ueteri more eligebat Ecclesia, hoc est, hi quibus eam rem commisit Ecclesia, & accedebat iudicium & approbatio Episcopi ordinantis.

15. Pugnat cum iure diuino, & cum ueteri Ecclesia δημοκρατία, in qua populus ad se rapit electionem, sine iudicio & approbatione Pastorum.

16. Cùm Paulus inquit: Qui Episcopatum desiderat, opus bonum desiderat, laudat eos, qui operam suam Ecclesiæ offerunt. *Episcopatus bonum opus.*

17. Nec pugnat cum uocatione hæc ministerij petitio. Nam Ecclesiam scire oportet, unde deligat: quæ quidem etiam præcipit idoneis, ut studeant seruire Ecclesiæ, sicuti docet similitudo de negociantibus.

18. Nemini tamen licet sine uocatione occupare ministerium, Ideo & distinctio προοικιῶν, est iuris diuini, quia non uocatus non debet irrumpere in alienam Ecclesiam.

ALtera pars politiæ Ecclesiasticæ, sunt ordinationes factæ humana autoritate Episcoporum aut Synodorum, ut gradus ministrorum distinctæ διοικήσεις, temporum, locorum discrimina, Oportet enim esse εὐταξίαν.

20. Oportet igitur conseruari tales ordinationes, sed detrahenda est eis opinio cultus.

21. Sicut Lex moralis est lex naturæ, ita in genere ceremoniarum ordinatio est iuris naturalis, quia inter homines natura requirit εὐταξίαν, Et Lex naturaliter in tria genera distinguitur, in Morale, Iudiciale & Ceremoniale.

22. Prosunt autem & hæ ipsæ ordinationes ad disciplinam, & sunt instrumenta, per quæ Deus uocat homines ad ueram pietatem. Nam hi ritus assuefaciunt homines ad audiendum, Euangelium per quòd Deus est efficax.

Basilius de libero arbitrio.

BAsilius rectè dicit de libero arbitrio, μόνον θέλησον, καὶ ὁ θεὸς προαπαντᾷ, Tantùm uelis,& Deus præoccurrit. Nam & promissio uniuersalis est, & cùm à uerbo ordiendum sit,certè docendi sunt homines ne repugnēt, sed ut assentiantur.

ALIA DISPVTATIO DE MINIstris Sacramentorum.

Dignitas Sacramentorum non à dignitate ministrorum.

QVI uos audit, me audit, uox est plena consolationis, testatur enim perinde nos Euangelium annunciatum per homines accipere debere, ac si de cœlo sonaret.

2. Non rectè senserunt Donatistæ,qui negabant licere uti Sacramentis aut uerbo,cùm à flagitiosis tractantur.

3. Cùm Paulus ait: Episcopum debere esse ἀνέγκλητον, non est sic accipiendum,quasi sentiat Episcopum sine peccato esse posse, ut homines fanatici interpretantur.

4. Nec remissionem peccatorum,nec peccata rectè intelligunt,qui tantùm externa delicta iudicant esse peccata.

5. Lex est spiritualis,non politica, quare peccata cordis iudicat, non tantùm externam conuersationem.

ALIA DISPVTATIO DE POTESTATE Clauium & Absolutionis.

Potestas Clauium.

SIcut Sceptrum significat regnum seu regiam potestatem,ita Clauis significat potestatem domesticæ administrationis μεταφορικῶς, ut uidemus tradi potestatem traditione clauium.

2. Aut sicut Gladius significat μεταφορικῶς imperium, seu potestatem exercendi iudicia capitalia, ita Claues significant potestatem œconomicam, seu officium œconomicum.

3. Claues igitur in Euangelio significant potestatem aliquam, seu officium.

4. Et Christus uocauit Claues, non gladium, ut Apostoli intelligerent sibi procurationem committi,diuersam ab imperio.

5. Sunt autem Claues,officium ligandi & remittendi peccata.

6. Hoc est, sunt ipsum ministerium Euangelij, Nam Euangelium est ligare & remittere peccata.

7. Quidam intelligunt Claues,non in genere de ministerio, sed de iurisdictione in Ecclesia,ad ligandos singulos,aut absoluendos.

8. Verùm siue de ministerio, siue iurisdictione intelligantur, certum est, Euangelium & in commune prædicari posse, & annunciari posse singulis.

9. Sicut Christus absoluit multos singulariter, Et iubet Petrum remittere fratri, qui deliquerit.

Absolutio priuata.

10. Valet igitur priuata Absolutio,& est uera uox Euangelij, quia Euangelium pariter ualet,siue multis,siue singulis annuncietur.

11. Infidelis est, qui cogitat, Euangelium ad singulos applicatum, incertum esse.

12. Nec obest,quòd quidam uociferantur, Homines non posse remittere peccata.

peccata. Cùm enim constet, homines habere mandatum Euangelij prædicandi, constat homines habere mandatum remittendi peccata.

13. Et ijdem fatentur, se remittere peccata in commune, cùm publicè docent Euangelium, Aut si negant se tunc prædicare remissionem peccatorum, neq; quid sit Euangelium, neq; quid sit remissio peccatorum, intelligunt.

14. Neq; tamen prodest remissio priuata aut publica, nisi fide apprehendatur uerbum, neq; rursus sine uerbo existere fides potest.

15. Non est igitur priuata Absolutio in Ecclesia abroganda.

16. Impietas est sentire, quòd peccata remittantur ex opere operato per Sacramentum, sine fide. *Peccata quomodo remittantur.*

17. Impietas est sentire, quod remittantur propter contritionem, non fide in Christum.

18. Impietas est sentire, quòd potestas clauium tantùm ualeat ad remissionem coram Ecclesia, seu coram hominibus.

19. Potestas clauium non est potestas condendi leges, & nouos cultus instituendi.

20. Potestas clauium non est potestas politica, regna mundi occupandi aut constituendi.

21. Etsi Sol regulariter mouetur, tamen paucioribus diebus peragrat unam medietatem zodiaci, quàm alteram. *Motus solis irregularis.*

ALIA DISPVTATIO DE IVRE *Absolutionis.*

AVgustinus ad Fortunatum narrat Historiam, quæ continet eruditam disputationem. Ait enim in una naui fuisse quendam pium, sed nondum baptizatum, uerùm κατηχούμενον, & alterum baptizatum, qui tamen lapsus, etsi cœperat agere pœnitentiam, tamen nondum erat absolutus, Quia iuxta ueteres Canones irrogabantur pœnæ, exempli causa, ante absolutionem. Addit Augustinus, præter hos neminem ibi fuisse Christianum. Cùm autem naufragium timerent, petit κατηχούμενος ab illo altero baptismum, qui cùm isti impertijsset baptismum, uicissim ab eo petit Absolutionem. Proinde quæritur, An hæc administratio Sacramentorum ualuerit? Augustinus rectè respondet, ualuisse: & quidem hanc Historiam tantopere commendat, ut dicat neminem tenere lacrimas posse, qui eam audiat.

2. Defendo Augustini iudicium. Nam Laico licet & baptizare, & absoluere. *Laico licet et baptizare & absoluere.*

3. Et tamen publicum ministerium non debet turbari.

4. Etsi publica administratio potestatis clauium pertinet ad publicos ministros Euangelij, tamen interea Laicus potest absoluere, non solum in casu necessitatis, sed etiam aliâs.

5. Nec est incerta Absolutio, etiamsi publicam administrationem clauium habent solum ministri publici.

6. Valet Absolutio propter uerbum, non propter personam.

7. Et claues datæ sunt toti Ecclesiæ, & est commune mandatum, ut Fratribus petentibus annunciemus Euangelium, sed ita, ne turbetur publicum ministerium.

8. Magnus error est, & multarum rerum ruinam secum trahit, tollere ex Ecclesia priuatam Absolutionem.

9. Nec tamen enumeratio delictorum necessaria est.

Stoicorum errores. STOici dupliciter errant de affectibus. Falsum est enim nullos affectus ex natura oriri, Falsum est etiam omnes affectus esse uiciosos.

11. Cor enim sedes & organum est appetitionum sensitiuarum, quare affectus sunt motus naturales cordis.

12. Ergo & σοργαὶ φυσικαὶ sunt opera Dei in natura, & affectus boni, quos requirit lex Dei.

13. Ideo paulus damnat ἀσόργους.

PLato non rectè sentit Tracheam arteriam factam esse, ut potum excipiat, & tamen oportet irrigari pulmonem. Et rectè dictum est in uersibus illis elegantissimis, qui in Gellio citantur:

Τέγγε πνεύμονας ὄνφ
Τὸ δ' ἄσχορ πυκτέλλεϊ.

ALIA DISPVTATIO DE POTESTATE Ecclesiastica.

Potestas Ecclesiastica duplex. MAnifestum est, idem significare in sacris Literis, potestatem Ecclesiasticam, & claues.

2. Sunt autem duo eius membra, secundum partitionem Veterum, nempe potestas ordinis, & potestas iurisdictionis.

3. Potestas ordinis complectitur legitimam uocationem, & diuinum mandatum docendi Euangelij, remittendi peccata, & administrandi Sacramenta.

4. Iurisdictionis officia sunt, excommunicare obnoxios manifestis criminibus, & eosdem si resipiscant recipere in gratiam.

5. Hæc officia ualent in Ecclesia propter uerbum & mandatum Dei, requirunt autem obedientiam necessariam.

6. Porro Ecclesiæ non sunt onerandę nouis doctrinis, contra uerbum Dei excogitatis, aut traditionibus humanis, eo fine propositis, ut sint cultus Dei, & res necessariæ ad salutem, & remissionem peccatorum.

Ceremoniarum finis in Ecclesia. 7. Sed præcipuus usus & ultimus finis ceremoniarum esse debet is, quem D. Paulus constituit, uidelicet, ut ritè & ordine gerantur omnia in publico Ecclesiæ cœtu.

8. Non solùm autem tales ceremonię extra casum scandali omitti possunt, sed etiam quæ in lege Mosi diuinitus institutæ erant.

9. Neq; peccauerunt Apostoli uellentes & conterentes spicas in Sabbato, neq; Dauid edens panes propositionis, quibus tantū licebat Sacerdotibus uesci.

10. Oza uerò iustas suæ temeritatis pœnas dedit, quòd arcam Dei attrectaret, cuius cura solis Leuitis diuinitus commissa erat.

11. Cæterum iurisdictio clauium uerbis tantum exercetur, sine gladio & ui corporali.

12. Prudenter igitur officia utriusq; potestatis ciuilis & Ecclesiasticæ discernantur, Sunt enim longè diuersissima.

13. Hinc satis liquet, errare pontificem Romanum, qui sibi utrunq; gladium in utranq; potestatem uendicat.

ALIA DISPVTATIO DE SYNODIS QVOD cognitio de doctrina pertineat ad delectos pios & doctos, tum Sacerdotes, tum Laicos.

Verisi-

VEriſsimum eſt,& natura hominum maximè conſentaneum,quòd Plato ait, Optimum ſtatum eſſe Reipublicæ illum, qui medius eſt inter tyrannidem & democratiam. *Status medius inter Tyrannidem & Democratiam in Eccleſia neceſſarius.*

2. Hic igitur ſtatus, & efficiendus & tuendus eſt, cùm in omne gubernatione,tum præcipuè in Eccleſia.

3. Vtranq; uelut teterrimas peſtes,tyrannidem & democratiam, fugere & execrari debemus in Eccleſia.

4. Tyrannis eſt in Eccleſia, cogere homines, ut manifeſtam impietatem approbent, ut obtemperent contra manifeſtum uerbum Dei.

5. Sicut Harpagus dicebat ad Cambyſen, qui ipſi filium comedendum dederat: Quidquid facit Rex,hoc mihi placet. Ita ſeu monachi, ſeu alij Tyranni expedire iudicant,ut aſſuefiant homines ut adorent omnia ſuperiorum ſomnia omnes horribiles idolatrias, ne uidelicet uel potentia uel tranquillitas potentum ueniat in periculum.

6. Rurſus ab Eccleſia etiam abeſſe oportet democratiam, hoc eſt, non eſt concedenda uulgo, ſine delectu, licentia omnibus mouendi dogmata aut pronunciandi de dogmatibus. Nam & uulgus, ut Herodotus inquit, ſæuiſsimus Tyrannus eſt.

7. Sed medius ſtatus eſt quærendus, & quidem ut Plato ait, proportione Geometrica, hoc eſt, Ariſtocratia conſtituenda eſt, in qua proportione, maxima ſit autoritas doctiſsimorum & optimorum.

8. Hanc Ariſtocratiam & Paulus requirit, Quòd ſi alteri reuelatum fuerit,prior taceat. Et Paulus reprehendit Petrum.

9. Et grauiſsimè ſcriptum eſt ad Romanos, ut unuſquiſq; norit modum ſuæ fidei.

10. Ideo Tyrannica illa uox explodenda eſt, quæ tollit hanc proportionem in Eccleſia, & tribuit Pontifici infinitam tyrannidem, uidelicet quæ aſſeuerat maiorem eſſe autoritatem Papæ, quàm reliqui totius Concilij.

11. De Synodo quæri poſſunt hæc quinq;,Quis habet ius conuocandi Synodum? Qui debeant eſſe iudices? Quis ordo cognitionis? Quomodo ex uerbo Dei ſit pronunciandum? Et quatenus ſint conſulenda iudicia patrum. Quod in dogmatibus ueritas planè & ſimpliciter patefacienda ſit, Sed in ritibus & politia Eccleſiaſtica quærenda ſit moderatio, Quærendum etiam, quæ dogmata probanda ac defendenda ſint. *Quæſtiones de Synodis.*

12. Non tantùm Pontifices, ſed etiam imperatores iure conuocarunt Synodos, Conſtantinus, Theodoſius, & alij.

13. In deligendis iudicibus rectiſsimum eſt ſequi medium illud,quod diximus,inter tyrannidem & democratiam, uidelicet, ut deligantur optimi & doctiſsimi.

14. Nec tantùm Sacerdotes, ſed etiam Laici. Nam cùm ait Chriſtus: Dic Eccleſiæ, ſummum iudicium uoluit eſſe non tantùm Epiſcoporum, ſed uniuerſæ Eccleſiæ.

15. Interfuit ipſi diſputationi Conſtantinus, in medio ſedens, & quidem hoc ſibi laudi duci,inquiens: καὶ αὐτὸς δὲ καθάπαξ εἰς ὑμῶν τυγχάνων συμπαρὼν οὐ γὰρ ἀρνήσομαι μικρὰν ἐφ' ᾗ μάλιστα χαίρω, σωθεράπωρ ὑμέτερος πεφυκέναι, ἄχρις οὗ ἅπαντα τῆς προσηκούσης τυγχάνειν ἐξετάσεως. O dignum laude Principem, qui iudicauit ſui officij eſſe, ut ipſe intereſſet cognitioni,& cum doctis conferret. *Conſtantinus ſedens in Medio Synodi.*

16. Et præclarè Martianus Imperator dist. 96. ait, se interfuturum cognitioni, exemplo Constantini, ut ueritate patefacta rursus dissidia tollantur.

Nicolaus Papa. 17. Et Nicolaus Papa inquit, principes non interesse conuentibus Episcoporum in cæteris controuersijs, præter fidei causas, quæ omnibus communis est.

18. Potestas ciuilis debet exequi decreta Synodi, remouere impios Doctores ab Ecclesijs.

19. Cùm igitur debeat exequi Iudex de doctrina, debet conscientiam habere rectè eruditam: Quare non tantùm alienis oculis uidere debet, sed suis, & audire, & intelligere controuersias.

20. Nec tamen ad potestatem Ciuilem pertinet cognitio, sed ad Ecclesiam, Est autem potestas ciuilis pars Ecclesiæ, ut piè inquit Constantinus, σωφρόνων ὑμέτερον &c.

21. De ordine cognitionis seruanda certè lex est ὁμοίως ἀμφοῖν ἀπροαῶς. Et ubi uoluntate partium Iudices boni & docti delecti sunt, & res ordinè cognitæ, decet parere iudico illorum. Decet enim unumquemq; nosse modum suæ fidei.

22. Iudicandum est ex uerbo Dei, & uetus Ecclesia eatenus consulenda est, ne quod recipiatur dogma ignotum ueteri Ecclesiæ.

ALIA DISPVTATIO DE TRADITIONIBUS in Ecclesia.

Traditiones humanæ in Ecclesia quatenus probandæ. TRaditio humana, instituta aut obseruata hac opinione, quòd mereatur remissionem peccatorum aut iustificationem, est impia.

2. Opera ipsa traditionum fieri licet, Sed ita, ne iusticiam fidei euertant.

3. Ita sancti potuerunt uti traditionibus, ut non per eas mererentur iustificationem, Sed uelut Scholis, in quibus certa tempora, certæ lectiones ad discendum constituuntur, non ut sint peculiares cultus, utiles ad placandum Deum.

4. Certissimum est, remissionem peccatorum sola fide contingere.

Rechabitæ. 5. Rechabitæ laudantur in Scripturis, propter obseruationem certarum traditionum quia abstinebant à uino, nec habebant certas possessiones.

6. Quanquam autem magis obedientia debita Parentibus laudetur, sicut in exemplis interdum genus, non species laudatur, quàm ipsa res: tamen cùm tam magnifica promissio addita sit, rem quoq; placuisse Deo necesse est.

7. Necesse est igitur, quod has traditiones seruauerint sine iniuria fidei, quia quidquid tollit gloriam Christi impium est.

8. Nam qualiacunq; exempla citantur, non debent manifesto Euangelio præferri.

9. Et exempla secundum certam regulam intelligi debent, non regula propter exempla corrumpi.

10. Rechabitæ inter Gentes habitauerunt inter quas, ut ederent testimonium suæ fidei, uoluerunt discerni per tales notas, non uoluerunt per eas iustificari. Et credibile est, quod scribunt Iudæi, hos non fuisse Israëlitas, sed ex uicinis Gentibus, inter quas opus fuit certo discrimine.

11. Quare cum sine impia opinione seruauerint suum morem Rechabitæ, laudati sunt.

12. Sic in lege cultus impia opinione seruati, ut politica disciplina seu pædagogia, placebant Deo.

13. Sed seruati tanquam mererentur iustificationem coram Deo, displicebant Deo.

14. Male

14. Malè igitur prætexunt Monachi Rechabitarum exemplum suis traditionibus, cùm ipsi docuerint, per suas traditiones mereri iustificationem.
15. Quanquam ridiculum est, conferre Rechabitas cùm Monachis. Rechabitæ seriò carebant domibus, agris, uineis. Manachorum paupertas tota simulata & ficta est.
16. Malè etiam prætexitur exemplum Rechabitarum traditionibus, quas exigunt Pontifices, tanquam necessarios cultus. Nam traditiones non sunt necessarij cultus, & ob hanc causam uiolari possunt.
17. Ita Iosaphat & rex Niniue indixerunt ieiunium, non ut per ieiunium iustificarentur homines. Quid enim opus erat pecudibus imperare ieiunium, si ita quærebatur iustificatio? *Ieiunia Iosaphat & Regis Niniue.*
18. Sed externa confessio & protestatio erat Fidei, Rex Niniue ostendit hoc nouo exemplo se credere Ionæ, & alios ad credendum Ionæ inuitabat.
19. Ita Iosaphat ualebat hortari ad pœnitentiam & orationem.
20. Talia erant & Encænia instituta Machabeis, non quòd obseruatio ei ex opere operato esset cultus, sed ut esset monumentum, uelut Tropheum, admonens ad gratias agendas. *Machabæorum Encænia.*
21. Et erant politica mandata, quibus debuit obedire populus, propter regiam autoritatem, sicut alijs legum edictis.
22. Dissimiles sunt traditiones, quæ nunc exiguntur, uelut necessarij cultus, & prætextu Ecclesiasticæ potestatis.
23. Oportet enim in Ecclesia retineri doctrinam de iusticia fidei, quòd fide accipiamus remissionem peccatorum, & fide iustificemur, nec possimus placare iram Dei per tales cultus. Oportet enim & retineri doctrinam de libertate Christiana, quòd non sint necessarij tales cultus ad iusticiam fidei. Et quòd Euangelium prohibeat peccatum, & iusticiam ponere in talibus obseruationibus.

Astronomicum.

TErræ forma non est absolutè sphærica, tametsi Plinius dicat: Est autem terra figura prima, de qua consensus iudicat, orbemq; certè dicimus terræ, quem uerticibus includi fatemur. *Terræ forma.*

ALIA DISPVTATIO DE TRADITIONIBVS.

NON licet omittere Decalogi opera, tametsi non iustificant.
2. Non licet omittere edicta Magistratuum, tametsi non iustificant.
3. Rectè Augustinus dixit, de Ecclesiasticis traditionibus. Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. *Traditionum & Decalogi opera.*
4. Gerson sensit has ideo uiolari posse, quia Episcopi non habeant ius condendi traditiones. *Gerson.*
5. Sed hæc ratio non satis munit conscientiam in uiolandis traditionibus.
6. Nam etiam Tyrannis obedire oportet.
7. Alia igitur firma ratio quærenda est.
8. Qui errore, aut ex contemtu potestatis uiolant traditiones, cùm uiderint se scandalis occasionem dedisse, non leuiter periclitabuntur.

Astronomicum.

RECTÈ scripsit plutarchus, Solis motum summo loco tardissimum esse, tametsi regularis sit. Verba sunt Plutarchi de Principe:

μιμεμένος τὸν ἥλιον τὸν ἄρχοντα, ὃς ὅταν ὕψωμα λάβῃ μέγιστον, ἐξαρθεὶς ἐν τοῖς ἐαρείοις ἐλάχιστα κινεῖται καὶ ὀχλαστέρῳ τῷ δρόμῳ εἰς ἀσφαλὲς καθίσταται.

DE SACRAMENTIS.

DISPVTATIO DE BAPTISMO.

Baptismus signum.

BAptismus est signum promissæ gratiæ.

2. Nec significatio ad unum tempus referri debet, sed ad omnem uitam.

3. Verè iustificat Baptismus, cum eo signo excitati credimus nobis propter Christum remitti peccata.

4. Cùm Paulus dicit, Iudæos transeuntes per mare rubrum baptisatos esse, intelligendum est, quod uerè baptisati sint.

Cingliano-rum error.

5. Errant Cingliani, cùm putant transitum illum tantùm alterius signi, quod postea instituendum esset, typum fuisse, non fuisse illis signum iustificationis.

6. Eadem fides, eadem iusticia est omnium Sanctorum, sicut idem uerbum & idem Spiritus sanctus, tametsi signa mutantur.

7. Verè fuit Baptismus, uehi in arca per diluuium.

8. Verè fuit Baptismus, transitus per mare, tametsi Paulus dicat, illos in Mosen baptisatos esse.

9. Paruulorum Baptismus non est irritus.

10. Imò furor est affirmare, quòd paruuli sine sacramentis salui fiant.

Physicum.

συμπάθεια intellectus & sensus.

11. Vera est sententia: Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, tametsi quædam noticiæ nascantur nobiscum, quas uocant προλήψεις.

ALIA DISPVTATIO DE COENA DOMINI.

Corporis Christi Sacramentalis præsentia.

CErtum est, ueteris Ecclesiæ sententiam esse, quòd uerè adsit Corpus Christi in cœna Dominica.

2. Et hæc sententia Scripturæ testimonium habet.

Cinglius.

3. Cinglius præter rem uociferatur, Errare eos qui dicunt Sacramenta confirmare fidem.

5. Nos enim iudicamus eos usum Sacramentorum non intelligere, qui negant ideo eis utendum esse, ut confirmetur fides.

ALIA DISPVTATIO DE *Sacerdotio & sacrificio.*

MAgna consolatio proposita est Christianis in iure sacerdotij, quare diligenter cognoscendum est.

Sacerdos.

2. Sacerdos est propriè, qui habet ius placandi Deum, & tractandi uerbum Dei ac Sacramenta.

3. Nulli competit unquam in Mundo ius sacerdotij, nisi autoritate diuina.

4. Id ius iam donatum est omnibus credentibus per Christum. Omnes igitur credentes sunt Sacerdotes, hoc est, non modo potestatem, sed mandatum etiam habent placandi Deum.

5. Nec tamen licet ulli publicum ministerium in Ecclesia sine uocatione occupare.

6. Sacer-

6. Sacerdotium non est certus ordo hominum, delectorum ad aliquod opus pro alijs faciendum ad placandum Deum.
7. Nam hoc repugnat iusticiæ fidei.
8. Nec missa est opus, faciendum à certo ordine, institutum ad placandum Deum pro alijs.
9. Non est igitur sacrificium.
10. Nullum sacerdotium sine sacrificio est. Ergo & singuli Christiani habent sua sacrificia, nempe fidem & fructus fidei, adflictiones, confessionem, & alia bona opera.
11. Magna consolatio etiam sita est in sacrificij cognitione.
12. Quia cùm sacrificium sit opus Deo placens, placere adflictiones necesse est, cum sacrificia uocentur.

ALIA DISPVTATIO DE EODEM & speciebus sacrificij.

NEcessaria est distinctio, inter Sacramentum & Sacrificium, cùm alterum sit opus Dei erga nos, Alterum, opus nostrum erga Deum. Ac uerò necesse est discernere opera Dei à nostris, & necesse est, discernere opera, in quibus Deus aliquid nobis offert, & illa, in quibus Deus non offert nobis, sed nos DEO. *Discrimen inter Sacramentum & sacrificium.*
2. Sacramentum est opus Dei additum promissioni, in qua Deus remissionem peccatorum & iustificationem offert.
3. Cùm autem sit annexum promissioni, ac uelut pictura promissionis, non ualet, nisi fide accipiatur promissio.
4. Igitur sacramentum non prodest ex opere operato.
5. Econtra sacrificium est opus nostrum exhibitum Deo ad honorem, hoc est, ad testificandum quòd eum agnoscimus.
6. Sacrificia sunt duplicia, alia sunt propiciatoria, alia sunt sacrificia laudis seu εὐχαριστικά. *Sacrificia.*
7. Et hæ sunt primæ species sacrificij, in quas distribui possunt sacrificia legis Mosaicæ.
8. Propiciatoria propter significationem dicebantur in lege Moysi, Holocaustum, pro peccato, pro delicto.
9. Hæc uero erant εὐχαριστικά, oblatio, libatio, primitiæ, retributiones.
10. Sed reuera unum tantùm fuit sacrificium propiciatorium in Mundo scilicet mors Christi, nec aliud aut fuit aut erit unquam propiciatorium. *Sacrificium propiciatorium unum.*
11. Est autem sacrificium propiciatorium, quod meretur alijs remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ coram Deo.
12. Nullum fuit in Lege uerè propiciatorium sacrificium, sed sic dicebantur propter significationem, & habebant quandam similitudinem propiciatorij sacrificij, quia merebantur remissionem peccatorum coram hominibus, hoc est, ne illi, qui deliquerant, excluderentur ex politia illa.
13. Nec in nouo Testamento ullum est propiciatorium sacrificium reliquum, præter mortem Christi.
14. Missa igitur non meretur remissionem peccatorum, nec est opus satisfactorium pro culpa aut pœna.

15. Omnes

15. Omnes adflictiones & omnia bona opera Sanctorum sunt sacrificia εὐχαριστικά.

16. Sed nemo potest saluus fieri sine sacrificio propiciatorio.

Christianorum duplex sacrificium.

17. Igitur singuli Christiani habent duplex sacrificium, propiciatoriũ, & εὐχαριστικὸν.

18. Sed alterum habent alienum, alterum proprium.

19. Alienum est enim propiciatorium, à Christo oblatum, cuius fructus nobis donatus, fide accipitur.

20. Propriè sunt sacrificia εὐχαριστικά, cùm nos offerimus adflictiones & bona opera nostra.

Ius sacerdotij.

21. Ius sacerdotij duo continet officia, placare Deum, & Deo offerre.

22. Et singuli sacerdotes duplex habent sacrificium, propiciatorium & εὐχαριστικὸν.

23. Christus Pontifex placet per se, & offert suam obedientiam Patri, sed pro alijs.

24. Sancti, etsi sunt sacerdotes, tamen non placant per se, sed per Pontificem Christum, cùm fide accipiunt fructum sacrificij Christi.

25. Christus Pontifex habet utrunq; sacrificium proprium.

26. Sancti non habent proprium sacrificium propiciatorium. Nec placant suo sacrificio, sed alieno, quod tamen neq; ipsi offerunt, sed tantùm accipiunt fide fructum alieni sacrificij.

27. Sancti habent propria sacrificia εὐχαριστικά, quæ ualent propter fidem, non ex opere operato.

28. Nullum est enim noui Testamenti sacrificium ex opere operato.

29. Sed sacrificia, hoc est, bona opera & adflictiones ualent per fidem, cùm corda perterrefacta eriguntur, & credunt ea placere Deo propter Christum.

λατρεία λογικὴ.

30. Ideo Paulus requirit λογικὴν λατρείαν.

31. λογικὴ λατρεία est cultus mentis, in quo mens cernit & intelligit Deum per uerbum, hoc est, habet timorem & fidem.

32. Opponitur igitur λογικὴ λατρεία non solum pecuinis uictimis, sed etiam humanis operibus sine uerbo, hoc est, mandato Dei factis, & in genere opponitur omnibus humanis operibus, in quibus desunt timor & fides.

33. Igitur opera traditionum humanarum, & monasticæ obseruationes non sunt λογικὴ λατρεία.

34. Nec alia exercitia, nec adflictiones, sine timore & sine fide misericordiæ Christi, sunt sacrificia.

35. Sancti in ueteri Testamento usi sunt ceremonijs legis, uelut Sacramentis, hoc est, signis futuri Christi, & præstiterunt tanquam sacrificia εὐχαριστικά, ad protestandam fidem suam.

36. Nemo habet ius sacerdotij, nisi à Deo datum.

37. Ideo nemo potest placare Deum, nisi autoritate diuina, hoc est, nisi & mandatum placandi, & promissionem habeat.

38. Cùm autem nos habeamus testimonium in Scripturis, quòd simus sacerdotes, testatur scriptura, quòd ius habeamus placandi & orandi Deum, per Christum nobis donatum.

39. Hoc ius maximam consolationem affert omnibus pijs mentibus.

40. Nec

40. Nec aliud maius beneficium habent homines, quàm ius sacerdotij, quo fiunt propriè filij Dei & cultores, & proprius populus Dei.
41. Hoc summum beneficium abijciunt isti, qui non inuocant, qui despe-rant.
42. Quare utamur beneficio Dei, & iure nobis donato, & exhibeamus nostras hostias, uidelicet, fidem, inuocationem, gratiarum actionem, obedienti-am, iuxta mandata Dei.
43. Etsi aqua sphærica est, tamen lineæ à centro ductæ ad proximas aquas breuiores sunt, quàm quæ ad extremum mare, à primis aquis ducuntur, ut Pli-nius ait. *Aquæ figura.*

ALIA DISPVTATIO DE *pœnitentia lapsorum.*

NOuatiani non rectè senserunt, relapsis peccata iterum non remitti. *Nouatiano-rum error.*
2. Error inde natus est, quòd non animaduerterunt, quid Scriptura uocet peccatum.
3. Somniarunt enim peccata uocari tantùm externa malefacta.
4. At peccatum significat non tantùm opera mala, sed etiam naturam ui-ciosam uacantem metu Dei, fide, ac concupiscentiam.
5. Prudenter igitur accipienda est uulgaris sententia: Peccatum nisi uo-luntarium esset, non esset peccatum.
6. Vt semper habemus peccata, ita semper opus habemus remissione pec-catorum.
7. Oportet igitur perpetuò contingere remissionem peccatorum, etiam cùm externa malefacta non habeamus.
8. Errant fanatici Homines, qui Christianam iusticiam tantùm externos mores ciuiles esse iudicant.
9. Publica pœnitentia spectaculum fuit, non fuit pœnitentia.
10. Nec necesse est reuocari id spectaculum in Ecclesiam. *Pœnitentia.*
11. Pœnitentia propriè est contritio, ac fides in contritione erigens & consolans.
12. Imprudentissimè locuti sunt Canones de pœnitentia, qui nullam ibi mentionem fidei fecerunt.
13. Sed ne nouum dogma de fide adferre uideamur, extat Tertulliani sen-tentia, quam adscribere non grauabor, quia dum iusiurandum Dei exaggerat, mirificè erigit conscientias. *Tertullianus de pœnitentia*
14. Bonum est pœnitere, an non? quid reuoluis? Deus præcipit. At ille non præcipit tantùm, sed etiam hortatur, inuitat præmio salutis, iurans etiam, Viuo dicens, cupit credi sibi. O beatos, quorum causa Deus iurat, O miserri-mos, si nec iuranti Domino credimus.

ALIA DISPVTATIO DE POENITEN-*tia & satisfactionibus.*

POenitentiam definiunt esse, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. *Pœnitentia.*
2. Ea definitio non satis explicat uim pœnitentiæ, quare prudenter accipi-enda est, ut pleræq; aliæ ueterum Scriptorum sententiæ.
3. Rectius definies: Pœnitentiam esse contritionem & fidem, quæ cum credit remitti peccata propter Christum, consolatur cor perterrefactum.

4. Con-

4. Contritio sine fide desperationem affert.

5. Quare ualde incommodè docent, qui cum pœnitentiæ partes colligunt, contritionis mentionem faciunt, fidei nullam faciunt.

6. Fides sine contritione existere non potest.

7. Fidem uocamus propriè, quæ credit non modo historiæ, sed etiam promissioni gratiæ, seu quæ credit remitti peccata.

8. Ea fides est iusticia, qua coram Deo iustificamur.

Satisfactiones Canonicæ.

9. Cùm satisfactiones non mereantur remissionem peccatorum, Canones pœnitentiales, quos uocant, non sunt necessarij.

10. Canones pœnitentiales in Ecclesia recepti sunt, non quòd ea opera gratiam merebantur, sed propter alias causas.

11. Prudenter igitur iudicari debet de ueterum sententijs, quæ Canones illos imponunt Ecclesiæ.

12. Quidam ueteris Ecclesiæ πολιτείαν ita admirantur, ut restituere illos Canones conentur. Sed quia periculum est, ne qui putent illa opera necessaria esse ad promerendam remissionem peccatorum, non est utile restituere illos.

13. In Ecclesia semper est præstandum, ut Euangelium purè doceatur. Ritus seu traditiones uariant temporibus, sicut nummi. Et prodest præsentibus esse contentum, Veteres renouare, partim stultitia, partim impietas est.

14. Canones ipsi docent, traditiones antiquatas non esse exigendas.

Astronomicum.

De magnitudine solis & Lunæ.

RECTÈ ait Plinius, defectus Lunæ magnitudinem Solis declarare. Illud non rectè dictum est à Plinio: Lunam esse maiorem terra, quia totum Solem adimat terræ.

ALIA DISPVTATIO DE *partibus Pœnitentiæ.*

Pœnitentiæ partes.

NON rectè definiunt pœnitentiam, qui eam dicunt esse mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.

2. Hæc enim definitio angustior est definito, nec satis explicat uim & naturam ueræ pœnitentiæ.

3. Nec rectè tribuuntur ueræ pœnitentiæ hæ tres partes, Contritio, Confessio & Satisfactio.

4. Vera & salutaris pœnitentia est, contritio & fides.

5. Contritio est terror & pauor conscientiæ, quæ fit, cùm hominibus ex prædicatione legis ostenduntur peccata.

6. Fides est fiducia misericordiæ Dei, in Euangelio propter Christum nobis promissæ, hæc concipitur ex prædicatione Euangelij.

7. Ac fides non potest existere, nisi in corde contrito, & contritio sine fide desperatio est.

8. Talem pœnitentiam sequuntur fructus digni pœnitentia, uidelicet, obedientia erga legem Dei.

9. Et quamuis illa obedientia in credentibus & renouatis nondum est perfecta, tamen placet Deo.

Enumeratio peccatorum.

10. Enumeratio peccatorum nusquam est præcepta in Scripturis.

11. Imò erumeratio, de qua Canon dicit, est impossibilis.

12. Ideoq; enumeratio peccatorum non est necessaria ad salutem.

13. Sed

13. Sed absolutio priuata est petenda, quæ est instituta in Euangelio.

14. Satisfactio pro peccatis nostris coram Deo nulla est, præter meritum & passionem Iesu Christi.

15. Et tamen rectè dicitur: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. *Satisfactio.*

Finis hominis uerè & secundum rectam rationem est obedire Deo, & celebrare Deum. Ideo nec Aristoteles satis dicit, cum ait, Virtutem esse finem. Omnino uerò explodendum est Epicuri deliramentum, qui uoluptatem finem esse contendit. *Finis hominis.*

ALIA DISPVTATIO SVMMAM doctrinæ de Pœnitentia continens.

GRammaticis Pœnitentia significat reprehensionem propriĩ consiliĩ, aut facti. Quare nomen conuenit aptè ad id, quod uulgò uocant contritionem. *Pœnitentiæ uocabulum.*

2. Quanquam autem & in ea significatione in Scriptura alicubi ponitur, solet enim Scriptura grammaticè loqui: tamen sæpè Scriptura pœnitentiam uocat totam conuersionem cum fructibus.

3. Docendi causa in Ecclesia uocamus pœnitentiam, ipsam conuersionem Hominis.

4. Quare necesse est ponere duas partes pœnitentiæ præcipuas, Contritionem & fidem. *Pœnitentiæ partes.*

5. Contritio significat terrores, quibus conscientia perterrefit, agnoscens peccatum.

6. Fides significat fiduciam misericordiæ, propter Christum promissæ. Et remissionem peccatorum consequimur, non propter nostram contritionem aut dilectionem, sed gratis propter Christum, per fiduciam illam misericordiæ promissæ.

7. Et stultè & impiè docuerunt Scholastici, peccata remitti propter contritionem, cum contritio sine fide nihil sit nisi mors & desperatio. *Scholasticorum error de pœnitentia.*

8. Multo ineptius est, quòd finxerunt dilectionem Dei in contritione mereri remissionem peccatorum, cum corda perterrefacta non possint diligere Deum, nisi prius fide remissionem peccatorum apprehenderint.

9. Illi uerò Labyrinthi planè inextricabiles sunt, cum fingunt contritionem Petri profuisse, quia fuerit dolor ex amore susceptus, Contritionem Iudæ non profuisse, quia fuerit dolor ex metu pœnarum susceptus.

10. Hæ imaginationes adigunt pauidas mentes ad desperationem.

11. Quomodo enim statuet conscientia in ueris terroribus, se diligere Deum, nec metuere æternas pœnas?

12. In summa, tota doctrina de pœnitentia apud Scholasticos plena est errorum & impietatis, quia omittunt id, quod negocij caput est, scilicet, Fidem, non enim docent, GRATIS fide in Christum accipi remissionem peccatorum.

13. Fides facit discrimen inter Petri pœnitentiam, & Iudæ pœnitentiam. Petrus non periit in contritione, quia fides accessit ad contritionem. Iudas periit in contritione, quia non accessit fides ad contritionem. *Fides discriminat pœnitentiam piorum & impiorum.*

14. Nulla planior & magis perſpicua deſcriptio pœnitentiæ tradi poteſt, quàm ſi doceamus pœnitentiam eſſe contritionem & fidem.

15. Contritionis cauſa eſt, uerbum quod arguit peccata. Fidei cauſa eſt promiſsio, quæ annunciat remiſsionem peccatorum.

Abſolutio.

16. Valet abſolutio coram Deo, qua poteſtas clauium priuatim alicui remittit peccata. Neque uerò ualet abſolutio propter dignitatem contritionis aut confeſsionis, ſed fide ualet, propter promiſsionem Chriſti.

17. Cum igitur abſolutio ualeat, confeſsio in qua quæritur abſolutio, retinenda eſt.

18. Enumeratio autem delictorum, quæ in Canonibus traditur, neque poſsibile eſt, neque habet mandatum Dei.

Nouatianorum error.

19. Nouatiani ſceleſtè errant, qui docuerunt lapſis poſt baptiſmum non poſſe rurſus contingere remiſsionem peccatorum.

20. Ideoq; negauerunt eis abſolutionem impertiendam eſſe.

21. Hæretici iſti, nec quid ſit peccatum, nec quid ſit Euangelium, intellexerunt.

22. Nam cùm in Sanctis adſit peccatum, ſemper habent opus remiſsione peccatorum.

Satisfactiones publicæ.

23. Non igitur ſemel tantùm contingit remiſsio peccatorum.

24. Quòd addunt Scholaſtici ſatisfactionem ad pœnitentiam, ſumſerunt occaſionem ex publico ritu pœnitentiæ, qui olim fuit.

25. Et tales ſatisfactiones, primùm fuerunt ſpectacula, exempli cauſa inſtituta, non propter remiſsionem peccatorum.

26. Neque enim remittuntur peccata propter noſtra opera, quare ad remiſsionem peccatorum non ſunt neceſſariæ noſtræ ſatisfactiones.

27. Quare ſatisfactiones iure improbantur, cùm obſcurent doctrinam fidei, quia finguntur prodeſſe ad remiſsionem culpæ, etſi quidam cautiores dixerunt, eas prodeſſe ad remiſsionem pœnæ.

28. Certè enim hi, qui dicunt monaſticen ſatisfactoriam eſſe, mereri conantur non ſolùm remiſsionem pœnæ, ſed etiam culpæ.

29. Quanquam Deus punit peccata, tamen Claues non habent poteſtatem remittendi eas pœnas neque imponendi.

30. Imò grauiter lædunt Euangelij gloriam, qui docent claues eſſe poteſtatem imponendi pœnas, cum ſit mandatum remittendi peccata gratis.

31. Nec rectè dicitur hoc ab Aduerſarijs, Iuſticiæ diuinæ eſſe, in remiſsione culpæ pro ſingulis peccatis certas pœnas infligere.

32. Lædunt etiam gloriam Chriſti, cùm dicunt, pœnas æternas remitti propter illam compenſationem pœnarum temporalium. Chriſtus enim eſt uictor mortis æternæ.

33. Etſi uerum eſt, pœnas in hac uita remitti aut mitigari, ſicut apparet in hiſtoria Niniuitarum. Et Propheta ait: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos &c.

34. Tamen ſatisfactiones id non merentur, ſed tum fides impetrat in pœnitentia, tum merentur in renunciatis ueri cultus Dei, qui habent promiſsionem, Et Eſaiæ 58. Frange eſurienti panem, & Dominus tibi dabit requiem.

35. Nam ſatisfactiones ſunt traditiones humanæ, quæ ſunt irriti cultus.

Illud

36. Illud etiam falsissimum est, Satisfactionibus tolli pœnas, etiamsi fiant in peccato mortali.

37. Sed illæ falsæ persuasiones de Satisfactionibus inde ortæ sunt, quòd Scholastici rem politicam transtulerunt ad conscientiam agentem cum Deo, cùm tantùm pertineret ad exemplum coram hominibus exhibendum.

38. Ita in multis alijs negocijs imprudenter confundunt politica & spiritualia.

39. De pœnis hoc proderat docere. Exerceri nos à Deo adflictionibus, ut ad pœnitentiam uocemur. Item, ut fides in adflictionibus se exerat & crescat. Item, mitigari calamitates publicas & priuatas, propter ueram pœnitentiam.

40. Cæterùm hoc constat, ueram pœnitentiam non esse ociosam, sed fructus bonos parere.

41. At fructus illi neque pro culpa, neque pro æterna morte precia sunt. Nam hæc gloria debetur Christo, qui ait: Ego ero mors tua, ô mors.

ETHICA.

ARistoteles, rectè dicit: Ratio hortatur ad optima. Et tamen uerum est, quod ait Paulus: Sensus carnis mors est. *Ratio hortatur ad optima.*

43. Non recte senserunt Stoici, omnes affectus in natura hominis uiciosos esse. Nam affectus tollere est naturam tollere.

ALIA DISPVTATIO DE PARTIBVS

Pœnitentiæ, & de discrimine satisfactionum & pœnarum.

PRudenter iudicandum est de ueteri partitione pœnitentiæ, in qua tres partes recensentur, Contritio, Confessio, & Satisfactio. *Pœnitentiæ de his partitio.*

2. Improbandum enim est, quòd in partibus pœnitentiæ non faciunt mentionem fidei.

3. Et Satisfactio olim fuit quædam Ecclesiastica disciplina, exempli causa ab Episcopis instituta, atque inde nomen in Ecclesia reliquum est. Cæterum illa doctrina de satisfactionibus, quam nunc docent Scholastici, tota commenticia & falsa est. *Satisfactionis usus.*

4. Retinemus igitur Contritionẽ, sed de hac rectè docendi sunt homines.

5. Contritio etsi præcipuum opus est Legis, tamen non meretur remissionem peccatorum, sed affert mortem. Ac si id opus eximium Legis non meretur remissionem, quantò minus alia Legis opera inferiora merentur remissionem peccatorum:

6. Fides ergo ad contritionem accedere debet, hoc est, fiducia in Christum, quæ uerè impetrat remissionem peccatorum gratis.

7. Confessio propter absolutionem retinenda est, sed ita, ut doceantur homines, enumerationem delictorum non esse necessariam, nec in Euangelio præcipi. *Confessio.*

8. Illud maximè præstandum est, ut cùm de pœnitentia docentur homines, diligenter illustretur & patefiat doctrina de fide. Ideo non partes pœnitentiæ præcipuas ponimus, contritionem & fidem, quibus propriè cum Deo agunt conscientiæ.

9. Satisfactiones repudiamus, quia multis modis obscurant Euangelium.

Papistarum errores in Doctrina pœnitentiæ.

10. Rectè fatentur Aduersarij, quòd satisfactiones non mereantur remissionem culpæ.

11. Falsa est imaginatio, remitti pœnas æternas, propterea, quia commutentur in pœnas temporales.

12. Falsum & hoc est, potestatem clauium habere mandatum, ut partem temporalium pœnarum remittat, partem irroget.

13. Falsum & hoc est, opera debita persoluere illas pœnas, & quidem in peccato mortali.

14. Hæ imaginationes Scholasticorum, nec Scriptura, nec scriptorum Ecclesiasticorum autoritate nituntur, Sed sunt meræ κενοφωνίαι, & obscurant tum beneficium Christi, tum legem Dei.

15. Nam, ut remissio culpæ, ita & remissio æternæ pœnæ tantum est Christi beneficium, & quidem gratuitum.

16. Nam uiuificatio, quæ fit in remissione culpæ est ipsa liberatio à morte æterna. luxta illud: Iustificati fide, pacem habemus.

17. Deinde Legem obscurant satisfactiones, cùm fingunt operibus indebitis redimendas esse pœnas, quasi Legi ita satisfaciamus, ut etiam amplius facere possimus.

18. Post remissionem culpæ manent communes adflictiones, quas sustinere homo cogitur, donec in hac mortali carne uiuit. Hæc communis miseria non est propriè pœna actualium delictorum præteritorum, sed est pœna peccati originis. In Sanctis autem fiunt exercitia, ut Paulus ait: Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet præsens, quod hæret in natura.

19. Præter mortem & cæteras communes adflictiones naturæ humanæ, Deus etiam sæpè peculiaribus pœnis certa peccata punit, ut Dauidis adulterium punitum est exilio. Item populi Idolatria punita est multis & magnis cladibus.

20. Huiusmodi pœnas dicimus mitigari, non indebitis operibus, sed tota pœnitentia & operibus debitis, Idq; in Ecclesijs doceri prodest.

21. Sic enim & Prophetæ docent: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Et Christus & Apostoli: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur à Domino.

22. Etiamsi peccata merentur pœnas, tamen potestas clauium non habet mandatum aut remittendi, aut irrogandi temporales pœnas, Et illud certè falsissimum est, non remitti æternas pœnas, nisi propterea quia commutentur in temporales.

23. Deinde, etiamsi peccata merentur pœnas, tamen non prodest nostra commutatio in aliam pœnam, Sed pœnitentia prodest, non quia sit pœna & satisfactio seu compensatio pro priore delicto, sed quia est iam obedientia Deo placens, quæ ut plæraque alia præmia meretur, ita etiam meretur mitigationem præsentium calamitatum.

24. Infligere sibi ipsi pœnam opere aliquo, ut uocant, indebito, est ex eo genere cultuum, de quo Christus ait: Frustra colunt me mandatis hominum, Et quod Paulus uocat, ἐθελοθρησκείαν.

25. Exercitia sibi imponere Sancti debent, ad coercendam carnem, iuxta illud Pauli: Castigo corpus meum &c. At sine scriptura dicitur, quòd præteriti peccati pœnas, hoc est, satisfactionem sibi infligere debeant.

Nec

26. Nec adflictiones Sanctorum semper sunt iudicandæ esse pœnæ, sicut & Hiob excusatur diuina uoce, quòd non plectatur propter mala facta præterita. Nec Iohannis Baptistæ & similium adflictiones fuerunt pœnæ. Quare non est uniuersaliter iudicandum, omnes adflictiones esse pœnas certorum delictorum, ac non remitti delicta, nisi tales pœnæ infligantur. *Afflictiones Sanctorum.*

27. Imò conscientijs prodest docere, quòd in Sanctis adflictiones non sunt pœnæ, sed habeant alios fines, sicut & Christus inquit de cœco: Neque ipse peccauit, nec parentes eius.

28. Lex interpretatur adflictiones esse pœnas, sed Euangelium pronunciat eas esse exercitia, in quibus declaretur obedientia nostra, crescat nouitas spiritus in inuocatione & fide, & fiat bonitas Dei conspectior in infirmitate nostra, sicut ait Paulus: Virtus Dei in infirmitate nostra perficitur.

29. Deus aliter punit alia peccata, Interdum exemplis publicis, sicut David plectitur, Interdum tantùm terroribus quales describuntur in Psalmis: Domine ne in furore tuo arguas me. Huiusmodi contritio est pœna, sed diuinitus irrogata, ut aliæ pœnæ, quæ diuinitus infliguntur. *Peccatorum diuersorum, diuersæ pœnæ.*

30. Claues nec imponunt, nec remittunt communes calamitates, ut constat, quare non sunt satisfactiones.

31. Ecclesiastici Patres tantùm intellexerunt satisfactiones de publico more pœnitentiæ, qui tunc erat in Ecclesia. Et quidem Ambrosius ait satis esse, in uita semel illam publicam pœnitentiam fieri. Quare non sentiebant canonicas pœnas necessarias esse ad remissionem peccatorum.

32. Ex his fontibus intelligi potest, iure reprehendi doctrinam scholasticam de satisfactionibus. Sunt enim profectò laquei conscientiarum, & facile accedit opinio, quòd sint res necessariæ ad remissionem culpæ.

33. Facile est reuellere usitatas opiniones, quòd pœnæ æternæ non remittantur sine compensatione quòd opera indebita facta in peccato mortali sint compensationes &c. Verùm aliqui ita pingunt nunc nouis quibusdam coloribus satisfactiones, ut negocium faciant pijs conscientijs. Sed inspectis fontibus explicari res potest.

34. Sic est hypocrisis, instructa est multiplici sophistica ad turbandas & euertendas pias mentes.

35. Etiamsi pœnitentia esset quædam pœna ac satisfactio, tamen certè canonicæ satisfactiones & opera indebita nihil prodessent, Id cum fit manifestissimum, satis munit conscientiam aduersus omnes fucos satisfactionum.

PHILOSOPHICA.

FAtum non affert necessitatem humanis actionibus. Ideo Stoicorum sententia simpliciter explodenda est. *Fatum.*

37. Physicè & non incommodè loquitur Manilius cum ait: Materiæq; datum est cogi, sed cogere mundo.

38. Nec prouidentia Dei tollit rerum contingentiam, siquidem hoc ponitur, quod nos quidem affirmare non dubitamus, Deum non esse causam mali.

ALIA DISPVTATIO DE DISCRIMINE

mine Satisfactionum & pœnarum diuinitus irrogatarum.

OLim lapsi, id est, desertores Christianæ professionis, & alij contaminati manifestis sceleribus, non recipiebantur in Ecclesiam, nisi iniuncta publica pœna, seu multa.

Satisfactionũ Canonicarum origo.

2. Ex hoc more sunt ortæ Satisfactiones canonicæ.

3. Hæ pœnæ canonicæ non erant merita remissionis culpæ, aut pœnarum, sed erant exemplum, seu politica disciplina.

4. Nec ministri Euangelij potestatem habent imponendi pœnas, sed tantùm habent mandatum, ijs, qui agunt pœnitentiam, & petunt Absolutionem, annunciandi uocem Euangelij.

5. Et tamen uagantur pœnæ in hac uita diuinitus irrogatæ per Ecclesiam, etiam propter certa peccata Electorum, Sicut Psalm: 89. dicitur: Visitabo in uirga iniquitates eorum, Sic Dauid punitus est propter raptam alterius coniugem, & cædem, & scandala. Semper enim in uno peccato multa insunt.

6. Hæ pœnæ mitigantur tota Conuersione, & bonis operibus Electorum, ut Esai. 1. dicitur.

Calamitates Ecclesiæ.

7. Nec tamen omnes calamitates Ecclesiæ sunt pœnæ certorum delictorum, sed pleræq; sunt miranda exercitia Sanctorum, ut Esaiæ, Iohannis Baptistæ, & similium neces.

8. Vult enim Deus Ecclesiam subijci ingentibus ærumnis, ut agnoscat peccatum, & inter pericula crescat fides, & luceat potentia Dei in nostra infirmitate.

9. Imò hæ afflictiones Piorum & Sanctorum sunt testimonia immortalitatis animæ, seu quòd post hanc uitam restet iudicium, & perpetua uita.

10. Tales calamitates Sanctorũ non redimuntur ritibus Satisfactionum.

11. Nec hi ritus defendendi sunt hoc prætextu, quòd bonis operibus mitigentur pœnæ præsentes. Nam magnum discrimen est inter hos ritus, & ea, quæ uerè uocantur bona opera. Nec hoc prætextu confirmanda est superstitio, aut tribuenda autoritas Ministris imponendi leges Ecclesijs.

12. Multo minus prodigiosæ illæ opiniones recipiendæ sunt, quòd satisfactiones compensent pœnas purgatorij, aut æternas.

ERuditissimè dictum est ab Hippocrate: Labor articulis, & carnibus, Cibus uerò & somnus uisceribus prodest.

ALIA DISPVTATIO DE EXERcitijs corporalibus piorum.

Exercitia piorum.

EXercitia corporalia piorum sunt, temperantia in cibo, potu, leiunia, assiduitas laborum, intentio acrior in studijs, cogitatio & lectio uerbi Dei, sermones pij & eruditi, audire diligenter uerbum Dei ceremonijs publicis frequentius interesse, ut excitentur animi ad pias cogitationes & preces, & hoc genus alia, quæ complexus est Paulus cum ait: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c.

2. Hæc exercitia non sunt iusticia spiritualis, & tamen sunt necessaria.

3. Et quanquam uituperat Paulus ἐθελοθρησκείας, tamen hæc opera fiunt in pijs ueri cultus Dei.

4. Qui hæc exercitia abijciunt, in hoc ocio & luxu, in multa peccata ruunt, præterea contristant & arcent Spiritum sanctum. Ideo multipliciter & grauiter peccant, & sibijpsis exitium accersunt.

Ideo

5. Ideo Christus seuerè præcepit: Attendite, ne corda uestra grauentur crapula. Item, Hoc genus dæmoniorum non ejcitur nisi in ieiunio & oratione. Item Paulus inquit: Non in comessationibus. Et Petrus: Sobrij estote, uigilate.

6. Surdum esse ad tot tamq; graues sententias, non est libertas Christiana, sed quædam horribilis & prophana securitas, & contumacia, quam Deus aliquando atrociter puniet.

7. Magna laus est disciplinæ, quod inquit Paulus: Lex est pædagogus in Christum. Testatur enim prodesse hanc pædagogiam & hæc exercitia, non solùm ad ciuilem honestatem, aut conseruationem uitæ corporalis, sed ad hoc quoque, ut assuefacti, doceri, & ad agnitionem Christi peruenire possimus. Est autem Deus efficax in pijs per uerbum suum. *Disciplinæ laus.*

8. Rectè Paulus: Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, Pietas ad omnia. Debent enim Christiani intelligere discrimen inter hæc exercitia, & ueras uirtutes spirituales, & huic pædagogiæ longè anteferri debent, uera pœnitentia, uera fides, inuocatio, uocationis officia. Sed tamen non dicit Paulus, inutilem esse exercitationem corporalem.

9. Exercitiorum finis immediatus esse debet, ut coerceant carnem, ne saturitas & ocium accersant aliqua uicia. Item, ut sobrij magis idonei simus ad orandum &c. Cùm ad hunc finem destinata sunt hæc exercitia, sunt bona opera, & præcepta à Deo. *Exercitiorum finis.*

10. Non debet exercitiorum immediatus esse finis ut sint cultus, quasi Deus requirat opera non ob aliud, nisi ut tali honore afficiatur. Hęc opinio est superstitiosa, ut Paulus testatur, cum ait: Regnum Dei nec esca nec potus est.

11. Fiunt autem cultus hæc exercitia, cum ad debitum finem referuntur. Sunt enim bona opera: Porrò in pijs bona opera omnia sunt cultus Dei. Sicut in Daniele adolescente & eius socijs erant cultus, abstinentia à uino & lautioribus cibis. Et habent hæc opera præmia, ut testatur ipsum exemplum Danielis.

12. Quanquam igitur Euangelium maiora requirit quàm hæc exercitia, quæ sunt sanè πῶχα σοιχῆα κόσμυ, tamen meminerimus in hac infirmitate nostra, maximè nobis opus esse his qualibuscunque adminiculis, perfertim cum Deus præceperit de eis tam seuerè.

13. Res minimæ sunt, si conferantur ad magnitudinem spiritualium rerum. Sed sunt res maximæ acerrimo studio retinendæ, si infirmitas hominum consideretur.

14. Imò Dei mandatum est, ut hac disciplina regantur adolescentia & uulgus. Quare contra mandatum Dei faciunt, cum hanc disciplinam excutiunt.

ALIA DISPVTATIO DE IVSTICIA CARNALI & CIVILI, ac de effectu Legis & Euangelij.

DEus exigit ab omnibus iusticiam carnalem, luxta illud: Lex est pædagogus, Et: Lex est posita iniustis. *Iusticia carnalis necessaria.*

2. Et sicut arboribus indita uis est ferendi fructus, Ita rationi seu ψυχικῷ homini indita est uis & facultas faciendi iusticiam carnalem.

3. Ea est iusticia liberi arbitrij, & in potestate nostra, sicut in arboribus natura fructus producere.

Voluntas hominis captiua Satanæ.

4. Et tamen uoluntas humana est captiua Satanæ, ut ne carnalem quidem iusticiam semper præstet.

5. Et quemadmodum arbores nihil producunt, nisi Deus fœcundet, ita pendent etiam omnes actiones ψυχικοῦ hominis, à uoluntate & ordinatione diuina.

6. Quidam posteaquam audiêrunt, non iustificari nos nostro merito, nihil interesse putant inter cædem facere, & omittere, & similia. Hi sciant, à Deo exigi iusticiam carnalem.

7. Et datur seruantibus merces corporalis, puniuntur hi, qui uiolant, sicut in historijs Mose apparet.

8. Ergo pueri & carnales omnes sunt coercendi ista iusticia, & docendi, donec diuinitus doceantur, Sicut & arbores plantari, agros conseri oportet.

9. Neque uerò meremur aut remissionem peccatorum, aut Spiritum sanctum, iusticia carnali.

Legis usus.

10. Sed Lex, mors & afflictiones, quas continet Lex, sunt ordinatæ ad humiliandos nos, & ostensionem peccati.

11. Is est uerus usus & spiritualis Legis.

12. De quo dicit Paulus: Lex est spiritualis, id est, spirituale iudicium, coarguens impietatem cordis, quam ratio non potest cernere.

13. Euangelium erigit & consolatur humiliatos, gratuita condonatione peccatorum, & promissione bonorum omnis generis.

Iusticia Christiana.

14. Iusticia Christiana ea demum est, fide erigi, & tranquillum fieri cor humiliatum.

15. Sola illa fides nouit Deum, & adpellat Patrem.

16. Ratio nec Deum nouit, nec Patrem potest uocare.

17. Ea fides cernit unicum sacrificium esse spiritum contritum. Ideoq; patienter fert afflictionem seu crucem.

18. Ratio contrà in aduersis rebus, aut irascitur Deo, aut planè negat ei humana esse curæ.

19. Sed spiritus sanctus fidem parit in cordibus eorum, qui sanctificantur, quæ sentit Deo nos esse curæ.

20. Fructus spiritus est, amor pacis publicæ, & pro ea conseruanda iubet orare Apostolus, item Ieremias.

21. Et cùm Christianus, neque Iudæus sit, neque Græcus, citra conscientiæ periculum, qualibuscunque politijs utitur.

22. Imò præsentem politiam propter pacem debet ferre.

23. Est autem politia, ciuilis ordinatio, leges, iudicia, bonorum diuisio, libertas, seruitus.

24. Nunc, qui decimationes, qui seruitutem, aut similia labefaciunt, impij, non Christiani sunt, & sunt à Magistratibus gladio coercendi.

ALIA DISPVTATIO DE IVSTIFICATIONE.

Quare Fide sola iustificemur, non fide & operibus simul.

ADuersarij, si qui sunt saniores, concedunt ipsi nunc, quod Dubitatio sit impia.

2. Quare concedunt, quòd fide & operibus iusti simus. Et quòd

3. Et quòd fides sit causa principalis, seu quòd opera aliquantulum habeant dignitatis, quòd & fides suppleat reliquum, quidquid deest operibus.

4. Hæc uidetur illis ciuilissima ratio esse, redigendi in concordiam sententias de fide & operibus.

5. Nemo enim eruditorum adeo nunc amens est, ut dicat totam causam aut principalem causam iustificationis esse opera. Et Eccius in conuentu Augustano concedebat fide iustificari homines, tanquam principali causa, operibus, tanquam minus principali causa.

6. Sed nos defendimus, Homines iustificari sola fide, hoc est, sola misericordia propter Christum promissa. *Sola fide iustificamur.*

7. Etsi autem obedientiam erga Legem sequi necesse est, tamen hæc obedientia non est Causa iustificationis, neq; principalis, neque minus principalis. *Obedientia erga legem.*

8. Sed iustificatio ad solam misericordiam transfertur, ut sit certa, Esset autem incerta, si penderet ex conditione Legis, siue ut causæ principalis, siue ut causæ minus principalis.

9. Est sanè παράδοξον, dicere, Quòd sola fide iusti simus, multum enim scandalorum uidetur parere Legis abrogatio, sed hæc doctrina pertinet, non ad uitam exteriorem, sed ad certamen conscientiæ luctantis cum iudicio Dei.

10. Porrò in hoc certamine conscientia non potest acquiescere, si respiciat ad legem, Lex enim iram efficit, ut ait Paulus, Rom. 3.

11. Deinde etiam hæc incommoda sequuntur, Si aliquantulum Legis sufficit, nec tota lex requiritur, aut gradus legis constituendus est, aut concedenda maior peccati licentia, non potest autem gradus legis constitui certus.

12. Iustificatio apud Paulum intelligitur relatiuè, de acceptatione.

13. Non sumus iusti, neque operibus neque nouitate nostra post regenerationem, sed sola misericordia, si tamen accipiamus eam fide.

14. Fides autem ipsa est noticia uera Dei, legis obedientia, incoatio uitæ æternæ, Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solùm Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

15. Impietas & amentia est fingere, quòd peccatum remittatur propter contritionem, cum contritio potius mors sit, non uita.

16. Fides necessaria est ad remissionem peccatorum, ut supra dictum est.

17. Confessio, hoc est, enumeratio delictorum non est necessaria & est impossibilis.

18. Absolutio priuata non est improbanda. Nam Euangelium & omnibus & singulis offert remissionem peccatorum.

19. Somnium Scholasticorum de satisfactionibus plenum est impietatis.

20. Falsissimum est, non remitti pœnam æternam, nisi propter compensationem nostræ corporalis pœnæ.

21. Falsissimum est, bona opera facta in peccato mortali ualere ad compensandam pœnam æternam, Sic autem apertè docent Scholastici.

22. Et tamen uerum est, bona opera mereri remissionem pœnarum corporalium, sicut Niniuitæ meruerunt, sibi pœnam remitti. *Bona opera quid mereantur.*

23. Etiamsi in pœnitentia est uindicta peccati, tamen stultè & impiè dicunt Scholastici, satisfactionem esse uindictam peccati coram Deo.

24. Claues non habent mandatum imponendi pœnas.

ALIA DISPVTATIO
De Ecclesia.

Ecclesia quæ & ubi.

1. Psal. ait: Non recipiam libationes eorum. Igitur Christus uerè improbat sacrificia, & cultus impiorum, qui persequuntur Christum, & hæc consolatio est tenenda his, qui patiuntur persecutionem contra speciem eorum, qui sibi nomen Ecclesiæ arrogant.

2. Ibi igitur Ecclesia est, ubi rectè docetur uerbum Dei, & rectè administrantur Sacramenta.

3. Sacramenta non solùm sunt signa professionis coram hominibus, sed multo magis signa uoluntatis Dei erga nos, Roman. 4.

4. Ergo Sacramenta confirmant conscientias, sed ita, sicut uerbum confirmat conscientias non ex opere operato. Rectè enim dictum est, Sacramentum esse uerbum uisibile.

5. Donatistæ & horum similes impiè sentiunt, Sacramenta non ualere tractata per ministros malos. Imò sicut uerbum ualet tractatum per ministros malos, ita ualent & Sacramenta.

6. Vbi est Ecclesia, ibi necesse est iustam ordinationem ministrorum esse, quia ordinatio ministrorum est inter dona Ecclesiæ propria, iuxta illud Ephe. 4. Dedit Pastores & doctores ad ædificium corporis Christi. Et ordinationes Antichristi cum habeant impias conditiones, damnatæ sunt etiam in Psalmo: Non recipiam libationes eorum.

ALIA DISPVTATIO DE
traditionibus humanis.

Traditiones humanæ.

VErum est, traditiones humanas esse irritos cultus, sicut ait Christus: Frustra colunt me mandatis Hominum, Matth. 15.

2. Verum & hoc est, Pastores Ecclesiarum non habere ius grauandi conscientias Ecclesiæ suis traditionibus, Act. 15.

3. Et tamen Pastoribus Ecclesiarum debetur obedientia, nisi aliquid contra Euangelium constituant.

Rechabitæ.

4. Rechabitæ laudantur à Deo, quòd noluerunt uiolare traditionem de non gustando uino.

5. Et ne quis dubitet, hoc opus placere Deo, additur etiam amplissima promissio: Non deficietur de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

6. Iosaphat rectè imperauit ieiunium, 2. Paral. 20. Rectè etiam Rex Niniue imperauit ieiunium.

7. Hæc mandata populus obseruare debuit.

8. Quanquam igitur hæ traditiones laudantur tamen omitti traditiones Episcoporum sine peccato possunt.

ALIA DISPVTATIO
de Pœnitentia.

PAtefecit se Deus ab initio, cùm condidisset genus humanum, & tradito uerbo suo ostendit, se ideo condidisse genus humanum, ut esset Ecclesia Deo obediens, & eum celebrans. Ac deinde cum propria uoluntate primi Parentes lapsi essent, deprecante Filio ingenti misericordia, ne uniuersa natura humana frustra

frustra, & ad æternum exitium condita esset, iterum se patefecit Deus, & reuocauit lapsos ad pœnitentiam, Et addidit admirandam promissionem, qua recipit eos, cùm testatur se missurum Semen, ad abolendum peccatũ & mortem.

2. Cùm in primis Parentibus post lapsum nulla nisi Legis notitia esset, cùm obiurgarentur à Deo, nihil aliud iudicare potuerunt, quam se in æternas pœnas abijci, ut Diabolos. Rectè enim ratiocinabantur, id iusto iudicio Dei conuenire, Deum iustè irasci contumaciæ.

3. Hic immensa Dei bonitas agnoscatur, quòd non passus est extingui naturam pereuntem, sed mox eam promissione sua erexit, & uiuificauit, ut intelligat uniuersa posteritas ueram esse hanc sententiam: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Vt, Adam & Heuam ruituros in æternam mortem, in ipso articulo retrahit in uitam, nec sinit eos perire, sed promit ex arcano sinu uocem Euangelij, ita & nobis uult opitulari.

4. Vt igitur tunc incoatum est ministerium prædicandæ pœnitentiæ & remissionis peccatorum, ita semper postea Deus hoc suum ministerium in Ecclesia sua uult sonare, defendit, & sæpe instaurat obscuratum falsis opinionibus, ut Pharisæi & Monachi fictis satisfactionibus, indulgentijs & alijs tenebris obscurauerunt contritionis & fidei doctrinam.

5. Aeterna & immutabilis Dei uoluntas est, ut arguantur hominum peccata, & proponatur doctrina de remissione peccatorum, & uita æterna donata propter Filium.

6. Ideo dicit Christus: Spiritus sanctus arguet mundum, de peccato, de iustitia, & de iudicio.

7. Etsi hæc imbecilla & cœca hominum natura nunquam satis uidet, quanta sit ira Dei, & quantum malum sit peccatum: tamen aliquam in hominc contritionem existere oportet. Et est contritio uerè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccatum. Hic pauor ac dolor in alijs maior in alijs minor est, sed crescit, & fit purior in Sanctis, qui proficiunt, ut ait Ezechias: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. *Partes Pœnitentiæ.* *Contritio.*

8. Cùm Augustinus ante mortem suam lacrymans sese accusaret, quòd nunquam prius tantopere doluisset propter suos lapsus, didicit crescere pœnitentiam in Sanctis.

9. Imò ideo genus humanum oppressum est morte, & alijs ingentibus calamitatibus, ut agnoscatur ira Dei aduersus peccatum. Et quia eam impij securi contemnunt, magis premitur Ecclesia, ut ipsa iram & iudicium Dei agnoscat & prædicet, & quærat liberationem agnitione Filij mediatoris, Sicut scriptum est: Iudicium à domo Dei incipit. *Causæ calamitatum in genere humano.*

10. Ideo & Lex, quæ est æternum & immutabile iudicium Dei aduersus peccatum, edita est, ut monstret peccatum, & causas calamitatum.

11. Vult Deus extare uocem Legis, ut ex certo uerbo Dei sciamus, quid sit peccatum, nec fingamus ipsi sine testimonio Dei peccata, iusticiam & cultus.

12. Itaque uox ministerij non est humana opinio, sed sonat legem Dei traditam certis testimonijs ab initio mundi. Sonat item promissionem gratiæ, & arguit uniuersam inobedientiam. Et simul cum hac uoce ministerij horribiliter concionatur nobis omnium calamitatum impetus irruentium in Ecclesiam, ut in promulgatione Legis, horrendi fragores & quassationes erant cœli & terræ.

In his

13. In his tantis miseriis, tamen Deus sustentat suam Ecclesiam, ut Adam & Heuam. Et uox Euangelij annuncians remissionem peccatorum, multos uiuificat. Necesse est igitur ad contritionem accedere hanc fidem, quæ statuit uerè nobis propter Christum gratis remitti peccata, non propter ullas nostras uirtutes.

Fides.

14. Hæc fides non est noticia, qualis est in Diabolis, de qua dicit Iacobus: Dæmones credunt & contremiscunt. Hæc enim quò magis credit Deum irasci peccato, eò profundius mergit animos in mortem. Sed est assentiri promissioni gratiæ, & fiducia accipiens remissionem peccatorum propter Christum, & in Christo acquiescens. Hæc ignorant Hypocritæ, & Enthusiastæ, qui Deum quærunt, non ut se patefecit uerbo suo, sed operibus aut uagabundis speculationibus.

15. Et cum fide recipimur à Deo, simul donamur Spiritu sancto, & efficimur hæredes uitæ æternæ. Et quid sit hæc fides, in ipso agone & inuocatione quotidiana discendum est.

Errores Papistarum in Doctrina Pœnitentiæ.

16. Hunc articulum dupliciter delent impij Doctores, inimici nostrarum Ecclesiarũ. Quia docent, homines consequi remissionẽ propter propria merita.

17. Et deinde addunt, quia nunquam scimus, quando satis sit meritorum, quando contritio sit sufficiens, semper dubitandum esse, an simus in gratia.

18. Hi duo errores sunt simpliciter ethnica doctrina. Sic Gentes etiam colebant Deum, cumulantes opera, & tamen dubitantes, an reciperentur.

19. Cum igitur errores isti Monachorum deleant Euangelium, necesse est eos taxari.

Cur taxandi errores in doctrina pœnitentiæ.

20. Vt conspiciantur beneficia Christi, & ei suus proprius honos tribuatur. Item, ut mentes pauidæ habeant firmam consolationem. Item, ut uera inuocatio exerceatur, necesse est defendi & illustrari doctrinam de Exclusiua, quòd SOLA fide iustificemur, id est, quòd propter Christum gratis donemur remissione peccatorum, & reputemur iusti, id est, accepti Deo ad uitam æternam, non propter nostra merita.

21. Hanc doctrinam & passim aliàs inculcat Paulus, & illustrat splendissima descriptione Coloss. 2. de Christo inquiens: condonans nobis omnia delicta, delens Chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, quod sublatum è medio adfixit cruci, spolia detrahens potestatibus, triumphum egit per sese, &c.

22. Qui ignorant doctrinam de fide, & non acquiescunt propter Christum, sed semper dubitant, in his non deletur Chirographum, sed altius infigitur, & quia nulla est in talibus inuocatio, non detrahunt spolia Diabolo, sed manent subiecti Diabolo.

23. Vera fides est noua lux, & consolatio in cordibus, & agnitio misericordiæ & præsentiæ Dei, Hanc agnitionem sequitur necessariò uera inuocatio, & sequitur noua obedientia, Deo placens, quam retinere studeamus.

24. Priuata absolutio est pars ministerij Euangelici, & non est ex Ecclesia tollenda.

25. Cum remissione culpæ uerum est semper coniunctam esse remissionem pœnæ æternæ. Et falsum est, æternam mortem propter Purgatorium, aut alias nostras compensationes remitti, sed tantùm tollitur propter Christum, Iuxta illud: O mors, ero mors tua.

Quare

26. Quare deliria de satisfactionibus Canonicis taxari necesse est, nec sunt nouis fucis pingenda.

27. Verum est, horribiles pœnas corporales grassari per uniuersam Ecclesiam, & multæ sunt causæ. Nec negandum est, pleraſq; esse uerè pœnas cerorum lapsuum, ut exilium Dauidis, captiuitatem Manassæ, furorem Regis Nabugodonosor. Et quotidie multis Sanctis propter eorum lapsus cumulantur pœnæ priuatæ & publicæ. De his dicit Ecclesia Micheæ 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Vult enim Deus in Ecclesia conspici iram aduersus peccatum, & uult in nobis crescere pœnitentiam. Ideo nobis sæpè post lapsus induit signa reatus, ut induebat ea Dauidi pulso è regno, scelere filij &c. Et, ut ira Dei est iusta & magna, ita hæ pœnæ non sunt leues ærumnæ. Sed mitigat tamen has miserias Deus inuocantibus, ut orant Prophetæ: Domine, in iudicio corripe me, non in furore, ne ad nihilum redigas me. Item: Cum iratceris Deus, misericordiæ recorderis. Et Oseæ 11. dicitur: Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego sum, & non homo.

28. Hæ tristes pœnæ considerandæ sunt, & quærenda uera remedia, nec putemus eas tolli spectaculis satisfactionum, sed propter ueram pœnitentiam mitigantur, & aliquæ prorsus tolluntur, ut dicit Propheta: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

ALIA DISPVTATIO DE
Vera & perpetua doctrina Ecclesiæ.

VNa est Ecclesia Dei perpetua inde usque ab Adam, in qua se Deus immensa bonitate patefecit, & in qua semper & sonuit, & necesse fuit sonare uocem Dei, arguentem peccata generis humani, & promittentem remissionem peccatorum, propter Filium promissum, & restitutionem uitæ æternæ.

Ecclesiæ doctrina.

2. Etsi ira Dei aduersus peccatum generis humani declarata est, inde usq; ab initio uoce Legis, & horribilibus calamitatib. generis humani, ac præcipuè Sanctorum, tamen & Filij passio est illustre testimonium ueræ & ingentis iræ.

3. Nulla mens humana intelligit, quantum malum sit peccatum, ideo omnes uerè expauescere cogitatione iræ Dei deberemus, sicut Paulus clamitat: Conclusit Deus omnes sub peccatum. Item, Zacha. 2. Sileat ā facie Dei omnis caro.

Contritionis exempla.

4. Alexander, etiamsi doluit interfecto Clito, tamen peccatum non intelligebat, quia dolor non intuebatur iram Dei.

5. Sed in Dauide est aliqua peccati & iræ Dei cognitio, cum ait: Domine ne in furore tuo arguas me.

6. Perterrefacti autem sciant promissionem Euangelij, de remissione peccatorum, seu recõciliatione, seu iustificatione, quòd uidelicet propter Christum Mediatorem gratis, non propter ullas nostras uirtutes consequamur remissionem peccatorum, fide, id est, fiducia misericordiæ propter Christum promissæ.

7. Fides in hac doctrina Pauli, significat fiduciam, & non solam noticiam, quæ & in Diabolis est, ut Iacob, inquit: Dæmones credunt & contremiscunt.

8. Econtra de fide ait Paulus: Iustificati fide pacem habemus. Item: Qui credit in eum, non confundetur. Fiducia misericordiæ pacem adfert, noticia sine fiducia misericordiæ, pauores.

9. Et cum apertè testetur Paulus, se de ea fide loqui, qua accipitur promissio, necesse est fiduciam intelligi.

10. Impius error est docere, quòd sit dubitandum, an simus in gratia, & hæc dubitatio propriè peccatum est, quod per legem accenditur, ut Roma. 7. dicitur, & impedit ac corrumpit Inuocationem.

11. Vera est igitur Propositio, Sola fide iustificamur. Constat enim in nostris Ecclesijs hoc significari: propter solum Christum habemus remissionem peccatorum, & sumus iusti, id est, accepti Deo ad uitam æternam, non propter dignitatem nostrarum uirtutum, etiamsi donato Spiritu sancto, multæ uirtutes cum fide existunt.

12. Etsi in renatis incoata est noua obedientia, tamen legi non satisfaciunt & adhuc circumferunt in carne in hac uita immundiciem multiplicem, pugnantem cum lege Dei, quæ gignit etiam multa actualia peccata propriè sic dicta.

Peccatum in renatis.

13. Nec peccatum in renatis extenuandum est, nec gratia obscuranda, Quòd autem omnes homines extenuant peccatum, eò fit, quia magnitudinem peccati & iræ Dei non satis intelligunt, imò hanc ipsam caliginem & securitatem fateamur esse non leue peccatum.

14. Agnoscant igitur renati se non esse iustos, id est, acceptos ad uitam æternam propter impletionem Legis, sed se placere Deo propter Filium fide, & postea placere obedientiam, & remitti id quod deest. Hæc doctrina exaggerat peccatum & gratiam.

15. Infinita distantia est inter lapsus contra conscientiam, & peccata quæ adhuc manent cum fide, Nam fides non manet in his, qui ruunt contra conscientiam.

16. Heua contra conscientiam obtemperauit Diabolo, Maria negligens Filium, non admisit delictum contra conscientiam.

17. Hæc est simplex & perpetua doctrina Ecclesiæ Dei, inde usque ab Adam, sicut Paulus primum dictum de fide citat, ut ostendat se perpetuam Ecclesiæ doctrinam de iusticia proponere: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam.

Monachorum error in doctrina iustificationis.

19. Quòd Monachi interpretantur Paulum de fide formata, non hoc uolunt, Fide iustificari hominem, sed uolunt hominem mereri remissionem, & iustum esse propter propria opera, seu impletionem Legis. Et deinde assuunt, dubitandum esse, an sis in gratia. Delent igitur ex professo doctrinam de fide.

20. Et affingunt multos alios errores, hominem posse legi satisfacere, & & concupiscentiam non esse malum pugnans cum lege Dei.

21. Etsi semper est Ecclesia Dei rectè sentiens, tamen hic cœtus aliâs maior est, aliâs minor, aliâs magis, aliâs minus puram habet doctrinam. Extruunt enim & Sancti stipulas supra fundamentum, ut 1. Corinth. 3. dicitur.

Ecclesiæ membra.

22. Nec necesse est Ecclesiæ membra esse maiorem partem Episcoporum, Doctorum, Sacerdotum & Monachorum, Imò plerunque maior pars etiam eorum, qui sunt in gubernatione, est reiecta, ut dicitur: Reliquiæ saluæ fient.

23. Et quanquam Electi etiam habent peccata ignorantiæ, tamen Ecclesiæ membra nequaquam sunt, qui manifestam Idolatriam defendunt, & pios propter professionem ueræ doctrinæ interficiunt, sicut Christus de illis impijs & parricidis ait: Vos ex patre Diabolo estis.

24. Nec alligata est Ecclesia ad titulos ac successionem ordinariam Episcoporum, ut uocant, sed ad Euangelium Dei, & est dissimilis politijs mundi.

ALIA

ALIA DISPVTATIO DE ECCLESIA,
& antithesi veræ doctrinæ & Pontificiæ.

ECclesia uisibilis est cœtus sanctorum, cui multi hypocritæ admixti sunt, de uera doctrina tamen consentientes, habens externas notas, professionem puræ doctrinæ Euangelij, & legitimum usum Sacramentorum. *Ecclesia quid.*

2. Sanctos uoco in hac uita credentes Euangelio & renatos per Spiritum sanctum, uerè inuocantes Deum fiducia Mediatoris, & habentes incoatam obedientiam.

3. Ecclesia alligata est ad Euangeliũ, iuxta uocẽ ęterni patris de Filio: Hunc audite, nõ est alligata ad Episcopos, aut successionẽ ordinariam Episcoporum.

4. Cùm Episcopi aduersantur Euangelio, cogimur mandato diuino eos relinquere tanquam anathemata, Iuxta dictum Pauli: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit, id est, ducatur maledictus, & diuino iudicio excluſus ex Ecclesia ac abiectus, & fugiendus, ne contagium polluat cæteros, ut in Psalmo dicitur: Induit maledictionem sicut uestimentum &c.

5. Humanæ politiæ sunt alligatæ ad certam successionem, habent leges, & potestatem suas leges interpretandi, habent gradus personarum, Reges, Duces, habent & gloriam aliquam, id est, potentiam, opes, & decus rerum gestarum, ut res magnæ ab Alexandro, Scipione gestæ sunt. *Discrimen inter Ecclesiam & humanas politias.*

6. Ecclesia non est talis politia, sed corpus dispersum, quod uagatur toto orbe terrarum, sine externo capite, sine potentia, sine gloria humana, id est, sine opibus & sine gradibus humanarum dignitatum.

7. Sed habet caput Christum, qui suis membris adest, & ea regit & defendit, habet & gloriam, quod nouit ac celebrat Deum & res magnas gerit, ut Elias, Elisæus, Paulus, & alij pij gerunt bellum acerrimum, & uerè ἀκατονδοτον aduersus diabolum, ut multi liberentur ab æterna morte.

8. In Ecclesia esse iudicia debent, Et donum est interpretatio scripturæ. Nec est potestas interpretandæ scripturæ regia aut prætoria, id est, cui propter autoritatem ordinis necesse sit obtemperare.

9. Quòd autem Episcopi huius temporis sint Idolatræ, & hostes Euangelij perspicuum est, quia defendunt multiplicem εἰδωλομανίαν & multos errrores pernicioſos, pugnantes cum Euangelio. *Idolomania Episcoporum huius temporis.*

10. Manifesta εἰδωλομανία est omnis inuocatio mortuorum, qualis est in cultu sanctorum, ut nominari solet.

11. Multiplex εἰδωλομανία est in Missa Papistica.

12. Impium est quod dicit sacrificulus se offerre filium Dei, cum nulla oblatio instituta sit.

13. Impium est quod dicit se adplicare pro alijs & mereri remissionem peccatorum.

14. Impium est, quòd adplicant pro mortuis.

15. Denique quandocunque Sacramentum transfertur ad usum alium extra instituturn, non est Sacramentum.

16. Manifesta εἰδωλομανία est fingere quòd Monachatus mereatur remissionem peccatorum, aut uitam æternam.

17. Manifesta impietas est prohibitio coniugij, & scelerata, truculenta & diabolica defensio uagarum libidinum. Nec dubium est, Deum horribiliter offendi utroque scelere, libidinibus & sæuitia.

18. Multiplex εἰδωλομανία est in doctrina aduersariorum de Iustificatione. Extenuant peccatum, uetant tribuere Filio Dei honorem debitum, agentes pœnitentiam iubent perpetuò dubitare, docent Deum in dubitatione inuocandum esse, cum nulla possit esse inuocatio, si mens ignara promissæ reconciliationis, fugiat Deum. Et Paulus dicit: Per hunc habemus accessum ad Deum. Nulla est autem Ecclesia, ubi nulla inuocatio est Dei.

Doctrina ueræ Ecclesiæ.

19. Nos contra rectè dicimus, hominem iustificari fide propter Christum gratis, non propter proprias uirtutes aut opera. Idem est, quod in Ecclesijs nostris rectè dicitur, Sola fide iustificari hominem.

20. Et significat Fides fiduciam misericordiæ propter Christum donatæ, qua fiducia statuimus nobis remitti peccata propter filium Dei, uictimã & mediatorem. Nec potest simul existere cum hac fide, peccatũ contra conscientiam.

21. Hanc fiduciam in omni inuocatione, necessariam esse dicimus, & dubitationem pugnantem cum hac fide, certum est esse peccatum. Ideo dulcissima uox est Augustini in Psalm. 88. In æternum regnabit Christus in sanctis suis. Hoc dixit Deus, hoc promisit, si parum est, hoc iurauit. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, credamus & inuocemus, &c.

22. Etsi noua obedientia est necessaria, tamen non satisfacit legi Dei, & manent in renatis in hac uita peccata actualia, & radix, caligo in mente & securitas, ac contumacia in uoluntate & corde.

23. Hæc mala esse propriè peccata sua natura, id est, uitia pugnantia cum lege Dei & digna ira Dei certissimum est. Ideo docenda est Ecclesia, ut hæc peccata agnoscat, & discat, fide propter Christum placere Deo renatos. Et incoatam obedientiam placere propter Pontificem Christum, qui nostras hostias ad patrem perfert, Sicut ait Petrus: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

24. Doctrina satisfactionum apud aduersarios, error & impietas est, & fons multorum errorum.

25. Cùm igitur tam tetros errores diabolica pertinacia defendant Aduersarij, & eorum Episcopi, relinquendi & execrandi sunt tanquam anathemata. Non expetamus eorum amicicias, qui nobiscum amici Deo esse nolunt, nosque aduersus eorum execrationes consolemur uoce Psalmi: Maledicent illi, & tu benedices.

ALIA DISPVTATIO DE *inuocatione Dei.*

Inuocatio propria Ecclesiæ.

PRopria uirtus est Ecclesiæ, ignota omnibus Gentibus, & hominibus ignaris Euangelij, inuocatio uera Dei, ut Rom. 10. dicitur: Quomodo inuocabunt nisi credent? Quomodo credent nisi audient? &c.

2. Ethnici, Iudæi recentes, Mahometistæ, dupliciter peccant in inuocatione. Primùm, quia errant de essentia Dei. Secundo, quia perpetuo ignorant uoluntatem, an & cur exaudiat Deus.

3. De essentia errant Ethnici, Iudæi & Mahometistæ. Cùm enim non inuocent Deum, qui se patefecit, & sicut se patefecit: fingunt sibi alij turbam Deorum, alij unum Deum, sed negant hunc uerè Deum esse, qui se uerbo suo, et reuelato Filio, et Spiritu sancto patefecit, aberrant ergo à uero Deo. Quare Christus inquit: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Item, Ioh. 15. De Qui me odit & Patrem meum odit.

4. De uoluntate errant, quia negant Filium esse Mediatorem, & ignorant promissiones.

5. Multipliciter errant & Papistæ, inimici puræ doctrinæ Euangelij. Alij nihil cogitantes de uerbo, aut Filio, in quo se patefecit, inuocant. Alij Deum ad certas statuas alligant. Alij homines mortuos inuocant, & ab eis auxilium petunt. Denique omnes ignari lucis Euangelij, docent dubitandum esse, an placeant, & an exaudiantur preces nostræ. Hæ confusiones animi uagantis & aberrantis à Deo, nõ satis describi uerbis possunt. Sed quotidiana lucta, bonas mentes de eis admonet. Et in ea lucta discamus nos sustentare uerbo Dei, & illum Deum quærere, & in eo acquiescere, qui se suis promissionibus patefecit.

6. Et exaudit Deus in Ecclesia Christi preces inuocantium, & tantum hos exaudit. Cæterarum gentium omnium preces sunt inane murmur, ut Iohan. 15. dicitur: Si manseritis in me & uerba mea manserint in uobis, quidquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Et Deut. 4. Non est alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deus in Ecclesia exaudit.*

7. Ergo in inuocatione primum cogitemus, ad quem dirigenda sit inuocatio. Deinde an, & cur, & ubi exaudiat Deus. Et discernamus nostram inuocationem ab Ethnica, Iudaica, & Mahometica.

8. Vno modo semper Ecclesia Dei inde usque ab Adam inuocauit Deum. Norat unum esse æternum patrem, qui genuit imaginem sui, Filium, & à Patre & Filio procedere Spiritum sanctum. Et sciebat omnia condita esse simul à Patre, Filio, & Spiritu sancto, sicut in 1. cap. Gen. & Iohan. 1. adfirmatur. *Ecclesia uno modo Deum inuocauit semper.*

9. Dirigebant ergo inuocationem ad hunc omnipotentem Deum, æternum Patrem, qui cum Filio & Spiritu sancto omnia condidit, & sustentat, Et norant se exaudiri propter filium constitutum Mediatorem, & sciebant effundi Spiritum sanctum in corda credentium & inuocantium.

10. Sic Iacob discernit suam inuocationẽ, ab aliarum Gentium precibus, & nominatim facit mentionem promissi Saluatoris. Primum inquit: Deus, coram quo ambulauerunt patres mei, Abraham et Isaac, Deinde addit de promisso Domino: Angelus, qui eripuit me ex cunctis malis, benedicat pueris istis, *Iacobi inuocatio.*

11. Hæc est directa inuocatio, ut nos dicimus: Iesu Christe Fili Dei uiui, crucifixe pro nobis & resuscitate, miserere nostri, iuua nos. Sicut Stephanus inquit: Iesu, suscipe spiritum meum. Et Paulus ait 1. Thessa. 3. Ipse Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat uiam nostram &c. Et aliâs sæpe.

12. Et Daniel clarè inquit capite 9. Exaudi Deus orationem serui tui, propter Dominum.

13. Et capite octauo, Angelus scisitatur de tempore futuri euentus, ab alio quodam colloquente, quem nominat PSALMONI, id est, admirabilem, qui gnarus est consilij diuini, & superior est creaturis omnibus.

14. Coram igitur uidet Daniel, & audit & agnoscit Filium Dei, sicut alij patres multi audierunt colloquentem.

15. Et Iohan. 5. Christus ipse inquit: Pater meus usque modò operatur, & ego operor.

16. Omnia igitur opera Dei extra diuinitatem, præterita, præsentia & futura, communia sunt tribus personis. *Opera Dei ad extra.*

17. Et tamen Filius adſumſit humanam naturam, & eſt Homo, non Pater, nec Spiritus ſanctus.

18. Et unus eſt Chriſtus, Deus & Homo, regnans & operans cum æterno Patre & Spiritu ſancto. Et cum Patre æterno, & Spiritu ſancto inuocandus, exaudiens, opem ferens, ſaluans.

19. Et fiducia filij Mediatoris & Sacerdotis accedendum eſt ad Deum.

20. Nec accedi poteſt ſine uoce Euangelij, quæ docet, nos gratis propter Filium Dei recipi, & iuſtos reputari. Hanc Fidem prælucere oportet in omni inuocatione.

Papiſtæ doctrinam de fide in inuocatione deleuerunt.

21. Manifeſtum aſt autem, doctrinam de hac Fide deletam fuiſſe opinionibus Ethnicis, quas defendunt Papiſtæ, quod ſit dubitandum de remiſſione peccatorum, quod ſit dubitandum, an preces noſtræ placeant & recipiantur, Et quod ſentiendum ſit, nos propter noſtra merita recipi.

22. Manifeſtum eſt, & idola in inuocatione propoſita eſſe, ſcilicet ſtatuas, mortuos homines, & multos falſos cultus excogitatos eſſe, ut deprauationes cœnæ Domini, Monachatus, ſatisfactiones. Hæc cùm ſint manifeſta, non rectè faciunt, qui prætextu nominis Eccleſiæ, tuentur & ſtabiliunt errores, aut ad eos redeunt.

23. Sæpe prædicitur in concionibus Chriſti & Apoſtolorum, in illo ipſo cœtu, qui uocatur Eccleſia, magnam fore multitudinem errantium. Ait enim Chriſtus: Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.

24. Interea tamen Eccleſia aliqua Dei manſit, ut in Iudæa regnantibus Antheis, Sadducæis & Phariſæis, tamen manſit Eccleſia, erant Zacharias, Simeon, Eliſabeth, Maria, Hanna, & alij multi, apud quos doctrinæ puritas manſit, & alij plus, alij minus lucis habuerunt.

25. Mouentur homines titulo Eccleſiæ, deformitate diſſipationis, ſcandalis docentium & Principum. Quanquam autem ſæpe duriter oppugnantur animi his telis, tamen opponamus manifeſtos errores hoſtium, & ſciamus, omnibus rebus anteferendum eſſe mandatum Dei: fugite idola. Etiamſi uidet Moiſes regnum Aegypti pulcerrimum euerti, etiamſi magno cum dolore uident Apoſtoli horribiliter diſſipari optimè conſtitutam politiam, & patriam funditus deleri: tamen confeſsionem ueritatis non abijciunt.

Impedimenta inuocationis.

26. Multa ſunt impedimenta inuocationis, Sed inter præcipua eſt cogitatio de noſtra indignitate, Scimus nos meritos eſſe pœnas, ſcimus Deum iuſtè iraſci peccatis noſtris. Et Lex clamitat in cordibus ſingulorum, pœnas teſtimonium eſſe iudicij diuini, quòd à Deo abiecti ſint calamitoſi. Contra hæc teneatur doctrina Euangelij, de pœnitentia & remiſſione peccatorum, & de Fide. Quanquam ſumus indigni, tamen agentes pœnitentiam, & credentes in Chriſtum recipimur, & iuuamur, ſicut ſcriptum eſt: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos.

ALIA DISPVTATIO DE FIDE.

Vuicelij error.

ERrat Vuicelius & ſimiles, & caliginem offundunt ſententiæ Pauli, cùm in hoc dicto Pauli: FIDE IVSTIFICAMVR, negant fide ſignificari fiduciam miſericordiæ, propter Chriſtum promiſſæ.

2. Cùm enim Paulus Roma. 4. affirmet, non poſſe accipi promiſſam remiſsionem peccatorum, niſi Fide, neceſſe eſt intelligi Fiduciam miſericordiæ. Sic Fidem & Baſilius intellexit, & rectè ait, ueram iuſticiam Sola fide contingere, Sic

re, Sic enim ait: ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω. αὕτη γὰρ δὴ ἡ τέλεια, καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένων &c. qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque propter iusticiam suam quisquam effertur, sed agnoscit se indigere uera iusticia, Fide autem SOLA in Christum iustificari. Basilius de fide.

ALIA DISPVTATIO DE MATRIMONIO, CONtra legem Pontificiam de cœlibatu, Autore M. Casparo Cantagiser, Saxonici Collegij apud Erphordiam Decano, Cùm præfatione D. Philippi Melanthonis.

QVAE res occasionem præbuerit, ut hæ tam accuratæ sententiæ ederentur, prius narrandum est, ut libentius legantur, & ut bonæ mentes confirmentur, & gaudeant se non adiuuare sæuiciam iniustissimam eorum, qui adhuc uagas libidines, & idola impiorum sacrificulorum, defendunt.

Nuper adolescens natus in coniugio honesto & pio Sacerdotis Euangelium docentis, petiuit sibi doctrinæ testimonium unà cum cæteris honestis & doctis iuuenibus tribui in Academia Erphordiana, renunciatione gradus Magisterij Philosophici, ut uocant. Hunc nonnulli ardentes odio ueræ doctrinæ repellendum à gradu censuerunt, tantum hanc ob causam, quòd natus esset in Sacerdotis coniugio.

Offendit hæc iniuria & sæuitia multos honestos homines in ea urbe & Academia, ut consentaneum est. Suntq; deliberationes ita uariæ secutæ, ut eo tempore ritus tribuendi testimonia prorsus intermissus sit. Quid facerent sic accensi odio in rebus maioribus, cum crudelitatem suam in re tali, & aduersus adolescentes declarent, qui undecunque nati essent, in uirtutis curriculo adiuuandi essent?

Hæc eò commemoro, ut boni gaudeant se alienos esse à societate talium Parricidarum, qui unum hoc, dies noctesq; meditantur & moliuntur, ut ueritatem opprimant, & pios Euangelij ministros, & principes fouentes pia studia ueræ doctrinæ, interficiant.

Dulcis & uera consolatio est nobis uerè inuocantibus Deum, etiamsi quos næuos, & si qua uicia habemus, tamen contagia impietatis & sæuiciæ hostium Euangelij uitare, ut possimus cum Dauide dicere: Cum impijs non sedebo, Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine, Ne perdas cum impijs, Deus, animam meam.

Hæc etsi Aspides illæ surdæ nolunt audire, tamen nos audiamus, & gubernari & defendi nos à Deo precemur, sicut in Ezechiele promittitur, ubi Deus sumturus pœnas de Sacerdotibus, & populo, iubet excerpi & seruari gementes propter idola. Qua descriptione, misericordia Dei mirificè commendatur. Significat enim Deus multos esse, qui cum impij teneant gubernacula, & antecellant potentia, non possint abolere idola. Hi si tamen gemitu ostendant, se dolere uicem Ecclesiæ & ueram doctrinam, & ueram inuocationem amare, excerpi se sciant ex multitudine impiorum, ne cum eis pereant.

Tales consolationes multas proponit Deus, quibus se confirment boni, ne fracti pertinacia, superbia, insolentia, ὕβρει, & terroribus potentum, eorum

furorem & sæuitiam adiuuent. Non dubito tantisper Deum Ecclesias nostras defensurum esse, donec studium in nobis rectè, dextrè, piè docendi Euangelij erit, sicut Filius Dei inquit: Mansionem apud eum faciemus. Spero autem & Principibus pijs curæ futurum, ut illæ Aspides in his regionibus ubi tot gentes ueram doctrinam probant, tandem strychno obiecto sopiantur.

DISPVTATIO DE MATRIMONIO.

CVM matrimonium à Deo ipso institutum, ordinatum, & sanctificatum sit, impijssimè faciunt, qui uel abutuntur eo, uel illud prohibent.

Matrimonium.

2. Est enim matrimonium, legitima maris ac fœminæ coniunctio, instituta à Deo indissolubiliter, ad procreandam sobolem, & ad uitandam fornicationem, Gen. 2. Matth. 19. 1. Corinth. 7.

3. Quare Lex Pontificia, quæ Sacerdotibus interdicit coniugium, & contracta matrimonia dissoluit, impijssima est & Diabolica, pugnans cum lure diuino, iure naturali, & ueteris ac catholicæ Ecclesiæ consuetudine.

4. Nam primum cùm Paulus dicit 1. Timoth. 3. Oportet Episcopum unius uxoris maritum esse. Item ad Tit. 1. Liberos habens fideles &c. apertè testatur & docet, Sacerdotes licitè ac piè uti sancto coniugio posse.

5. Imò, ideo disertè mariti mentionem facit, ne per superstitionem prohibeatur coniugium ministris Ecclesiæ.

Matrimonium omnibus licitum.

6. Item, 1. Corint. 7. Propter stupra uitanda, unusquisq; suam uxorem habeat, & suum quæq; uirum habeat, Mandatum est uniuersale, ad omnes pertinens sine discrimine, qui non habent donum continentiæ, aut non sunt ad cœlibatum idonei.

7. Sic enim interpretatur seipsum Apostolus paulò pòst, cum ait: Melius est nubere, quàm uri, Quam uocem nulla humana autoritas, nulla Lex, nulla uota tollere possunt.

8. Quia hæc non tollunt naturam & concupiscentiam.

9. Et Christus clarè dicit Matth. 19. Non omnes capiunt hoc uerbum, sed quibus datum est, hoc est, non omnes homines ad cœlibatum idonei sunt.

10. 1. Thessal. 4. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione, ut meminerit unusquisq; uestrum possidere uas suum, in sanctificatione & honore, non obtemperet affectibus. Hic locus apertè testatur, usum coniugalem esse sanctum, id est, opus ordinatum à Deo, & approbatum uerbo Dei, & Deo placens.

11. Ideo dicitur 1. Corinth. 7. Sanctificatur uir infidelis per mulierem fidelem &c. id est, usus coniugalis est sanctus, licitus & Deo placens.

12. Ornat & egregia laude officium coniugale 1. Tim. 2. cum ait: Saluatur mulier per filiorum generationem, Si manserint in Fide, sanctificatione &c.

13. Nam cum Paulus coniugalem castitatem (quæ est moderatè uti consuetudine coniugali, uitare, adulteria & uagas libidines) sanctificationem uocat, significat certè, coniugum usum esse sanctum & licitum.

14. Item Christus uocat coniugium coniunctionem diuinam, cum ait: Quos Deus coniunxit &c. Matth. 19.

15. Et Paulus de coniugio, cibis & similibus rebus inquit: Sanctificantur per uerbum & orationem 1. Timoth. 4.

16. Ebræ. 13. Honorabile coniugium in omnibus &c. Itidem est honorificum

cum & insigne testimonium matrimonij diuinitus instituti, quod Pontifices & Monachi, Sodomitæ pessimi, & Diaboli mancipia, horribiliter deformarunt.

17. 1. Timoth. 4. Paulus prohibitionem coniugij clarè uocat doctrinam Dœmoniorum, cum ait: Spiritus autem disertè dicit &c.

18. Cum autem certò constet, Pontifices & Monachos prohibuisse coniugium, manifestissimum est, & sine ulla dubitatione uerum, quòd Romanus Pontifex, cum uniuerso ordine suo & regno sit ipsissimus Antichristus, quem Paulus in citato loco ad Timoth. ualde perspicuè & apertissimè depingit, ac figuratum proponit, ueluti digito commonstrans Ecclesiæ. *Antichristus.*

19. Item, 2. Thessal. 2. Paulus clarè ait, in Ecclesia dominaturum esse hominem peccati, extollentem se supra cultum Dei &c.

20. Constat autem in Ecclesia & titulo Ecclesiæ dominari Pontifices, defendentes idola.

21. Quare affirmo, nullam unquam extitisse hæresin, neque adeo futuram esse, cui uerius & certius hæ Pauli descriptiones, conuenire ac competere queant atque huic Pontificio regno.

22. Nam cui, per Deum immortalem, obscurum esse potest, in tam clara Euangelij luce, Papam iuxta Pauli uerba defeciisse, & discessisse quàm longissimè à fide & Christi Ecclesia. Siquidem is neglecta, obscurata, & deleta Euangelij doctrina ac ueris cultibus, quibus se Deus coli testatur & præcipit, instituit alienos & Pharisaicos cultus à Deo prohibitos, & recepit ac condidit superstitiosas traditiones, ut sunt, uota, cœlibatus, discrimina ciborum ac uestium, ac similes, de quibus Christus pronunciat: Frustra colunt me mandatis hominum. *Papa longissimè à fide defecit.*

23. Imò ausim affirmare, Pontifices & Monachos etiam absurdiora docuisse, quàm multi ueteres Hæretici.

24. Impudenter enim hos insignes errores defendunt, quòd traditiones mereantur remissionem peccatorũ, quòd sint pares baptismo, quòd sint cultus Dei, quòd sint perfectiones, quòd sint satisfactiones pro peccatis, quòd merita eorũ alijs impertiri possint. Addunt etiam, quod traditiones sint necessarij cultus, sine quibus Fides sit inutilis. Excommunicant eos, qui non obseruant ipsorũ traditiones, Et eiusmodi multo plures absurditates & εἰδωλομανίας docuerunt.

25. Propheta Daniel etiam, hæc duo tribuit Antichristo, uidelicet, quod idolum in templo collocet, & auro atque argento colat. Et quod non afficiat honore mulieres. *Daniel de Antichristo uaticinatus.*

26. Hæc duo propria esse Pontificatus Romani, quis non apertè uidet? Idola manifesta sunt impiæ Missæ, cultus sanctorum, & statuæ, quæ in auro & argento ostenduntur, ut ibi colantur. Id nusquam fit, nisi in Pontificio Regno.

27. Deinde in nullo regno, unquam prohibitum fuit legitimum coniugium, nisi in Pontificio Regno. Ergo conuenit ad id, quod ait Daniel, Non futuras in honore mulieres.

28. Etsi enim multæ gentes, libidinibus horribiliter sunt & fuerunt pollutæ: Tamen nusquam alibi, publica lege perpetuò prohibitum est uerum coniugium magno ordini hominum, nisi in hoc regno Papistico.

29. Qualis autem turpitudo, quanta animarum pernicies, & quàm monstrosæ atque horribiles libidines hunc coniugij contemtum & prophanationem secutæ sint, tanquam ueri fructus & proprij effectus, experientia docet, & horrent animi pij uel cogitare uel nominare.

Præterea,

30. Præterea,tot crudelia homicidia,quibus interficiuntur pij Sacerdotes propter ſacrum coniugium, ſatis etiam monſtrant & indicant Autorem huius tyrannicæ Legis de cœlibatu. Nam cum Diabolus natura ſit homicidia,etiam parricidijs ſuam Legem defendit.

31. Hæc ergo cum apertiſsimè conueniant ad Regnum Pontificium, nihil dubium eſt,Danielem & Paulum concionari de regno Pontificio.

32. Quare ſciamus admoneri nos, ne aſſentiamur impietati Pontificum, ſed deteſtemur,& animo atque corpore abhorreamus. Nam uox diuina ſonat: Fugite idolatriam. Et in Apocalypſi clamat Angelus: Exite ex Babylone.

Lex de cœlibatu contra ius naturæ.

33. Quòd uerò Lex de cœlibatu pugnet cum iure naturæ, hinc manifeſtum eſt,quòd coniunctio maris & fœminæ eſt iuris naturalis.

34. Sicut & rectiſsimè & ſapientiſsimè Iureconſulti dicunt.

35. Et teſtantur hæc uerba Gene. 1. Maſculum & fœminam creauit eos, hoc eſt,indidit utrique ſexui mutuam coniunctionis appetitionem.

36. Cùm autem ius naturale ſit immutabile,ſequitur ius contrahendi coniugij nullis humanis legibus tolli poſſe, ſed omnibus liberum manere.

37. Nam ubi natura non immutatur, neceſſe eſt & illam ordinationem manere,quam Deus indidit naturæ.

38. Præterea diſſentit quoque hæc lex à decretis & Canonibus Conciliorum ueterum, & conſuetudine ueteris ac ueræ Eccleſiæ,ſicut clarè teſtantur hiſtoriæ,& Canones iuris Pontificij,ut Diſt.23.in Canone: His igitur. Et in Canone ſequente, Quoniam. Diſtin. 34. in Canone: Audite cariſsimi. Et multo pluribus locis.

39. Neque dubium eſt, Apoſtolorum tempore, Et diu pòſt in Græca & Latina Eccleſia fuiſſe Sacerdotes maritos.

40. Matth. 8. apertè colligitur, Petrum Apoſtolum fuiſſe coniugatum.

41. Et in Actis oſtenditur Philippum Euangeliſtam, & alios, habuiſſe uxores.

42. In Synodo Nicena approbata eſt ſententia Paphnutij,pugnantis contra cœlibatum & dicentis, Coniugalem conſuetudinem, continentiam & ueram caſtitatem eſſe, Diſtinct: 31.

43. Extat & decretum conſilij Gangrenſis celebrati anno 334. Quod clarè ſtatuit, coniugium Sacerdotum nihil differre à coniugio aliorum, diſtinct. 28.

44. Conſtat etiam ex hiſtorijs, multos ex Epiſcopis & Sacerdotibus legitimè natos, in ſummos Pontifices electos eſſe,diſt. 56.C.Cemanenſem.

45. Ex quibus omnibus perſpicuè apparet, ueteres Canones non prohibere coniugium.

46. Sed noui Canones,qui non ſunt in Synodis conditi, ſed priuato conſilio Pontificum facti, autore diabolo, & prohibent contrahere matrimonia, & contracta diſſoluunt, contra autoritatem Synodorum, contra naturam & contra mandatum Dei.

47. Iam,quæſo, animo perpendatur, quàm impiè & ſceleratè faciunt illi impuriſsimi homines,qui honeſtos & eruditos adoleſcentes,ex Chriſtianis Sacerdotibus, & Euangelij miniſtris, in legitimo toro natos, publico teſtimonio,ſpurios eſſe impudentiſsimè adſerunt, & pronunciant indignos,qui ad honeſta artificia admittantur, aut quibus honores, ſiue dignitatem & graduum tituli decernantur.

Et quòd

48. Et quòd magis detestandum est,& horribilis furor est,illi ipsi tam insignes coniugij contemtores, hostes & proditores (quod Deus pronunciat sanctum esse. Et Christus ipse in Cana Galilææ, sua præsentia & testimonio, præclarè ornauit edito insigni miraculo) manifesti sunt scortatores uarijs libidinibus polluti & coinquinati, iudicati & damnati.

49. Primùm iure diuino ad Ebr. 13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. 1. Corinth. 6. Non erretis, neque scortatores,neque adulteri,neque idolatræ,neque molles &c. regni Dei hæreditatem accipient.

50. Secundò,iure naturali. Nam supra ostensum est,uagos concubitus,& libidines prodigiosas pugnare cum hominis natura. Roma.1.

51. Tertiò, etiam iure pontificio, ut testantur uerba Alexandri in Canone: Præter hoc, distinct: 32.

52. Et dist. 81. Gregorius interdicit Fornicatoribus sacrificulis ingressum in templum,& interdicit omnibus Christianis, autoritate Dei Patris omnipotentis, ne officium audiant à tali scortatore.

53. Neque uerò minus peccant & reprehendendi sunt, quicunque his impuratis hominibus adsentantur aut consentiunt, præsertim cum Euangelici censeri uolunt. Scriptum est enim Roman.1. Facientes & consentientes eadem pœna digni sunt. Et Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam,ore autem fit confessio ad salutem.

54. Nos igitur agamus gratias ex toto corde sine intermissione,Deo opt: Max: Patri Domini nostri Iesu Christi,pro hoc inenarrabili beneficio, quòd nos ex hoc Antichristi regno, pro sua immensa misericordia,clementer liberârit & eripuerit, & ex densissima caligine ac tenebris,in claram lucem reuocârit, atque ad ueram uerbi sui, & uoluntatis in eo reuelatæ, cognitionem perduxerit. Rogemusq; ardentissimis precibus & omnibus uotis, ut porrò sanctificare,regere, iuuare,accendere & confirmare corda nostra Spiritu sancto uelit, ut ipsum uerè agnoscamus, inuocemus, ei uerè credamus,gratias agamus & obediamus, ne in eiusmodi Epicureos furores, & fanaticos Papistarum errores, iterum ruamus,suamq; Ecclesiam benignè gubernare,tueri & seruare uelit,qui est benedictus in secula. Amen.

ALIA DISPVTATIO D. PHILIPPI
Melanthonis, de tota Euangelij doctrina Anno 1546.

EST omnino miserum totum genus humanum in hac corruptione,ut in maxima parte hominum manifesti furores ostendunt, Quia maxima multitudo uiuit more pecudum, contemnens Deum, & iudicium & misericordiam Dei,nec attendens unde sit hæc natura, & quomodo regatur,& quis sit futurus finis huius mundi, sicut Psalmus inquit: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. *Miseria generis humani.*

2. Econtra uerò ingens & immensa bonitas Dei est,quòd quanquam multi sunt prophani, qui non emendantur, tamen se patefecit certis testimonijs, & reuelauit arcanum decretum suum de remissione peccatorum propter Filium,& colligit sibi ex tam corrupta massa humani generis Ecclesiam æternam. *Bonitas Dei.*

3. Et ut eam Ecclesiam sibi colligat, instituit ministerium Euangelij inde usque ab initio post Adæ lapsum, in quo ministerio uult omnibus temporibus prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum propter Filium.

Cumq;

4. Cumque nos in Ecclesia non simus Epicurei, sed affirmemus uerè Deum tradidisse doctrinam de sua uoluntate, de ira & misericordia, debemus audire ipsam doctrinam, & fugere omnes corruptelas doctrinæ.

5. Sicut Heua debuit uitare corruptelas mandati diuini, quas Diabolus ei proposuit, sic omnes homines debent uitare, & damnare omnes deprauationes Euangelij.

Errores eorum qui putant opera nostra mereri remissionem peccatorum.

6. Manifestum est autem deprauari Euangelium multipliciter in articulo de pœnitentia ab illis Scriptoribus, qui docent, Remitti peccata propter nostram contritionem, & alia merita: & tamen quia nunquam scimus quando sit sufficiens Contritio, aut sufficientia merita, semper dubitandum esse quando habeamus remissionem.

7. Multi Ethnici errores insunt in hac sententia quia fingunt nostram Contritionem posse sufficientem esse pro nostris peccatis, ita simul detrahunt de merito Christi, & mergunt homines in æternam mortem, quia quò magis augetur Contritio sine fide, eò profundius ruit homo in mortem, ut manifestum est in Iuda, in Saul, & similibus.

8. Propterea & ipsa dubitatio impellit mentes in desperationem, & deterret à uera inuocatione, sicut Paulus inquit: Quomodo inuocabunt, nisi credant? Roman. 10.

9. Iterum etiam detrahunt gloriæ Christi, quando dicunt, Remitti peccata propter nostra merita, & non gratis fide propter Christum.

10. Error est, quòd omnino omittunt in doctrina de pœnitentia hunc articulum, Fide gratis donatur remissio peccatorum propter Filium Dei per fidem.

11. Et hunc tetrum errorem, quo deletur præcipuus articulus Euangelij & Symboli, uidelicet, Credo remissionem peccatorum, impiè defendunt autores decreti Theologorum Louanienſium.

Contritio necessaria omnibus qui conuertuntur.

12. De contritione nos quoq; docemus, omnino oportere aliquam in ijs, qui conuertuntur, contritionem existere, quia Deus damnat carnalem securitatem, & uult aliquo modo agnosci iram suam aduersus peccatum, Ideo Paulus sic orditur suam concionem: Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniusticiam &c. Rom. 1.

13. Et contritio est uerè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, & dolere propter Deum & Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum.

14. Sit uerus dolor & pauor, nec disputetur, an sit sufficiens. Quia nostra Contritio non meretur remissionem, & si creſceret in nobis pro magnitudine peccati, extinguerẽtur homines, sicut multi impij sensu iræ Dei subito pereunt.

Fides debet accedere ad contritionem.

15. Sit igitur Contritio, sed accedat Fides, qua unusquisque uerè credat & statuat sibijpsi remitti peccata gratis, propter Filium Dei, non propter propria ulla merita.

16. Hac fide & consequitur homo remissionem peccatorum certo, & rursus erigitur cor, & uiuificatur, id est, mitigantur pauores, & concipitur spiritus sanctus, & noua uita & lætitia, ut Ro. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus.

17. Hunc articulum necesse est in Ecclesia proponi, & illustrari, etiamsi reclamant Pontifices, Reges, Monachi, & omnes Hypocritæ.

18. Nec adsentiendum est oppugnantibus hunc articulum, etiamsi clamant nos seditiosos aut Hæreticos esse. Sed tenenda est Regula: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Hæc

19. Hæc Regula satis excusat nos, cùm aduersamur Pontificibus & Regibus qui damnant ueritatem, Imò necesse est nos obedire Deo præcipienti, ut amplectamur Euangelium, & aduersemur erroribus.

20. Pertinet ad prædicationem pœnitentiæ, etiam doctrina de nouitate uitæ, seu bonis operibus, quia peccatum, cum remissum & tectum sit, non regnet deinceps in nobis. Et Iohannes dicit: Facite fructus dignos pœnitentia. Et Esaias: Discite rectè facere, & definite malè facere. *Nouitus uitæ.*

21. Et in Zacharia dicitur: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

22. Accepto Spiritu sancto fide, statuimus, quòd simus in gratia, iusti, id est, accepti & placentes Deo, propter Mediatorem. Et quia agnoscimus Dei erga nos misericordiam & præsentiam, inuocamus, & diligimus eum, & nos ipsos Deo subijcimus. Ita incoatur in nobis interior obedientia & sequuntur externi ueri cultus, inuocatio uera Dei, confessio Euangelij, & obedi entia iuxta mandata Dei in omnibus externis operibus.

23. Et tamen manet peccatum in Renatis, in hac uita, quod non est leue malum, ut extenuant Hypocritæ. Non enim sunt leuia mala dubitationes, diffidentiæ, multæ ignorantiæ, multiplices omissiones, frigidius & languidius diligere Deum, credere & timere, & multæ errantes flammę cupiditatum.

24. Hæc quanquam sunt magna & tristia mala, tamen teguntur immensa misericordia, sicut Psalmus 32. dicit: Beati quorum tecta sunt peccata: & sunt remissa, conuersis ad Deum, retinentibus Fidem.

25. Est ergo peccatum in renatis in hac uita mortali, sed non regnans. Tunc uerò iterum regnat, quando indulgent homines peccato contra conscientiam. Vt quando Renati redeunt ad priora idola, dedunt se prohibitis libidinibus, scortationibus, adulterijs, adficiunt alios iniurijs scientes &c. *Peccatum in renatis.*

26. Non manet Spiritus sanctus in talibus, qui indulgent peccato contra conscientiam, & excutitur Fides, quæ antea fuerat in corde accensa, qua credebat homo, se à Deo receptum esse, Deo placere, se exaudiri, nec manet uera inuocatio.

27. Cogitetur ergo, quanta sit miseria hominis perseuerantis in peccatis contra conscientiam, quia iam non inuocat Deum, & cum uiuat in maximis periculis, non audet statuere se defendi & iuuari à Deo.

28. Imò perseuerans in peccatis contra conscientiam, ruit in æternas pœnas, ut Galat. 5. dicitur: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.

29. Etsi magna mala sunt peccata hærentia in renatis in hac uita, quibus Spiritu repugnant: tamen infinita distantia est inter ea peccata, & lapsus contra conscientiam, qui excutiunt Spiritum sanctum.

30. Ideo omnibus nobis acerrimè pugnandum est, ut retineamus Spiritum sanctum, nec labamur contra conscientiam, iuxta illud: Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, uiuetis.

31. Spiritu reprimendæ sunt flammæ cupiditatum. Ergo necesse est id fieri timore Dei, Fide, inuocatione Dei, ut iuuemur & regamur à Deo, ne erremus, & ruamus contra uoluntatem Dei.

32. Et cum magna sit infirmitas nostra, meminerint pij promissum esse auxilium, ut Paulus inquit Philip. 2. Deus est, qui efficit, ut uelitis, & ut perficiatis. Si sentis initia pœnitentiæ & fidei, Scito te iam placere Deo, & Deum

tibi adesse, uelle hæc initia prouehere, & uelle tibi in uocatione, in gubernatione opem ferre, ne frustra nitaris, cùm Deo seruire cupis.

33. Hac tota doctrina Euangelij, nos ad pœnitentiam, Fidem, inuocationem Dei, & ueros cultus, & bonos fructus excitemus, propter gloriam Dei, & Domini nostri Iesu Christi, ut sciamus labores nostros non fore inanes in Domino. Etiamsi impia multitudo hominum, quæ est maxima, nos deridet, aut odit, & multiplicem sæuitiam in nos exercet, hanc tamen consolationem teneamus, *NON ERIT LABOR VESTER INANIS IN DOMINO.*

SEQVVNTVR THEMATA, QVAE POST MORTEM REVERENDI VIRI D. MARTINI LVTHERI IN ACADEMIA VVITEBERGENSI SVNT DISPVTATA.

PROPOSITIONES PETRI DE MALuenda in colloquio Ratisponensi, Anno 1546. propositæ.

IN iustificatione peccatoris remittitur peccatum per Christum mediatorem, & gratia infunditur, idq; fit ex mera Dei gratia nullis meritis nostris.

2. Ad hanc iustificationem in adultis, concurrunt etiam actus liberi arbitrij, moti à gratia præueniente & simul comitante.

3. Fides qua credimus historiæ Euangelicæ, & Deum Patrem misisse nobis Filium propiciatorem pro peccatis nostris, & per illius sanguinem remitti peccata, est in adultis ad iustificationem necessaria.

4. Non tamen sola ad iustificandum sufficit, sed requiruntur etiam Spes & caritas, & actus pœnitentiæ caritate informatus.

5. Actus hi ad iustificandum adulti concurrentes, non sunt iustificationis meritorij.

6. Etsi certum sit omnia peccata quæ ullo unq; tempore remissa sunt, aut remittuntur per sanguinem Propiciatoris remitti: tamen cum quis firmiter & certò statuit sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suæ, & infirmitatis rationem, iudicio magis temerario, quàm scripturæ autoritate ducitur.

7. Is cui remissa peccata sunt, potest auxilio gratiæ Dei sic implere Dei præcepta, ut Deo & proximo reddat, quod debet. Quod dum facit, non solùm non peccat mortaliter, sed potius est iustus apud Deum, & legis impletor, & eiusmodi homines uerè iusti sunt apud Deum, & legem eius implent, quia gratiam habent omnino peccata delentem, & suggerentem uires ad implendam legem. Non quia peccata quæ post iusticiam acceptam adhuc maneant, illis non imputentur, aut propterea tantùm, quòd iusticia, quam non ipsi, sed Christus fecit, illis imputetur per Christum.

8. Dicimus opera hæ, cquibus legem iusti implent, & Dei uoluntatem sequuntur, sic esse uitæ æternæ meritoria, ut eis Pauli testimonio reddenda sit corona iusticiæ.

9. Postremò multæ hominis actiones sunt ante iustificationem, quæ non parum conducunt, ut clementissimus Deus oculos suæ bonitatis & ineffabilis misericordiæ ad ignoscendum sæpe conuertat.

CON-

CONTRARIÆ ET VERÆ PROPOSITIOnes, disputatæ Vuitebergæ à Magistro Maximiliano Mauro, docente Euangelium in aula Illustrissimi Ducis Saxoniæ Iohannis Ernesti &c. Et petente gradum Doctoris, præsidente Philippo Melanthone, Anno 1546. die 12. Martij.

VT ante extremum agonem Filius Dei precatus est, Pater sanctifica eos in ueritate. Sermo tuus est ueritas: Ita & nos petamus, ne Deus extingui lucem Euangelij sinat, & nostras preces ad Pontificis nostri Domini Iesu Christi precationem adiungamus. Videmus enim præstigias excogitari ad obruendam Euangelij uocem.

2. Assentitur Maluenda requiri Fidem, scilicet, noticiam historiæ, qualis & in Iuda erat, qua credit aliquibus remitti peccata. Deinde uerò delet præcipuum articulum doctrinæ de fide, qua iubet Deus unumquemq; agentem pœnitentiam statuere sibi ipsi uerè remitti peccata, propter Mediatorem, non propter alias placationes. *Maluenda delet articulum Doctrinæ de fide.*

3. Oppono igitur Maluendæ, consensum Prophetarum & Apostolorum iuxta dictum Petri Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

4. Fateor, inquit, dari remissionem peccatorum propter Christum, & Fidem flagito. Sed quia decipit lectorem Maluenda generalitate, ideo necesse est eum refutari. Intelligit fidem, qua in genere credis aliquibus remitti, non tibi. Hoc credit Iudas, imò & diaboli. *Maluendæ præstigiæ.*

5. Propria Euangelij promissio est, annunciare remissionem peccatorum. Hæc nihil prodest tibi, si tantum credas in genere aliquibus remitti, non tibi.

6. Ideo tantum hanc generalem Fidem docentes, delent Euangelium, & ueram ac salutarem consolationem conscientijs admirando Dei consilio propositam, eripiunt.

7. Paulus de hac fide loquitur, qua agens Pœnitentiam, sibi ipsi remitti credit, cum ait: iustificati fide pacem habemus.

8. Quia illa generalis Fides seu notitia historiæ non erigit mentem perterrefactam & fugientem Deum, sed potius auget pauores & fremitum aduersus Deum. Eò magis irascuntur Iudas & Diaboli, quia sciunt Filium Dei iudicaturum esse, & alijs melius fore. *Fides generalis non erigit mentem.*

9. Rectè igitur Bernhardus dixit: Sed adde ut credas & hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium quod prohibet Spiritus sanctus in corde tuo dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. *Bernhardus de fide.*

10. Idem nostræ Ecclesiæ docent, cùm enarrant dictum Pauli, Fide iustificamur.

11. Nulla consolatio proponitur conscientijs, si hæc nostra enarratio abijcitur. Item si additur fidei conditio nostræ dignitatis, ut Maluenda inquit, non habens conditionis & infirmitatis suæ rationem.

12. Hæc prorsus est legis doctrina. Tunc habebis remissionem, cum eris dignus.

13. O tristem uocem, quæ iubet nos intueri nostram conditionem, id est, miserrimam naturam horribiliter contaminatam peccato. Quid enim dicet Dauid

Dauid intuens ſuam conditionem. Egóne reciperer, qui tantis ſceleribus me & Eccleſiam polluí, eripui uiro ſancto coniugem, pollui meam & alienam conſcientiam, uirum interfici iuſsi, præbui cauſam, ut pœnæ, ſeditio, & infinita ſcandala ſequerentur? Hîc certè Dauid ad mediatorẽ, & ad doctrinam de gratuita remiſsione deducendus eſt, ſicut ipſe ſe uoce abſolutionis & fide ſuſtentat.

14. Ideo Paulus toties inculcat particulam GRATIS, ut diſcernat Legem & Euangelium, & doceat ſtatuendum eſſe, gratis remitti peccata propter Filium Dei.

15. Verum eſt oportere adeſſe in conuerſione pœnitentiam, fidem, dilectionem, ſpem, bonum propoſitum, & alias uirtutes, ſed hæ non ſunt cauſæ remiſsionis.

16. Ideo dicitur ſola fide iuſtificamur, ut excludatur opinio ſeu conditio meriti, non ut excludantur uirtutes, ne adſint.

17. Eandem doctrinam confirmat hoc dictum: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Non igitur datur remiſsio propter ulla noſtra opera.

Maluendæ errores.

18. Errat Maluenda docens mentem pauidam & fugientem Deum in illo triſti conſpectu iræ Dei, ut maneat in dubitatione.

19. Errat qui fidem in ſuis propoſitionibus tantum intelligit eſſe idem, quod noſſe hiſtoriam, non aſſentire promiſsioni.

20. Errat quia affirmat renatos in hac uita poſſe legi Dei ſatisfacere, & expreſſè dicit hac impletione legis, homines iuſtos eſſe.

21. Nos contrà affirmamus, renatos in hac uita non poſſe ſatisfacere legi Dei, & quanquam habent incoatam obedientiam, quæ Deo placet in credentibus propter Filium: tamen perſona eſt iuſta, id eſt, accepta propter Mediatorem, iuxta illud: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

22. Multa triſtia mala manent in renatis, ut dubitationes, ſecuritas carnalis, frigidè diligere Deum & multæ flammæ uicioſarum cupiditatum. Hæc mala condonantur & teguntur in his qui repugnant, ſed tamen reuera ſunt mala pugnantia cum lege Dei.

23. Sed ruentes in delicta contra conſcientiam excutiunt gratiam & Spiritum ſanctum, & fiunt rei mortis æternæ.

24. Rurſus autem recipiuntur à Deo cum conuerſi agunt pœnitentiam, & fide remiſsionem petunt, ut Eſaias inquit: Si peccata ueſtra fuerint ſicut coccinum, erunt candida ut nix, id eſt, Si rei fueritis, ut cruenti in ſupplicijs, tamen recipiemini & liberabimini ab æterna ira & ab alijs pœnis.

Diſciplina non meretur remiſsionem peccatorum.

25. Honeſta opera non renatorum uocamus diſciplinam, quæ eſt neceſſaria propter mandatum Dei, Sed non meretur remiſsionem peccatorum, quod reipſa uult Maluenda cum ait, ea non parum conducere, ut Deus conuertat facientem.

26. Hæc Maluendæ opinio pugnat cum doctrina de gratuita remiſsione, & deducit mentes ad illam incertitudinem, ut quærant quando ſatis habeant meritorum, & tota hæc imaginatio fingitur ad obruendam doctrinam de fide. Cæterùm doceri homines, & audire Euangelium neceſſe eſt. Ideo & Apoſtolis dictum eſt: Prædicate omni creaturæ, & omnibus mandatum eſt, ut audiant. Qui non audierit, ultor ero, Deut. 18.

27. Ocioſi & ſecuri de iuſticia cogitantes, nihil niſi diſciplinam miran-

tur, Sed cum expaueſcunt mentes conſpectu peccati & iræ Dei, ibi uerè diſcunt hanc

hanc consolationem ueram & salutarem esse, quę hoc decretum immotum Dei proponit, quod affirmat propter filium gratis remitti peccata, & uelle Deum ut fide accipiamus hanc consolationem.

28. Cumq; uoce Euangelij nos sustentamus, datur Spiritus sanctus & uerè accenduntur in corde dilectio & aliæ uirtutes, ut Paulus inquit ad Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

29. Maluenda pugnantia dicit, remitti peccata nullis nostris meritis, & tamen ait propriam infirmitatem considerandam esse. Hoc est, quærere remissionem propter nostram dignitatem. *Maluenda pugnantia dicit.*

30. Sed eludunt hanc obiectionem, dicunt remitti, Sed nos non posse, nec debere de uoluntate Dei statuere. Hoc si uerum esset, quid opus esset promissione remissionis, aut uoce annunciante remissionem? Non uult autem Deus mentes in hac dubitatione relinquere, sed sic ad se uocat nos edita promissione, & consolatione, qua confirmati liberamur à morte æterna, Quia Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

31. Ideoq; in Ephesijs multis uerbis describit Paulus hanc asseuerationem. Per quem habemus fiduciam, & audemus accedere per fidem. Etsi uarias corruptelas hîc alij fingunt, tamen manifestum est hoc ipsum præcipi, ut credamus nos recipi, et hac fide inuocemus Deum, non fugiamus, ut fugiunt Deum, Saul, Iudas, & similes.

32. Doctrina præcipiens dubitationem, aut adducit ad desperationem, aut in securis gignit Epicuræum contemtum Dei. Nam in inuocatione ita cogitant, Nescio quid agam, fortasse Deus me abiecit, nec respicit meas preces.

33. Intelligatur ergo fides non tantum historiæ noticia, sed etiam assentiri promissioni gratiæ, cum quo assensu necessariò coniuncta est fiducia acquiescens in Mediatore propter promissionem. *Fides quid?*

34. Et quanquam multæ uirtutes simul sunt, tamen dicitur: Fide iustificamur, quia oportet esse aliquid, quo mens apprehendens Christum, acquiescat in alieno beneficio. Ita fides est quiddam appræhendens & applicans nobis Christum Mediatorem.

35. Maluendæ dubitationem docenti hæc dicta erunt inanes soni: In te Domine speraui, non confundar in æternum. Item: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebuntur. Nam si iubeas Dauidem dubitare, quomodo eriget se? quomodo statuet se curæ esse Deo?

36. Quòd uerò dicunt, confidere, actum esse spei, res ipsa ostendit spem quoq; excuti mentibus, si putent in dubitatione manendum esse, quare etiamsi nomen spei retinet Maluenda, tamen rem non retinet.

37. Fides est fiducia propter Mediatorem, accipiens in præsentia remissionem peccatorum, ut Paulus dicit: Iustificati fide pacem habemus. Spes uerò est futuræ liberationis expectatio.

38. Paulus fidem Arbahæ laudans inquit Roman. 4. non dubitauit diffidentia. Item: Præter spem in spem credidit. Hoc exemplum proponit, & inculcat, ut nos quoque amplecti promissionem, & uincere dubitationes, quibus uariè quatiuntur mentes, doceat.

ALIA DISPVTATIO THEOLOGICA DE POEnitentia, respondente M. Melchiore Isindero Suidnicensi, Vuitebergæ, Anno 1548. 8. die Nouemb.

VT Filius Dei in agone suo precatus est, inquiens: Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas, ita ad huius summi Sacerdotis precationem adiungimus uota nostra, & ueris gemitibus petimus, ne sinat extingui lucem Euangelij, Sed semper seruet cœtum in his regionibus, etiam in quo sonet uox Euangelij incorrupta, & à quo uera inuocatione colatur.

2. Est autem inter præcipua capita Euangelij doctrina de pœnitentia, & remissione peccatorum, quam quidem omnibus in conspectu semper esse oportet, sicut & filius Dei summam Euangelij complectens, inquit: Ite prædicantes in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum.

3. Sit infixum animis hoc iusiurandum Dei: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

4. Est autem copulatiua oratio, coniunguntur hæc duo, conuersio, & uita. Nemo uiuet perseuerans in sceleribus contra conscientiam.

Pœnitentia cum suis partibus.

5. Ideo pœnitentiæ seu conuersionis, prima pars esse contritio rectè dicitur.

6. Est autem contritio uerè expauescere agnitione iræ Dei aduersus nostra peccata, & uerè dolere nostra inobedientia Maiestatem diuinam offensam esse.

7. Verè enim & horribiliter irascitur Deus peccatis, & iram suam uult conspici. Ideo non solùm uoce legis eam arguit, Sed etiam commonefacit nos tanta uarietate tristissimarum calamitatum de sua ira. Imò & in uoce Euangelij Spiritus sanctus arguit mundum de peccato.

In omnibus qui conuertuntur necesse est dolores esse.

8. Etsi in conuersione, in alijs maiores in alijs minores sunt dolores, tamen in omnibus aliquos esse necesse est. Et ut cæteris peccatis, ita multò magis securitati Deus irascitur, quæ iudicium Dei contemnit.

9. Ideo apud Esaiam dicitur: Ad quem respiciam, nisi ad mœstum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

10. Et Ioel: Scindite corda uestra. Et Paulus inquit: Tristicia secundum Deum, efficit pœnitentiam ad salutem.

11. Necesse est igitur corrigi securitatem, & ut excutiatur, commonefacit nos magnitudo calamitatum. Ac Deus præcipuè Ecclesiam subiecit cruci, ut in ea magis quàm in mundo conspiciatur & timeatur ira Dei aduersus peccatum.

Fides secunda pars pœnitentiæ.

12. Sed necesse est accedere ad dolores consolationem. Ideo secunda pars in conuersione est uiuificatio quæ sit fide. Et docendi causa perspicuè dicitur, secundam partem pœnitentiæ fidem esse, qua cor tuum fiducia Filij Dei accipit remissionem, & te uerè à Deo recipi in gratiam, & iustum reputari statuis, & uerè proijci tua peccata, ut apud Michæam dicitur, in profundum maris, non propter ulla nostra merita, sed GRATIS propter Mediatorem.

13. Hæc fides complectitur omnes articulos fidei, & in his hunc: credo remissionem peccatorum, scilicet mihi quoque dari, non tantum alijs.

Fides in Diabolis.

14. Fides in Diabolis non rectè accipit hunc articulum, Credo remissionem, quia tantum statuit alijs dari. Talis Fides est Iudæ & similium.

15. Ideo non rectè dicitur uera esse fides, quæ est in non conuersis, quia non adsentitur omnibus articulis fidei.

Error Monachorum qui iubent dubitare.

16. Doctrina Monachorum quæ iubet dubitare de remissione peccatorum, & quidem in conuersione, iubet manere in dubitatione, falsa, impia & Ethnica est, & re ipsa delet Euangelium.

Sed

17. Sed ideo habet applausores, quia congruit cum iudicio rationis, quale est in hac caligine naturæ. Cogitat enim mens humana, Quæ stultitia uel arrogantia est adfirmare, quòd Deo placeas. Quis cernit arcanam Dei uoluntatem?

18. Imò uerò ideo uox Euangelij patefacta est, ut certò statuamus nos recipi. Necessaria est igitur fides qua teipsum recipi statuis.

19. Hac fide cor erectum, accipit Spiritum sanctum & agnoscens iam misericordiam, inuocat Deum, clamat Abba pater, & se Deo subijcit, incipit eum diligere, habet bonum propositum.

Et semper in hac uita uera est uox Euangelij: Fide iustificamur, id est, non solùm præparamur, ut deinde dilectione simus iusti, Sed semper retinenda est in conuerso hæc uera consolatio, persona est iusta fide, id est, fiducia mediatoris accepta Deo ad uitam æternam, non propter propriam mundiciem seu dignitatem.

20. Hanc consolationem retinere necesse est, & ut uox Euangelij retineatur, & ut honos Filio Dei debitus tribuatur, & ut inuocatio uera fieri possit.

21. Quomodo enim possunt accedere ad Deum qui manent in dubitatione, cum obstrepunt hæ cogitationes. Cur inuocas, cùm sis indignus? cùm fortassis Deus tuam inuocationem respuat.

22. Contra tales dubitationes quotidie in inuocatione excusitanda est hæc fides. Iuxta illud: Habentes talem summum Sacerdotem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Semper statuat conuersus se placere Deo propter Mediatorem, non propter propriam dignitatem, etsi necesse est simul esse dilectionem & bonum propositum, & multas uirtutes, iuxta illud: Qui non diligit, manet in morte. Sed persona non propter has uirtutes, sed propter Mediatorem placet, quia adhuc reliquæ sunt in hac uita multæ & magnæ sordes, etiam in his qui non habent peccata contra conscientiam.

23. Detestanda est arrogantia & securitas in omnibus qui sibi blandiuntur, & non uerè dolent propter peccata quæ adhuc hærent etiam post conuersionem in cordibus, scilicet propter dubitationes, errores, peccata ignorantiæ & omissionis, quòd leuius timent corda iram Dei, quòd non ardent dilectione, zelo, quòd multarum uicioſarum cupiditatum flammis accenduntur, quibus repugnare ualde difficile est.

24. Omnium hominum peccata & immundiciem arguit uox diuina, ut Paulus inquit: ut omne os obturetur, & totus mundus reus sit Deo. Item: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

25. Ideo semper in hac uita etiam in conuersis crescere contritionem oportet, & addi fidem oportet, ne desperatione opprimamur.

26. Fit contritio, cum fides accedit, Timor filialis, & opus bonum & Deo placens, iuxta Psalmum: Sacrificium Deo Spiritus contritus &c. *Contritio fit timor filialis.*

27. Verum est in conuersione cum iam homo ex pauoribus fide erectus est, & quasi reuixit, Sequi oportere nouam obedientiam. Reipsa igitur est hæc tertia pars conuersionis seu pœnitentiæ. *Noua obedientia tertia pars conuersionis.*

28. Manet in conuersis ingens infirmitas in hac uita, & manent peccata, ut dictum est, sed non lapsus contra conscientiam.

29. Infinitum discrimen est inter uicia hærentia in conuersis, & inter lapsus contra conscientiam.

30. Violans legem Dei contra conſcientiam, contriſtat & excutit Spiritum ſanctum, ut de Aharone dicitur: Dominus uoluit eum conterere.

Abſolutio priuata.

31. Priuata abſolutio cùm propter alias multas cauſas in Eccleſia retinenda eſt, tum etiam propter hanc, ut maneat in conſpectu illuſtre teſtimonium, oſtendens Euangelium eſſe mandatum de annuncianda remiſsione peccatorum, item lapſos reſipiſcentes recipiendos eſſe, & eis uerè dari à Deo remiſsionem peccatorum. Hoc teſtimonio abſolutionis uſitato & Petrus Alexandrinus contra Meleti uſus eſt.

32. Et ut petatur priuata abſolutio, fit confeſsio in qua deploremus & fateamur multis noſtris lapſibus & Deum offenſum eſſe, & læſam Eccleſiam, & irritatam iram Dei, ut pœnæ cumularentur, & reuerenter petamus abſolutionem. Sed ſingulorum delictorum enumeratio nec poſsibilis nec neceſſaria eſt.

Confeſsio quæ fit propriè Deo.

33. Cùm Pſalmus inquit: Dixi confitebor aduerſus me iniuſticiam meam Domino, & tu remittis iniquitatem peccati mei, loquitur Pſalm: de confeſsione quæ fit propriè Deo, etiamſi non fit coram homine. Et opus eſt contritionis, quam tamen regit fides. Eſt enim talis confeſsio, qualem recitat Daniel: Tibi Domine iuſticia, Nobis autem confuſio faciei noſtræ &c.

34. Ac talis confeſsio multas uirtutes complectitur. Primùm iuſticia eſt accuſans partem iniuſtam, id eſt, nos ipſos, agnoſcens delictum, & uerè dolens quòd Deum offenderimus. Deinde fides adiuncta eſt, quæ petit & accipit remiſsionem.

Tertiò, humilitas eſt, qua ſe mens uerè Deo ſubijcit, & fatetur nos iuſtè puniri, & in pœna non fremit aduerſus Deum, ſed aliquo modo uolens præſtat obedientiam, & petit & expectat mitigationem, ut Dauid in exilio fatetur ſe iuſtè puniri, & non iraſcitur Deo punienti. Sed utcunq; uolens perfert pœnam, & petit & expectat mitigationem.

35. Magna uirtus eſt talis confeſsio, in qua homo coram Deo ſeſe proſternit, & uerè fit ſupplex, depoſita ſuperbia. Nec iam extenuat delicta ſua, nec fugit pœnas, ſed cedit iuſto iudicio Dei, aliquo modo uolens, & petit ueniam propter Mediatorem, Nec talia dicta detorquenda ſunt ad confirmandos errores, & ad obſcurandam uocem Euangelij de gratuita remiſsione.

36. Certiſsimum eſt, nec contritionem, nec confeſsionem mereri remiſsionem peccatorum. Et ſingularis cœcitas eſt, fingere ſufficientem contritionem mereri remiſsionem. Quæ enim poteſt eſſe ſufficiens contritio? Et dolor creſcens ſine fide, mergit homines in deſperationem, & æternum exitium, Ideo neceſſe eſt utramq; doctrinam tenere & oportere aliqua ueri doloris initia eſſe, ut Ezechiel inquit: Diſplicebitis uobis in conſpectu ueſtro, Et ſimul fidem accendendam eſſe, quæ petat remiſsionem, & luctetur cum pauoribus, & acquieſcat in Mediatore, accedat ad Deum, inuocet, & accepta remiſsione, celebret Deum, ac ſtatuat ſe recipi & uerè eſſe hæredem uitæ æternæ.

37. Hanc conſolationem uniuerſæ Eccleſiæ neceſſariam eſſe non dubium eſt, Et quanquam hæc clariſsimè tradita ſunt in Propheticis & Apoſtolicis monumentis, tamen & communis conſenſus omnium piorum, qui intelligunt exercitia pœnitentiæ & inuocationis in Eccleſia, ſuffragatur nobis. Nec contemnimus ueræ Eccleſiæ iudicium.

Dictum

38. Dictum est Chrisostomi: οὐδὲν οὕτως τὸν θεὸν ἵλεων ποιεῖ, ὡς τὸ τὰ οἰκεῖα ὁμολογεῖν ἁμαρτήματα, Nihil Deum adeo placatum facit, ut propriorum delictorum confessio. Hæc si quis superstitiosè ad enumerationem coram Sacerdote detorqueat, magna erit absurditas. Nam enumeratio illa non meretur remissionem, sed uirtutes ualde gratæ sunt Deo, in contritione, & in pœnis Deo laudem iusticiæ tribuere, & non irasci Deo, ut Saul irascitur Deo iudicans se indigna pati. Dauid uerò tolerat pœnas aliquo modo uolens, & iustas esse fatetur. *Chrisostomus de cõfessione.*

39. De hac uirtute illud dictum loquitur, Taxat superbiam & pertinaciam hypocritarum, qui irati iniusta se pati iudicant, & uolunt perhiberi sapientes, iusti, sancti, & lumina generis humani.

40. Nec impediant consolationem argumenta iudicij humani, de indignitate, aut de particularitate, Es indignus, Aut non es in numero electorum, sed deducenda est mens ad uocem Euangelij. Ac aliter iudicare de Dei uoluntate, quàm sicut in Euangelio patefacta est, magna impietas est. *Tentatio de indignitate.*

41. Euangelium adfirmat propter filium Dei, gratis remitti peccata. Ideo non deterreat nos indignitas nostra. Et firmissima sententia est: Gratia exuberat supra peccatum. Etiamsi horribilis est magnitudo peccatorum, tamen anteferendus est Filius Dei, & anteferenda misericordia.

42. Deinde cum promissio reconciliationis sit uniuersalis, & non dubium sit mandatum Dei esse, ut omnes homines obediant Filio Dei, includas te quoque in promissionem uniuersalem, & scias teterrimam contumaciam esse, nolle obedire Filio Dei.

43. In dicto Iohannis asperior est reprehensio, Qui nolunt credere Euangelio, Deum accusant mendacij.

44. Damnandi sunt igitur Enthusiastæ, Anabaptistæ & similes, qui omisso Euangelio, suis speculationibus, quærunt uoluntatem Dei, cum Deus immensa bonitate uocem Euangelij promulgauerit, & ad hanc uelit alligatas esse mentes in toto genere humano. Hæc uox ministerij Euangelici audienda est, & fide amplectenda, quod cum fit, concurrunt hæ causæ, uox ipsa Euangelij, & Spiritus sanctus mouens per Euangelium, & uoluntas adsentiens, cum quidem tunc & à Spiritu sancto adiuuetur, quæ si prorsus ociosa esset ut statua, nulla lucta esset. *Enthusiastarum & Anabaptistarum error.*

45. His fundamentis constitutis, teneantur definitiones & discrimina præcipuarum uirtutum.

46. Fides est adsentiri omni uerbo Dei nobis tradito, & in hoc, promissioni Euangelij, & est fiducia acquiescens in Mediatore, & accedens ad Deum, inuocans & clamans, Abba pater. *Fides.*

47. Spes est expectatio certa æternæ uitæ propter mediatorem, & expectatio auxilij, & mitigationis calamitatum in hac uita, iuxta consilium Dei. *Spes.*

48. Differunt autem fides & spes, quia Fides præsens beneficium accipit, scilicet remissionem peccatorum seu reconciliationem. Spes uero est expectatio futuræ liberationis.

49. Dilectio est obedire omnibus præceptis Dei in uera fide, principaliter ut ipsum honore adficiamus. *Dilectio.*

50. De satisfactionibus canonicis, quas definiunt opera indebita, facienda ad compensationem pœnæ æternæ, doctrinam Monachorum plenam esse errorum, manifestum est.

Certissi-

Culpa & pœna remittuntur propter filium Dei.

51. Certissimum est remitti culpam & pœnam æternã propter filium Dei gratis. Et mirandum testimonium est iræ & iusticiæ Dei, quòd oportuit tam pretiosum ἀντίλυτρον esse pro peccatis generis humani, scilicet ipsum filium Dei.

52. Nec discernenda est remissio culpæ, ã remissione pœnæ æternæ. Sed uera & utilis est distinctio remissionis culpæ, & remissionis pœnæ temporalis. Verum est enim in toto genere humano uagari multas & magnas calamitates, quæ sunt pœnæ certorum delictorum.

53. Tales pœnæ mitigantur tota pœnitentia, non hypocrisi satisfactionum, ut scriptum est: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

ALIA DISPVTATIO DE IVBILÆO, *habita anno 1549. Semestri hyberno.*

Cur Deus tempora distinxerit.

SIngulari consilio Deus tempora distinxit, ordinauit dies, menses, annos, & multa mensium & annorum discrimina, quia uult intelligi discrimen inter æternitatem & huius mundi tempora. Vult sciri hunc mundum liberrimo consilio conditum esse, nec semper fuisse, uult in Ecclesia notam esse seriem annorum, ut sciamus quo ordine, quibus modis se patefecerit, & promissiones, ac legem ediderit, & quando uenturus fuerit Messias, ut fieret uictima, & quæ sit ultima ætas generationis humanæ, postquam filius Dei in Ecclesia resuscitata triumphabit &c.

Obseruatio anni quinquagesimi.

2. Ac inter alia multa temporum discrimina, obseruatio anni quinquagesimi ualde illustris fuit, quem annum Iubilæi nominant, quia ad colligendos annos, & centenarios commodior numeratio est per quinquagesimum, & ad memoriam firmior, quàm aliæ partes Centenarij.

3. Hæc doctrinæ causa principaliter institura sunt, ut numeratio temporum magis in conspectu esset, propter causas quas recitaui. Deinde ut annus esset insignis, addita sunt magna beneficia, utilia ad conseruationem illius honestæ politiæ.

Finis anni Iubilæi.

4. Tollantur superstitiosæ opiniones, Nec enim fuit finis illius obseruationis immediatus, ut id opus existimaretur esse cultus, Sed ut dictum est, ritus proderat ad docendos homines de mundi temporibus, Sicut Romæ Ludi seculares erant monumentum annorum à condita urbe.

5. Et beneficia eius anni politica erant. Voluit Deus conseruari familias, & earum discrimina, quòd in qualibet politia utile est, ad id prodest, cauere, ne prorsus ex suis nidulis eijciantur homines honesti. Ac non solùm pauperibus consuluit restitutione Fundorum, sed etiam restrinxit mutuationes & uendiationes, Non poterant fundos prorsus transferre homines prodigi. Erant igitur pauciores emtores. Nec multi dabant mutuo cum fœnus accipere â ciuibus non liceret.

6. In his legibus utilitatis rationem habitam esse manifestum est, quam & alij legumlatores secuti sunt, ut recitat Aristoteles Oxyli legem, quæ prohibuit oppignerari agros mutuationis causa.

Oxyli lex.

7. Hic Oxylus leges tulit in Helide, aliquanto post bellum Troianum. Fuit autem materna origine cognatus Hyllo Herculis filio, ut prolixius recitat Pausanias, quod eò adscripsi, ut quis fuerit Oxylus, apud Aristotelem, non prorsus ignorent lectores.

Quan-

8. Quanquam autem utilitas fuit politica, tamen commonefactiones in his ipsis ritibus multæ propositæ sunt. Voluit Deus tempus, locum, stirpem sciri, in qua exhibiturus erat filium, qui restitueret iusticiam & uitam. Itaq; conseruatio familiarum in ista gente, admonebat pios de promissione Messiæ.

9. Consolatio etiam magna proponebatur. Cùm Deus uellet restitui fundos uenditoribus, agnoscebant Deum quoque protecturum esse ipsis hæc sua tuguriola, nec passurum, ut ex patria Coniuges, nati, posteri ejicerentur.

10. Liberatio etiam fundorum & seruorum, significat aliam uenturam libertatem, de qua Dominus inquit: Si uos Filius liberauerit, uerè liberi eritis, ut multi ritus in Lege typi fuerunt. Voluit enim Deus plurimarum legum officia, pædagogiam & commonefactiones esse de æternis bonis, sicut uniuersæ naturæ multa signa de Deo impressa sunt, ut nostræ mentes, & noticiæ mentibus impressæ sunt illustre testimonium, quod conuincit nos, ut fateri cogamur esse Deum, & esse sapientem, iustum, castum, ueracem, eligentem libera uoluntate.

11. Esaias etiam cap. 61. sic interpretatur typum anni Iubilæi, de liberatione donata per filium.

12. Postquam hæc de ritu legis Mosaicæ dicta sunt, iam considerandum est, quæ sit uera typi significatio, & κακοζηλίαι uitandæ sunt.

13. Fuit κακοζηλία barbarica eorum, qui iuxta hanc legem Mosaicam, in seditione rusticana fundos liberari reditibus uolebant.

14. Hic necesse est omnibus familiarissimè notum esse discrimen Legis & Euangelij, item iusticiæ de qua propriè Euangelium concionatur, & uitæ politicæ. *Discrimen legis & Euangelij.*

15. Euangelium in toto genere humano in diuersis politijs clamat, ut corda uerè conuertantur ad Deum, & fide Filij Dei accipiant remissionem peccatorum, & cum sit ministerium Spiritus, simul offert Spiritum sanctum, quo adiuti uera fide agnoscimus, & inuocamus Deum, incoamus inobedientiam & efficimur hæredes uitæ æternæ.

16. Vt diuersa spacia dierum in diuersis regionibus, nec impediunt, nec mutant hanc lucem in corde, ita nec diuersæ politiæ eam uel mutant, uel impediunt, si modò politici mores non pugnant cum lege naturæ.

17. Imò etsi sunt dissimiles politiæ, & in alijs tranquillior & mitior, in alijs confusior & asperior gubernatio est, tamen affirmat Euangelium sanctos bona conscientia legibus ciuilibus suæ reipublicæ uti, & uult nos in talibus officijs & ærumnis inuocationem & patientiam & alias uirtutes exercere. Sic Daniel prouinciam Persicis legibus regebat. Ioseph Aegyptijs legibus. Centurio Cornelius sua iudicia Romanis legibus exercebat.

18. Alia κακοζηλία Iubilæi à Romanis Pontificibus excogitata est. Finxerunt iudulgentias, ut uocant, quæ sunt relaxationes satisfactionum Canonicarum. Has dicunt se uberrimas largiri in Iubilæo. In hoc commento multa sunt tetra mendacia, & multæ impostura. *Κακοζηλία anni Iubilæi apud Pontificios.*

19. Certissimum est unicam esse remissionem peccatorum, quæ accipitur ministerio uocis Euangelij & fide, quocunque tempore. Hic Iubilæus, significatus typo Mosaico, est Latronis consolatio in cruce, est Dauidis consolatio, cùm Nathan inquit: Dominus abstulit tuum peccatum. Sic quotidiè Iubilæus est luctantium cum pauoribus, qui fiducia Filij Dei uincunt pauores

uores & læti inuocant Deum, sperant & expectant auxilium & integram liberationem.

Iubilæi anni uera significatio.

20. Noster enim Iubilæus in hac uita incoatur, sed erit integer in æterna consuetudine cum filio Dei, ubi prorsus liberi erimus à peccato, à morte, & ab omnibus miseriis.

Pœnæ Canonicæ.

21. Pœnæ Canonicæ nec remissionem culpæ merentur, nec pœnarum æternarum, nec pœnarum purgatorij, nec aliarum calamitatum, quibus Deus in hac uita homines punit.

22. Initio fuerunt quædam spectacula in Ecclesia, quibus recipiebantur polluti manifestis sceleribus. Hæc spectacula nihil pertinebant ad remissionem coram Deo, sed erant mores exempli causa instituti.

23. Et consentaneum est hos mores à patribus acceptos esse, qui pollutos cogebant certa signa gerere, donec rursus ad consuetudinem aliorum hominum admittebantur, ut Orestes, Adrastus gerunt signa reorum.

24. Hæc spectacula superstitione creuerunt statim in ueteri Ecclesia, Postea cum onus fieret immodicum, factæ sunt relaxationes, quas uocarunt Indulgentias.

25. Cùm autem & satisfactiones fuerint superstitiosæ & improbandæ, & paulatim per sese tempore consenuerint, & indulgentiæ sint relaxationes rituum alioqui extinctorum, manifestum est has indulgentias tantum imposturas esse.

26. Omitto alios multos errores, quos adfinxerunt de meritorum applicatione, seu communicatione, quam dicunt fieri autoritate Pontificis.

27. Hæc recensui, ut Iuuentus consideret ritus omnium temporum, & rectè dijudicet eos, ac in tanta rituum uarietate discrimen falsæ & ueræ doctrinæ obseruet, & incorruptam ueritatem retineat, ut uera fide Deum inuocet, & non sinat sibi excuti ueram consolationem præstigijs falsarum opinionum.

Moises petrã percutiens.

28. Cum Moises petram percusit singulari & ineffabili consternatione animi, significatum est, lege percuti Messiam, id est, in populo legis & propter legem, percuti Filium Dei, mirando temperamento iusticiæ & misericordiæ. Etsi enim recepit Deus genus humanum, per misericordiam, tamen tantum malum est peccatum, ut iusticia Dei postularit pœnam & compensationem æquiualentem seu λυτρον, ut in Euangelio nominatur.

29. Deploranda est igitur leuitas & securitas in corde humano, quod non expauescit cogitatione magnitudinis peccati, Et intuenda iusticia Dei flagitantis tantam compensationem, & simul orandus est Deus, ut erudiat nos & flectat ad aliquam agnitionem tantarum rerum, & in ueris pauoribus fide hæc immensa consolatio apprehendenda, quòd propter hanc tantam uictimam, filium Dei, certò remittuntur nobis peccata, & certò recepti simus à Deo, non propter dignitatem nostram, aut legem, aut nostra opera. Hanc doctrinam de gratuita remissione propter Filium, non sinamus obscurari deliramentis, quæ de satisfactionibus canonicis, ut uocant, in Ecclesiam sparsa sunt.

Remissio culpæ à remissione pœnarum huius uitæ discernenda.

30. Et tamen discernamus remissionem culpæ à remissione peccatorum huius uitæ mortalis. Dauid oneratur horrendis pœnis, etiam postquam audiuit uocem absolutionis: Dominus abstulit peccatum tuum. Quanquam enim multæ sunt causæ, quare Ecclesia cruci subiecta est, tamen hæc communissima est, quòd punit Deus plurimos, ut his ipsis pœnis commonefacti cogitemus, quantum

quantum malum sit peccatum, quanta sit ira Dei iustissima,& subijciamus nos Deo, ac fateamur nos iustè puniri, Sicut clamat Daniel: Tibi Domine Iustícia. Et inter hos summos dolores, tamen fides luceat statuens nos receptos esse, & petat mitigationem pœnarum, sicut Propheta inquit: In ira misericordiæ recorderis.

31. Ita & tota conuersio impetrat mitigationem pœnarum,de qua Paulus dicit: Si nos ipsi iudicaremus,non iudicaremur. Et Esaias: Si peccata uestra fuerint ut coccinum,tamen eritis candidi ut nix,id est,etiamsi fueritis uelut cruore respersi propter culpam & pœnas,tamen Deus & culpam remittet,& tollet aut mitigabit pœnas.

32. Hæc consolatio tantùm est uox Euangelij, ignota sapientiæ humanæ, simul & recipi nos & tamen horribilibus pœnis castigari, & uelle Deum ne in his pœnis deficiamus, sed ut petamus & expectemus uel liberationem uel mitigationem, sicut Ecclesia dicit Micheæ 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Et tamen cùm sedebo in tenebris, Dominus lux mea est, id est, consolator.

33. Dictum Domini: Lex usq; ad Iohannem,loquitur de ministerio Leuitico,non hoc uult, deleri legem moralem, quæ est æterna & immota norma in mente diuina, discernens iusta & iniusta, & simile lumen in mentibus nostris, congruens cum illa norma in mente diuina.

34. Nec imaginandum est,Legem moralem deleri posse,sicut Lex Spartana de Numo ferreo fuit mutabilis.

35. Imò & pœnæ ostendunt, legem moralem non aboleri, quia & arguit conscientiam,& Deus propter uiolationem legis tristissimas pœnas per totum genus humanum uagari sinit.

36. Et cùm Deus uelit in prædicatione pœnitentiæ omnibus ætatibus argui omnia peccata, necesse est, ex lege morali ostendi,quæ sint peccata, iuxta illud: Per legem cognitio peccati, Et Dominus Matth: 5. legem proponit & interpretatur.

37. Hæc uera sunt. Et tamen simul in Ecclesia semper Iubilæus celebratur. Annunciatur liberatio à peccato, à iudicio legis,id est, à condemnatione,à morte, & ab omnibus miserijs propter Mediatorem. Hæc beneficia, quia per ministerium seu uocem Euangelij dantur, Iubilæi nomen congruit ad Euangelij uocem in Ecclesia sonantem,quia significat clangorem buccinæ. *In Ecclesia semper Iubilæus celebratur.*

ALIA DISPVTATIO DE INVOCATIONE,

Semper orate,& non defatigemini, habita Anno 1549.

NEcesse est extare in Ecclesia doctrinam de Inuocatione incorruptam,& conspici discrimen inter inuocationem Ethnicam, & aliam Ecclesiæ propriã.

2. Discrimina autem duo sunt maximè illustria, alterum de essentia, alterum de uoluntate. Primùm errant Ethnici, Mahometistæ, & alij multi hostes Euangelij de essentia Dei,nec alloquuntur uerum Deum. Quanquam autem dicunt sapientes Ethnici & Turci,unicum se conditorem,gubernatorem huius uniuersi opificij Mundi alloqui,tamen negant hunc esse conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, negant esse Filium ullum æterni patris, negant esse Spiritum sanctum. Denicq; non inuocant hunc uerum Deum,qui se patefecit misso filio, sed audacissimè pingunt in suis mentibus idolum Dei qualem ipsi uolunt. Et diuersissima simulacra pingunt Plato,Stoici,Mahomet,Hæretici & alij impij. *Discrimen inter inuocationem Ethnicam & eam quæ propria dicitur Ecclesiæ.*

3. At Ecclesia, discipula Dei, audit ex ipso Deo, qui sit uerè Deus, & qualis sit, accipit doctrinam & promissiones ab ipso manifestis testimonijs, resuscitatione mortuorum, & alijs miraculis traditas, & hunc uerum Deum alloquitur, ad hunc dirigit inuocationem, qualem ipse fieri iussit, inuocat hunc uerum Deum, qui se patefecit Misso filio, conditorem omnium rerum, colligentem sibi Ecclesiam æternam ex genere humano editis promissionibus, scilicet æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum filium λόγον ἐνυπόστατον æterni patris, & Spiritum sanctum.

4. Deinde Ethnici, Mahometistæ, & omnes ignari Euangelij errant de uoluntate Dei. Accedunt ad Deum sine Mediatore sine promissione, & manent in dubitatione, an recipiantur & an exaudiantur. Talis precatio contumelioſa est aduersus Deum & Mediatorem.

5. Econtrà Ecclesia supplex intuetur mediatorem & promissionem, & agit gratias Deo, quòd immensa bonitate Mediatorem nobis constituit, & promissiones tradidit, & iureiurando adfirmat se certò nos recipere, Inuocat igitur ducia Mediatoris, sicut ipse docuit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

Commonefactiones in precatione considerandæ.

6. HIS discriminibus initiò consideratis, in omni precatione has quinq; commonefactiones nobis proponamus.

7. Prima sit, cogites, quem uelis alloqui, quod sit illud numen quod alloqueris, ubi & quomodo se patefecerit, nec uagari mentem sinas, ut Hecuba in Tragœdia dicit: O Iupiter quidquid es, siue mens, siue ἀνάγκη φύσεως. Taxantur hæ dubitationes in dicto Christi: Vos adoratis quod nescitis.

8. Prophetæ & alij sancti in populo discernebant suam inuocationem ab Ethnica his modis, addebant nomini Dei aliud proprium Iehoua. Interdum addebant Deus Abraham. Deus patrum nostrorum. Et in primo præcepto Deus ipse signum addit, quo uult agnosci & discerni: Ego sum Dominus, qui eduxi uos ex Aegypto &c. Sic uult agnosci Deus proposito testimonio, in quo eius præsentia agnoscatur.

9. Et Patribus erat Filius propositus in promissione, & nobis iam exhibitus est. Hunc intueamur resuscitantem mortuos & agnoscamus simul Patrem, filium & Spiritum sanctum. Et cùm simul inuocamus tres personas, tamen agnoscamus filium esse Mediatorem & Sacerdotem pro nobis interpellantem. Hæc non sunt pugnantia: alloqueris filium cum Patre & Spiritu sancto, ut socium consilij diuinitatis, socium creationis & uerè Deum, & tamen propter hunc ut Mediatorem, recipi te oras & credis, iuxta illud: Nemo uenit ad patrem, nisi per filium. Item, Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Patefactio Diuinitatis in Baptismo Christi.

10. Non frustra facta est patefactio in baptismo filij. Itaq; uelut spectator baptismi illius stans in illa ipsa ripa Iordanis in cœtu Angelorum & multorum piorum, qui adfuerunt, uocem diuinam cogitato discernentem Personas: Hic est filius meus dilectus &c. Item uidit Spiritum sanctum descendentem specie columbæ.

11. Imò & tuum baptismum cogitato. In tuo baptismo facta est talis inuocatio, quæ hunc uerum Deum discernit ab omnibus commentitijs numinibus. Ibi fœdus factum est, ut hæc uera diuinitas te reciperet, & tu agnoscerres & inuocares hunc Deum, qui est æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, Conditor

ditor cum Filio & Spiritu sancto, ac recipit te propter filium, & copulat te sibi Spiritu suo sancto.

15. Simul etiam cogites, qualis sit diuinitas, sapiens, uerax bona, benefica, iusta, casta liberrima, omnipotens, iudicans. Et discrimina Personarum consideres, & testimonia amoris Dei erga nos, Pater, Filius, & Spiritus sanctus ita condiderunt hominem, ut imaginem sui in nos transfuderent, uerè igitur dilexit hoc opus diuinitas conditrix. Filij amor lucet in deprecatione & pœna pro nobis susceptа. Spiritus sancti amorem fateri necesse est, cùm in corde tuo uelut in domicilio & templo suo habitare uelit, ut te regat & flammas inuocationis exuscitet.

13. Est autem Filius imago æterni patris cogitatione genita, & adsumsit humanam naturam in uirgine Maria, ut pro nobis uictima fieret. Hunc nobis ostensum uult nos æternus Pater intueri & audire. Et scire hanc ueram esse diuinitatem, quæ misit hanc uictimam. *Filius.*

14. Spiritus sanctus est agitator procedens ab æterno patre & à filio, & mittitur in corda credentium, ut lucem ueræ agnitionis in mente & ueros motus in uoluntate & corde accendat. Sicut inquit Dominus: Et aliam Paracletum dabit uobis. *Spiritus sanctus.*

15. Hæ tres Personæ sunt ὁμοούσιοι, nec sunt plures, nec pauciores Personæ diuinitatis.

16. Et Persona significat in Ecclesia hypostasin intelligentem, indiuiduam & incommunicabilem.

17. Veræ sunt propositiones, Filius est de essentia patris, & filius est essentia genita. Nec existimandum est illam coæternam imaginem patris esse duas res, imaginem & essentiam. Sed ipsa essentialis imago genita est Filius, sicut in in Symbolo dicitur: Deum de Deo, lumen de lumine.

18. Secunda commonefactio, Postquam cogitasti, quid inuoces, & quem, & ubi patefactum alloquaris, In illis ipsis patefactionibus etiam cogitandum est, quomodo uelit coli Deus, & an & cur uelit exaudire. Mandatum igitur de inuocatione seuerissimum tibi proponito. Item promissiones.

19. Tertia commonefactio, Cùm semper obstrepat accedentibusad Deum indignitas nostra, necesse est in omni precatione, doctrinam pœnitentiæ & consolationem cogitari. Cor expauescat agnitione iudicij & iræ Dei aduersus peccata, & rursus erigatur ardenti fide ac fiducia Mediatoris, & statuas, te certò recipi gratis propter Filium Dei, non propter propriam dignitatem, aut tuas uirtutes, aut tuas actiones. Nec lucta hæc sine ueris gemitibus fieri potest. Necesse est enim adferri ad Deum conuersionem & fidem, Nec ualet inuocatio retinentis propositum uiolandi mandatum Dei contra conscientiam. De his dicitur: Peccatores Deus non exaudit. *In inuocatione doctrina pœnitentiæ & consolatio cogitanda.*

20. Sed in conuersione primum & petito remissionem, & statuas certò tibi eam donari, iuxta illud: Iustus fide sua uiuet. Item: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Scias autem certò mandatum Dei esse, ut promissioni gratiæ credas, quæ quidem iuramento & sanguine Filij confirmata est. Deinde fides etiam statuat exaudiri petitionem bonorum corporalium, & nunquam irritam esse, etiamsi corporalia bona non eodem modo dantur, & Deus uult Ecclesiam cruci subiectam esse. Non est tamen irrita petitio, Sed uel liberationem uel mitigationem impetrat, iuxta illa dicta:

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Et Matth: 21. Omnia quæ petitis in oratione, credentes accipietis.

21. Credentes inquit. Fides autem nominatim petit & accipit reconciliationem. Sed de bonis corporalibus petit in genere mitigationem, quia scit Ecclesiam oportere subiectam esse cruci.

22. Sit autem & spes adiuncta fidei, qua expectemus uel liberationem, uel mitigationem in hac uita, etiam cùm moræ longitudo languefacit animum, Abacuc 2. Si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet & non tradabit. Item Iudith: Qui estis uos, qui tentatis Deum, constituistis Deo tempus &c.

23. Etsi non liberamur in hac uita ut uellemus, tamē retineri oportet fidem, dilectionem, & spem uitæ æternæ iuxta dictum Iob: Etiamsi occîdet me, tamen sperabo in eum. Verum tamen uias meas coram eo arguam, & ipse erit saluator meus, Nec intrabit coram eo ullus hypocrita.

Cur Deus uelit à se peti etiam corporalia bona.

24. Quarta commonefactio est, ut res petendas cogitemus, scilicet bona necessaria uniuersæ Ecclesiæ, & nobis priuatim, & nostris familijs spiritualia & corporalia, quia Deus etiam bona corporalia promisit, & uult à se peti propter has quatuor causas, quarum prima est, ut agnoscamus non dominari casum in his bonis, sed hæc etiam consilio Dei distribui, ut in Psalmo dicitur, ut alat eos in fame, & Deū eorum conditorē esse. Secunda ut fides exerceatur petitione horum bonorum. Tertia, ut promissiones corporalium bonorum sint commonefactiones de promissione gratiæ. Seruantur enim corpora, familiæ, politiæ, ut colligatur æterna Ecclesia. Et in petitione corporalium bonorum semper necesse est prælucere fidem, quæ accipit remissionem. Quarta, hæ ipsæ promissiones corporalium bonorum testantur Deum in hac uita seruaturum esse Ecclesiam, Itaq; non solum nostra causa petantur, sed & propter communem Ecclesiæ necessitatem.

25 Sit igitur inuocatio non ociosa βαττολογία, sed commonefacti ingentibus miserijs nostris petamus res necessarias, & agamus gratias Deo pro beneficijs, sicut Paulus hæc nomina coniungit δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. Quæ opinor ita rectè discerni, sunt δεήσεις deprecationes, ut mala euertantur, προσευχαὶ uota ut bona dentur, ἐντεύξεις interpellationes pro alijs, εὐχαριστία gratiarum actio, quæ est confessio Deo debita, qua testaris te non casu, non solis humanis consilijs aut præsidijs seruatum esse, sed Deum uerè fuisse autorem & gubernatorem beneficij, & hac commemoratione ipsum celebras, & te ipsum doces, ualde multa accidere homini inextricabilia humano consilio, in quibus præsentiam Dei & mirandas liberationes experimur, iuxta illud: Cùm nescimus quid agendum sit, ad te Deus oculi nostri tolluntur, Ac te & alios ad timorem Dei, ad fidem & celebrandum Deum inuitas.

26. Quinta commonefactio est, Ne honos Deo propriè conueniens tribuatur ulli rei, quæ non est Deus iuxta illud: Non habebis Deos alienos. Item Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies. Tribuit autem inuocatio absentis omnipotentiam ijs, qui inuocantur.

Quare homines mortui nequaquam sunt inuocandi.

Lutherus contra inuocationem sanctorum.

27. Memini Reuerendum D. Lutherum dicere, Si nulla alia causa esset execrandi inuocationem mortuorum, hanc unam satis magnam & grauem causam esse, cur piæ mentes ualde odisse & detestari eum ritum debeant, quòd obscurauit argumentum de Messiæ diuinitate sæpe repetitum in Prophetis.

Cùm

Cùm iubent Meſsiam inuocare, ſignificant omnipotentem & natura Deum eſse.

28. Horrenda ſcelera ſunt, pugnantia cum primo præcepto, fingere numina, quæ non ſunt, uel habere Epicuræas opiniones, uel in uero cultu externo ueri Dei, ut in inuocatione ueri Dei, retinere diffidentiam, Quid petis, cùm Deus te non recipiat, te non exaudiat? uel fingere cultus nouos, etiamſi intentio eſt, uelle uerè Deo tales honores tribuere. Et maior impietas eſt, cùm additur perſuaſio de merito aut placatione, ut Iudæi cumulabant ſacrificia, condebant excelſa. Sic uota Monachorum facta ſunt, uel cum ſigna uertuntur in Deos, ut Perſæ ignem ſacrificij fingebant eſſe ipſum Deum.

29. Cæterum prodeſt narrationes uerè ſcriptas de ſanctis, & quidem continuam Eccleſiæ hiſtoriam omnibus notam eſſe, & ſæpè multumq; cogitari. Primùm ut diſcamus, quomodo ſe Deos patefecerit, & per quos tradiderit doctrinam, & quæ doctrina, quo ordine, quibus teſtimonijs tradita ſit, Deinde ut gratias agamus Deo, quòd ſe patefecit, quòd perpetuò colligit Eccleſiam, quòd excitauit doctores & cuſtodes doctrinæ, quòd ſuam præſentiam in Eccleſia oſtendit mirandis liberationibus, quòd pulcerrimarū uirtutum exempla in ſanctis propoſuit. Videndum etiam quid quiſq; docuerit, quomodo inuocatione ſua & confeſsione nos confirmet. Pro his donis Deo agendæ ſunt gratiæ, & petendum à Deo, ut nos quoq; ſic regat & iuuet, & confirmentur in nobis Fides, Spes, tolerantia, illorum doctrina & exemplis. Imitemur & diligentiam eorum in ſua quiſq; uocatione, & in regendis moribus. Laudetur & in ipſis hæc cura, quòd non furenter effuderunt dona Dei, ſed Deo eos gubernanti adſenſi ſunt, & tanquam obſequentes remiges labore ſuo curſum à Deo incitatum adiuuerunt.

ALIA DISPVTATIO DE ECCLESIA, ET propria Eccleſiæ doctrina, reſpondente M. Iohanne Aurifabro Vratislauien. Anno 1550. die 19. Iunij.

TEſtimonia de Deo multa & illuſtria impreſſa ſunt & hominum mentibus & reliquæ naturæ, quæ conſiderare utile eſt. Sed nos in Eccleſia ſingulares patefactiones Dei intueamur, & cauſas conſideremus, cur ſe Deus humano generi clementiſsimè patefecerit, & quam doctrinam tradiderit, quomodo Eccleſiam à cæteris gentibus ſegreget, & quæ beneficia propria Eccleſiæ donet.

2. Vult Deus ſe agnoſci, uult notum eſſe Filium, uult intelligi genus humanum non fruſtra conditum eſſe, nec tantùm ad has miſerias naſci, ſed colligi Eccleſiam cui in omni æternitate communicet ſuam bonitatem. Ideoq; doctrinam quam tradidit, uult exaudiri à toto genere humano. *Cur Deus Eccleſiam colligat & conſeruet.*

3. Semper igitur poſtquam recepti ſunt Adam & Heua, fuit, eſt, & erit aliqua uiſibilis Eccleſia, diſtincta à reliqua multitudine generis humani, uoce Euangelij & Sacramentis, continens cœtum rectè ſentientem & rectè inuocantem, aliâs maiorem aliâs minorem. Sicut in Symbolo affirmamus nos credere, eſſe ſanctam Eccleſiam catholicam.

4. Nec cogitandum eſt, Eccleſiam eſſe Idæam Platonicam, id eſt, cœtum, qui nuſquam cerni, & nuſquam audiri poſsit. Conſpicitur enim & audiri miniſterium oportet, & exaudiri confeſsionem. Sic ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Eccleſia uiſibilis.*

Doctrina Ecclesiæ propria.

5. Et semper Deus segregauit Ecclesiam ab alijs hominibus doctrina de essentia Dei, de redemtione generis humani, & uera inuocatione. Item Sacramentis significantibus decretum redemtionis. Et quanquam in Ecclesia semper etiam notam esse oportet legem moralem, tamen distinctio Ecclesiæ & aliarum gentium, sumenda est à uoce Euangelij, iuxta illud: Fundamentum aliud ponere nemo potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

6. Et quanquam sæpè ingens multitudo impiorum tenet & deprauat ministerium, ut deprauabant Pharisæi & Sadducæi, tamen seruat Deus aliquas reliquias, ut tunc Zachariam, Simeonem, Elisabeth, Annam, Mariam, sororem Mariæ, Ioseph, & haud dubiè multos alios. Sicut scriptum est: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.

7. Hæ reliquiæ retinent fundamentum, & ueram inuocationem. Et sunt uera & uisibilis Ecclesia, non Pharisæi & Sadducæi apertè docentes pugnantia cùm fundamento, & furenter stabilientes idola.

8. Et quanquam Pharisæi & Sadducæi titulum Ecclesiæ sibi arrogant, & dominantur, tamen confessio distinguit ueram Ecclesiam, non solum ab ethnicis, sed etiam ab illis ipsis aduersarijs, qui dominantur in loco ministerij. Sicut conspiciebatur discrimen cùm Pharisæi Zachariam interfecerunt.

9. Et sine ulla dubitatione, Deus est efficax uoce Euangelij incorrupta, iuxta illa dicta: Euangelium est potenita Dei ad salutem omni credenti. Item, Euangelium est ministerium Spiritus. Item, Pater sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas. Item, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

10. Et in hoc cœtu uocatorum, semper aliqui sunt electi. Nec cogitandum est, alibi esse Ecclesiam Dei, extra hunc cœtum uocatorum, aut alibi esse electos, qui nunquam inseruntur huic cœtui. Ideo dicitur: Quos elegit hos & uocauit.

Ecclesia patria omnium sanctorum.

11. Hæc consolatio pijs mentibus utilis est. Et cum sua cuiq; patria nota esse debeat, multo magis sciri oportet, quid sit Ecclesia, quæ uerius est patria, quam locus qui nascentem excepit.

12. Sit igitur hæc descriptio uisibilis Ecclesiæ. Ecclesia uisibilis est cœtus amplectentium Euangelium, & utentium Sacramentis iuxta institutionem, In quo cœtu certissimum est, Deum efficacem esse per ministerium Euangelij, & multos sanctificare, Suntq; in eodem cœtu in hac uita multi non renati, qui tamen de doctrina consentiunt.

13. Et ne sit ambiguitas de genere doctrinæ, certissimum est Ecclesiam oportere amplecti scripta Prophetica & Apostolica, & in his sententiam retinere, quàm exprimunt Symbola Apostolicum & Nicenum.

14. Eius doctrinæ summa cùm comprehensa sit in ea confessione, quam Ecclesiæ nostræ exhibuere Augustæ, Anno 1530. Hanc confessionem amplecti me quoq; profiteor. Vt planè & sine ambiguitate ostendam quid sentiam, & alijs ostendam in hac dissipatione, quid amplecti debeant, & consensu multorum cognito sciamus, quæ & ubi sit uera & una Dei Ecclesia, & ad hanc se singuli aggregent. Quia scire oportet singulos, se ueræ Ecclesiæ ciues esse. Vt Psalmo 26. dicitur: Vnum hoc petij à Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Item Psalm. 25. Cum impijs non sedebo. Et Psal. 83.

Beati

Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psal. 91. Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri florebunt.

IN hac uera Ecclesia intelligi oportet discrimen inuocationis ueræ & falsæ. *Quomodo Ecclesiæ doctrina differat ab aliarum gentium doctrinis.*

15. Quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies.

16. Ac differt inuocatio præcipuè agnitione essentiæ & uoluntatis Dei.

17. Mens alloquatur uerum Deum, & cogitatione tuam inuocationem simul seiungas ab omnibus damnatis inuocationibus, & cum ueræ Ecclesiæ inuocatione coniungas. Sicut usitatum fuit Patribus: Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, Iacob.

18. Agnosci autem oportet, hunc esse uerum Deum qui se in Ecclesia patefecit, edita sua uoce testimonijs illustribus, & misso filio, crucifixo & resuscitato qui noluit uagari mentes in quærendo Deo, sed iubet se agnosci, & addit: Nemo uenit ad Patrem, nisi per Filium. *Verus Deus quis.*

19. Inuocamus igitur æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum filium eius, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, & spiritum sanctum. Sicut & professio in Baptismo nos docet.

20. Nec alia est ulla natura omnipotens, nec alia res inuocanda, non homines mortui, non statuæ, non signa. Sicut sæpè homines Signa uerterunt in numina, Vt Chaldæi & Persæ ignem adorabant.

21. Et conseruetur in Ecclesia ueritas de tribus Personis, æterno Patre, Filio, & Spiritu sancto.

22. Filius λόγος ἐικὼν ἀΐδιος ἀϊδίου παῖς est uiua, & intelligens hypostasis genita ex substantia Patris. Et uera est propositio, filius est essentia genita.

23. Et nequaquam huic doctrinæ misceantur fabulæ de idæa Platonica, aut alij furores, quos diabolus spargit ad obruendam uocem Euangelij de filio Dei. Sicut scripsit quidam λόγον addi Deo, sicut εἱμαρμένη sit addita Ioui. Et similia portenta recitari possent, quæ execranda sunt.

24. Simul in inuocatione uoluntas Dei cogitanda est, an & cur exaudiat. Hic quoq; necesse est Filium & promissiones intueri. Filius est summus Sacerdos noster, propter quem certò recipimur & exaudimur.

25. Cogitemus etiam in inuocatione, hanc ipsam ob causam Spiritu sancto iuuari corda inuocantium. Quia non apprehenditur Deus, nisi mentes attrahat suo Spiritu. Ideo dictum est, Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

26. Differt doctrina Ecclesiæ etiam ab aliarum gentium doctrinis de peccato & iusticia.

27. Peccata sunt, non tantùm actiones in uoluntate, aut externæ, pugnantes cum lege Dei, sicut Monachi docent, sed etiam caligo in mente & auersio uoluntatis à Deo, & dissidium cordis & legis Dei. Sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Et Ieremias ait: Peruersum est cor hominis & ærumnosum. *Peccata quid.*

28. Et quanquam discerni naturam à morbo oportet, hoc est, opus Dei quod conditum est, quatenus reliquum est à corruptione, ut reliqui sunt oculi, & lumen in oculis, sic mens, & in mente noticiæ numerorum, legis, & aliæ &c. tamen falsò extenuant Monachi peccatum, cùm uociferantur concupiscentiam non esse malum pugnans cum lege Dei.

29. Necesse est in conuersione aliquam esse contritionem, id est, aliquam

Errores Monachorum.

agnitionem iræ Dei & dolorem uerum ac non simulatum. Sed hi errores Monachorum execrandi sunt, cùm dicunt contritionem mereri remissionem peccatorum. Item, oportere contritionem sufficientem esse, cùm nullus dolor possit esse par iræ Dei, & homo subitò extingueretur, si Deus totam iram suam accenderet. Iuxta illud: Deus est ignis consumens.

30. Ac ministerium Euangelicum arguit omnia peccata, & uoce Legis ostendens humanam naturam sub lege & ream esse, & uoce Euangelij damnans totum genus humanum, quòd non credat in filium.

31. Impietas est igitur quòd confirmant dubitationem Monachi & synodus Tridentina, cùm iubent singulos semper manere in hac dubitatione an propter Mediatorem à Deo recepti sint.

32. Ideo accusat hoc peccatum Spiritus sanctus quia uult nos credere, nos recipi propter Mediatorem.

33. Ac mors hominum, morbi, furores cupiditatum, & horrendæ calamitates, bella, excidia urbium, gentium uastationes, sunt testimonia iræ Dei aduersus multiplicia peccata, & hortantur ut cogitemus, quæ sit causa harum pœnarum, & quæramus remedium.

34. Itaq; in his pauoribus, in quibus aliquo modo ira Dei agnoscitur, audienda est promissio Euangelij propria, de remissione peccatorum, iustitia & uita æterna. Quæ propter Filium Mediatorem gratis donatur ijs, qui uerè credunt, se iuxta hanc promissionem recipi.

35. Hîc conspici oportet discrimen Legis & Euangelij, ignotum omnibus hominibus extra Ecclesiam Dei, Quod & aduersarij nostrarum Ecclesiarum multis modis corrumpunt. Sed nos teneamus incorruptam uocem decreti arcani, de reconciliatione gratuita propter Mediatorem, & simus discipuli Dei, non affingamus concionibus Christi, Prophetarum & Apostolorum peregrinas sententias.

Decretum Dei immotum est homines accipere remissionem peccatorum propter Christum.

36. Verum, æternum & immotum decretum Dei est, certò accipere remissionem peccatorum, & reputari iustum coram Deo, propter Mediatorem gratis, & donari Spiritu sancto, & fieri hæredem uitæ æternæ, credentem se recipi & placere Deo, & propter filium Dei gratis, non propter ullam propriam dignitatem aut merita. Sic dicit Paulus: Iustificati fide pacem habemus.

37. Sed hîc dicunt aduersarij, controuersiam esse, an sit tenendum ὁ ῥητὸν aut διάνοια. Negant fide hominem iustificari. Et affingunt interpretationem, fide formata, id est, propter dilectionem homo iustus est.

38. Discedunt igitur à Christo & à Paulo, & nolunt esse discipuli uocis diuinæ. Nos retinemus proprietatem sermonis sine sophistica, cùm quidem ipse Paulus addiderit exclusiuam particulam Gratis, Non igitur sentit propter dilectionem homines iustos esse.

39. Sed huic imaginationi opponit hoc decretum, Homo fide iustificatur gratis, id est, fiducia misericordiæ propter Mediatorem.

40. Hæc fides complectitur omnes articulos fidei, & in his hunc: Credo remissionem peccatorum, scilicet non alijs tantùm dari, Petro aut Dauid, sed mihi quoq;.

41. Manifestum est, promissionem uniuersalem esse, & mandatum Dei æternum & immotum esse, ut omnes filio Dei adsentiamur promittenti remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, donationem Spiritus sancti & uitæ æternæ.

42. Hæc

42. Hac ipsa fide petente & accipiente remissionem peccatorum accipitur Spiritus sanctus, & fit regeneratio, & corda in pauoribus erecta, agnita misericordia Dei, incipiunt se subijcere Deo, inuocare & diligere eum, & habere bonum propositum, spem & alios motus legi Dei congruentes.

43. Et quidem necessariò sequi oportet in conuersione nouam obedientiam, & iusticiam bonæ conscientiæ. Sicut scriptum est: Qui non diligit, manet in morte. Et tamen uera est propositio, Conuersus est iustus propter Mediatorem fide gratis non propter propriam dignitatem. Sicut scriptum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

44. Apud Esaiam dicitur: Gaudens Gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me uestimentis salutis, & tunica salutis circundedit me. Ipse erit sicut Sponsus in sacerdotali ornatu, & ut sponsa ornata in suis monilibus, erit Ecclesia uidelicet. *Esaias de Redemptore Christo.*

45. Affirmat Dei opus & ingens beneficium esse, hanc reconciliationem, imputationem iusticiæ, & donationem salutis. Vestit, inquit, me uestimento iusticiæ, in hac uita imputatione, cùm nos quasi inuoluti, uulneribus filij Dei, tegimur ipsius iusticia, & in hac infirmitate propter eum placemus, & simul incoat nouitatem in nobis, ut postea integra ueste iusticiæ & salutis amicti, in tota æternitate fulgeamus.

46. Ipse uerò Spõsus noster, amplectens nos, sacerdotis officio fungitur in ornatu sacerdotali, Docet Euangelium inde usq; à prima reuelatione promissionis, sacrificat cruore madens & sacrificium applicans, ac semper pro nobis intercedens semper conseruans Euangelij ministerium, & colligens & defendens æternam Ecclesiam. *Christus sponsus.*

47. Adstat & Ecclesia ornata ut Sponsa, hunc unicum Sponsum amplectens, & uitans aliam doctrinam, & alia numina. Et quanquam in hac uita uallde languida est, & ingentibus ærumnis onerata, & Diabolicis latrocinijs circundata, tamen hic sponsus eam complexus tuetur, inquiens: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. *Ecclesia sponsa.*

48. In hanc dulcissimam imaginem oculis & mentibus intueamur, & doctrinam de fide exerceamus. Credámus nos placere & exaudiri propter hunc Sacerdotem & Sponsum, & oremus, ut ipse suos cœtus seruet.

49. Citat Paulus ex Genesi dictum de imputatione: Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iusticiam. Vnde extruit hanc doctrinam remissione peccatorum & imputatione propter filium credentes iustos esse, non nostra dignitate, etiamsi nouitas incoata est.

50. Nec omisimus hanc doctrinam de imputatione iusticiæ, nec omittendam esse censemus. Vt fingunt aliqui hominem iustum esse coram Deo propter proprias uirtutes.

De Bonis operibus.

51. In homine renato per fidem, Spiritus sanctus incoat obedientiam. De qua hæ præcipuæ sunt quæstiones. Quæ opera facienda sint? Quomodo fieri possint? Quomodo placeant Deo? & quod sit discrimen peccatorum? *Quæstiones De noua obedientia.*

52. Philosophia loquitur de externa disciplina, & de gubernatione potentiæ Locomotiuæ. Ecclesia uerò non tantùm de externis operibus concionatur, sed etiam de interioribus cultibus, de uera inuocatione, Fide, Spe, dilectione, patientia, castitate, & alijs uirtutibus.

53. Et

53. Et utraq; opera, externa & interiora comprehensa sunt certa norma, scilicet, mandatis diuinis, quæ ad uniuersam Ecclesiam pertinent. Nec fingantur cultus humana audacia, Sicut scriptum: Frustra colunt me mandatis hominum.

54. Et Ezech: 20. dicitur: In præceptis Patrum uestrorum nolite incedere, nec idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus uester, In præceptis meis ambulate.

55. Sic initiò & deinceps obruta est uera doctrina, cùm superstitio humana adderet & fingeret nouos cultus, noua sacrificia, & alia opera, donec secutæ sunt mactationes hominum, & alia horrenda scelera. Ita in hac postrema secta mundi excogitata & cumulata sunt idola multiplicia, etiam in hac ipsa parte generis humani, quæ titulum habet Ecclesiæ. Vt inuocatio mortuorum, adoratio statuarum, prophanatio cœnæ Domini, monachatus, falsa opinio meriti debiti, commentum satisfactionum. Aduersus hæc omnia tenenda est uox diuina, Ego Dominus Deus uester. In præceptis meis ambulate.

Bona opera in renatis.

56. Fieri autem bona opera possunt in renatis, externa & interiora. Quia iam certissimum est, petentes iuuari à Spiritu sancto. Sicut scriptum est, Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

57. Hîc uerò utrunq; considerandum est. Immensa bonitas Dei est, qui ut agnosci & apprehendi possit, propter Filium effundit in pectora nostra Spiritum sanctum. Et agendæ gratiæ sunt, quòd hoc munere diuinæ essentiæ nos sibi copulat, nos infirmos docet, gubernat & custodit contra multas Diaboli insidias.

58. Valde etiam & detestanda & deploranda est segnities nostra, quòd pericula leuiter curamus, quòd non ardenter petimus gubernationem, quòd negligenter pugnamus, quod diffidimus nos exaudiri, quòd ingrati Deo tam clementer promittenti auxilium, suspicamur tamen nos frustrari. Denicq; profundum chaos est negligentiæ & dubitationum in humano pectore. Hæc mala emendanda sunt, & cogitatione promissionum Dei, & exemplorum accendenda fides, spes, inuocatio, & gratiarum actio &c.

Discrimen peccatorum in renatis.

59. Etsi autem in renatis in hac uita manent ingens infirmitas, & manent peccata, tamen discrimen peccatorum scire necesse est. Manet morbus, qui nascitur nobiscum, & multi uicioси adfectus, quibus cùm repugnant renati fide & timor, non effunditur Spiritus sanctus, nec amittuntur iusticia, & hæreditas uitæ æternæ, iuxta illud: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

60. Sed ruentes contra conscientiam, aut errore aut leuitate amplectentes falsum dogma, pugnans cum fundamento, contristant & effundunt Spiritum sanctum, & amittunt iusticiam & hæreditatem uitæ æternæ.

61. Sed qui rursus conuertuntur ad Deum, uera pœnitentia rursus fiunt iusti & hæredes uitæ æternæ, sicut Adam, Aaron.

Qualis obedientia sit in renatis.

62. Cognitio discrimine peccatorum, qualis sit obedientia in renatis iudicari potest. Et quanquam hæc obedientia in renatis procul abest à perfectione legis, & magna infirmitas adhuc in nobis hæret, & multæ sordes ac peccata, tamen placet persona fide propter Mediatorem. Et placet obedientia in tali persona propter mediatorem fide. Sicut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

63. Et

63. Et hæc obedientia ornatur præmijs in uita æterna, & in hac uita, iuxta consilium Dei. Quia omnino docendi sunt homines, etiamsi Ecclesia cruci subiecta est, tamen seruari eam & in hac uita, luxta illud: Non mortui laudabunt te Domine.

64. Custos est igitur Deus & huius corporalis uitæ, & tuetur hospitia, uictum, educationem, & alia uitæ necessaria. Et uult hæc à se peti, uult fidem exerceri petitione rerum necessariarum etiam corpori, luxta illud: Inuoca me in die tribulationis.

65.

Conspicitur Ecclesiæ discrimen à cæteris hominibus, ut dictum est, etiam in usu legitimo Sacramentorum, quæ sunt signa uisibilia, diuinitus addita pro missioni gratiæ, ut sint commonefactiones & testimonia de promissione, & sint nerui congregationis. *Legitimis usus Sacramentorum.*

66. Visitatum est humanæ superstitioni deprauare & cumulare ceremonias hac opinione, quòd mereantur remissionem peccatorum, & alia bona. Sic Ethnici & Iudæi mactationes cumulârunt, adeo, ut sæpissimè etiam homines tanquam hostiæ mactarentur.

67. Et exempla horrenda, quæ diabolus in illa sapientum & sanctorum Patrum posteritate sparsit, perterrefaciant nos, ne securi existimemus non esse uicioſos cultus aut Idola in hac postrema & delira mundi senecta, in qua natura hominum languidior est, & intentio in studijs doctrinæ minor, & disciplina laxior, & rabies in diabolis sentientibus instare iudicium multò sæuior est.

68. Ac propter hæc Idola non dubium est, toti generi humano pœnas & calamitates cumulari, ut ostendunt ruinæ regnorum in toto orbe terrarum. Sed oremus Filium Dei, ne sinat funditus deleri Ecclesiam suam, & ut seruet reliquias, & parcat gementibus & dolentibus propter illa Idola, sicut iubet Deus parci gementibus, Ezechielis 9.

69. Extra usum institutum manifestum est nullos ritus posse habere rationem Sacramenti.

70. Ostendit autem narratio in Matthæo, Marco, Luca & Paulo, cœnam Domini ad sumtionem institutam esse. *Cœna Domini ad quem finem instituta.*

71. De oblatione ibi nihil dicitur. Ac ne quidem uetusti Canones, qui sic uocantur, dicunt offerri filium Dei. Sed ipse filius Dei sese obtulit ingrediens in sancta sanctorum, id est, in arcanum consilium diuinitatis, sentiens horrendam iram Dei aduersus nostra peccata, cuius magnitudinem nulla creatura intelligere aut sustinere posset.

72. Monachi dicunt, illam oblationem mereri remissionem peccatorum facienti & alijs. Hæc opinio falsa & impia est.

73. Nunc sophisticè pro uocabulo Meriti, subijciunt uocabulum adplicationis, ut fures signa rerum mutant, & dicunt adplicari sacrificium Christi omnibus per opus Sacerdotis.

74. At applicatio beneficiorum Christi fit fide, uerbo & usu Sacramentorum proprio, sicut & singulis dictum est, Accipite, manducate. *Applicatio beneficiorum Christi.*

75. Legimus de oblatione & adplicatione in Missa multa uociferantem quendam φοίνικα βώκτην, ut Homerica adpellatione hominem Sidonium ornemus. Sed prorsus, ut Homerus inquit, πολλὰ ἀπατήλια βάζει. Stat Filius Dei coram

coram æterno Patro in Sancto ſanctorum ſeſe offerens. Nos homines oramus,ut ſeſe offerens ipſe, ſit umbraculum & interceſſor pro nobis. Nec fieri adplicationem alieno opere certum eſt.

76. De his magnis rebus pij & docti in Eccleſia aſsiduis gemitibus & lacrimis petant, ne ueri cultus obruantur ſophiſtica, ſed ut gubernet nos Deus, ut uera inuocatione, uera gratiarum actione, & uera obedientia eum celebremus.

77. In ſumtione fide ſtatuas te uerè membrum fieri filij Dei, & uerè ad te pertinere beneficia, quæ & morte ſua meruit,& ſanguine obſignato teſtamento nobis clementer largitur.

78. Hîc & tota Eccleſia gratias agit. Et ipſe ritus ſit neruus publicæ congregationis, uult enim Deus ſemper honeſtos & publicos Eccleſiæ congreſſus eſſe, & eos immenſa miſericordia in genere humano tuetur, & uult ut nos quoque amemus, & omnibus honeſtis officijs foueamus congregationem,ut unum ſimus in ipſo.

79. Ac nunc magis in his tantis ruinis imperiorum ſtudeamus tueri coniunctionem,ut etiamſi diſtrahuntur imperia,tamen uox doctrinæ,& inuocatio Dei incorrupta & eadem maneat.

80. Cogitemus nos uni capiti Filio Dei adiunctos eſſe oportere, & membra in genere humano auulſa à Deo & diſsipata, rurſus coniungi per ipſum & ad unum æternum Patrem copulari, καὶ ἀνακεφαλαιοῦσθαι, ut ipſe eis ſuam ſapientiam & bonitatem in omni æternitate communicet, & nos uiciſsim eum una uoce grati celebremus.

DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII

Propoſitiones,de quibus diſputauit Vir Nobilis Georgius Venetus Prutenus, Anno 1550. die 19. Septembris.

Diſcrimen Legis & Euangelis.

INitio in narratione Iohannis, diſcrimen Legis & Euangelij proponitur, cùm dicitur: Lex per Moiſen data eſt, gratia & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et apud Paulum: Nunc ſine lege iuſticia Dei manifeſtata eſt.

2. Ac neceſſe eſt,ſemper in conſpectu eſſe hoc inſigne diſcrimen,quo extincto tenebræ ſunt horrendæ, ut ſæpè etiam in ea parte generis humani accidit, quæ nominatur Eccleſia,ut apud Phariſæos & Papiſtas.

3. Et cognitio huius diſcriminis, reuera ad fundamentum pertinet, de quo Paulus inquit: Fundamentum aliud ponere nemo poteſt,præter id quod poſitum eſt,quod eſt Ieſus Chriſtus.

4. Manifeſtum eſt aliud eſſe doctrinam præcipientem & condemnantem, Aliud promiſſionem offerentem remiſsionem peccatorum, imputationem iuſticiæ Spiritum ſanctum, & uitam æternam propter filium Dei Mediatorem, non propter ulla noſtra merita.

5. Sint igitur initiò notæ definitiones. Lex Dei eſt doctrina à Deo tradita, præcipiens quales nos eſſe,& quæ facere & omittere oporteat,& promittēs bona præſtantibus integram obedientiam, & condemnans omnes non præſtantes integram obedientiam, hoc eſt, adfirmans uerè iraſci Deum omnibus non præſtantibus integram obedientiam, iuxta hoc dictum: Maledictus qui non permanet in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis.

6. Habet

Habet Lex promissiones, sed non gratuitas, uerum postulantes integram obedientiam. *Promißio Euangelij quids*

7. Sed promissio Euangelij propria, est promissio in qua propter filium Dei Mediatorem, offeruntur Gratis, non propter nostra merita, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, imputatio iusticiæ, & hæreditas iusticiæ & uitæ æternæ, omnibus qui in Filium Dei credunt.

8. Ideo in Iohanne scriptum est, Lex per Moisen data est, quasi dicat, Alia uox est Lex & aliæ res, quæ per Moisen institutæ sunt, per quem hæc politia et hi ritus instituti sunt, quæ omnia sunt umbræ aliarum æternarum rerum, Nondum sunt illa summa bona, quæ per Messiam exhibebuntur. Sed gratia, id est, remissio peccatorum gratuita & imputatio iusticiæ, & ueritas, id est, uera & æterna lux in mentibus, & agnitio Dei, & uera ac æterna iusticia & uita adferuntur per hunc Iesum natum ex uirgine, qui est Messias, de quo promissiones traditæ patribus concionatæ sunt. Sicut & Petrus omnium Prophetarum consentientem uocem esse dixit: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

9. Duæ sunt illustres differentiæ promissionum legalium, & promissionis quæ est Euangelij propria, Scilicet expressa mentio Redemtoris & particula exclusiua Gratis.

10. Mirando temperamento iusticiæ & misericordiæ, tolluntur peccatum & æterna ira. Recipimur enim immensa misericordia, propter Filium deprecantem pro nobis. Sed tamen uoluit Deus Legem suam non esse irritam, uoluit iusticiæ suæ satisfieri, & solui pœnam per aliquem in genere humano. Ita in Filium effusa est ingens ira, cuius magnitudinem nulla creatura uel intelligit, uel sustinere posset.

11. Pro hoc ingenti amore tuo erga nos, & pro tua passione, tibi fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate, gratias agimus ardentibus pectoribus, & te oramus, ut pro nobis intercedas apud æternum Patrem, & nos Spiritu sancto accendas, ut tua beneficia intelligamus & grati celebremus.

12. Itaq; quòd ad nostra merita attinet, gratis tolluntur peccatum & ira æterna, non propter ulla nostra merita, sed simul intueamur Filium Dei, qui pœnam pro nobis persoluit, Sicut Propheta inquit: Quia ponet animam suam hostiam pro peccato, Et ipse inquit, Matthæi 20. Venit Filius hominis ut det animam suam λύτρον pro multis etc.

13. Impius error est, fingere tres fuisse Leges, Primam, Naturæ, Secundam, Mosaicam. Tertiam, Euangelicam, Et saluatos esse homines in singulis, propter opera legis.

14. Impiè & Latomus Louanienſis Theologus scripsit, non aliam fuisse noticiam Dei in Abraham, quàm qualis in Cicerone aut Xenophonte fuit, cum Filius Dei expressè dicat: Abraham expetiuit uidere diem meum. Agnouit igitur Abraham Mediatorem, ostensum in promissione. *Latomi impietas.*

15. Nec patres nec alij ullo tempore acceperunt remissionem peccatorum propter sua opera, nec fuerunt iusti, nec hæredes uitæ æternæ, operibus legis, Sed propter Filium Dei gratis Fide, acceperunt hæc beneficia Redemtoris.

16. Etsi ceremoniæ alijs temporibus aliæ fuerunt, tamen leges morales eædem sunt in omni æternitate, quia sunt ipsa sapientia Dei & rectitudo uolunta-

luntatis,in Deo immota,sicut semper eadem est notícia numerorum. Et ea pars legis,quæ dicitur moralis,præcipua est. Ceremoniæ & politicæ leges fuerunt signa et exercitia certi temporis,sed neq; morales,neq; aliæ leges tollebant peccatum.

Cur Lex repetita.

17. Et Lex moralis natura nota est,ac simul uoce diuina statim initio patribus repetita,quia in hac caligine mentis humanæ, etiam naturales noticiæ sunt obscuriores. Ideo & uocem suam addidit Deus,ut in illa ipsa Legis doctrina retraheret uagabundas mentes,ad ueri Dei agnitionem & inuocationem.

18. Norunt utcunq; legem moralem Socrates, Xenophon & similes. Sed tamen à uero Deo aberrant,ut Euripides inquit: Inuoco te Deus, quidquid es,siue hoc cœlum siue mens,quæ uehitur in hac mole. Lex igitur & uoce Dei edita est,ut ad hunc uerum Deum nos retrahat,qui se in Ecclesia data promissione de Mediatore patefecit. Sicut inquit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex AEgypto. Testimonium et uerbum proponit,quo discernit uerum Deum à commenticijs numinibus.

19. Et tamen,semper manet uera Regula: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo.

Primi parentes per Christum iustificati.

20. Statim autem post lapsum & promissio gratiæ edita est,qua uerè colligitur,& distinguitur deinde Ecclesia Dei à cæteris gentibus. Adam & Eua audientes promissionem de uenturo Semine,de quo dictum est, Semen mulieris conteret caput serpentis,sentiebant se uiuificari ex morte, & credebant se iam recipi,et rursus placere Deo propter uenturum Semen. Hac fide gratis propter hunc uenturum Victorem,erant iusti & hæredes uitæ æternæ,non propter legem,quia utrunq; perspicuè norant, se non fuisse reuicturos ex pauoribus & morte,cum accusarentur à Deo,si non audiuissent promissionem. Et uidebant deinde in sua natura destructam esse harmoniam cordis & legis.

21. Hanc horrendam destructionem, quia magis intelligebant, quàm nos,adsiduis lachrymis deplorabant,& sciebant se non esse iustos sua dignitate aut suis meritis.

22. Imò & antea didicerunt,se sapientia legis tantum condemnari, priusquam edita esset promissio. Necesse enim fuit eos sic ratiocinari. Iusticiæ est abijcere inobedientes,Deus est immutabiliter iustus. Abijciemur igitur immutabiliter.

23. Huius argumenti solutionem,nullius creaturæ sapientia cernebat. Sed Filius Dei pœnam in sese deriuans, ut iusticiæ diuinæ satisfieret, huius argumenti solutionem ostendit.

24. Sic et postea edita promissione,se sustentabant contra sapientiam Legis,quæ conscientiæ uulnera subinde rescindebat.

25. Igitur postquam recepti sunt Adam & Eua, semper hic cœtus deinceps certò fuit,est & erit Ecclesia Dei,in qua sonat non sola uox Legis,Sed etiam promissio gratiæ propter filium Dei, rectè intellecta,id est,ubi fundamentum incorruptum retinetur, hoc est, ubi retinentur, omnes articuli Fidei, & usus Sacramentorum, sicut fuerunt instituta.

Vsus Legis.

26. Vsus igitur Legis præcipuus est,in toto genere humano ostendere, iudicare & damnare peccata, & damnare reos peccati. Et ut Paulus inquit: Aculeus mortis peccatum est,potentia peccati Lex est.

27. Quia Lex est iudicium Dei irascentis peccato, & punientis reos peccati.

peccati. Et ut Paulus inquit: Per Legem peccatum fit excellenter peccatum, id est, rea natura opprimitur hoc iudicio, ut sentiat horrendam iram Dei aduersus peccatum.

28. Etsi autem multi diu securi uiuunt, sine sensu iræ Dei, ut & Paulus inquit, Ego aliquando sine lege uixi, tamen tandem etiam prophani hoc iudicium sentiunt, ac ruunt in æternas pœnas, qui non conuertuntur nec seruantur agnitione filij Dei.

29. Vult autem Deus maximè in Ecclesia, in hac uita intelligi iram aduersus peccatum, sicut dicitur: Iudicium à domo Dei incipit. Ideo & semper uult audiri uocem arguentem peccata, Et insania est imaginari peccata in Ecclesia non accusari lege Dei, & non proponendam esse in Ecclesia uocem Legis, ostendentem iram Dei.

30. Sed tamen & liberatio à lege & ut Paulus inquit, à maledictione Legis, cognoscenda est. Hæc liberatio proponitur in Euangelio, ut Paulus inquit: Christus uos redemit à maledictione Legis, factus pro uobis maledictum. Obseruandum est autem in uerbo Redemtionis comprehendi, & liberationem & compensationem.

31. Ita liberamur à iudicio & maledictione Legis, cum credimus nobis certò propter filium Dei, donari remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, Spiritum sanctum, & uitam æternam, gratis, non propter dignitatem nostram. *Quomodo liberemur à iudicio Legis.*

32. Longè aliter fit hæc liberatio, à Lege & iudicio Dei, quàm abrogatio legis de nummo ferreo facta est Spartæ, ubi lex ipsa mortua est, spernentibus eam ciuibus.

33. Sed Lex moralis est iudicium Dei, quod non mutatur, nisi fide filium Dei apprehendentibus. Vt Iohan. 3. dicitur. Qui credit in eum non iudicatur.

34. Et quanquam hærent in reconciliato multa peccata & magnæ sordes, tamen persona iusta est, propter filium Dei, sola fide, id est, per misericordiam donata remissione peccatorum, & imputata iusticia, propter filium Dei, non est iusta propter legem, aut nostram dignitatem. Sicut Psalmus inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ac de talibus credentibus dicitur: Non estis sub lege, sed sub gratia.

34. Sic hi liberati sunt, à maledictione Legis. Et tamen manet hæc lucta assidua, Agnoscitur hærens in nobis peccatum, & fide apprehenditur liberatio & consolatio.

35. Hac fide sustentante corda in uero agone, Spiritus sanctus, uerè accendit nouam lucem, uitam & obedientiam, Sicut dictum est: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

36. Condonatur ergo præsens immundities cùm uincit fides, non cùm regnat peccatum, id est, non cùm cedit fides tentationi contra conscientiam, ut cùm Eua uel Aaron cesserunt tentationi ruentes contra conscientiam.

37. Tales excutiunt & contristant Spiritum sanctum, & fidem, quæ est fiducia misericordiæ amittunt.

38. Manifestum est enim discerni in Paulo regnans peccatum, & non regnans.

39. Non igitur intelligenda est libertas, licentia uiolandi legem Dei contra conscientiam. *Libertas quid?*

40. Sed libertas est in retinente Spiritum sanctum, & fide uincente tentationem. Hæc sunt certamina magna piorum, in quibus crescit fides uictrix Diaboli. Et Filius Dei sic declarat suam potentiam, adiuuans nos, ut destruat opera Diaboli. Sic uincit in Ioseph repugnante illecebris adulteræ, In Iob repugnante desperationi &c.

41. Est autem deinde & hic usus legis in reconciliato. Manet ordo sempiternus, ut creatura obediat Creatori. Et ostendit Lex, quæ opera & qui cultus Deo placeant. Oportet autem & opera sanctorum regi expresso uerbo Dei, iuxta illud: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

42. Nec licet ulli creaturæ instituere cultus Dei, sicut scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominum. Et hi cultus, quos Deus tradidit, sine corruptelis, uigilanter, & piè retinendi sunt. Semper in mundo, exemplis patrum malè intellectis, impij abusi sunt, & paulatim κακοζηλία addidit plura idola, ut cum primi Patres rectè sacrificassent, postea Chaldæi & alij finxerunt hęc opera mereri remissionem peccatorum. Et adfinxerunt abominandos errores, hunc ignem sumtum ab igne patrum accenso diuinitus, esse numen, esse Deum ipsum. Deinde hunc ignem publicè circumferentes adorauerunt. Postea alij alia numina, & alios cultus horrenda audacia finxerunt.

Ignis Chaldæorum.

43. Hæc cùm acciderint antea cum sapientia, disciplina, doctrinæ studia, & aliæ uirtutes maiores essent, & cum Ecclesia tantos monitores haberet, Sem, Abraham, & deinceps multos, non cogitemus nihil irrepsisse uiciorum in Ecclesiam, in hac infirma & delira mundi senecta, & in tantis gentium dissipationibus & confusionibus, & neglectione doctrinæ & disciplinæ.

44. Imò cito obscurata est doctrina, de Iusticia fidei, ut ostendunt Origenis & aliorum scripta, & nati sunt Monachi, quorum exemplis confirmata est persuasio, mereri homines remissionem paccatorum operibus, & quidem non mandatis à Deo.

Doctrina de iusticia fidei, post Apostolorũ tempora cito obscurata.

45. Postea ministerium Euangelij ab Episcopis conuersum est in Regnum, & neruus additus, missa papistica, & multiplex deprauatio cœnæ Domini omnium piorum lacrymis deploranda.

46. Et caligo Ethnica secuta est, fuit ignotum discrimen Legis & Euangelij, Confirmata est persuasio, mereri homines remissionem peccatorum, & iustos esse propris operibus. Deinde additum est, Cùm nemo sciat quando satis operum habeat, manendum esse in dubitatione, nec Fide uincendam esse dubitationem.

47. Hæc dubitatio prohibet conspici beneficia Mediatoris, & consolationem firmam conscientijs eripit, & prorsus corrumpit ueram inuocationem. Non enim potest mens accedere ad Deum, petere & expectare bona, nisi fide aliquo modo acquiescere inceperit, & se quasi duci statuat à Mediatore filio Dei, sicut inquit Paulus: Per hunc habemus accessum Fide &c.

48. Et tamen decretum Synodi Tridentinæ iubet manere in dubitatione. Et postea in Synodo Bononiensi decreta facta sunt, quorum manifestior est impietas, quæ adfirmant satisfactiones, ut ipsi uocant, Canonicas necessarias esse. Item in circumgestatione panis, faciendam esse adorationem &c.

Synodus Bononiensis.

49. Et sicut apud Ethnicos multa numina excogitata sunt, ita peruasit in Ecclesiam inuocatio hominum, qui ex hac uita discesserunt, cum horrendum cogitatu sit, compellare homines absentes, quasi motus cordium inspiciant, quòd

quod solius est omnipotentis naturæ,& expressè dictum sit: Dominum Deum tuum adorabis.

50. Omnino necessaria est cura singulis hominibus, quærere ueram Ecclesiam Dei,& ei se adiungere, & in ea audire doctrinam à Deo traditam,& cum huius ueræ Ecclesiæ inuocatione & confessione coniungere suam inuocationem & confessionem,sicut Dauid inquit,Psalm.26. Vnum petij à Domino, hoc requiro,ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ,&c. Et Psalm.83.Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psalmo 91.Plantati in domo Domini,in atrijs domus Dei nostri florebunt.

51. Et cùm uelit Deus,filium agnosci,& exaudiri in toto genere humano,uult & Ecclesiam conspici,& cœtum uisibilem esse.Estq; uera Dei Ecclesia, cœtus uisibilis,retinens fundamentum,id est, doctrinam Euangelij incorruptam,iuxta omnes articulos fidei,præcepta, promissiones, legitimum usum Sacramentorum & reuerentiam ministerio debitam,nec defendens idola. *Ecclesia quid?*

52. Nec alibi sunt electi nisi in hoc cœtu uocatorum,iuxta illud: Quos elegit,hos & uocauit,Nec libertas illa pia est,quam sibi multi sumunt,qui more Academicorum uagantur,& contradicunt omnibus, & nullius Ecclesiæ ciues esse uolunt de quibus dicitur. Qui non colligit mecum,dispergit.

53. Et filius Dei in agone precatur æternum Patrem, ut faciat ut unum simus in Deo.Adiungamus igitur nos ad ueram Ecclesiam, ubicunq; sumus, uotis & confessione.Quare confiteor me amplecti consensum catholicæ Ecclesiæ Dei expressum in confessione,quam hæc Ecclesia exhibuit Imperatori Carolo Augustæ Anno 1530. & in societate eorum, qui hanc doctrinæ uocem amplectuntur, Verum Deum, fiducia Filij Dei Domini nostri Iesu Christi inuoco.

54. Cum dicitur apud Zachariam: Effundam super domum Dauid,& super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum, discernitur carcer legis à liberatione donata per Redemtorem filium Dei. Lex ministerium est horrendæ iræ Dei,& in hac ingenti consternatione & fuga conticescit inuocatio.Sed cum uoce Euangelij annunciatur remissio peccatorum, Spiritu gratiæ uiuificantur corda,agnoscunt gratiam,id est misericordiam Dei, propter Redemtorem promissum,& se recipi credunt. Et cùm hac fide Spiritus sanctus accendit ueram inuocationem,quæ fit tantum in uera Ecclesia. *Dictum Zachariæ de effusione Spiritus sancti.*

55. Nam Ethnici,Turci & similes,etiamsi adfirmant se inuocare uerum Deum,& illud uidelicet numen,quod condidit cœlum & terram, tamen à uero Deo aberrant,quia negant esse æternum Patrem, & Filium imaginem de æterni patris essentia genitam,& Spiritum sanctum ab æterno Patre & Filio procedentem.

56. Non igitur adorant uerum Deum, sed sculpunt sibi ipsis simulacrum in sua cogitatione,quòd compellant,fingentes aliquid esse Deum, quod non est Deus. *Ethnici aberrantes à uero Deo,sibi ipsi fingunt Idola.*

58. Alij postea alia multa simulacra sculpunt, ut Athenienses in bello Xerxis sacrificabant Boreæ,tanquam ueteri adfini propter Orithyam,& petebant ut classem Xerxis suo flatu pelleret. Talis est inuocatio compellantium homines absentes.

59. Deinde accedunt Ethnici ad illud numen, sine promissionibus, sine Mediatore, cum perpetua dubitatione. Ita Mediatorem nunc quoq; remo-

uent,qui iubent manere in dubitatione,aut qui fiducia sui sacrificij, aut aliorum propriorum operum ad Deum accedunt.

60. At cum uera inuocatione coniunctæ sunt cæteræ uirtutes, Dilectio, bonum propositum,Spes, Patientia,& aliæ,Ita cùm Spiritus sanctus corda fide uiuificat,simul inchoat in hac consolatione interiorem obedientiam, quod uoce legis nequaquam effici potuit.

Interior obedientia in renatis.

61. Sed hæc obedientia nondum est perfecta Legis impletio, quia uerissimum est,peccatum in natura humana reliquum in hac uita, etsi mortificari cepit,tamen nondum prorsus mortuum esse. Tegitur autem à filio Dei,qui est umbraculum,& liberauit credentes à maledictione legis.

62. Philosophica imaginatio est,Heroicis donis infusis,propterea hominem iustum esse,sicut & Cicero inquit,Nullam existere uirtutem magnam sine adflatu diuino.Et quidem Ethnicis illæ ipsæ heroicæ uirtutes,ut Achillis et Alexandri fortitudo,illustria testimonia de Deo fuerunt. Sed in Ecclesia necesse est,dici de remissione peccatorum, de imputatione iusticiæ propter filium Dei,& de fide,id est,fiducia misericordiæ intuente filium Dei, qua liberamur à maledictione legis,ab ira Dei,& à morte æterna. Sicut Paulus inquit, Iustificati fide pacem habemus.

63. Quanquam igitur inchoata est obedientia,tamen in hac mortali uita, persona iusta est,id est,accepta Deo ad uitam æternam,immensa misericordia propter Mediatorem sola fide,non propter propriam dignitatem. Et in tali persona,prælucente fide,placet obedientia,& fit cultus Dei propter Mediatorem,& habet præmia in hac uita,& post hanc uitam. Sicut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales,acceptas Deo per Iesum Christum.

64. Alius usus est Legis Politicus,cohercens externa membra in omnibus hominibus,etiam non renatis. Sed etiam hanc mutilam libertatem sæpissimè horribiliter uincunt flammæ prauorum adfectuum,& Diaboli hanc miserrimam naturam,odio Dei omnibus contumelijs adficientes, Sed aduersus hæc ingentia mala,filius Dei reconciliatis & eum inuocantibus,uult opem ferre,& conterere caput Serpentis,& iubet petere auxilium,& adfirmat uerè placere Deo,hanc petitionem,nec irritam esse,iuxta illud: Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Tales promissiones intueamur,& nos ad petendum auxilium,contra sæuissimum hostem,& contra infirmitatem nostram excitemus.

DE CREATIONIS ACTIONE DISPVTATIO, autore Matthia Lauter vualt Elbingensi. Disputata VVitebergæ, Anno 1551. die 14. Martij.

Creatio quid?

CReatio propiè loquendo est Dei actio ad extra ipsi propria,procedens ex ingenti amore erga creaturas, ad Ecclesiæ salutem & conseruationem, ut ipse in ea innotescat & celebretur in Filio, fitq; à Deo immediatè libera eius electione non coactione ullius necessitatis: absq; adminiculo etiam omnis creaturæ ex nihilo totum producens,aut aliquid ex nihilo in aliquod inducens, illudq; creatum ita conseruans,fouens & sustentans, ut uestigia diuini amoris & præsentiæ uel manibus contrectari possint,eo autem ordine & modo conseruat quodq;,quo illud est creatum,Ita tamen ut Deus retineat & consilium & liber-

& libertatem, maneatq; Dominus illius ordinis, & limitator ac uindex confusionis, quæ aliundè accedit, utq; confusum & collapsum ordinem instauret, per Filium liberè intercedentem, non pro iustis, sed pro miseris peccatoribus recipiendis, ac integritati restituendis, quatenus ipsi mouenti non repugnant, sua incredulitate.

2. Hæc actio est inorganica, ac fit absq; omni motu & passione Creatoris, actionisq; reciprocatione seu retaliatione à creato, differtq; ab ipsa essentia diuina, ut effectus à causa, siue potius ut actio à suo principio intrinseco.

3. Hæc actio (ut aliæ ad extra) etsi ab æterno semper fuit in Deo, ut proprium: tamen actu cœpit in principio à Mose descripto.

4. Actiones igitur Dei, ad extra in hoc mundo, fiunt in tempore & cœperunt cum tempore. Sed apud Deum extra hanc uitam, & extra hunc uisibilem mundum, mille dies sunt sicut dies hesternus. Ideo perfectam Dei beatitudinem, ante creatum mundum, & futura gaudia Sanctorum, post hanc uitam, non intelligit mens capax tantum temporalium, oculusq; ea nec uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis descenderunt.

Actiones Dei ad extra fiunt in tempore, & cum tempore cœperunt.

5. Actiones uerò Dei, ad intra simpliciter in ipsa diuinitate, supra captum humanum, prorsus non subiacent tempori, nec unquam facta sunt, nec fient, nec fiunt in tempore ullo modo, quia in Diuina essentia, nihil unquam cœpit fieri, aut saltem esse. Quapropter gignere Patris, & gigni Filij, & procedere Spiritus sancti: sunt actiones Dei internæ, quibus realiter semper distinctæ fuerunt, manentq; tres Personæ Diuinitatis, in una essentia numero.

Actiones Dei, ad intra non subiacent tempori.

6. Hæ distinctiones realiter constitutæ internis actionibus, declaratæ & patefactæ sunt Ecclesiæ externis actionibus ad extra, uelut in Baptismo Christi, Pater suauiter compellat Filium, Filius uolens Patri obediens baptizatur, Spiritus sanctus columbæ specie mouetur, & Filium ardenter amplectitur.

7. Sed sicut in naturam Spiritus sanctus non cadit latio: Ita neq; hæc latio aut columbæ species realiter eum distinguit, multo minus eundem separat, à Patre & Filio.

Spiritus sanctus in specie Columbæ.

8. Eodem modo descensus Filij in uterum beatæ uirginis Mariæ, minimè separat Filium à Patre & Spiritu sancto.

9. Imó illa ipsa incarnatio, quatenus procedit ad extra & existit in motu, est opus omnium trium personarum. De Patre enim diserte dicitur, Esaiæ 45. Ego Dominus creaui illum, nempe non simpliciter creaturam, sed nouo modo sicut dicitur, Ieremiæ 31. Creauit Dominus nouum super terram, Fœmina circundabit uirum. Ideo ipsa conceptio signum dicitur, Esaiæ 7. De Spiritu uerò sancto, affirmat Symbolum Apostolicum, Conceptus est de Spiritu sancto.

Incarnatio Filij Dei.

10. Sed in hac societate trium Personarum Filius Dei cooperans ad extra, sibi soli ad intra unit humanitatem σωματικῶς, siue personaliter, uinculo indissolubili & mysterio abditissimo, quod nulla creatura perspicere potest, Diabolus enim etsi ex Scriptura nouit, quod filius Dei sit incarnatus: tamen quomodo incarnatus sit ignorat, nec potest illud mysterium comprehendere, maximè uero in humiliato Christo non agnoscit Dominum gloriæ, ideo eo magis furit contra eum, nec cessat ab isto furore, etiamsi sæpè eius potentiam sentiat, suo magno cum malo, Ita incarnatio filij Dei fit Diabolo lapis offen-

sionis, Angeli uero Dei in illud admirandum speculum unionis prospicere cupiunt, nec saciari eo poterunt in omni æternitate.

11. Hæc unio personalis nullo modo dici potest creatio, quia propria est uni tantum personæ, & neq; fit ordine creationis, neq; ex nihilo.

12. Creatio enim est opus omnium trium Personarum. De patre enim disertè inquit Symbolum Apostolicum. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et de Filio, Iohan. 1. dicitur. Omnia per ipsum facta sunt. De Spiritu uerò sancto, Psalm. 32. dicitur. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius, omnis uirtus eorum.

13. Deus igitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus: creatis ex nihilo cœlo & terra, absolutoq; omni ornatu eorum & bestijs, creauit hominem, formans eum ex limo terræ, & ex nihilo producens spiritum, inflauit eum in faciem eius, ut esset in animam uiuentem, secundum imaginem & similitudinem eius, Euam uerò ædificauit secundum eandem imaginem ex costa ipsius Adam.

14. Secundum hanc igitur imaginem trinitatis, uiuimus, mouemur & sumus in Deo, sicut tota rerum natura & ordo conseruatur præsentia & libera administratione diuina, Imò pro sua misericordia auget sæpissimè naturæ bona, ostendit etiam se non præsente & gubernante naturam nihil agere.

Deus non descendit à suo opificio.

15. Prophana igitur est opinio fingere, Deum, uelut fabrum à suo opificio, intra suum quasi cubile discessisse. Hominem uerò & naturam ferri sine Deo, ut eiectum lapidem extra manum iacientis. Aut fingere hominum prorsus alligatum esse loris immutabilis necessitatis, inter Deum & secundas causas. Aut absq; secundis causis, hominem diuinæ præscientiæ & prædestinationis cathenis æternis, ne quidem Deo soluendis detineri constrictum, & coarctatum per omnia immutabiliter, ut in Ecclesia quidam fanatici, nolentes uideri Stoici, petulanter & impiè fingunt, existunt uerò Stoicis multipliciter deteriores: præsertim cùm disertè dicant, Deum per se ordinasse & prædestinasse immania scelera, ac eadem etiamdum uelle eum non tantum permittere.

PROPOSITIONES, DE QVIBVS DISPVTAuit Magister Tilemannus Heshusius VVesalienſis, uocatus ad gubernationem Ecclesiæ Goslarienſis. VViteberga, Anno 1553. die quinto Maij, quo ante Annos 1519. Filius Dei admirando triumpho spectante magno cœtu Apostolorum & Discipulorum in cœlum ascendit.

IDeo Deus ordinem in natura, & ordinatos motus & effectus instituit, & homini indidit mentem quæ intelligeret numeros, ordinem, discrimen honestorum & turpium, ut hic ipse ordo & hæ noticiæ sint testimonia de ipso, et ostendant esse Deum, & doceant qualis sit, & quòd sit mens sapiens, uerax, bona, benefica, iusta, casta, uindex scelerum.

Etsi autem hæc consideratio nunc obscurior est in hac deprauatione naturæ, tamen non est negligenda.

Patefactio Dei.

2. Postea patefecit se extraordinarijs operibus, & addidit suam uocem, ut ostenderet, Deum non esse ἐντελέχειαν infusam creaturis, alligatam causis secundis, ut Stoici & alij finxerunt, sed ut conspici posset, Deum esse aliud agens, distin-

distinctum à creaturis,intelligens, bonum & liberum, & quod possit aliter agere,quàm cient causæ secundæ,& scirent homines quomodo & ubi uelit sibi colligere æternam Ecclesiam.

3. Agnoscenda est igitur magnitudo bonitatis Dei, & uera gratitudine celebranda,quòd utroq; modo se patefecit,ordinarijs operibus, & extra ordinarijs,transfusis radijs suæ sapientiæ & legibus in mentes humanas, & ostensa creatione, quæ est summum miraculum, deinde uerò edita promissione de Mediatore,& addito nouo miraculo, conseruatione uitæ primorum parentum,& postea alijs multis testimonijs, inflammatione uictimarum, conseruatione Nohæ in diluuio, & alijs.

4. Necesse est autem teneri discrimen inter noticiam Legis & promissionem gratiæ propter Mediatorem filium Dei. Et necesse est agnosci Deum sicut se patefecit,non tantum ut humana ratio cogitat, Sed ut discrimina trium personarum & earum proprietates piè intelligantur, ut Deus rectè inuocetur & colatur. *Discrimen inter noticiam Legis & promissionem gratiæ.*

5. Lex est æterna & immota sapientia & regula iusticiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens contumaciæ, quæ repugnat huic Normæ in ipso, & patefacta est hominibus in creatione,& postea sæpe repetita & declarata uoce diuina,ut sciamus, quòd sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans ut omnes sint conformes ipsi & damnans ac destruens omnes non conformes,nisi fiat remissio & reconciliatio propter filium Mediatorem. *Lex quid?*

6. Euangelium est prædicatio pœnitentiæ & promissionis, quæ non est naturali luce nota,sed ex arcano consilio Diuinitatis per Filium prolata est, qua Deus exhibet remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti,iusticiæ & uitæ æternæ propter Mediatorem & per eum gratis,fide accipientibus promissionem.Hæc diuersa genera doctrinæ palàm discernuntur,in 1.cap.Iohan.Lex per Moisen data est,Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est.Et Rom.3. Nunc sine lege iusticia Dei manifestata est,testificata in Lege & Prophetis,iusticia uerò Dei per fidem Iesu Christi. Et Gal.3. Si ex lege esset hæreditas,non esset ex promissione &c. *Euangelium quid?*

7. Firmissimè igitur tenenda est sententia & uerè colligi Ecclesiam Dei æternam,uoce Euangelij & agnitione Mediatoris,& nunquam Ecclesiam Dei fuisse,nec esse,nec futuram esse, homines ignorantes uocem Euangelij & Mediatorem.Sed tenenda est uox Pauli: Fundamentum aliud nemo ponere potest,præter id,quod positum est,quod est Iesus Christus.

8. Quare Thammerus, qui confusionem facit Ethnicorum & Ecclesiæ, Legis et Euangelij,cum scribit Ethnicos nouisse Christum,quia legem norunt, execrandus est. *Thammerus.*

9. Et Louaniensis Latomus execrandus est, qui scripsit non aliam fuisse noticiam de Deo in Abraham,quàm qualis fuit in Platone, & Xenophonte. Aduersus tales furores muniendi sunt omnium animi,nec dubium est Diabolum has blasphemias serere,ut sint in hac extrema senecta mundi semina & ἀγαπαπευὴ Turcicæ impietatis. *Latomus Louanienſis.*

10. Notissima est uox Filij Dei, in qua dicitur: Abraham uidit diem meum,& lætatus est. Et Iacob inquit: Non auferetur Sceptrum à Iuda donec uenerit Silo,ad ipsum gentes congregabuntur.Et postea extant testimonia in Pro-

in Prophetis illustriora de filio Dei Mediatore, Psal.2. Osculamini Filium,& apud Esaiam: Noticia serui mei iusti iustificabit multos,&c.

Discrimen inuocationis uerae & falsae.

11. Semper igitur uera Ecclesia suam inuocationem distinxit ab Ethnica, præcipuè his articulis agnitione doctrinæ de essentia Dei, & de uoluntate.

12. Vera Ecclesia intuetur patefactiones diuinas, & agnoscit unam esse diuinam essentiam conditricem,æternum Patrem, Filium de quo loquuntur promissiones,& Spiritum sanctum,procedentem ab æterno Patre, & coæterno Filio,& scit se recipi,exaudiri,& saluari propter Filium, qui constitutus est Mediator. Sed uagantur Ethnici horribili & deploranda amentia,quia fingunt alij aliud esse Deum,& alij plures comminiscuntur, & omnes dubitant, an & quomodo exaudiantur, Deniq; tetri sunt furores omnium extra ueram Dei Ecclesiam,quorum cõsideratio moueat pias mentes,ut Deo gratias agant, quòd se in Ecclesia sua patefecit,& eum rectè inuocare discant, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis,& ei soli seruies.

13. Est igitur in inuocatione & descriptio Dei cogitanda,ut discernatur Deus ab omnibus creaturis,& à commenticijs numinibus. Deus est essentia spiritualis,intelligens,æterna,alia à creaturis omnibus,uerax,bona,iusta,casta, misericors,benefica, liberrima,immensæ sapientiæ, & potentiæ, irascens peccatis,Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna,& Spiritus sanctus procedens â Patre & Filio, Sicut patefacta est diuinitas certo uerbo & testimonijs diuinis,quòd Pater æternus cùm Filio & Spiritu sancto condiderit,& cõseruet cœlum & terram et omnes creaturas,et adsit omnibus creaturis quo ad conseruationem,& colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter Filium,& sit iudex iustorũ & iniustorum.

Quomodo Deus agnoscendus.

14. Agnoscamus autem æternum Patrem,Filium, & Spiritum sanctum, ut in uerbis Baptismi traditum est,& ut discrimina traduntur in Symbolis,& sciamus non tantùm esse nomina diuersa unius personæ, sicut fingunt aliqui Iudaisantes,& sicut Seruetus,qui furens Lutetiæ mortuus est, scripsit. Sed tres esse Personas ut Latini loquuntur,seu magis perspicuè,ut Græci tres ὑφισαμένας qui tamen sunt ὁμοούσιοι, sicut de Filio expressè dicitur in Symbolo Niceno, Et de Spiritu sancto inquit Epiphanius: πνεῦμα οὕτως ἐκ θεοῦ ὂν οὐκ ἀλλότριον παρὰ καὶ υἱοῦ ἀλλ' ὁμοούσιον πατρὶ καὶ υἱῷ.

15. Pater est prima persona diuinitatis, non nata nec procedens ab alia, sed à qua ab æterno genitus est Filius imago Patris, & procedit Spiritus sanctus,quæ cum Filio & Spiritu sancto condidit cœlum & terram,& omnes creaturas,& eas conseruat.

16. Filius est secunda persona diuinitatis,quæ est substantialis & integra imago æterni Patris,quam Pater sese intuens & considerans gignit,quæ nobis quidem sic manifestatur,quòd sit Persona per quam Pater dicit decretum & totum ordinem creationis & reparationis hominum,& mittitur ut patefaciat Euangelium,& adsumat humanam naturam, & sit Mediator,Redemtor & Saluator.

17. Spiritus sanctus est tertia Persona diuinitatis, procedens â Patre & Filio,& est substantialis amor & lætitia coæterna inter Patrem & Filium,& nobis sic manifestata est,quòd mittatur in corda credentiũ,ut tales motus,amorem et lęticiam acquiescentẽ in Deo in eis accendat,qualis est ipse,sicut 2. Tim. 1.expressè scriptum est: Non dedit nobis Deus Spiritũ timiditatis,sed roboris, & dilectionis & castificationis.

Quia

18. Quia Deus agnosci uoluit, aliquomodo pinxit hæc discrimina in natura hominis, in qua hæc tria sunt præcipua, Mens, Cogitatio quæ est imago rei cogitatæ, seu uerbum proferens cogitatas imagines. Item motus, amor, lætitia in uoluntate, et Spiritus in corde nascentes, qui sunt flammæ cientes motũ. *Imago Dei in homine.*

19. Et in hoc domicilio fulsit ante lapsum illustris notitia Dei, accensa per uerbum, ostendens creatorem, ac uoluntas, & corda habebant ardentes motus erga Deum, accensos per Spiritum sanctum.

20. Ita tunc erat homo imago Dei nondum corrupta, quo ad substantiam, & quo ad dona addita substantiæ, Nunc post lapsum tamen mens & ueræ notitiæ in mente testimonia sunt, quòd sit Deus, & quòd sit essentia intelligens, uera, bona, iusta, benefica, casta, uindex scelerum &c.

21. Et amor in Deo erga naturam humanam in his beneficijs etiam considerandus est, quòd ea, quæ in ipso Deo sunt optima, nobis communicauit, scilicet, sapientiam, iustitiam, lætitiam, & libertatem uoluntatis, imò seipsum nobis tribuit, quia in nobis ut in templo suo habitaturus erat.

22. Sed magis conspicitur amor in beneficio reconciliationis, quia post lapsum misertus nostri, mittit Filium & Spiritum sanctum ad nos saluandos, Duæ sunt enim Personæ missæ.

23. Filius statim ab initio profert decretum de redemtione, cum inquit: Semen mulieris conculcabit caput Serpentis, ac dicitur Filius λόγος, non tantum respectu Patris, quia cùm sit integra imago Patris, cogitatione nascitur, Sed etiam dicitur λόγος respectu nostri, quia profert Euangelium, ex arcano consilio æterni Patris, conseruat ministerium Euangelij, dicit consolationem in cordibus credentium uoce Euangelij, & ostendit Patrem, Sicut Iohan. 1. scriptum est: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, & ipse inquit, πλὴν ἀπὸ τοῦ ὅτι πολὺ λαλῶ ὑμῖν. Item, nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius uoluerit reuelare. *Filius imago æterni Patris.*

24. Hic Filius admirando consilio & amore nostri adsumsit humanam naturam, & constitutus est Mediator, Redemtor, Iustificator & Saluator.

25. Nec adest naturæ humanæ quam adsumsit tantum societate, sicut adest Abrahæ, Iacob, Prophetis, sicut dicit Iacob, Benedicat his pueris Deus, & Angelus qui me ex omnibus malis redemit, sed unio est hypostatica τοῦ λόγου & humanæ naturæ adsumtæ, ut gestetur humana natura à uerbo non solum inseparabiliter, sed ita etiam, ut nisi sic sustentaretur, illa massa prorsus interiret. *Quomodo λόγος adsit naturæ humanæ.*

29. Etsi exemplum prorsus simile monstrari non potest, tamen uetustas usa est hac similitudine esse unum ὑφιστάμενον, λόγον & adsumtam naturam humanam, Sicut homo est unum ὑφιστάμενον, habens animam & corpus. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus, & Iustinus, qui tamen addit correctionem. τινὲς μὲν τῶν ἕνωσιν, ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, ὅτως ἐκδεδώκασιν, μὴ ἁρμόδιον γε τὸ παράδειγμα, εἰ μὴ καὶ πάντα καὶ τὰ γε.

27. Vt igitur discernatur Christus ab alijs Sanctis, retinentur hæ propositiones in Ecclesia, Deus est passus, Deus est mortuus. Paulo adest Deus societate, seu ut opitulator, et adest separabiliter, nec Pauli persona est Deus. Ideo non dicimus Deum pati patiente Paulo, Sed patiente Christo patitur Persona, quæ est Deus. Hæc forma loquendi nominatur communicatio ἰδιωμάτων, quæ & in sermone diuino in Propheticis & Euangelicis narrationibus usurpatur, ut *Deus Sanctis adest societate.*

Zacha.

Zacha.12.dicit filius Dei ante adsumtionem humanæ naturæ: Adspicient ad me,quem confixerunt.Et Iohan. 8. Antequam Abraham nasceretur,Ego sum. Nequaquam uerò dicitur,Diuinitas est passa,seu Diuinitas est mortua.

28. Hæc discrimina piè & reuerenter cogitanda sunt, & retinenda phrasis Ecclesiæ ueris causis & graui autoritate recepta, etiamsi nostra infirmitas hoc admirandum fœdus Verbi & adsumtæ naturæ nec satis intelligere, nec satis eloqui potest. Tantum uerò discamus, quantum in Ecclesia huius uitæ profiteri nos Deus uoluit.Postea in cœlesti Ecclesia discemus, & modum huius copulationis & causas.

29. Prodest autem aliquo modo & causas considerare,quare Deus uoluerit hoc modo redimi & saluari genus humanum, mirando temperamento iusticiæ & misericordiæ recipit Deus genus humanum. Recipit homines propter Filium per misericordiam,sed ne iusticia negligeretur,pœnam nostri peccati persolui uoluit.Et quia genus humanum peccauerat,hominem esse qui sustineret pœnam, congruebat.

Cur oportuerit Mediatorem esse Deum & hominem.

30. Nec uerò esse homo poterat,nisi fuisset adsumta massa à filio Dei. Et ut æquiualens precium esset,hęc persona propiciatrix cõstituta est.Nec sustinere iram sola creatura poterat,nec uincere mortem & restituere uitam & iusticiam æternam,Et congruit hunc esse Mediatorem & deprecatorem,qui uidet pectus Patris,& corda inuocantium.Item naturæ omnipotentis est assiduè adesse Ecclesiæ,& eam protegere.

31. Hæc cum reuerenter cogitantur,accendunt piam mentem ad gratitudinem & ad inuocationem.

32. Discernenda sunt uocabula propria naturarum â uocabulis officij. Posse mori proprium est unius naturæ, scilicet humanæ. Sed Mediator,Rex, Sacerdos,nomina sunt officij,quod proprium est totius personæ. Filius Dei orat pro nobis,& protegit Ecclesiam,etiam ante assumtionem humanæ naturæ, Vt Psal.2.dicitur: Postula â me,& dabo tibi gentes hæreditatem. Danielis 3.Adest in fornace Babylonica ubi dicitur: Species quarti similis filio Dei.

33. Inuocamus igitur Dominum nostrum Iesum Christum, Deum & hominem Mediatorem,Sacerdotem & Regem nostrum.Quia Deus est,uidet gemitus cordium nostrorum. Nec Nestorij argumento turbamur,quod expresse recitat Cyrillus & refutat. Hæc enim erat cauillatio Nestorij,Si Christus esset Sacerdos secundum naturam Diuinam,offerret sibi ipsi. Nec distinxit Nestorius inter missum Filium,& Diuinitatem mittentem.

34. De hoc filio Dei Domino nostro Iesu Christo, Deo & homine dicitur: Noticia serui mei iusti iustificabit multos.

Impietas Papæ contra Deum.

35. Impietas est contumelioſa contra æternum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum,Papæ & Monachorum doctrina asseuerantium,Homines mereri remissionem peccatorum & reconciliationem seu iustificationem & uitam æternam propriis operibus, Sed firmissimè retinenda est uox Euangelij, quæ toties repetit exclusiuam Gratis,propter propiciatorem Christum.

Dictum Esaiæ Gratis uenundati estis &c.

36. Dulcissimè dictum est Esa.52. Gratis uenundati estis,& sine argento redimemini,ubi non hoc uult uox diuina,nostrum lapsum non esse causam seu meritum condemnationis.Sed Diabolum & homines accusat Deus tanquam prædones,quòd rem alienam transtulerint, uidelicet genus humanum, quod erat Dei possessio. Hanc possessionem præcipuè diabolus insidiator eripuit Deo,

Deo,&nec Deo,nec homini aliquid boni reddidit.Iustum est autem à prædone rem sine precio retrahere.

Inde igitur argumentatur à iure usitato, cùm inquit, mihi sine precio meam possessionem eripueritis,retraham magna gloria, & nec diabolo precium dabo, sed potius latronum pœna eum adficiam, & homines inopes mihi precium dare non possunt.

37. Vt Prophetæ & Paulus nominant Exclusiuam gratis, ita in Ecclesijs nostris dicitur sola Fide iustificamur,id est propter Mediatorem Deum & hominem, Fide, Gratis non propter legem aut ulla nostra opera aut merita, accipimus remissionem peccatorum & reconciliationem seu imputationem iusticiæ, regenerationem per uerbum & Spiritum sanctum, & hæreditatem uitæ æternæ.

38. Hæc est promissio Euangelij propria, quam uult Deus in Ecclesia sonare, & qua colligit Ecclesiam, & discernit eam à cæteris hominibus. Etsi autem in toto genere humano horribiliter arguit Deus peccata tristissimis exemplis pœnarum & agnitione legis in cuiusq; conscientia, sicut Psal. 57. dicitur: Vtiq; est Deus iudicans eos in terra, Tamen in Ecclesia aliter etiam peccata arguit Deus uoce ministerij Euangelici,accusat caliginem de Deo in natura hominum & obliuionem promissionis de filio Dei Mediatore, & alia horribilia interiora mala. Ideo inquit dominus,Spiritus sanctus arguet mundum de peccato quòd non credunt in me. *Quomodo Deus arguit peccatum.*

39. Disertè autem dicitur: Spiritus sanctus arguet,quia Deus adest ministerio Euangelico, per uocem Euangelij est efficax ut conuertantur homines ad eum,Sicut scriptum est: Euangelium est ministerium Spiritus.

40. Vtrumq; igitur clamat uox diuina, Agite pœnitentiam, & credite Euangelio,utrunq; comprehenditur in iureiurando: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris,sed ut conuertatur & uiuat. Vtrunq; in hoc dicto Esai: comprehenditur: Ad quem respiciam,nisi ad adflictum & trementem sermones meos. Agnoscentes igitur ueram & horribilem iram Dei aduersus peccata quam ostendit & in uoce Euangelij, & in tristissimis exemplis pœnarum in Ecclesia & alibi,quia iudicium à domo Dei incipit,expaueſcamus & clamemus ad Deum,Conuerte me & conuertar. In hoc uero dolore confugientes ad filium Dei Mediatorem,& Fide accipientes remissionem & reconciliationem discent intelligere hanc uocem Pauli: Iustificamur gratis, fide propter Filium quem posuit Deus propiciatorem.

41. Ibi intelligentur uocabula fidei,gratiæ, iustificationis, quorum intellectum & olim Monachi corruperunt, & nunc corrumpunt Anabaptistæ, & alij Enthusiastica iactitantes. *Quando intelligantur uocabula fidei, gratiæ iustificationis &c.*

42. Semper aduersantur ueræ sententiæ de iusticia fidei, duo genera hominum,Pharisæi & Enthusiastæ, Pharisæi contendunt disciplinam suam esse merita remissionis,& iusticiam coram Deo sicut Pelagiani,Papistæ, Monachi docent. Enthusiastæ uolunt excellere & dicunt se iustos sua nouitate & afflatibus. Hinc illa uetus definitio est δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος. Et nunc Funccius magis ineptè huc transfert definitionem Iurisconsultorum, iusticia est constans & perpetua uoluntas,suum cuiq; tribuens. Hæc dicta de legali iusticia,non congruunt ad dicta, Noticia serui mei iustificabit multos.Item,iustificati Fide pacem habemus erga Deum.

43. Certissimum est semper in conuersione,& in quotidiana consolatione primùm oportere accipi fide remissionem peccatorum, sicut Apostoli expressè dicunt: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius omnes qui credunt in eum.Item Ioh.3. Qui non credit in filium,ira Dei manet super eum.

44. De hac fide inquit Paulus ad Ephesios: Per quem audemus accedere in fiducia, per fidem eius.

45. Itaq; & significat fides fiduciam mediatoris ac misericordiæ promissæ propter mediatorem,&hac fide accipitur remissio peccatorum et reconciliatio

Osiandri error.

46. Quòd uerò inquit Osiander, peccata in passione Christi remissa esse, sed damnari non credentes, quia nondum habeant iusticiam essentialem, si existimat eos habere remissionem, horribilis furor est, & pugnat cùm hoc dicto, Qui non credit in filium,ira Dei manet super eum. Et modus iustificationis alius Enthusiasticus proponitur, extra hanc luctam qua in conuersione accipitur remissio, cum uniuersaliter hic modus in scriptura proponatur,ut in pœnitentia Dauid,Ezechiæ, mulieris meretricis,Publicani,Latronis, & magnæ multitudinis in actis Apostolorum. Et hic modus communis proponitur in dicto: Agite pœnitentiam,& credite Euangelio.Et in Psal. Dixi confitebor aduersus me in iusticiam meam Domino,& tu remittis iniquitatem peccati mei.

47. Fit hæc remissio propter Mediatorem, & simul est reconciliatio & imputatio iusticiæ propter Mediatorem. Fit autem cùm fide apprehenditur promissio in Euangelio proposita, qua fide cum eriguntur corda, & ex dolore inferorum retrahuntur,Filius Dei ipse uiuificat corda, dicens hanc consolationem in nobis uoce Euangelij,ostendens Patris misericordiam,& Spiritu sancto accendens lætitiam acquiescentem in Deo, inuocationem, dilectionem Dei & alios motus.

Liberatio hominis est Dei.

48. Nequaquam humana cogitatione aut humanis uiribus liberatur homo à peccato & à morte,sed hæc liberatio Dei opus est, qui nos recipit propter filium,& per eum uoce Euangelij & dato spiritu sancto nos uiuificat. Tres enim Personas in hac consolatione intueri nos oportet,sicut Paulus inquit 1. Corint: 15. Aculeus mortis Peccatum est,potentia peccati lex est,Deo autem gratia,qui dat nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Et rectè inquit Athanasius:Quandocunq; est in homine Spiritus sanctus,est in eo per uerbum, ac de Persona loquitur.

Verbum iustificandi quomodo intelligendum.

49. In uerbo iustificandi necesse est intelligi relationem, scilicet absolui à peccatis, seu reconciliari seu Deo acceptum esse ad uitam æternam. Sic enim Paulus loquitur, Iustificati Fide pacem habemus apud Deum. Item Roma. 5. Promiscuè utitur uerbis iustificati, & reconciliati, Iustificati sanguine ipsius. Item reconciliati sumus Deo per mortem. Et de hac reconciliatione anguntur perterrefactæ mentes,in sensu iræ Dei, Vbi etiamsi haberent iusticiam Angelorum,& nescirent se recipi,quid illa iusticia eis prodesset? Ideo edita est uox Euangelij,in qua annunciatur gratia. Et Rom. 5. dicitur: Gratia Dei & donum per gratiam,quæ est per unum hominem Iesum Christum, in multos exuberauit. Hanc gratiam,id est gratuitam reconciliationem cùm fide accipimus, habemus pacem erga Deum, id est,sumus accepti Deo propter Mediatorem, simul autem donamur per Filium Dei Spiritu sancto, regeneramur, uiuificamur & efficimur templa Dei.

50. Et

50. Etiam postquam renati sumus, tamen semper quærit mens quomodo placeat Deo, Et omnes Prophetæ fatentur se non placere propter propriam no uitatem, sicut Moises inquit: Innocens non est innocens coram te. Et Iob ait cap. 9. Verè scio, quòd non est homo iustus coram Deo. Et rursus: Timeo omnes dolores meos, Sciens quod non inuenis innocentem. Et Dauid: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens in Psal. 6. Saluum me fac propter misericordiam tuam. Ita sancti accedunt ad Deum, non fiducia suæ nouitatis, aut iusticiæ essentialis in ipsis, sed fiducia Mediatoris & Sacerdotis, qui æternum Patrem suo sacrificio placauit, & assiduè pro nobis interpellat, & clamat ad æternum Patrem: Dilectio tua qua me diligis sit in eis. Hac fide & deinceps sancti sunt iusti, id est, habentes remissionem, accepti Deo seu placentes.

51. Quantacunq; est Nouitas, obedientia Mediatoris & intercessio, anteferenda est illis ipsis actionibus Dei habitantis in te.

52. Nec turbemur præstigijs Sophismatum, cùm uociferatur Osiander, relatio nihil est nisi cogitatio, At iusticiam oportet rem aliquam esse in nobis. Plana & perspicua responsio est, Horribile est ita abijci gratiam Dei, quæ certè est relatio, Nec dicendum est relationem nihil esse, cùm sit adplicatio fundamenti ad terminum, Fundamentum huius imputatæ iusticiæ est, iusticia in filio Dei, quæ est uelle obedire Patri, ut dictum est Psal. 40. In cap. libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam, Deus meus uolo, & Lex tua in medio cordis mei. Et Ebræos 10. Qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Propter hanc filij obedientiam, cùm Deus remittit tibi peccata, & imputat iusticiam, remissio & imputatio non sunt ociosæ imaginationes, sed sunt ipse Deus remittẽs & imputans propter filiũ, ut scriptum est: Pater meus diliget eos. Hęc misericordia Dei erga nos propter filium promissa, prius agnoscenda est. Postea sequitur hoc quod Paulus inquit, Retecta facie claritatẽ Domini speculantes, in eandẽ imaginẽ transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu, id est, Vt Israëlitæ non ferebant fulgorẽ sparsum à facie Moisi, sic nostra corda non ferunt iram & iudicium Dei, sed cùm misericordia donata propter filium agnoscitur & fide apprehenditur, iam bonitas & præsentia Dei in ea consolatione sentitur, & transformamur, ut sit in nobis uera notitia Dei, & firma adsensio, quasi lux à uerbo in nos sparsa, & accendantur per Spiritum sanctum dilectio Dei & lætitia in Deo acquiescens, & alij tales motus qualis est ipse Spiritus sanctus. Hæc non fiunt nisi primum adprehensa misericordia per fidem, quæ nititur Mediatore Deo & homine.

Osiander refutatur.

53. Hanc doctrinam de Filio Mediatore uult Deus sonare in Ecclesia sua, & uult Ecclesiam suam discerni à cæteris hominibus, ac uult certò statui, Nequaquam esse electos ad uitam æternam eos, qui nunquam fiunt membra Ecclesiæ in hac uita mortali, iuxta dictum: Quos elegit, hos & uocauit.

54. Vult & exaudiri & conspici Ecclesiam in genere humano, iuxta dictum: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et rectè definitur Ecclesia uisibilis in hac mortali uita. Ecclesia uisibilis, est cœtus uisibilis hominum amplectentium Euangelium sine corruptelis, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu filius Dei est efficax per ministerium Euangelij, & multos regenerat ad uitam æternam; suntq; in eo cœtu multi non sancti in hac uita mortali, qui tamen de doctrina cum rectè sentientibus consentiunt.

Signa Ecclesiæ.

55. Signa per quæ agnosci Ecclesia potest, sunt uox Euangelij incorrupta, legitimus usus Sacramentorum, Ministerium ipsum rectè docens & obedientia ministerio iuxta Euangelium debita.

56. Quanquam autem magnæ sunt generis humani & politiarum confusiones, tamen sciamus certò filium Dei inter ipsas ruinas imperiorum conseruaturum esse Ecclesiam, donec resuscitabit mortuos, & iudicabit totum genus humanum, iuxta hæc dicta, Matth: 24. Sicut in diebus Noha, ita erit aduentus filij hominis. Vnus adsumetur & unus relinquetur.

57. Idem profitemur & in articulo Symboli: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, Sanctorum communionem.

58. Hac nos consolatione sustentemus, & sciamus mandatum Dei esse immutabile, ut singuli se ad ueram Ecclesiam adiungant, iuxta hæc dicta: Vnum petij à Domino, hoc requiro, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Item, Beati qui habitant in domo Domini &c.

Fundamentum ueræ Ecclesiæ.

59. Et oportet Ecclesiam ueram retinere fundamentum, id est, articulos fidei, etiamsi alij aurum alij stipulas supra fundamentum extruunt, ut erat in Apostolis quoq; infirmitas & caligo. Sed infirmi sint dociles.

60. Nequaquam pendet Ecclesia à successione ordinaria Episcoporum, ut nominant, sed de omnibus tenenda est regula, qui uel totum Euangelium, uel aliquos Euangelij articulos delere conantur. Si quis aliud Euangelium docet Anathema sit.

61. Hæc consolatio pijs necessaria est. Etsi enim dolorem adfert seiunctio ab Episcopis, & à magna multitudine retinentur errores & idola, tamen scimus necessarium mandatum esse: Fugite idola. Cumq; Papa, & plurimi Episcopi, pertinaciter propugnent idola, & errores pugnantes cum Euangelio, sciamus eos nequaquam esse membra Ecclesiæ. Interea uerò tamen à Filio Dei seruari Ecclesiam & ministerium Euangelij, iuxta dictum Ephe: 4. Dat dona hominibus Pastores & Doctores.

Discrimen regum Christi in hac & altera uita.

62. Etsi regnum filij Dei æternum est, tamen discrimen est inter modum regni in hac uita, & uentura, de hoc discrimine inquit Paulus: Tradet regnum Deo & Patri, quasi dicat, Nunc regnat filius, cuius propria officia sunt, patefacere promissionem, conseruare ministerium Euangelij, efficacem esse per ministerium Euangelij, colligere æternam Ecclesiam, uiuificare credentes uoce Euangelij, & dare eis Spiritum sanctum, protegere eos in hac uita, & resuscitatos adducere ad æternum Patrem. Postea Deus regnabit ita, ut conspiciatur non per ministerium Euangelij, sed qualis est ipsius essentia. Et agnoscet Ecclesia se accepisse hæc omnia beneficia per filium, qui ideo adsumsit humanam naturam, ut hæc beneficia nobis præstaret, & semper erit summa Persona in genere humano.

PROPOSITIONES DE QVIBVS DISPVTAVIT

Vir reuerendus M. Henricus Sthenius Munderus, Vocatus ad gubernationem Ecclesiarum in ditione Illustriss. Principis Erici, Ducis Brunsuicensis. Die conuersione Pauli anno 1554.

NON casu hæc pulcerrima rerum natura ex Democriti atomis confluxit, Sed ipse ordo corporum Mundi, & in mentibus humanis, noticia ordinis & discrimen honestorum & turpium, & dolor in corde uindex scelerum, Item

conſeruatio ſpecierum, ſocietas humana, publicæ pœnæ homicidarum & aliorum, Et alia multa, ſunt illuſtria teſtimonia de Deo, & de prouidentia, quæ uult Deus reuerenter aſpici, ut nos de ipſo commonefaciant, Rom. 1.

2. Sed miranda bonitate addidit Deus his ordinarijs operibus alia teſtimonia, uidelicet miracula, id eſt, extraordinaria opera, in quibus ſe patefecit & & tradidit ſuam doctrinam, Legem et Euangelium, ut Eccleſiam æternam in genere humano colligat: uult enim habere creaturas quibus ſe communicet, & in quibus ſua lux, ſapientia, & iuſticia fulgeant ſine fine.

3. Has patefactiones uult præcipuè aſpici Deus & audiri ſuam uocem, iuxta dicta: Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Item, Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Item, Poſtquam Deum in ſapientia non nouit mundus per ſapientiam, placuit Deo per ſtultam prædicationem ſaluos facere credentes.

4. Itaq; ne totum genus humanum periret, miſſus eſt filius Dei, qui edita promiſsione Euangelij ſtatim poſt lapſum cepit colligere Eccleſiam ſuam. Et hanc deinceps mirabiliter inter Diabolorum & hominum furores, & inter Imperiorum tumultus, ſeruauit, & ſæpè attenuatam reſtituit, & ſeruabit in hac mortali uita, donec uniuerſam poſt reſuſcitationem ex morte collectam ornabit æterna gloria, tradens regnum Deo Patri, id eſt, non iam regnans per miniſterium Euangelij, Sed coràm oſtendens patrem, qui immediatè conſpicietur, & erit omnia in omnibus, id eſt, uiuificabit eos æterna uita, & donabit eis lucem, ſapientiam, iuſticiam, quæ erit ſine peccato.

5. Cùm autem de Eccleſia, quæ colligitur in hac uita, loquimur, non imaginamur Ideam Platonicam, ſed nominamus Eccleſiam, quæ & exaudiri poteſt in genere humano, & conſpici, & diſcerni ab omnibus alijs gentibus & ſectis, iuxta dictum: In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Eccleſia.*

6. Exaudiri & conſpici Eccleſia potuit tunc quoq;, cùm diſſipata & exigua eſſet, & non eſſet Imperio diſtincta à cæteris gentbus, ut cum Abraham, Iſaac, Iacob uagarentur in exilijs, & poſtea cum Iudæi diſsipati exularent in Chaldæa & Perſia, Item cùm in ipſa Iudæa regnarent Impij Sacerdotes & Phariſæi. Erant enim aliquæ reliquiæ uera Eccleſia, ut Zacharias, Simeon, Ioſeph, Eliſabeth, Maria, ſoror Mariæ Hanna, & alij multi, qui horum doctrinam amplectebantur.

7. Eſt igitur Eccleſia uiſibilis, cœtus uiſibilis amplectentium Euangelium ſine corruptelis, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu filius Dei certò efficax eſt per miniſterium Euangelij, & multos ad uitam æternam regenerat, Et tamen ſunt in eo cœtu ſimul in hac uita multi non ſancti, ſed de doctrina conſentientes.

8. Huius uiſibilis Eccleſiæ membra fieri oportet in hac uita omnes Electos, iuxta dictum: Quos elegit, hos & uocauit. Et mandatum diuinum eſt, ut ſe omnes homines ad ueram Eccleſiam adiungant, iuxta hæc dicta, Pſalmo 26. Vnum hoc petij à Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ, ut uideam uoluntatem Domini, & uiſitem templum eius. Et Pſalm 25. Odi Eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo. Pſalm. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine. Pſalm. 102. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri florebunt.

Signa ueræ Ecclesiæ.

9. Vt igitur adiungere se singuli ad ueram Ecclesiam possint, signa discernentia eam à cæteris considerentur, quæ sunt, uox Euangelij incorrupta, legitimus usus Sacramentorum, & obedientia populi erga ministerium Euangelij, de qua Paulus inquit: Non sint inter uos schismata.

10. Nec pendet Ecclesia à successione ordinaria Episcoporum, sed necesse est regulam teneri: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Cumq; manifestum sit, Romanum Episcopum & Episcopos cum eo coniunctos pertinaciter propugnare idola & impiam doctrinam, & ad hanc pertinaciam addere sæuitiam, necesse est ab eis dissentire & ostendere ueram confessionem.

11. Nec similitudo rituum, qui ab hominibus instituti sunt, ad unitatem Ecclesiæ necessaria est, iuxta dictum ad Colos. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei festi &c.

12. Hæc tota doctrina de Ecclesia sæpè cogitanda est, præsertim cum confessionem in Symbolo coram Deo & coram Ecclesia recitamus: Credo esse sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. Hîc consolatio teneatur, quòd certum est esse & seruari Ecclesiam à Filio Dei, & doctrina consideretur, quæ sit Ecclesia, & circumspiciant mentes atq; oculi ubi sit, ut te eam adiungas confessione & inuocatione, sicut dicitur in Psalmo 149. Laus eius in Ecclesia sanctorum.

Stenckefeldius.

13. Edidit Stenkefeldius scripta, in quibus atrocissimè accusat & Papisticos cœtus, & Ecclesias nostras, & cum ipse uelut tectus orci galea hæc edat latitans, nullam monstrat Ecclesiam, & falsa dogmata comminiscitur. Cùm autem alicubi homines pij turbentur eius præstigijs, necesse est confirmare pios in Ecclesijs rectè institutis, & refutare eius errores.

14. Vt si quis reti uentos uenari conetur, ita fit in refutandis Sophistis. Semper inueniunt, quà euadant. Ideo difficilia nunc sunt certamina. Sed piæ mentes sint dociles, & agnita ueritate non faciant sibi noua uulnera, uerum obtemperent Deo, & in uera lætitia & gratitudine eum celebrent, sicut scriptum est: Si non credetis, non eritis securi.

15. Cùm toties uociferetur Stenkefeldius homines conuerti, renasci, consolatione erigi, sanctificari Deo agente in cordibus sine medio, nec ministerium Euangelij seu cogitationem scripti uerbi medium esse, per quod agat Deus, miratus sum, cur sentiat traditam esse externam uocem, & tantis testimonijs institutum, confirmatum & mandatum esse ministerium Euangelij.

Stenckfeldij sententia de ministerio Euangelij.

Hîc breuissimè respondet, Ideo externum ministerium institutum esse, ut homo exterior habeat occupationem aliquam, qua & hæc pars Deo seruiat, sicut abstinentia à suilla carne fuit tantùm occupatio exterioris hominis. Hanc impiam & fanaticam imaginationem necesse est taxari & damnari, quia & multas falsas opiniones continet, & penitus abolet uera exercitia fidei & inuocationis.

16. Prius autem adseuerationem nostram perspicuis testimonijs confirmemus. Adfirmamus Deum trahere, conuertere, regenerare, consolari, sanctificare homines per medium ab ipso traditum, scilicet per Euangelij uocem, auditam seu lectam & cogitatam. Et propter hanc tantam causam institutum est ministerium Euangelij, ut sit medium, quo Deus sit in nobis efficax. Et per Euangelij cognitionem Deus conuertit homines & non aliter.

Medium quo Deus conuertit.

17. Testimonia hæc sint in conspectu.

Rom: 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et loqui Paulum

Paulum de externa uoce manifestum est ex cap. 10. ad Roma. Quomodo credent, nisi audierint? Quomodo audient sine prædicante?

Rom. 15. Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Vult Paulus deduci corda ad hanc uocem in scripturis traditam. Hanc uult fide accipi, & ita nos acquiescere adsentientes huic uoci, ac si audiremus nouam de cœlo uocem inter noua & illustria miracula. Hæc exercitia fidei & inuocationis pij intelligunt.

2. Corinth: 3. Euangelium est ministerium spiritus, id est, per quod est efficax Deus. Iam si esset tantùm occupatio externi hominis, ut Stenckfeldius inquit, non esset ministerium Spiritus.

2. Corin: 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo adhortante seu consolante per nos. Sicut & 1. Corint: 3. dicitur, θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοι.

2. Corint: 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destruendam omnem altitudinem, quæ attollitur contra cognitionem Dei, & ad captiuandas omnes cogitationes ad obedientiam Christi.

Iohan. 17. Sanctifica eos in ueritate tua, Sermo tuus est ueritas.

Psalm. 118. Hæc est consolatio mea in adflictione mea, eloquium tuum uiuificat me.

Psalm. 129. Expectauit Dominum, expectauit anima mea, & in uerbo eius speraui.

18. Sed respondet Stencfeldius, Sanctifica uerbo, scilicet ipso filio Dei. Nec nos sola humana cogitatione scripti uerbi dicimus fieri uiuificationem & sanctificationem, sed adfirmamus filium Dei λόγον efficacem esse cogitatione uerbi scripti, & colligere æternam Ecclesiam externo ministerio, & ostendere credentibus uoluntatem æterni Patris, & per Spiritum sanctum accendere in eis lætitiam & inuocationem, & alios motus congruentes cum Deo. Quare ad Ephe: dicitur, mitti à filio doctores, ut ædificetur corpus Christi. Et eodem modo de filio & externo ministerio simul concionatur Salomon, inquiens de filio: Et fui cum eo artifex, & deliciæ quotidianæ ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terræ suæ, & delectationes meæ cum filijs hominum. Ludit in orbe terræ, ostendens mirandam sapientiam Dei in ordine creationis, item in miranda gubernatione & liberationibus Ecclesiæ, cum profert uocem promissionis ex sinu æterni patris, & tradit eam primis parentibus, & retrahit eos ex morte, cùm seruat Ecclesiam in diluuio, in mari rubro &c. Hanc eandem sapientiam inquit Salomon clamare in portis & plateis. Ita significat regi Ecclesiam à filio Dei per ministerium Euangelium.

19. Expressè autem dicit Stenkefeldius pag. 111. Fides iustificans non est ex concione, sed ex Deo, Deinde citat dictum Cyrilli, Deum dare sese non per medium, ubi Cyrillus excludit media non ordinata à Deo. Sed uult Deus audiri & cogitari uerbum scriptum, & in hac cogitatione dat sese credenti, sicut in ueris consolationibus res ipsa ostendit. Et dictum est: Fides ex auditu est &c. ac docendæ sunt mentes, ut uerbo scripto adsentiantur, nec sine uerbo scripto quærant alias illuminationes, ut Enthusiastæ, & multi similes, & recens Anabaptistæ somniarunt. *Stencfeldij error.*

20. Multi sunt labyrinthi in Stenckefeldij scriptis, ait Deum se non dare per uerbum, & tamen ait per ministros Euangelij dari Spiritum sanctum, si tamen ipsi habeant SPIRITVM sanctum. Et ait conciones aliorum, qui

non sunt sancti, utiles esse. Hæc Donatistica etiam reijci necesse est.

Natura humana in Christo. 21. Toties contendit naturam humanam in Christo non esse creaturam postea addit interpretationem, se loqui de glorificatione naturæ. Nos dicimus naturam humanam non amissam esse glorificatione, quanquam accesit excellens & ineffabilis gloria, immortalitas, conspectus essentiæ diuinæ & lætitia superans omnium beatorum dona, Impassibilitas, Regnum & Sacerdotium, quia hæc persona quæ est Deus & homo colligit Ecclesiam, defendit & seruat, & pro ea semper intercedit, depellit Diabolos & iudicat mundum, neq; tamen facienda est confusio naturarum, neq; abiectio alterius naturæ.

22. Rectè docet Synodus Ephesina, una Latria inuocari dominum nostrum Iesum Christum Deum & hominem, qui adsiduè pro Ecclesia intercedit, & eam colligit, protegit, seruat, & saluabit.

23. Reprehendit Stenkefeldius & hoc dictum in Ecclesijs nostris, quòd impossibile sit homines in hac uita mortali, legi Dei satisfacere. Hoc dictum expressè traditum est Rom. 8. Et in multis alijs sententijs, Et notæ sunt explicatissimæ & planissimæ distinctiones nostræ de Lege. Non renati possunt aliquo modo externa legis opera facere. In Renatis uerò est incoata obedientia etiam interior. Sed nequaquam est perfecta legis impletio. Ideo dicitur in Psalmo. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

24. Cumulat & alia falsa crimina multa, Sed manifesta calumnia est, quòd uociferatur, non doceri doctrinam de noua obedientia in nostris Ecclesijs. Dissentit autem de Iustificatione, quia contendit homines iustos esse propter nouam obedientiam, quæ in eis incoatur, cui tribuit etiam Osiander nomen iustitiæ essentialis & alias Enthusiasticas adpellationes.

25. Etsi autem illa fanatica grandiloquentia turbat multos, tamen sciamus talia sẽper fuisse & fore in Ecclesia certamina, & nos perspicuis testimonijs Prophetici & Apostolicis muniamus, sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis uerbum tuũ. Deinde aspiciamus nos quoq;, quid in uera inuocatione & in consolatione fiat. Sæpè iactitat Stencfeldius suos Enthusiasmos. His opponamus ueros dolores in conuersione seu pœnitentia, & ueras consolationes, quę fiunt fide. Hi motus noti sunt omnibus pijs, & concionari de eis uocem diuinam manifestum est.

26. Nequaquam dicunt Ecclesiæ nostræ iustos esse eos, qui securi, & sine pœnitentia uiuunt, ebrij uoluptatibus aut fascinati hypocrisi & erroribus, aut indulgentes cupiditatibus contra conscientiam. Sed adfirmamus in uoce diuina seueriss ima præcipi conuersionem seu pœnitentiam, & scimus in conuersione ueros dolores esse oportere, ut in Ioel scriptum est: Scindite corda uestra, & conuertimini ad Dominum Deum uestrum. Item, Spiritus arguit mundum de peccato, quod non credunt in me. Horrendæ tenebræ sunt in genere humano, retinere idola, aut Epicureas opiniones, & non uelle audire filium Dei &c. Esaiæ ultimo: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu & tremente sermones meos.

Iustificatio. 27. Tales in quibus sunt initia pœnitentiæ, iustificantur sola fide in Christum, id est, accipiunt remissionem peccatorum et reconciliationem seu imputationem iusticiæ, & uiuificantur per filium Dei, & donantur Spiritu sancto, & fiunt hæredes uitæ æternæ gratis propter filium Dei, non propter propriam dignitatem.

28. Hac

28. Hac fide in mente agnoscente filium Dei misericordiam promissam propter ipsum accedit cor ad Deum, & acquiescit ac lætatur in Deo, sicut scriptum est Rom. cap. 5. Iustificati fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus fide in gratiam hanc. Et Ephe:3. Per quem audemus accedere confidenter, per fidem eius. Idem prorsus docent Prophetæ Psalmo 6. Anima mea turbata est ualde. Et tu Domine usquequo? Saluum me fac propter misericordiam tuam. Et Daniel inquit: Non in iustitia nostra, Sed misericordia tua propter Dominum exaudi nos.

29. Hæc fides accenditur audita uoce Euangelij, cum qua filius Dei λόγος æterni Patris, ostendens uoluntatem patris & colligens Ecclesiam, efficax est in corde, & dat Spiritum sanctum, qui lætitiam & inuocationem in nobis excitat, ac fit regeneratio sicut 1. Petri 1. dicitur: Regenerati per uerbum uiuum Dei & manens in seculum.

30. Sed tamen regeneratus est iustus, id est, habens remissionem peccatorum & placens Deo hac fide, quæ statuit nos propter obedientiam Mediatoris per misericordiam recipi & placere. Sic accedit ad Deum fide, intuens Mediatorem, & eius obedientiam & intercessionem. Sic ad Deum accedunt Prophetæ, ut Dauid inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Sed beati quorum remissæ sunt iniquitates. Hanc consolationem teneas inter tam uarios opinionum tumultus. Non errabis, cùm sic inuocabis Deum, sicut inuocant Prophetæ.

31. Et quanquam sunt accensi noui motus in corde, tamen in infinitum anteferenda est obedientia Mediatoris sanctificationi, quæ fit in nobis. In hac consolatione deducit nos Paulus ad obedientiã Mediatoris, & intercessionem, quis est qui condemnet? cùm Christus mortuus sit, & sit in dextra Dei, & intercedat pro nobis. Et certè semper primùm petenda est remissio peccatorum & reconciliatio. Hæc uera, certa & perspicua sunt, iuxta testimonia in scriptis Propheticis & Apostolicis, & iuxta exercitia omnium piorum in Ecclesia.

32. Has ueras & salutares consolationes non sinant sibi excuti homines pij ullis Sophismatum præstigijs, nec contemnant ministerium Euangelij, nec abduci se ab Ecclesijs rectè docentibus sinant per homines πτυφωμένους, & errones, qui splendidis uerbis iactitant religiones Angelorum, & neq; corpus doctrinæ integrum tradunt, neq; quid sentiant audent exponere. Sed tantùm aliorum dicta reprehendunt, neq; prodeunt ipsi ex latebris, neq; suam Ecclesiam ostendunt, & sciunt plausibilem esse uituperationem Ecclesiarum nostrarum apud multos, qui uolunt esse Pyrrhonij, & non curant dictum ad Ebræos 10. Non deserentes congregationem nostram.

33. Taxat Stenkefeldius etiam quædam horridiora dicta de Stoica necessitate, quæ non sunt in confessione communi harum Ecclesiarum, Sed alibi in priuatis scriptis sparsa sunt, de quibus breuiter respondemus, nos doctrinam, quæ in communi confessione harum Ecclesiarum extat, amplecti & reuerenter profiteri, nos esse, & Deo iuuante mansuros esse ciues harum Ecclesiarum iuxta communem confessionem earum quæ extat, nec disputare nos iam de priuatis scriptis, Quanquam non facit candidè Stenkefeldius, quòd eò etiam criminatur, quos scit illa Stoica fideliter refutasse. *Stoica necessitas.*

34. Ne-

34. Necessaria diligentia est considerare,qui sint hostes ueræ Ecclesiæ, & munire pios contra corruptelas sicut scriptum est : Cauete à Pseudoprophetis. Papistæ stabiliunt sua Idola, Missam in quæstum collatam inuocationes mortuorum, Monachorum hypocrisin & multas falsas opiniones, de peccato, de iusticia,de Ecclesia,de cultibus humana autoritate institutis Anabaptistæ uagantur spreto ministerio,& circumferunt magnum Chaos fanaticarum opinionum,& damnant totum politicum ordinem, nunc & Samosateni furor renouatur scriptis Serueti, recens iterũ editis & auctis,in quibus cum alia falsa dogmata traduntur,tum uerò maxima contentione oppugnatur doctrina Symboli Niceni de filio Dei & de spiritu sancto. Sæpè uociferatur Seruetus nos Latinam uocem Personæ acutè intelligere,dici tres Personas, ut in scena, quia unus & idem qui nominatur Pater alias aliter se ostenderit.

Pseudoprophetæ.

Seruetus.

35. Sed nos,ut & confessio harum Ecclesiarum piè adfirmat, Symbola, Apostolicum,Nicenum,& Athanasianum constanter retinemus,& congruere ea cum scriptis Prophetícis & Apostolicis non dubitamus.

36. In dicto Ioh. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος,adfirmamus λόγον intelligendum esse filium,qui est integra & coæterna imago æterni Patris ἀϊδίως, & ὁμοδόξου τῷ ἀϊδίῳ πατρί, qui quidem semper adfuit Ecclesiæ,ut & Irenæus loquitur.

λόγος.

37. Et ipse inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum,Et de hoc filio iudico loqui senem Iacob cap. 48. Gene. cum ait : Deus coram quo ambulauerunt Patres mei,Abraham & Isaac. Deus qui pascit me ab adolescentia usq; ad hunc diem,Angelus qui eripuit me ex omnibus malis.Sic & in Michea dicitur: Egressiones eius ante dies mundi.

38. Est autem integra & substantialis imago patris,καὶ ἀπαράλλακτος,Et λόγον ideo dici scripserunt ueteres,quia cogitatione nascitur, Sed rectè sic dicitur, quia nobis sic patefactus est,quòd per eum dictum est decretum de ordine creationis,& reparationis humani generis,& quòd profert ex arcano sinu æterni Patris Euangelij uocem alloquens primos parentes,& deinceps Prophetas, & colligit Ecclesiam æternam,& est efficax per ministerium Euangelij.

39. Ecclesia Latina aliter usa est nomine Personæ quàm uetus lingua, græcis uocabulum ὑπόστασις magis proprium & perspicuum est.Et definitio tradita est à scriptoribus in Ecclesia, Persona est subsistens indiuiduum intelligens, incommunicabile,non sustentatum in alio.

Persona.

40. Tanta cùm sint certamina,oro ipsum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos,ut nos gubernet,& copulet mentes & corda plurimorum in nostris Ecclesijs, ut unum simus in ipso, & sicut in Daniele scriptum est, in tantis prælijs stet pro filijs populi sui & adiuuet nos, nec sinat extingui lucem ueritatis.

41. Nihil hęc curæ sunt Papistis,qui sua idola propugnant, docent Inuocationem creaturarũ absentiũ, quæ horribiliter obscurat Inuocationẽ filij Dei.

Maozim.

42. Et colunt Maozim auro & argento, Neruus est enim potentiæ & opum Pontificiarum opinio,quòd missa mereatur remissionem peccatorum, & omnia bona ijs pro quibus fit. Cùm autem multiplex sit Idolorum cultus, in missa Papistica, necesse est obedire huic dicto : Fugite Idola, Nec ullus ritus habet rationem Sacramenti, ut in Ecclesia loquimur,nisi in ipso usu qui diuinitus institutus est.

43. Disca-

43. Discamus doctrinam de uera inuocatione, & tueamur ueræ Ecclesiæ societatem & coniunctionem, etiamsi est aliqua membrorum dissimilitudo, quę tamen de fundamento uerè consentiunt, & simus uigilantes in uitandis idolis, & fanaticis opinionibus. Semper Ecclesiam præcipuè duo genera hostium exercuerunt, Ab una parte Pharisæi sequentes rationis humanæ imaginationes. Ab altera autem parte fanatici homines qui & Enthusiasmos iactitarunt, quales ipsi audiuimus aliquot Anabaptistas gloriari, quorum uanitatem postea tristissimi euentus ostenderunt. *Duo genera hostium Ecclesiæ.*

44. Omnes pij suam inuocationem cogitatione discernere debent ab Ethnica & omnium aliarum sectarum inuocatione. Necesse est igitur intueri Deum patefactum illustribus testimonijs in Ecclesia, & cogitare editas promissiones sicut Iacob precatur: Deus patrum meorum Abraham, & Isaac, id est, qui te patefecisti illustribus testimonijs meis patribus & tradidisti eis hanc promissionem. Et postea dicit Ecclesia, Deus pater domini nostri Iesu Christi, & cogitationem promissionis adfert ad Deum, Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Ita & in inuocatione mens cogitans quem Deum, ubi patefactum, & distinctum à commentitijs numinibus inuocet, intuetur scripta Prophetica, & simul promissionem cogitat, ut fides accendatur. Hæc exercitia inuocationis norunt omnes pij.

45. Quare nemo sinat se abduci à cogitatione scripti uerbi & à ministerio Euangelij propter grandiloquentiam Stenkefeldianam, Sed Pauli uocem audiamus, qui ait: Sermo Dei habitet in uobis abundè in omni sapientia, & docete & commonefacite uos mutuo. Vbi loqui eum de externa doctrina testantur hæc uerba, quòd iubet ut alij alios doceant, item postea mentionem facit Psalmorum. Simul autem sciamus uerissimum esse, ubi uox Euangelij fide accipitur, ibi uerè filius Dei λόγος in corde est efficax, ostendit patris uoluntatem, & dat Spiritum sanctum, qui in corde lætitiam, & inuocationem accendit. Hæc in quotidiana inuocatione & consolatione discuntur, unde & ueræ Ecclesiæ testimonia aduersos homines fanaticos sumi possunt. Oro autem filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, ut sicut in agone precatus est, Pater dilige eos ea dilectione qua me diligis, ita pro nobis quoq; semper precetur, & nos doceat & gubernet, Amen.

EX SECVNDA ORATIONE NAZANzeni de Filio Dei.

ἀλλὰ ὧδέ τας τὰς γραφὰς ἑλληνικῶς δοκῶ μοι λεγεσθαι, ὡς μὲν, ὅτι θεὸς πάντι κατ' οὐσίαν μία, ὁμόδοξον ἔχει, λόγος δὲ ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος· διὰ δ' ἀπαθὲς τῆς γνώσεως, καὶ ἀξιαγγελτικόν, δύναμις δὲ ὡς σωτηρικὸς τῶν γνωμῶν, καὶ πλὴν ἡ σωτερεσθαι ταῦτά χορηγὸν δύναμιν. *Filij Dei Appellationes.*

PROPOSITIONES DE QVIBVS RESPONDERVNT, Magister Georgius Æmylius Mansfeldensis & Simon Musæus, & M. Petrus Prætorius Cotbusianus. Anno 1554. die quinto Maij, quo ante annos 1520. Filius Dei admirando triumpho spectante magno cœtu Apostolorum & Discipulorum in Cœlum ascendit.

IN

nuocatio Dei. IN omni uera inuocatione Dei cogitandum est quid alloquamur,& quem Deum, ubi patefactum inuocemus, & qualis sit, an & quare exaudiat, & segregranda est inuocatio nostra in Ecclesia ab Ethnica & ab alijs, & cogitatione discernenda est uera Ecclesia ab alijs Sectis. Quare & gratis mentibus intuendæ sunt patefactiones diuinæ, & hic uerus Deus inuocandus est, qui se patefecit misso Filio,& edita lege,& edito Euangelio,Sicut inquit Dominus: Quidquid petetis Patrem in nomine meo,dabit uobis. Item, Nemo uenit ad Patrem, nisi per Filium &c.

Personæ Diuinitatis. 2. Hîc cùm discernantur Personæ,necesse est intelligi, & quid sit hoc loco Persona, & quare tres nec plures, nec pauciores agnoscendæ sint. Vt igitur in Ecclesia loquimur, Persona est substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis,non sustentata in alio. Græci magis perspicuè dixerunt hypostasin, seu ἐνυπόστατον. Nam hoc queritur, An λόγος ante natiuitatē ex uirgine sit imago eterni Patris ἐνυπόστατος, aut euanescens cogitatio,seu uox,aut propositum,non uiuum,non intelligens? Item An πνεῦμα sit ipse Pater mouens,seu motus creatus,aut an sit agitatio,seu flamma ἐνυπόστατος, uiua & intelligens?

3. Talis est autem essentia diuina, Sapiens,& uolens talia, qualia præcipit in lege, & misericors,sicut se in Euangelio patefecit. Et sciamus essentiam diuinam distinguendam esse ab omnibus creaturis, & repudiandas esse Philosophicas imaginationes, quæ fingunt Deum esse ἐνδελέχειαν infusam omnibus creaturis, ita, ut sine his non possit esse. Sed adest creaturis liberrimè,sicut uult,& quatenus uult,ac pia cogitatione discernamus Deum ab omnibus malis & immundis naturis,id est, quarum uoluntas non congruit cum ordine qui in Lege proponitur.

4. Et mens alloquens Deum conditorem,cogitet æternum Patrem domini nostri Iesu Christi,patefactum uoce sua,ut in baptismo Christi & alibi,& cogitet ipsum Filium, imaginem καὶ λόγον æterni Patris, patefactum in promissionibus, & in adsumta humana natura & miraculis, & Spiritum sanctum patefactum in Pentecoste & alibi Deinde sciat λόγον esse Personam missam ad Ecclesiam ab initio,& protulisse Euangelium ex sinu æterni patris, & semper adfuisse Ecclesiæ pro ea deprecatum esse,& adsumta humana natura,placasse iram æterni Patris, & propter hunc Mediatorem Deum & hominem, nos certò accipere remissionem peccatorum, & reconciliationem & exaudiri, ac nunc quoque Sacerdotem esse hunc Filium conseruantem ministerium Euangelij,& colligentem ac seruantem Ecclesiam sua potentia, & interpellantem pro nobis, & uoce Euangelij dicere eam consolationem & monstrare Patrem,& per eum dari Spiritum sanctum in corda, qui lætitiam & inuocationem exuscitat, ut Paulus inquit: Misit Deus Spiritum Filij sui in corda.

5. Hæc inuocatio fuit nota Patribus,ut scriptum est: Abraham uidit diem meum & lætatus est. Intelligebant enim traditam promissionem de Gratia & de bonis æternis.

Latomus. 6. Quare Latomus Louanicnsis impiè scripsit, non aliam fuisse noticiam Dei in Abraham,quàm qualis fuit in Xenophonte & Cicerone. Talis confusio Ecclesiæ & Ethnicorum execranda est.

Thammerus. 7. Execranda est etiam confusio quam Thammerus facit, qui semper ait notum fuisse omnibus gentibus Christum, quia Lex nota fuit. Et his præsti-

gijs

gijs suam impietatem confirmare conatur. Cum Paulus ad Romanos dicat, Potentiam Dei notam fuisse gentibus, Christus autem nominetur potentia Dei ad Corinthios, sequi Christum notum fuisse. In hoc argumento non uidet Paulum ad Romanos loqui de potentia ostensa in opificio creationis. Ad Corinthios uerò nominatur Christus, Potentia non solius creationis, sed reparationis & saluationis hominum.

8. Execranda est & Samosateni & Serueti impietas, similis Mahometicæ, qui negant in hoc dicto, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, oportere intelligi, τὸν λόγον Personam esse seu ὑφεστάμενον. Damnandus est & Arius, qui negat Filium esse ὁμοούσιον Patri. *Samosatenus Seruetus. Arius.*

Sint igitur nota discrimina Personarum, & in inuocatione cogitentur. Pater æternus est prima persona diuinitatis, neque nata aliunde, neque aliunde procedens, neque creata, sed quæ ab æterno Filium genuit, imaginem suam, & unà cum Filio & Spiritu sancto condidit omnes creaturas, & conseruat earum substantias. *Discrimina Personarum in diuinitate.*

9. Filius æternus est secunda persona diuinitatis, non creata ex nihilo, sed à Patre ab æterno genita, de ipsius substantia, & est substantialis & integra Imago æterni Patris, ὁμοούσιος Patri, quam Pater sese intuens & considerans gignit, quæ nobis sic manifestata est, quòd sit λόγος, ac persona per quam Pater dicit decretum, & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & quòd hic Filius missus immediatè patefecerit Euangelium, & adsumserit humanam naturam, & sit Mediator, Redemtor & saluator, colligens Ecclesiam in genere humano, & resuscitans eam ad uitam æternam.

10. Spiritus sanctus est Persona tertia diuinitatis, procedens ab æterno Patre & Filio, & ὁμοούσιος eis, & est amor & lætitia substantialis, & mittitur uoce Euangelij in corda credentium, ut adsensionem in eis confirmet & accendat motus congruentes Deo, & excitet Inuocationem, & lætitiam in Deo acquiescentem.

11. Filius nominatur λόγος non tantùm respectu Patris, quia cogitatione nascitur, sed etiam ideo, quia nobiscum loquitur, profert arcanum & admirandum decretum de nostra salute ex sinu æterni Patris, sustentat ministerium Euangelij, & ei adest, est efficax per uocem Euangelij, monstrat in cordibus æternum Patrem, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uolet Filius reuelare. Et per eum datur Spiritus sanctus, ac rectè dictum est ab Athanasio: In quocunque homine dicitur esse Spiritus sanctus, in eo est per uerbum. Lætari in Deo, & in eo acquiescere, & eum inuocare, motus sunt quos antecedit uera Dei noticia, & agnitio misericordiæ per Filium ostensa.

12. Nec potest fieri uera inuocatio, nisi beneficia Mediatoris nota sint, & fide, id est, fiducia Mediatoris corda ad Deum accedant, sicut scriptum est: Quomodo inuocabunt, nisi credent? Et Ephesios 3. Per quem audemus accedere in fiducia, quæ est per Fidem in ipsum. *Inuocatio uera quomodo fiat.*

13. Necesse est igitur scire discrimen Legis & Euangelij, in quo admirandum decretum de remissione peccatorum, de restitutione naturæ humanæ, & de iusticia æterna patefecit per Filium, qui missus est, & ut sit Angelus huius magni consilij, & ut sit Mediator, Redemtor & Saluator, merito & efficacia, quem utinam rectè agnoscamus, & læti in tota æternitate celebremus. *Discrimen Legis & Euangelij.*

14. Cùm de Lege cogitamus, ualde impediuntur omnes homines puerilibus imaginationibus in hac noſtra infirmitate, ut magnitudinem & amplitudinem huius Diuinæ ſapientiæ non ſatis conſideremus, Sed quaſi Solonis aut Decemuirales tabulas aſpicientes, exiſtimemus Legem Dei, tantùm huius politicæ conſuetudinis carcerem & mutabile uinculum eſſe. Hanc noſtram caliginem taxat Paulus, inquiens: Lex ſpiritualis eſt, Ego autem carnalis ſum uenundatus ſub peccatum, id eſt, Lex non eſt tantùm politicum frenum, ſed eſt æterna & immota ſapientia in Deo, & norma iuſticiæ in uoluntate Dei, diſcernens bona & mala, quæ eſt patefacta rationali creaturæ in creatione, & poſtea ſæpè repetita & ſancita uoce diuina in Eccleſia, oſtendens quòd ſit Deus, & qualis ſit, & quòd ſit Iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut ſint conformes illi normæ Dei, & damnans omnes ac denuncians horribilem deſtructionem omnibus, quæ non congruunt ad illam normam, niſi ſit facta reconciliatio propter Mediatorem, quæ alibi in promiſsionibus reuelata eſt, non eſt noticia naſcens nobiſcum.

Lex Dei.

15. Etſi non ſatis eſt Legem in Eccleſia docere, tamen ſemper uult Deus & uocem Legis moralis in Eccleſia ſonare, & ſemper retinuit eam in uera Eccleſia, Et illuſtre teſtimonium & demonſtratio eſt, oſtendens, qui cœtus ſit populus Dei. Cùm enim Ethnici, Mahometiſtæ, & Papiſtæ leges aliquas habeant contrarias Decalogo, impoſsibile eſt eos eſſe Eccleſiam Dei. Vt enim Ethnici finxerunt noua numina, ſic Papiſtæ iubent inuocare homines mortuos, inſtituerunt falſa ſacrificia, & falſas adorationes. Item, Legem habent de cœlibatu Sacerdotum, contrariam diuinæ. Item, prorſus delent præceptum de concupiſcentia ſicut Phariſæi.

16. Hoc teſtimonium de Eccleſia gratum eſt pijs mentibus, & magnum Eccleſiæ decus eſt, quòd in ſolo eo cœtu ſemper manſit Lex Dei incorrupta.

17. Per Legem agnitio eſt peccati. Neceſſe eſt igitur Legem in Eccleſia ſonare, ut ſemper intelligant homines ordinem & diſcrimen inter recta placentia Deo, & non recta, quibus uerè & horribiliter iraſcitur Deus, & expauescant agnitione peccatorum. Et hac ipſa noticia Legis utitur Deus tanquam fulmine, cum corda iudicat, ut ſcriptum eſt: Aculeus mortis peccatum eſt. Potentia uero peccati Lex eſt. Item, Sicut Leo contriuit omnia oſſa mea.

Doctrina Eccleſiæ.

18. Sed non ſatis eſt in Eccleſia Legem docere, qua Deus omnium peccata iudicat, etiam illorum, qui ſunt extra Eccleſiam. Verùm neceſſe eſt agnoſci Filium Dei Mediatorem & eius beneficia, Sicut Pater cœleſtis clamat: Hic eſt Filius meus dilectus, Hunc audite. Et in Pſalm. dicit: Oſculamini Filium. Et in Eſaia ſcriptum eſt: Noticia ſerui mei iuſti, iuſtificabit multos. Colligitur ergo Eccleſia Dei, miniſterio Euangelij, in quo & arguitur peccatum, & monſtratur Filius Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, immenſa miſericordia miſſus, ut propter eum, & per eum gratis reddantur nobis iuſticia & uita æterna.

19. Eſt igitur Euangelium, prædicatio Pœnitentiæ, & promiſsio, quam ratio non tenet naturaliter, ſed reuelata diuinitus, in qua Deus adfirmat ſe propter Filium Mediatorem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, gratis, non propter ulla noſtra opera, aut uirtutes noſtras remittere peccata, & imputare iuſticiam credentibus in Filium, ac ſimul uiuificare nos per Filium, & ſanctifi-

Euangelium.

care

care dato Spiritu sancto, & facere nos hæredes uitæ æternæ. Hæc bona omnia complexus est Paulus, cum inquit: Gratia Dei & donum per gratiam unius hominis Iesu Christi in multos exuberauit.

20. Mirando consilio decretum est, ut hic Mediator sit Deus & homo, & causas in tota æternitate considerabimus. Incoari tamen hanc sapientiam uult Deus in hac uita, uult nos cogitare non frustra hoc fœdus cum natura humana factum esse, uult gratos celebrare hunc summum amorem erga nos. Cùm diabolus horribili odio Dei auulsisset genus humanum à Deo, & uicisset homines, rursus hoc modo redditur Deo genus humanum facto decreto, ut Filius adsumeret massam naturæ humanæ. Et rursus per hominem uincitur potentia diaboli, Sicut statim in prima promissione dictum est: Semen mulieris conteret caput Serpentis. *Mediator Deus & homo.*

21. Nec adest naturæ humanæ λόγος quam adsumsit, tantum societate, sicut adest Abrahæ, Iacob, Prophetis, sicut Nestoriani fingebant: sed unio est hypostatica τοῦ λόγου & humanæ naturæ assumtæ, ut gestetur humana natura à uerbo non solùm inseparabiliter, sed ita etiam, ut nisi sic sustentaretur, illa massa prorsus interiret. Non enim esset unum ὑφισάμενον, nisi sic gestaretur hæc massa.

22. Etsi exemplum prorsus simile monstrari non potest, tamen uetustas usa est hac similitudine. Esse unum ὑφισάμενον, τὸν λόγον & adsumtam naturam humanam, sicut homo est unum ὑφισάμενον, habens animam & corpus. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus, & Iustinus, qui tamen addit correctionem, ἀνὲς μοὶ τὼ ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσωμεν, οὕτως ἐκδεδώκασιν. καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κ.τ.λ.

23. Causæ autem cogitentur huius mirandi consilij, Nisi decretum fuisset, ut massa ex genere humano adsumeretur, & sic rursus uiuificaretur per uerbum, quo conditum erat, prorsus fuisset extinctum genus humanum, & reliquum mundi opificium frustra conditum esset. Ita propter hanc massam adsumendam seruatur natura.

Cumq; immensa misericordia deprecante Filio seruaretur genus humanum, & Deus tamen uellet iusticiæ suæ satisfieri, congruebat pœnam persolui per aliquem in genere humano, Ac ut æquiualens precium esset, in hanc Personam pœna deriuata est. Nec potuisset iram Dei sustinere sola creatura, nec uincere mortem, & restituere iusticiam & uitam. Ideo hic redemtor & Saluator, Deus & homo est. Et congruit hunc esse Mediatorem & Deprecatorem, qui uidet pectus Patris & corda inuocantium. Item naturæ omnipotentis est, qui uidet pectus Patris & corda inuocantium. Item naturæ omnipotentis est, assiduè adesse Ecclesiæ & eam protegere. Et cum uerbo condita sit natura, quod est imago æterni patris, rursus per uerbum uiuificatur, & restituitur in nobis imago Dei. Hæc cum reuerenter cogitantur, accendunt gratitudinem & inuocationem.

24. Considerata doctrina de persona Mediatoris, beneficia etiam sciri necesse est. Grati agnoscamus & celebremus hoc ingens beneficium Dei, quòd uult Ecclesiam colligi ministerio Euangelij, scilicet, uoce Euangelij audita, seu lecta & cogitata, quia expressè scriptum est: Quomodo audient sine prædicante? Item, Quàm speciosi sunt pedes Euangelizantium pacem? Id autem ministerium immediatè incoauit Filius Dei λόγος, proferens Euangelium ex *Beneficia Mediatoris.*

sinu æterni Patris, & ut tunc simul & foris sonabat uocem, & corda perterrefacta uiuificabat monstrans uoluntatem æterni Patris, & Spiritus sanctus accendebat lætitiam & inuocationem, ita & deinceps seruat Ecclesiam, adest ei, & est efficax uoce Euangelij. Execrandus est autem error Stenckefeldij, qui abducit homines ab externa uoce, & contendit, Deum sine externa uoce sanctificare homines.

25. Dominus iubet prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo. Cùm igitur corda perterrefacta prædicatione pœnitentiæ, audiunt promissionem, & ei uerè credunt, hac fide gratis propter filium Dei Mediatorem iustificantur, id est, accipiunt remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ ac reconciliationem, & uiuificantur per Filium Dei, qui & uoce Euangelij dicit in cordibus credentium consolationem, & effundit in ea Spiritum sanctum, & facit eos hæredes uitæ æternæ.

26. Papistæ corrumpunt doctrinam Pauli, cum ait, Fide iustificamur, quia dicunt Synechochen esse, & interpretantur, fide præparamur ad iusticiam: Et iusti sumus, id est, accepti Deo propter noticiam historiæ & dilectionem & alias uirtutes.

27. Addunt & hoc, hominem semper debere dubitare, an sit in gratia, & hanc dubitationem non esse peccatum.

28. Hæc impia deliramenta sunt execranda. Ac sciendum est Fidem non tantum esse noticiam historiæ, cum Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Fides quid significet in Paulo.

29. Sed fides de qua Paulus loquitur, est adsentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiæ, & est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, & clamans Abba Pater.

Osiandri error.

30. Ait & Osiander fidem esse præparationem ad iusticiam, quia fide accipitur diuinitas, quæ postea mouet ad iusta facienda. Ita reipsa hoc dicit, Hominem nouitate iustum esse, scilicet quia diuinitas in eo nouas actiones efficit. Non enim iam alia absurdiora recitamus, quæ scribit.

31. Ecclesiæ nostræ cum Prophetis & Apostolis dicunt, non esse hominem iustum, id est, habentem remissionem, & acceptum Deo ad uitam æternam propter propriam dilectionem, aut propter nouitatem propriam, quia scriptum est, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Iob 9. Verè scio, quòd homo non est iustus coram Deo.

Diuinitas habitat in renatis.

32. Sed quanquam in renatis habitat Diuinitas, tamen semper oportet nos retinere hanc consolationem, quòd propter obedientiam Mediatoris simus iusti, id est, habentes remissionem & imputationem iusticiæ, fide, id est, fiducia misericordiæ promissæ propter Filium, Gratis, sicut Paulus inquit: Iustificati sanguine ipsius. Item: Per obedientiam unius iusti constituentur multi.

33. Aeternus Pater per Filium uoce Euangelij consolantem corda dat Spiritum sanctum. Ita uerè habitat Diuinitas in credentibus, & accendit nouas actiones. Et tamen his actionibus in infinitum anteferenda est obedientia & intercessio Filij Dei. Hanc semper immediatè intuetur fides, & agnoscit Mediatorem esse umbraculum & intercessorem inter Patrem & nos, & accipit remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ. Vera est igitur Propositio, Propter obedientiam Filij Dei, sola fide sumus iusti, id est, habentes

bentes remissionem peccatorum & imputationem iusticiæ & uiuificationem, sicut scriptum est: Iustus fide sua uiuet.

34. In hac ipsa consolatione cum erigimur, Filius Dei uerè est efficax in credente, & liberat eum à doloribus inferorum, sicut inquit: O mors, ero mors tua, ô inferne, ero pestis tua. Et sanctificatio incoatur, qua imago Dei in credentibus renouatur, & adsimilatio fit ad Filium, ut congruant mens & uoluntas accensa Spiritu sancto ad uerbum & Filium Dei.

35. Manet ordo in tota æternitate, ut Creatura Deo obediat, Ideoque Filius Dei missus est, ut obedientia in nobis restituatur, non ut confirmetur peccatum. Non ideo Filius Dei sudauit sanguinem, & crucifixus est, ut horrendis furoribus licentia concedatur. Sed ut Ecclesia colligatur in genere humano, cui Deus suam sapientiam, iusticiam & lætitiam in tota æternitate uult communicare, in qua erit Deus omnia in omnibus. Cùm igitur dicitur, Non estis sub lege, id solis conuersis ad Deum & fide liberatis à condemnatione dicitur. Nec deletur lex ipsa, quæ est æterna sapientia Dei, sed sub lege esse, est condemnatum esse Lege.

36. Et tamen cùm semper in hac uita reliquum sit peccatum in renatis, fide sunt iusti & liberati à Lege, id est, à condemnatione & doloribus inferorum, propter Mediatoris obedientiam. Hac fide accedunt Prophetæ ad Deum, sicut inquit Daniel: Non in iusticia nostra, sed misericordia tua, propter Dominum exaudi nos. Et in hoc ipso Pauli dicto, Estis sub Gratia, idem significatur, sic ad Deum accedendum esse, agnitione Gratiæ, id est, gratuitæ misericordiæ certò donatæ propter Mediatoris obedientiam & intercessionem. Hæc uera consolatio semper præluceat inuocationi, nec obruatur impia doctrina Papistarum & concilij Tridentini, quæ iubet conuersos dubitare, an sint in gratia, nec obscuretur Enthusiastarum & Anabaptistarum præstigijs, qui iubent te aspicere nouitatem, & abducunt mentes à conspectu Mediatoris.

37. Manifestum est, cùm Paulus ait, iustificamur fide, in uerbo iustificationis eum comprehendere hanc relationem, accipere remissionem, & reconciliationem. Deinde quæ obedientia, & quomodo placeat, & nominetur iustitia & sanctitas, suo loco dicitur. *Fide iustificamur.*

38. Ipsa Symboli recitatio, Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, testatur præceptum Dei esse, ut quæramus, quæ & ubi sit uera Dei Ecclesia, & ut singuli se ad eam adiungant fide, inuocatione, confessione & dilectione, iuxta hæc dicta, Psalm. 25. Odi Ecclesiam malignantium, Circumdabo altare tuum Domine. Et Psalm. 26. Vnum petij à Domino hoc requiram, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus uitæ meæ. Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine. Psal. 91. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt. Psalm. 121. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.

29. Est autem uera Ecclesia uisibilis in hac uita, cœtus amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, rectè utentium Sacramentis, in quo filius Dei per ministerium Euangelij est efficax & multos regenerat, & facit hæredes uitæ æternæ. Et sunt in eo cœtu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes. *Ecclesia quæ & ubi.*

40. Non loquimur de Ecclesia, ut de Idea Platonica, Sed monstramus eam, quæ & ubi sit, & signa non fallacia ostendimus, ut discerni uera Ecclesia ab

alijs congregationibus posit, quæ sunt hostes ueræ doctrinæ. Recens Bauarici Episcopi, & alij alibi leges sanguine scriptas ediderunt, in quibus præcipiunt impios cultus & impia onera. Talium legum autores ac propugnatores nequaquam sunt membra ueræ Ecclesiæ Dei. Tenenda est enim regula: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Papistarum errores.

41. Manifestum est autem Papisticos defendere multos tetros errores. Non rectè docent de peccato, & de iustificatione, & de fide, confirmant impium dogma de dubitatione. Non rectè docent, quæ opera sint cultus Dei, & quomodo placeant Deo, Fingunt homines posse instituere cultus Dei, & eos cultus necessariò seruandos esse, Corrumpunt totam doctrinam de pœnitentia, dicunt contritionem oportere sufficientem esse, & mereri remissionem, dicunt necessariam esse enumerationem omnium delictorum in petenda absolutione, fingunt satisfactiones Canonicas, & aiunt esse compensationes pœnarum purgatorij, defendunt inuocationes hominum mortuorum, præcipiunt adorationem falsam signorum, cùm nihil habeat rationem Sacramenti extra usum institutum Diuinitus, horribili prophanatione cœnam Domini conferunt in quæstum, & prorsus Ethnico more fingunt sacrificulos mereri facienti & alijs, & quidem ex opere operato sine bono motu utentis &c. Prohibent coniugium ijs qui sunt idonei ad cœlibatum. Pingunt Ecclesiam uelut Regnum, in quo dominari dicunt Romanum Episcopum, & habere autoritatem instituendi cultus, & transferendi imperia politica.

42. De his tantis rebus cum Papistici Episcopi defendant impios & pernicioſos errores, non sunt Ecclesia Dei, & regula tenenda est: Fugite idola.

43. Seruat autem Filius Dei semper aliquos qui retinent fundamentum, nec probant errores pugnantes cum articulis fidei, & admoniti non defendunt idola, quanquam in hac infirmitate aliâs plus, aliâs minus lucis est. Et immensa bonitate Filius Dei subinde tenebris depulsis reddit doctrinæ lucem, sicut Psalm. 15. dicitur: Tu sustentas hæreditatem meam. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Hæreditas mea præclara est mihi. Simus igitur ciues huius ueræ Ecclesiæ. In hac cum sit ministerium Euangelij, certissimum est eam & mandatum habere uocandi & ordinandi ministros Euangelij, sicut Paulus Tito præcipit, ut ministros constituat. Et usitatum fuit in Ecclesia ueteri eligere ministros Euangelij χαροτονεῖν πάσης συμφώνου ἐκκλησίας, quod non de hostibus Euangelij, sed de ueræ Ecclesiæ suffragijs intelligi necesse est. Quare non terreamur clamoribus illorum, qui ritum ordinationis ministrorum Euangelij ad hostes ueræ Ecclesiæ retrahere conantur.

Ritus ordinationis Papisticæ.

44. Et in ritu ordinationis, quo nunc Papistici Episcopi utuntur, addunatur impia & tyrannica uincula, petitur ueræ doctrinæ improbatio, & promissio cœlibatus, & iubentur ordinati sacrificare pro uiuis & mortuis. Ac nemo mediocriter institutus in Ecclesia non intelligit quantum mali sit in his uinculis. Propter has etiam manifestas & grauissimas causas fugiendus est hic ritus Episcoporum.

λειτουργία.

45. Græca Ecclesia uetus, totam administrationem cœnæ Domini nominat λειτουργίαν, quod non significat sacrificium, sed publicum ministerium, & aptè congruit ad totam actionem. Vult Deus immensa bonitate Filium exaudiri & agnosci in toto genere humano. Ideo uult nostros congressus non esse similes

similes Eleusinijs, Sed uult honestam & publicam congregationem fieri, ut latè doctrina propagari possit, uult conspici honesta exempla in ordine congressuũ, uult audiri & iudicari doctores. Ac seruat Deus aliquas politias, ut congregationes honestæ fieri possint. Vult autem horum congressuum neruum esse cœnam Domini. Fiunt ergo hæc ministeria, docet Pastor Euangelium, hortatur omnes ad Precationem & ad gratiarum actionem, & simul cum populo dicit precationem & agit gratias, deinde pijs exhibet corpus & sanguinem Christi. Hæc omnia uetustas nominauit λειτουργίαν. Et accessit collatio Eleemosynæ ad iuuandos pauperes.

46. Papistæ mutato ueteri more, dicunt sacrificulum offerre pro uiuis & mortuis, & hac oblatione mereri facienti & alijs, & prorsus Ethnico more addiderunt, mereri eum, ex opere operato, ut loquuntur, sine bono motu utentis. Hæc idolatrica execranda sunt.

47. Nunc astutè aliqui hæc portenta tegunt, & ut rem & consuetudinem retineant, nouis fucis pingunt morem, dicunt sacrificulum non mereri, sed adplicare Ecclesiæ beneficia Christi.

48. Nos dicimus, in nouo Testamento nullam fieri adplicationem alieno opere, sed proprio usu Sacramenti & fide, quia scriptum est: ueri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate.

49. Et rectè dicimus, Sacramentum esse adplicationem generalis promissionis ad singulos, qui fide utuntur. Accedens igitur consolationem quæras, & credas te hoc pignore confirmari, quòd uerè sis membrum Christi, & quòd propte quoque Christus fuderit sanguinem. Postea accedunt & hi usus, quòd sumtio est testimonium de confessione doctrinæ, ostendit quam Ecclesiam probes, obligat etiam omnes ad mutuam dilectionem, & quasi fœdus est, quo paciscuntur omnes, se pacem & concordiam Ecclesiæ non turbaturos esse.

Applicatio promissionis fit usu Sacramenti.

EX GREGORIO NAZIANZENO
de appellationibus Filij Dei.

Δοκῶ γάρ μοι λέγεσθαι υἱὸς μὲν, ὅτι ταυτόν ὅσπερ πρὸς πατὴρ κατὰ οὐσίαν, λόγος δὲ ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ σωματρὲς καὶ τὸ ἀξαγγελικόν, δύναμις δὲ ὡς σωτηρικῶς τῶν γεγενημένων. ἀλήθεια δὲ ὡς καθαρὰ τοῦ πρὸς σφραγὶς καὶ χαρακτὴρ, φῶς δὲ ὡς λαμπρότης ψυχῶν, καὶ γνῶσις.

Appellationes Filij Dei.

PROPOSITIONES DE DISCRIMINE
veræ Ecclesiæ Dei, & aliorum hominum, quibus disputauit M. Paulus de Eizen Hamburgensis, Superintendens Ecclesiæ Dei in inclyta Vrbe Saxoniæ Hamburga. Anno 1556. Die Maij 18.

I.

QVanquam demonstrationes sunt natura notæ, quæ testantur esse Deum, & docent qualis sit, tamen assensio languefit, & multi & assidui sunt æstus & Euripi dubitationum, & quia in mentibus caligo est, & quia magna est impiorum multitudo, & magis floret. Contra uero Ecclesia cœtus est exiguus,

miſer, ſpretus, ſine imperio, ſine humanis præſidijs, æger, diſsipatus, exulans in mundo, & qui ſæuitia Tyrannorum & fanaticorum furoribus aſsiduè laceratur.

2. Hæc triſtia ſpectacula cum intuentur infirmæ mentes, cohorreſcunt & diſputant, An hic miſer cœtus ſit Eccleſia Dei: ſed confirmandæ ſunt teſtimonijs & patefactionibus diuinis.

Eccleſia. 3. Eſſe aliquam Dei Eccleſiam in genere humano manifeſtum eſt ex patefactionibus diuinis, quibus Deus addidit teſtimonia, reſuſcitationem mortuorum, & alia miracula. Ipſa etiam magnitudo calamitatum humanarum & Lex, oſtendunt genus humanum non tantum ad huius uitæ ærumnas conditum eſſe, quia & fieri aliquando Legem oportet, & finem eſſe calamitatum, cum fiet Lex. Non enim fruſtra Lex & inſita eſt mentibus, & repetita uoce diuina.

4. Quæ & qualis ſit Eccleſia Dei oſtendunt etiam illæ ipſæ patefactiones. Nam ille cœtus eſt Eccleſia, in quo Deus ſe patefecit in membris certis, & qui uocem doctrinæ Dei incorruptam & integram Legem & promiſsionem de Mediatore amplectitur. Et talis eſt Eccleſia, qualia ſunt illa membra, & qualis eſt cœtus amplectens uocem doctrinæ integram, etiamſi eſt ærumnoſus, diſperſus, & oppreſſus multiplici Tyrannide.

5. Nec fingimus Ideam Platonicam, cum Eccleſiam in hac uita nominamus, Sed monſtramus Eccleſiam uiſibilem, quæ conſpici & exaudiri poteſt, iuxta dictum: In omnem terram exiuit ſonus eorum. Eſtq; uiſibilis Eccleſia cœtus amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè utentium Sacramentis, in quo Filius Dei uerè eſt efficax, & multos regenerat uoce Euangelij & Spiritu ſancto, & facit hæredes uitæ æternæ. Et ſunt tamen in eo cœtu multi non ſancti, ſed tamen de doctrina conſentientes.

Doctrina Eccleſiæ. 6. Duo ſunt genera doctrinæ in Eccleſia, inde uſque ab initio, cùm Adam & Heua recepti ſunt, Lex & Euangelium. Vna eſt Lex moralis in tota æternitate, quæ eſt ſapientia æterna & immota norma iuſticiæ in Deo, diſcernens recta & non recta, patefacta rationali creaturæ, in creatione, & poſtea *Lex moralis.* uoce diuina ſæpe repetita in Eccleſia, oſtendens quòd ſit Deus, & qualis ſit, & obligans omnes rationales creaturas, & præcipiens, ut ſint omnes conformes Deo, & denuncians iuſtam & horrendam iram Dei aduerſus peccata, quæ Deus damnat, & deſtruit omnes non conformes, niſi fiat remiſsio & reconciliatio propter Filium Mediatorem.

Euangelium. 7. Euangelium eſt prædicatio pœnitentiæ & promiſsionis, quæ non eſt naturali luce nota, ſed ex arcano conſilio diuinitatis per filium prolata eſt, qui miſſus eſt, ut propter eum & per eum immediatè colligatur Eccleſia, oſtendatur miſericordia Dei uoce Euangelij, & dentur remiſsio peccatorum, reconciliatio, imputatio iuſticiæ, uiuificatio & donatio Spiritus ſancti, hæreditas uitæ æternæ, iuſticiæ & gloriæ æternæ, gratis, fide accipientibus promiſsionem propter Mediatorem.

Teſtimonia Eccleſiæ. 8. Etſi Lex quoque teſtimonium eſt de Eccleſia, Nam in ſola uera Eccleſia ſemper retenta eſt integra & incorrupta Legis doctrina, cæteræ Sectæ omnes eam corruperunt & mutilauerunt: tamen uox Euangelij propriè facit diſcri-

discrimen Ecclesiæ & aliarum gentium, sicut inquit Paulus: Fundamentum aliud poni non potest, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus.

9. Non inuocant uerum Deum Mahometistæ, & omnes alij ignari & hostes Christi, ut hoc tempore defensores Serueti & similes, quia qui Filium non honorat, non honorat Patrem.

10. Vniuersa scriptura ueteris & noui testamenti præcipit inuocare Messiam. Est igitur Messias omnipotens. Hic perpetuus consensus uniuersæ scripturæ sit in conspectu & ad confirmandum dogma, quod Filius, qui est imago æterni Patris, sit Deus, & ad excitandam inuocationem.

11. Filius nominatur λόγος, non solum quia cogitatione Patris nascitur, sed etiam quia est persona missa, ut per eam immediatè colligatur Ecclesia, proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, quæ semper adest Ecclesiæ, ostendit credentibus Patris misericordiam uoce Euangelij, & uiuificat eos, & dat Spiritum sanctum, seruat ministerium Euangelij & Ecclesiam. Hæc facit inde usque ab initio & antequam assumsit humanam naturam, & nunc in natura assumta. Hæc interpretatio adpellationis λόγος dulcissima est, & commonefacit nos de perpetua præsentia & efficacia Filij Dei in Ecclesia. Congruit autem cum dicto: Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Item, τῷ ἀρχῷ ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Item: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uoluit Filius reuelare. λόγος.

12. Esse autem λόγον ἐνσάρκωον, seu personam, multa dicta testantur, quæ adfirmant eum esse antequam assumsit humanam naturam. Antequam Abraham natus est, ego sum. Item, Paulus ad Corinthios: Bibebant ex spirituali comitante eos petra, Petra autem erat Christus. Et Iohan. 17. Glorifica me Pater apud te ea gloria, quam habui apud te, antequam fuit mundus. Et in Epistola ad Ebræos nominatur Filius, per quem omnia condita sunt. Et hic Filius dicitur esse ἀπαύγασμα gloriæ & character substantiæ Patris. Et ad Colossenses dicitur, omnia per ipsum condita esse. Item, dicta Iohannis primo, & Iohannis quinto. Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Denique sint in conspectu illustria testimonia, ut Fides & inuocatio in nobis confirmentur, & celebremus hanc mirandam bonitatem, quòd uerè Filius Dei missus sit ad Ecclesiam ab initio, & quòd uerè sit custos Ecclesiæ, & sit efficax uoce doctrinæ, & agamus gratias, quòd hoc mirando fœdere amorem testatus est, quod assumsit humanam naturam, & ut nos redimeret ineffabili humilitate se uoluntati æterni Patris subiecit. Tu Fili Dei Domine Iesu Christe accende in nobis ueram agnitionem tui, & eam in nobis confirma contra Diabolos, qui ueritatem horribili odio tui oppugnant, constitutis maximis imperijs Mahometicis in genere humano, & excitatis alijs organis contra gloriam Filij Dei.

13. Sed teneatur hæc firmissima Regula: Impossibile est ullos cœtus reijcientes scripta Prophetica & Apostolica esse Ecclesiam Dei. Quare non frangamur conspectu multitudinis & potentiæ Mahometicæ, etsi triste & horrendum spectaculum est.

14. Papa etsi uideri uult retinere libros Propheticos & Apostolicos, tamen & idola manifestè contraria contra Legem Dei, & dogmata falsa defendit, &

Papistæ non sunt uera Ecclesia.

dit, & manifestis mendacijs addit parricidia, ut agnosci possit, regi consilia Pontificia à Diabolo, qui est mendax & homicida.

15. Lex diuina & immutabilis inquit: Dominum Deum tuum adorabis & ei soli seruies. Papa iubet inuocare homines mortuos, & circumfert panem adorandum, cum extra institutum usum nihil habeat rationem Sacramenti, & multiplex est in Missa Pontificia idolorum cultus.

16. Nunc etiam factio Pontificia fingit nouum deliramentum. Ait sanctos inuocandos esse ut mediatores, Christum tantum ut Deum, quia tantum fuerit Mediator in passione.

17. Huic deliramento opponimus dicta Roma. 8. Qui est in dextra Dei, qui & interpellat pro nobis. Et Ebre. 7. Semper uiuens, ut interpellet pro eis. Et in Psalmo: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech. Et ipse inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

Mediator quid.

18. Mediator est Persona diuinitus constituta, ut sua merita pro nobis offerat, & sit deprecatrix, & habeat promissionem quòd exaudiatur.

19. Solus igitur Filius Dei Dominus noster Iesus Christus est Mediator, & nomen Mediatoris personæ competit, quæ est Deus & homo.

Inuocatio.

20. Omnis uera inuocatio, quæ fit ad Deum, semper intelligatur complecti Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, iuxta dictum: Pater meus usque modo operatur, & Ego operor. Et non agnoscitur Pater, nisi & Filius agnoscatur. Et sic discernimus nostram inuocationem ab Ethnica: Omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi. Et usitatè dicitur, Pater noster qui es in cœlis, hoc loco, Pater, est essentiæ nomen, non tantùm unius personæ.

21. Semper igitur Filius utroq; modo inuocandus est, Et cum Patre ac Spiritu sancto, ut Deus dator bonorum. Et ut mediator, missus ac intercedens. Idq; seruamus in forma usitata, Omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator cum Filio & Spiritu sancto, sapiens, uerax, bone, misericors, miserere mei propter Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, μεσίτην καὶ ἱκέτην, & iustifica me propter eum & per eum, & sanctifica me Spiritu sancto tuo &c. Sic ipse dicit, Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, me nominato, credentes uos propter me exaudiri &c. Certè uult agnosci & inuocari etiam, ut Sacerdos & assiduus deprecator pro nobis, & nominatim hoc dici, Da Deus propter Filium.

22. Sic & Daniel precatur: Exaudi nos Deus, non propter iusticiam nostram, sed per misericordiam, propter Dominum.

Papistarum errores.

23. Multæ sunt etiam aliæ corruptelæ Pontificiæ in doctrina de Lege, peccato, gratia, fide, iusticia, pœnitentia, Ecclesia, ministerio Euangelico', traditionibus humanis, unde intelligi potest, talium errorum defensores, non esse Ecclesiam Dei.

24. Manifesta Euangelij deletio est, fingere hominem in hac uita esse iustum lege, seu propris operibus, Et in hac imaginatione multi sunt inuoluti errores.

25. Manifesta Euangelij deletio est, dicere semper dubitandum esse, an sis in gratia.

Falsa

26. Falsa interpretatio est. Fide sumus iusti, scilicet, Formata, quasi hoc uelit Paulus, Non fide, sed propter sequentem dilectionem, uidelicet, propter proprias uirtutes homo est iustus. Similis corruptela est Osiandricorum, Fide iustificamur, scilicet præparatiuè.

27. Vniuersa Prophetica & Apostolica scriptura perpetuo consensu hoc adfirmat, hominem in conuersione accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iusticiæ, uiuificationem, Spiritum sanctum, & hæreditatem uitæ æternæ, propter Mediatorem gratis, fide, non propter nostram dignitatem, aut nostra merita, aut nostras uirtutes. Hanc & Pauli sententiam esse adfirmamus, qui quidem & prophetica testimonia eò citat, ut Ecclesia uideat eum non discedere à doctrina Prophetarum. *Summa Prophetiæ & Apostolicæ scripturæ.*

28. Hanc perpetuam sententiam Prophetarum & Apostolorum Dei beneficio retinent & nostræ Ecclesiæ, cum dicimus, Sola fide iustificamur, & reiiciunt Papisticam & Osiandricam Synecdochen, quæ cum splendidissimè defenditur, tantùm hoc dicit, renatos nouitate iustos esse. Nam Osiander expresse definit iusticiam his uerbis: Iusticia est quod efficit nos iusta facere: quod quid aliud est, quàm homines iusta faciendo iustos esse? At Psalmus inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. *Osiandri error in definitione iusticiæ.*

29. Verissimum est habitare Deum in sanctis, & in eis efficacem esse, & illas pulcerrimas uirtutes in Ioseph, Daniele & similibus, sine ulla dubitatione esse motus diuinos, iusticiam, & sacrificia Deo grata, Sed propter hæc quam quam diuina bona, persona non est iusta coram Deo, id est, habens remissionem peccatorum & reconciliationem. Imò hæc bona ne esse quidem possunt, nisi prælucente fide, quæ credit Personam recipi & placere propter Filij Dei obedientiam, & Filium Dei uelut umbraculum esse quo tegimur in iudicio Dei, sicut dicitur, sumus dilecti in dilectio. Item: iustus fide sua uiuet.

30. Nominantur autem illæ uirtutes, Iusticiæ & Sacrificia, quia in reconciliato sunt, res congruentes cum uoluntate Dei, imò sunt opera Dei & testimonia de Deo in cordibus, & in Ecclesia. Et sunt sacrificia quibus uult Deus celebrari. Et longè superant Philosophorum uirtutes, quia in Philosophicis non lucet agnitio Dei, & non sunt λογικὴ λατρεία, id est, cultus in quibus lucent notitia Dei, timor, fides.

31. Et seuerissimè execrandus & fugiendus est furor Antinomorum, qui fingunt non contristari & non excuti Spiritum sanctum sceleribus contra conscientiam, cum clarissimè dictum sit, 1. Corinth. 6. Ne erretis, Scortatores, Idolorum cultores, Mœchi &c. non possidebunt regnum Dei. Item, Milita bonam militiam, retinens Fidem & bonam conscientiam. *Antinomorum furor.*

32. Non ideo Filius Dei missus est, & tantis miraculis collegit & seruauit Ecclesiam, Seruata familia Nohæ in diluuio, educto populo ex Aegypto & Babylone. Non ideo adsumsit humanam naturam, sensit iram æterni Patris, sudans sanguinem, & uictima in cruce factus est, ut tu omnibus furoribus opinionum, libidinum, crudelitatis indulgeas, ut Dauid rapiat alterius coniugem, interficiat uirum, iritet iram Dei, ut seditio sequatur plena scelerum, & calamitatum. Sed ideo immensa misericordia nos redemit, ut deleat peccatum & mortem, & nos uiuificet, ac sibi adsimilet

& æter-

& æternam iusticiam in nobis restituat, sicut Paulus inquit: Transformamur in eandem imaginem, id est, adsimilamur Filio, qui est imago æterni Patris, sapientia seu luce, quæ est agnitio Dei, & motibus congruentibus uerbo Dei.

33. Filius dicens consolationem in mentibus nostris uoce Euangelij, ostendit præsentiam Patris, & uiuificat credentem, & dat Spiritum sanctum, ut confirmet cor, & accendat inuocationem & alios motus tales, qualis ipse est, sicut 1. Iohan. 4. dicitur: In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dat nobis. Et digna est consideratione sententia Athanasij: In quocunque dicitur esse Spiritus sanctus, ibi est per uerbum, id est, per Filium, efficacem uoce Euangelij.

34. Hæc transformatio in nobis est noua obedientia, quæ non est meritum uitæ æternæ. Sed ideo quia manet ordo immutabilis, ut creatura rationalis Deo obediat, & quia ad æternam iusticiam restituimur, necessaria est. Et tamen retinenda est Exclusiua, SOLA FIDE, id est, fiducia misericordiæ propter Mediatorem iusti sumus, & hæredes uitæ æternæ. Non enim habemus in hac uita Legis impletionem, de qua dicit Paulus: Nos spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus.

Papistæ non sunt Ecclesia uera.

35. Hanc totam doctrinam cum Papistæ multipliciter corrumpant, & errores Sophismatum præstigijs & tyrannica crudelitate defendant, non sunt uera Dei Ecclesia.

36. Ecclesiam intelligunt Papistæ esse Regnum Episcoporum alligatum ad ordinariam successionem, ut ipsi nominant, & ad traditiones humanas, ut si Regnum Gallicum describerent, alligatum ad ordinariam Regum successionem, & ad certas Regni leges & iudicia, Hæc Politica κακοζηλία plena est multorum errorum.

Ecclesia alligata ad doctrinam Euangelij.

37. Alligata est autem Ecclesia ad incorruptam Euangelij doctrinam, quę & ministerium Euangelij, & usum Sacramentorum ordinat, & hoc modo Deus æternam Ecclesiam per Filium colligit, & uoce Euangelij est efficax, ut expressè dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et Paulus sic describit Regnum Christi in hac uita, cum ait: Tradet Regnum Deo & Patri.

Regnum Christi.

38. Regnum Christi æternum est, ut in Luca dicitur: Regni eius non erit finis. Sed quia modus alius est Regni in hac uita, alius post iudicium, ideo Paulus inquit, Tradet Regnum Deo & Patri. In hac uita Regnum Christi, est Filium missum esse, ut proferat Euangelium ex sinu æterni Patris, antea ignotum omnibus creaturis, & assumta humana natura redimat Ecclesiam, & eam uoce Euangelij immediatè colligat & uiuificet dato Spiritu sancto, sit redemtor & Saluator, protegat & seruet Ecclesiam, & sit caput omnia in omnibus perficiens, & post mortem resuscitet nos, & uestiat munda natura, ut deinde uisibiliter habitet in nobis Deus, & sit omnia in beatis omnibus. Regnat igitur Christus in hac uita in Ecclesia, per ministerium Euangelij. Post hanc uitam, etsi manet Rex & caput Ecclesiæ, tamen modus alius erit, scilicet uisibilis conspectus.

Stenckfeldius.

39. Cum igitur uniuersa scriptura Prophetica & Apostolica adfirmet, uoce Euangelij colligi Ecclesiam, & cum hac uoce & cogitatione scripti uerbi Deum efficacem esse, non est audiendus Stenckefeldius, qui non desinit

desinit uociferari, Deum se sine medio communicare, sine uoce ministerij, sine cogitatione scriptæ doctrinæ. His fanaticis clamoribus abducit homines à lectione, & cogitatione scriptæ doctrinæ, ut manifestissima exempla multorum ostendunt, qui Pastores aut pellunt, aut audire nolunt, & iactant illa Enthusiastica oracula Stenckefeldij.

40. Opponamus autem certissima testimonia diuinitus tradita, Roma. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Roma. 10. Fides ex auditu est, Auditus per uerbum Dei, Iohan. 1. Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris enarrauit nobis. Quam ob causam Filius Dei λόγος missus est? quare Deus tam arcani & mirandi decreti nuncium uult Filium esse? si non huius uocis cogitatione homines conuertit, & uiuificat. Psalm. 118. Hæc est consolatio mea in adflictione mea, quòd eloquium tuum uiuificat me. Vult nos Deus in trepidationibus & pauoribus intueri promissionem reuelatam. Ibi uult nos quærere & agnoscere suam uoluntatem, & adsentiri promissioni. Et certissimum est ipsum Filium Dei λόγον in adsentientibus efficacem esse. Ideo Psalmus 129. dicit: Expectaui Dominum, expectauit anima mea, & in uerbo eius speraui. *Voce Euangelij colligitur Ecclesia.*

41. Tota scriptura Prophetica & Apostolica plena est testimoniorum, quæ non solùm præcipiunt ut discamus, audiamus, cogitemus scripta diuinitus tradita, Sed etiam ut sciamus Deum hac ipsa cogitatione efficacem esse, ut Romanorum decimo. Prope est uerbum in ore tuo &c. Et ad Corinthios nominatur Euangelium, ministerium Spiritus, id est, quo Spiritus sanctus datur & est efficax.

42. Et quid opus est longa refutatione? Cùm Paulus de lectione præcipiat, & dicat inde consolationem petendam esse, anteferatur Stenckefeldio, qui remouet lectionem, & iubet expectare Enthusiasmos simulatione toruitatis, ut multos uidimus impostores abijcientes doctrinæ metas, qui postea & opiniones tetras sparserunt, & seditiones mouerunt.

43. Retineamus potius dictum Pauli: Sis assiduus & attentus in lectione, consolatione, & doctrina. Orditur Paulus à lectione, quia Euangelium non est natura notum, ut doctrinæ Philosophicæ, sed discendum est ex scriptis, quæ Deus uoluit per Prophetas & Apostolos mandari literis. Et lectioni addit consolationem. Deus igitur ea lectione efficax est. Doctrina est enarratio lectionis seu scripti, cum uox docentis ostendit argumenta, membra, exitus in proposita materia. Et ad Colossenses inquit: Sermo Christi habitet in uobis abundè in omni sapientia, & docete, & emendate uos mutuo.

44. Eludit hæc dicta Stenkefeldius sermo, id est, ipse Filius. Sed in his dictis expressè fit mentio lectionis, & doctrinæ, & commonefactionis. Ac detestentur bonæ mentes petulantiam & Sophisticam in eludendis manifestis testimonijs. Scimus cogitationem sine actione diuina, Literam esse, Sed simul hoc dicimus, Filium Dei per cogitationem scriptæ doctrinæ efficacem esse. Et hunc ordinem immensa sapientia & bonitate Dei constitutam esse. Nec aliter senserunt pij unquam in Ecclesia, sed semper fuerunt homines fanatici & Enthusiastici, qui cœca ambitione moti ἠρὴ πνευφωμίοι similia deliramenta circumtulerunt, quia opinione Euthusiasmi & colloquiorum diuinorum terrentur homines & adducuntur, ut tales impostores magnificiant, quales fuerunt *Litera.*

noſtra ætate multis noti Pelargus, Monetarius, Monaſterienſes, Campanus, & multi alij.

Salomon de Filio Dei.

45. Salomon ſimul de miniſterio externo & de Filio Dei concionatur: Fui coram eo artifex, & deliciæ quotidianæ, ludens coram eo omni tempore, Ludens in orbe terræ ſuæ, & delectationes meæ cum filijs hominum. Spectacula nobis omnium pulcerrima proponit, adfirmat Filium Dei formatorem fuiſſe immediatum ordinis & œconomiæ in creatione operum mundi. Et hunc ipſum Filium Dei delectari hominum conſuetudine. Quid poteſt dici dulcius? Significat autem Filium Dei miſſum eſſe ad homines, & adiungit externum uerbum, ait hanc ſapientiam clamare in portis ciuitatis. Ita & nos dicimus Filium Dei adeſſe Eccleſiæ, & efficacem eſſe uoce Euangelij, ſicut & in Iohanne ſcriptum eſt: Ego ſum uitis, uos palmites. Et ad Epheſios: Chriſtus eſt caput Eccleſiæ omnia perficiens in omnibus.

Papiſtarum errores.

46. Præterea in opinionibus Papiſtarum magnum chaos eſt errorum, de traditionibus humanis in Eccleſia, Eorum errorum defenſio etiam diſcernit ueram Eccleſiam ab impijs congregationibus.

47. Opera non mandata diuinitus nequaquam ſunt cultus Dei, iuxta dictum: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Talia ſunt Monachorum uota, diſcrimina ciborum, cœlibatus Sacerdotum, & ſimilia.

48. Nunc Cynicus Auſtriacus renouat deliramenta de perfectione. Nominat perfectionem, ſimulationem paupertatis, cum ſit paraſitus aulicus.

49. Impoſsibile eſt opera non mandata à Deo, perfectionem eſſe, cum non ſint cultus Dei. Et manifeſtè dicat uox diuina: In præceptis meis ambulate, non in præceptis Patrum ueſtrorum. Et cum nullus homo in hac prauitate naturæ poſsit ſatisfacere legi Dei, manifeſtum eſt, non eſſe in hominibus perfectam obedientiam. Sed Paulus inquit, In Chriſto conſummati eſtis, uidelicet imputatione. Et poſtea in uita æterna erit perfectio re ipſa in nobis, cum erit Deus omnia in omnibus beatis, id eſt, cum ita fulgebit in nobis Deus, ut non ſit ſimul peccatum, ſicut in hac uita in ſanctis etiamſi ſunt Templum Dei, tamen adhuc hæret in eis peccatum.

Sacramentorum finis.

50. Certiſsimum eſt duo genera eſſe operum in Eccleſia, ſigna promiſsionum, quæ nominantur Sacramenta, & ſacrificia. Ac inſulſè cogitant de Sacramentis in nouo Teſtamento, qui imaginantur, baptiſmum & cœnam Domini ritus eſſe principaliter ad hoc inſtitutos, ut diſcernant Chriſtianos ab aliis coram hominibus, ſicut Toga diſcernebat Romanum à Græco. Sicut aliqui ſcripſerunt.

51. Sed Sacramenta noui Teſtamenti ſunt ſigna uoluntatis Dei erga nos, id eſt, ſunt ritus à Deo inſtituti, ut ſint Teſtimonia ſeu pignora, quod Deus exhibeat nobis promiſſa beneficia in Euangelio. Hic primus finis eſt, poſtea poſſunt accedere alij fines & ſignificationes, ut hic eſt calix Noui Teſtamenti, id eſt, nouæ promiſsionis, qui erit pignus teſtificans dari uobis promiſſa in nouo Teſtamento, & promiſsio eſt accipienda fide, Sic igitur utendum eſt Sacramento, ut credas tibi exhiberi promiſſa in Euangelio, remiſsionem peccatorum, & reconciliationem. Rectè etiam dicitur, eſſe ea teſtimonia adplicationis, ut cum promiſsio generalis ſit, uſus Sacramenti eſt pignus teſtificans promiſsionem ad te pertinere. Hic primus & proximus finis eſt cœnæ Domini.

Poſtea

Postea est neruus congregationis, Testimonium confessionis, fœdus beneuolentiæ erga Ecclesiam,& priuatim erga omnes ciues eiusdem Ecclesiæ. Possunt enim unius operis plures esse fines. Hæc in genere de ratione Sacramenti scire necesse est.

§2. At Sacrificia sunt opera ã Deo mandata, facienda in fide, in quibus Deo nos aliquid offerimus,uidelicet obedientiam,qua testamur hunc uerè Deum esse, quem sic colimus, & ostendimus eum sic uelle coli, ut castitas Ioseph est opus à Deo mandatum,fit uera fide,& præstat Deo obedientiam,qua testatur hunc uerè esse Deum,qui sic colitur, & ostendit eum sic uelle coli. Obedientia Stephani in supplicio, est opus mandatum à Deo, fit uera fide, & præstat hunc honorem Deo, testatur hunc uerè Deum esse qui sic colitur, & ostendit eum sic uelle coli. *Sacrificia.*

§3. Osiander tres gradus fecit sacrificiorum,Typica,Propiciatorium, & Alimenta Sacerdotum. Altera distinctio magis perspicua est, quæ facit duas species, Propiciatorium & εὐχαριστικὸν. Vnicum est autem reipsa propiciatorium, uidelicet obedientia filij Dei,quæ est λύτρον pro nobis,& meretur nobis reconciliationem. Nec esse plura testatur dictum: Vnica oblatione consummauit sanctos. Ac Paulus Roma. 8. nominauit περὶ ἁμαρτίας, ubi hæc uera Syntaxis est, condemnauit peccatum, scilicet,nostrum in carne nostra, περὶ ἁμαρτίας, id est, per hostiam,quæ nominabatur περὶ ἁμαρτίας. Quòd autem in Lege quædam nominabantur Propiciatoria, habebant id nomen propter typum, nec merebantur remissionem, sed cum pij offerebant, erant εὐχαριστικὰ. *Sacrificiorum gradus.*

§4. Sunt autem omnia cætera piorum sacrificia εὐχαριστικὰ, uidelicet omnia opera à Deo mandata, facta in fide, ut in eis Deo offerant obedientiam,& testentur hunc uerè esse Deum,quem sic colunt, & ostendant eum sic uelle coli. Sic sacrificia sunt castitas Ioseph, obedientia Stephani in supplicio, labor Pauli in docendo,beneficentia quam exercet Sareptana præbens hospitium Eliæ.

§5. Hac distributione considerata,manifestum est horrendam impietatem esse, quod fingunt Papistæ, Missam esse sacrificium,quòd mereatur remissionem peccatorum facienti & alijs. *Missa non est sacrificium.*

§6. Nec esse sacrificium εὐχαριστικὸν inde adparet, quia non institutum est, ut offerant Christum. Cumq; offerre sit ingredi in Sanctum sanctorum, & deriuare in sese iram Dei, hæc ipsi tantum filio competunt, non alijs. Vnde igitur hæc audacia est, quod sacrificuli dicunt sese offerre Christum? Neque hæc sunt in ueteri Græco Canone.

§7. Nec minor est impietas, quòd plurimi sacrificuli uentris causa ritum imitantur, prorsus ignorantes quid agant. Tales colunt Deum Maozim.

§8. Hæc ingentia mala satis deplorari non possunt, etiamsi tantum lacrymarum singuli funderemus, quantum undarum uehunt magna flumina. Sed orandus est Filius Dei, ut ipse deleat omnia idola & nos doceat, & ad ueros cultus omnium pectora flectat. Cùm autem tantum Idolorum & errorum sit in secta Papistica,& accedat iniusta crudelitas, manifestum est Papam & Episcopos non esse Ecclesiam Dei, & scriptores qui prætexunt nomen Ecclesiæ, his tantis sceleribus, Polum, Osium, Roardum, Canisium, Staphylum, & similes decipere ignaros,& horribiliter Deum offendere. Tenenda est enim Regula: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit, Cum igitur Ecclesia

sit cœtus rectè docens, uera gratitudine Deum celebremus, quòd nos fecit ciues ueræ Ecclesiæ, & propter hoc ingens beneficium, piè fouere nostros cœtus studeamus.

PROPOSITIONES DE QVIBVS DISPVTAuit Magister Conradus Becker Brunsuicensis, vocatus ad gubernationem Ecclesiæ stadensis. Vuitebergæ Anno 1556. Die vltimo Octobris, quo die ante annos 39. videlicet anno 1517. Reuerendus vir D. Martinus Lutherus primum edidit Propositiones plenas eruditionis & pietatis, de Pœnitentia contra tenebras Papisticas, & contra aucupia Indulgentiarum.

I.

Consolatio piorum.

IN tantis confusionibus generis humani, teneamus hanc ueram consolationem, certò colligi æternam Ecclesiam à Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, etiam inter has horribiles imperiorum ruinas, & quidem colligi uoce Euangelij, & non aliter. Et sic fieri Ecclesiæ collectionem ab ipso Filio Dei, donec resuscitabit omnes homines mortuos, iuxta hæc dicta, Matthæi capite uicesimo quarto: Sic erit aduentus Filij hominis, Tunc duo erunt in agro, Vnus adsumetur, & alter relinquetur. Et Matthæi ultimo: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et in ipsis cœnæ Dominicæ uerbis, 1. Corinth. 11. promissio comprehensa est, Hoc facite donec ueniet. Quid potest dici dulcius, quàm promitti duraturum esse ministerium Euangelij, donec Filius Dei resuscitatis mortuis ostendet se in iudicio uniuerso generi humano. Et Esaiæ quinquagesimonono: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, & posterorum seminis tui in æternum, dicit Dominus.

2. Quotidie in recitatione Symboli, cum dicimus, Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, hac cogitatione confirmemur, Etsi sunt magnæ confusiones generis humani, tamen est aliqua Dei Ecclesia, in qua sola sunt electi propter filium hæredes dulcissimæ consuetudinis cum eo, in qua Deus erit omnia in omnibus, Et hæc uera Ecclesia, non casu, sed certo consilio Dei subiecta est cruci multipliciter, iuxta dictum: Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius, Ieremiæ 12.

3. Etsi autem species Ecclesiæ ualde mœsta est, tamen & quæramus, quæ sit Ecclesia Dei, & ubi sit, & sciamus esse immotam uoluntatem Dei, ut singuli nos in eam simili inuocatione, & confessione includamus, & eam diligamus, iuxta dictum: Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.

Ecclesia.

4. Vult Deus conspici & exaudiri Ecclesiam in genere humano, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et tradidit signa, per quæ agnosci potest, quæ sunt tria, uox Euangelij incorrupta, legitimus usus Sacramentorum, & obedientia debita ministerio. Ideo uisibilem Ecclesiam in hac uita sic definimus. Ecclesia uisibilis est cœtus amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & habens legitimum usum Sacramentorum, in quo

quo cœtu filius Dei per ministerium Euangelij certò est efficax, & in multis noticiam æterni Patris accendit, qui credunt se propter Filium recipi, & eos sanctificat spiritu suo sancto, & tamen sunt in eodem cœtu multi non sancti, sed de doctrina consentientes. Sic de Ecclesia loquitur Dominus in similitudinibus, Matth. 13.

5. Hac definitione confirmati, scimus impossibile esse Mahometicam colluuiem esse Ecclesiam Dei, quanquam & magna est, & habet potentissima imperia. Quia impossibile est esse Ecclesiam Dei eos, qui fatentur se Prophetarum & Apostolorum libros nec legere, nec probare, & palàm contendunt in hoc IESV, qui Ierosolymæ crucifixus est & ex morte reuixit, tantum esse naturam humanam, & rident, tanquam fabulas, ea quæ adfirmamus, de Persona missa ad Ecclesiam ab initio, Item de Hostia pro genere humano, & de iusticia Fidei.

6. Et impossibile est esse membra Ecclesiæ Dei alios similiter contumeliosos aduersus Filium Dei, quales multi & sunt & erunt, ut Seruetus, & Petrus Conyza Lituanus, quia scriptum est: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. *Petrus Conyza.*

7. Maior Thammeri rabies est, qui nomen Filij Dei & Spiritus sancti transformat in Allegorias, perinde ac si Hesiodi theogoniam interpretaretur, & facit Religionum confusiones, quasi gentes ignaræ Euangelij, semper & fuerint & sint Ecclesia Dei, quia Christum norint, id est, aliquam habeant Legis noticiam. Hanc enim interpretatur esse Christum, sapientiam Dei. *Thammeri rabies.*

8. Interea & Stenckefeldiani blasphemas cantilenas edunt, in quibus ut furiæ Diabolicæ, canunt, nihil opus esse ministerio Euangelico, adflatus diuinos fieri sine uoce & cogitatione scriptæ doctrinæ. *Stenckfeldiani.*

9. Nec membra sunt Ecclesiæ Dei Papistæ pertinaciter defendentes Idola, quorum multi contra conscientiam assentantur potentibus, multi fascinati sua sapientia, nolunt considerare manifesta testimonia diuina in scriptis Prophetis & Apostolis tradita. Et sibi prætextus fingunt, dicunt scripta Prophetica & Apostolica ambigua esse, sumendam interpretationem ex autoritate Pontificum, ut in iudicijs ciuilibus, Regia uel Prætoria autoritas est interpres Legum. *Papistæ.*

10. Tenenda est Regula: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Cùm igitur Papistæ multos magnos errores contra manifesta testimonia Euangelij & Symbolorum defendant, necesse est ab eis dissentire & discedere. Qui sint autem errores Papistici, confessio communis harum Ecclesiarum ostendit, ad quam nos referimus, quia totum corpus doctrinæ complecti docentes in Ecclesia oportet. Nec satis est excerpere unum atq; alterum membrum, quod plausibiliter exagitetur, & in cæteris, astutè occultare sententiam, ut Stancarus & multi errones faciunt. Facilè est, inquit Nazianzenus, reprehendere, sed recta docere difficile: sicut Demosthenes inquit, ἐπιλαμᾶν πάντας ὄξι, συμβουλεύειν δὲ οὐ πάντας.

11. Vtrumque uult Paulus doctorem facere, ut ad Titum scribit, ἀντέχεσθαι τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Adfirmamus igitur nos de toto corpore doctrinæ amplecti scripta Prophetica & Apostolica,

& quidem in ea sententia, quæ in Symbolis expressa est, & quæ recitatur in communi confessione edita cum subscriptionibus docentium in hac Ecclesia & uicinis, & contrarias Sectas & opiniones reijcimus.

Ecclesia ad uerbum alligata.

12. Non est alligata Ecclesia ad ordinariam Successionem Episcoporum sed ad Euangelium. Ibi est Ecclesia Dei, ubi uox Euangelij est incorrupta iuxta dictum: Oues meæ uocem meam audiunt, Et manifestè dicitur contra blasphemos iactantes ordinariam successionem: Vos ex patre Diabolo estis, Quanquam nomen ordinariæ successionis nihil est, nisi κτῆμα λόγου, cum Collegia sint sine antiquis monumentis, sine studijs doctrinæ & pietatis, sine legitima electione, similia centaurorum exercitibus. Basilius ait, se Ecclesias præcipuas adijsse, ut testimonia & monumenta ueteris doctrinæ inquireret. Quid nunc ostendi monumentorum aut doctrinæ ab Episcopis & Canonicis potest?

13. Fontes igitur quæramus, sicut Esaias præcipit, Ad Legem & ad Testimonium, Si quis non dixerit iuxta uerbum hoc, non erit ei matutina lux. Iuuamur autem & Symbolis & testimonijs primæ & purioris Ecclesiæ, quia uult Deus Ecclesiam edere testimonia, & dictum est, Sedet Filius Dei ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & doctores, ut non circumferamur omni uento doctrinæ, inter præstigias hominum &c. Filius Dei λόγος æterni Patris, inde usque ab initio adest Ecclesiæ suæ, alloquitur eam, & mittit Prophetas. Deinde in carne concionatur, mittit Apostolos, & subinde post Apostolos, eorum auditores, Polycarpum, Irenæum, & paucos alios deinceps, qui doctrinæ puritatem quæsiuerunt, cum simul omnibus temporibus magna agmina fuerint fanaticorum & Tyrannorum, & ardelionum, qui doctrinam ad malos adfectus hominum inflexerunt. Sicut nunc ualde multi sunt, non solùm Tyranni, qui barbarica crudelitate stabiliunt Idola, sed etiam rhetorculi, qui nouos colores illinunt Idolis, ut defendant errores, ut sunt Polus, Osius, Groperus, & alij multi.

Doctrina ueræ Ecclesiæ de filio Dei.

14 Vera Ecclesia semper inde usque à Patribus sensit Filium Dei λόγον esse missum ad Ecclesiam, & esse ἐνσάρκωτον, non esse sonum creatum, euanescentem, Ideo Iacob inquit de Filio Gene. 48. Deus patrum meorum, & Angelus, qui eripuit me ex cunctis malis, benedicat pueris istis. Ac sunt illustria testimonia, quòd sit λόγος ἐνσάρκος, quæ adfirmant ante assumtionem humanæ naturæ, missum esse ad Ecclesiam, & quæ loquuntur de omnipotentia & de inuocatione, ut Dominus inquit: Antequam Abraham natus est, Ego sum. Et Paulus expressè adfirmat Christum adfuisse populo in deserto. Item, ad Colossen. Qui est ante omnia. Iob 19. Scio quòd Redemtor meus uiuit. De omnipotentia sint in conspectu hæc dicta: Ego uitam æternam do eis, Pater meus usque modò operatur, & Ego operor. Ego sum uitis, uos palmites, Sine me nihil potestis facere. De Spiritu suo dat nobis &c. De Inuocatione: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & Ego reficiam uos. Psalmo 2: Osculamini Filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Esaiæ 11. Stat radix Iessæ, ut sit signum populis, ad eam gentes confugient. Psalmo 72: Orabitur coram eo semper. Et Ieremiæ trigesimo tertio. Hoc est nomen quo uocabunt eum, Iehoua iustitia nostra, Id est, hoc prædicabitur de Messia, quòd ipse sit Iehoua iustitia nostra, & propterea sic inuocabitur. Et Paulus directa inuocatione

tione utitur 2. Thessa. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus,& Deus & Pater noster confirmet uos in omni sermone & opere bono.

15. Hæc & similia testimonia quotidie in inuocatione cogitemus, ut nos contra furias Diabolicas Mahometi, Samosateni, Serueti, Conyzæ, Thammeri & similium confirmemus,& consideremus quid inuocemus, & Filio Dei uerum honorem tribuamus, agnoscamus eum etiam ante assumtionem humanæ naturæ missum esse ad Ecclesiam, & λόγον esse immediatè alloquentem nos, & semper adesse Ecclesiæ,sicut inquit: Ego sum uitis,uos palmites. Item,πλὴν ἀρκῶ ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.

16. Alloquimur autem Filium dupliciter, & ut datorem bonorum simul cum Patre & Spiritu sancto, sicut Paulus ad Thessalonicenses loquitur: & ut Mediatorem missum ad Ecclesiam,& semper intercedentem pro nobis,de quo modo inuocationis ipse inquit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit uobis. Vult peti se nominato, id est,fiducia propiciationis per ipsum factæ, & fiducia assiduæ intercessionis. Hæc omnia in inuocatione cogitanda sunt, atque ita dulcescit doctrina περὶ λόγου, & de Mediatore.

17. Nec Cynici clamores probandi sunt, qui negat Christum nunc intercessorem esse, negat item rectè dici: Fili Dei Domine Iesu Christe, intercede pro nobis apud æternum Patrem, cum tamen Filius sit Sacerdos in æternum. Et nota sint testimonia Roma. 8. & Ebræ. 7. Et sit nota dulcis sententia Eusebij,quæ extat libro decimo historiæ Ecclesiasticæ Pag 112.

ὁ μέγας τῶν ὅλων ἀρχιερεὺς αὐτὸς ἱκανὸς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ, τὸ παρὰ πάντων εὐώδες θυμίαμα, καὶ τὰς διὰ εὐχῶν ἀναίμους καὶ ἀΰλους θυσίας, φαιδρῷ τῷ βλέμματι καὶ ὑπίσιας ὑποδεχόμενος· χρῆται γὰρ κατὰ οὐρανὸν παῤῥησίᾳ καὶ θεῷ τῶν ὅλων παραπέμπεται πρῶτος αὐτὸς προσκαιρῶν, καὶ μόνῳ τῷ παῤῥησίᾳ τὸ καταξίαν ἀπονέμων ἱκέτας. ἔπειτα δὲ καὶ πᾶσιν ἡμῖν ἐυμενῆ διαμένειαν, καὶ δεξιὸν εἰς ἀεὶ πρόσωπον. *Eusebius de intercessore Christo.*

18. Confundunt & obruunt Papistæ discrimen Legis & Euangelij, & horribiliter furit Thammerus, cum fingit Euangelium tantùm esse noticiam naturalem legis, & omnes homines habentes disciplinam iuxta legem, iustos esse coram Deo. Sciamus autem necessariam esse in Ecclesia doctrinam de distinctione Legis & Euangelij, & utrumque genus doctrinæ rectè & sine Sophistica intelligatur.

19. Vt igitur discrimen Legis & Euangelij sit in conspectu,definitiones tradimus, quas rectè & non calumniosè intelligi uolumus,aut magis concinnas tradi. Nec iam de politia Moysi,de Ceremonijs aut de foro loquimur, Sed de Lege æterna, quæ puerili appellatione nominatur Lex Moralis. Hanc definimus hoc modo. *Discrimen Legis & Euangelij.*

LEX MORALIS est æterna & immota sapientia & Regula iusticiæ in Deo, discernens recta & non recta, uolens recta, & horribili ira destruens contraria,cuius noticia in creatione rationalibus creaturis insita est, & postea sæpe repetita & declarata uoce diuina,ut sciamus quòd sit Deus, & qualis sit, & quòd sit Iudex, obligans omnes creaturas rationales,& præcipiens, ut omnes sint conformes ipsi, & habeant integram obedientiam iuxta totam Legem,& accusans ac destruens omnes non conformes, iuxta dictum: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Lege. Cum

autem in definitione sit uocabulum, immota, ex Euangelio adjicitur interpretatio, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem. Nam ante promissionem aliter iudicari non potuit, nisi iram prorsus immutabilem esse, Et sic est immutabilis, quòd Deus peccato semper irascitur & non sine pœna remittit, quam in Filium Mediatorem immensa bonitate & mirando consilio, transtulit: recipit autem creaturam suam propter Filium. Suntq; execrandi furores Stoicorum & Antinomorum, qui fingunt Deum uelle peccata.

20. Definitio peccati apud Iohannem rectè tradita est, ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Et insaniunt Papistæ, qui negant malam concupiscentiam esse ἀνομίαν. Et insulsissimè dicunt, legem tantùm de actionibus concionari, non de defectibus in natura, quæ sunt tristissima uulnera, uidelicet, carere luce Dei, fluctuare horrendis dubitationibus, uagari cœcis affectibus, de quibus malis inquit Paulus: Omnes carent gloria Dei, id est, Deo lucente in ipsis, & complente eos sua iustitia, ne sit peccatum in eis. Et Sycophanticè ludit Synodus Tridentina, confirmans errorem Papisticum de his ingentibus morbis in hac misera natura hominum. Cùm Paulus usus sit atrocissima descriptione: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum.

Lex etiam de defectibus concionatur.

21. Euangelium est prædicatio pœnitentiæ, & promissio quam non nouit ratio naturaliter, Sed reuelata diuinitus, in qua Deus adfirmat se gratis, non propter ulla nostra merita, aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Filij, credentibus in Filium, certò remittere peccata, & donare eis imputationem iustitiæ & reconciliationem, in qua Filius Dei uoce Euangelij consolatur & uiuificat corda credentium, & liberat eos à morte æterna, & facit eos templa Dei, dato Spiritu sancto sanctificãte eos, & accendente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, & donat hæreditatem uitæ æternæ credentibus, quòd propter ipsum gratis habeant remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, reconciliationem, & hæreditatem uitæ æternæ.

22. Falsa est imaginatio Pharisæorum, Papæ, Monachorum, quæ fingit, homines in hac immunditie naturæ mereri remissionem peccatorum, & iustos esse hac obedientia, quam homines utcunque præstare possunt Legi. Hoc somnium humanæ rationis clarissimè refutatur hoc dicto: Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro.

23. Sed Deus immensa bonitate instituit ministerium Euangelij, & ut ipse agnoscatur, & ut homines saluentur, in quo ministerio uult argui peccata omnium hominum, qui nascuntur in hac immunditie naturæ, uult & sonare promissionem de beneficijs filij. Et quidem uult argui cùm cætera peccata, quæ Lex ostendit, tùm hoc tristissimum peccatum quod in Euangelio ostenditur, quòd mundus ignorat & contemnit Filium Dei, & sicut impius Latro in cruce eum deridet, sicut maxima potentia in genere humano, Mahometica & Papistica, contumelijs adficit Filium Dei. Et rabies ingeniorum in Epicureis, & Præstigiatoribus quibuscunq;, ut in Ebione, Mahometo, Serueto, Thammero, & alijs multis, furentur oppugnat eum.

Mundus contemnens filium Dei.

24. Oppugnat eum & Stenckfeldius, cum non desinit uociferari, Deum communicare sese sine cogitatione doctrinæ scriptæ, atque ita abducit homines à publico ministerio, & à lectione & cogitatione doctrinæ, quasi frustra

Stenckfeldius abducit homines à publico ministerio.

filius

filius Dei protulerit externam Euangelij uocem ex sinu æterni Patris, & quasi frusta dictum sit in Psalm: Prædicabo præceptum, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Item, cum fides nitatur promulgato uerbo, qualis potest esse Fides sine cogitatione scriptæ doctrinæ? Tales Enthusiasmi fuerunt initia fuorum Anabaptisticorum, ut Pelargum & Monetarium audiuimus iactantes suos adflatus, & adspernantes doctrinam scriptam.

25. In ministerio diuinitus instituto, primus Sacerdos fuit ipse Filius DEI λόγος alloquens Adam & Heuam, arguens peccatum, & iram Dei ostendens, deinde & promissione edita reuocans morituros ex morte. Hic summus Sacerdos & deinceps adest ministerio Euangelij, & est in eo efficax, iuxta dictum: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, Roma. capite primo.

26. Ostendit Deus iram suam aduersus peccata, uoce ministerij & terroribus, de quibus dicitur: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et in Psalm: Veniet Deus noster, & non silebit, ignis deuorans antecedit eum. Ostendit item iram in horrendis spectaculis pœnarum alienarum & nostrarum, ac maximè in morte Filij. Vult igitur nos expauescere agnitione iræ suæ, uult nos assiduè clamare, Conuerte me Domine & conuertar. Ne illudatis, inquit Esaias uicesimo octauo, ne pœnæ uestræ fiant duriores. Non est enim conuersio ad Deum, nec fides in his, qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam, & securi uelut perpetua Bacchanalia agunt in tantis Ecclesiæ doloribus & ærumnis. Item, qui taxari Idola nolunt, siue intelligant quod agunt, siue non intelligant. 1. Corinth. 6. Ne erretis, Scortatores, Adulteri, Idolatræ &c. Regnum Dei non possidebunt. Et Esaiæ ultimo: Ad quem respiciam? ad adflictum contritum spiritu, & trementem sermones meos.

27. Nec uerò tantum arguuntur peccata uoce ministerij & iudicio Dei, sed offertur etiam uoce Euangelij promissio gratiæ, & quidem seuerissimè præcipitur uera agnitio Filij Dei, & præcipitur perterrefactis, ne fugiant Deum, nec ruant in æternas blasphemias, Sed ut credant sibi propter obedientiam Filij gratis certò donari remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, reconciliationem, liberationem à morte æterna, & uiuificationem, quæ fit per Filium, per quem & Spiritus sanctus datur, & hæreditatem æternæ iusticiæ & uitæ. Ac uera est Propositio, SOLA fide iustificamur coram Deo.

28. Idem dicit Paulus cum ait, Gratis fide iustificamur, Et damnandæ sunt corruptelæ Papisticæ, Osiandricæ, Thammericæ, quæ omnes reipsa similem Synecdochen fingunt: Fide præparamur, ut postea alia re iusti simus. Monachi dicunt, dilectione. Osiander nominat non uirtutes, seu effectus, sed causam efficientem, ait hominem fide præparari, ut postea iustus sit Deo ipso efficiente in eo nouas uirtutes. Sic interpretatur ipse iusticiam essentialem.

29. Etsi renatus est templum Dei, & uerissimum est eum gubernari à Deo, & in eo incoatam esse nouam obedientiam, sicut scriptum est: Dabo Legem meam in corda eorum: tamen renati in hac uita procul absunt à perfectione Legis, & hæret adhuc in eis magna moles peccati, multiplex ignorantia, magni fluctus dubitationum, multi errantes adfectus, aliâs stulta securitas, aliâs stulta trepidatio, multi lapsus ignorantiæ, turpis ingratitudo, Denique magnitudo peccati adhuc in nobis hærentis non penitus perspicitur, sed crescit agni-

Sanctorum infirmitas.

agnitio in exercitijs pœnitentiæ & in cruce. Et fatentur sancti suam immunditiem, & eam deplorant gemitibus inenarrabilibus. Sicut Psalmus inquit: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non est iustus coram te omnis uiuens. Hæc mala extenuare, & fingere hominem iustum esse coram Deo, propter nouitatem, seu propter iusticiam inhærentem, ut nominat Liber Interim, cœca Hypocrisis est.

Homo etiam post conuersionem sola fide iustus.

30. Sed retinenda est uera consolatio, quòd etiam post conuersionem homo sit iustus coram Deo sola Fide per misericordiam gratis propter obedientiam Mediatoris, sicut Paulus hanc consolationem proponit, Roma. 8. Quis condemnabit? Christus intercedit pro nobis &c. Non iubet nos confidere propter nouitatem, aut Essentialem iusticiam. Ita uera humilitas & pœnitentia crescant in agnitione nostræ infirmitatis, sicut Dominus inquit: Nisi egeritis pœnitentiam omnes similiter peribitis. Et retineantur certa consolatio, & inuocatio, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus, item ad Ephesios: Per quem audemus accedere in fiducia per Fidem ipsius &c. Et rectè dictum est ab Augustino: Totius fiduciæ certitudo est in precioso sanguine Christi.

31. Vt autem cœca arrogantia Hypocritarum taxanda est, qui fingunt se iustos esse coram Deo propter suam nouitatem, sic & furor Antinomorum execrandus est, qui, ut scriptum est, transferunt gratiam Dei εἰς ἀσέλγειαν, fingunt se iustos esse fide, etiamsi ruant in scelera contra conscientiam, & talibus sceleribus negant excuti Spiritum sanctum. His furoribus opponenda est sententia: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam. Non ideo Filius Dei sudauit sanguinem, non ideo in cruce mortuus est, ut licentia & audacia in sceleribus confirmentur.

Militiam bonam militare.

32. Vera est utraq; Propositio. Non estis sub Lege, sed sub gratia. Et: Manifesta sunt opera carnis. Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Et cum Paulus dicat, debitores sumus, non carni &c. nihil dubium est, nouam obedientiam necessariam esse eo ipso, quia hic ordo diuinus immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obtemperet. Et uocabula, necessarium & debitum, propriè intelliguntur de diuino ordine, non de extortis metu ab inuitis, quæ interpretatio peregrina est, ut non propriè dicitur: debes latroni pecuniam. Qualis incertitudo & uitæ confusio esset, dicere nouam obedientiam non esse necessariam, & ferere imaginationem, quasi concedatur licentia uiolandi legem Dei, contra conscientiam?

33 Nec tamen noua obedientia est meritum uitæ æternæ: Sed est sacrificium Deo debitum, & placens in his qui fide iusti sunt, & quidem placens propter Mediatorem, sicut ait Petrus, & habet ingentia præmia Spiritualia & corporalia iuxta consilium Dei, sicut inquit Paulus: Pietas habet promissiones præsentis & futuræ uitæ.

Sacrificium Spiritus.

34. Sacrificium Spiritus est opus mandatum à Deo, factum in agnitione & fiducia Filij Dei, ad hunc finem, ut Deo honorem tribuamus, id est, ut & testemur ea obedientia, nos agnoscere hunc uerè esse Deum iudicem & saluatorem quem inuocamus, & quem dicimus sic uelle coli, ut castitas Ioseph fuit Sacrificium.

35. Missa Papistica non solùm non est sacrificium, sed sine ulla dubitatione multiplex εἰδωλολατρεία est, propter quam Deus horribiliter irascitur mundo.

Negari

36. Negari non potest ueram esse propositionem, nihil habere rationem Sacramenti nisi in usu instituto. Non igitur oblatio Papistica & circumgestatio ad cœnam Domini pertinent.

37. Horrenda impietas est, quod Papa dictum ex Epistola ad Ebræos ad suam potentiam detorquet. Translato Sacerdotio, fit legis translatio, unde ratione natur, Papam posse instituere cultus, & peccatum esse uiolare traditiones factas in Ecclesia autoritate humana. *Impietas Papæ.*

38. Vox diuina adfirmat talia opera excogitata humana autoritate non esse cultus Dei, iuxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum.

39. Et cum opinio cultus assuitur ut in uotis Monachorum & similibus, manifesta & Ethnica εἰδωλολατρεία est.

40. Nec necessitatis opinio addenda est. Sed retinenda est doctrina firmissima Pauli. Nemo uos iudicet in cibo & potu &c.

41. Hanc doctrinam in Ecclesia retineri necesse est, ne Ethnico more cumulentur superstitiones, & ne laquei conscientijs injiciantur, & ne obscurentur beneficia filij Dei, & ne deleatur uera Dei inuocatio.

42. Totus ordo Politicus est opus Dei & testimonium de Deo, quod sit Deus conditor sapiens & iustus, discernens recta, & non recta, & destruens non recta, & quod uerè sit custos legitimæ societatis. Est autem Magistratus uindex, id est, Executor à Deo constitutus, ut externa scelera puniat, non tantùm pugnantia contra secundam tabulam, sed etiam contra primam: Sicut & Lex Moisi periuros, & blasphemos punit in sua Politia. *Ordo politicus est opus Dei.*

43. Debent igitur Reges & Principes, suo quisque loco, abolere impios cultus, & blasphemias, & seuerè punire blasphemos, ac remouere eos, ne contagia alijs noceant. Sed iudicia Ecclesiæ constituantur, in quibus pij & docti Magistratus sese membra Ecclesiæ esse sciant, & Iudices omnes Regulam teneant, ut iudicent iuxta Verbum Dei, Sicut Deut. 17. præceptum est, nec stabiliant Idola & errores propter uiciosam consuetudinem & cœcam φιλαυτίαν & propter alios errantes adfectus.

44. Hæc cura Magistratibus mandata est in Psalmo secundo: Et nunc Reges intelligite. Et Psalmo uicesimo tertio: Aperite portas Principes uestras, & aperiamini portæ mundi.

Deo gloria.

DE HIS PROPOSITIONIBVS DEO iuuante respondebunt Reuerendi uiri Paulus Eberus Kittingensis, Pastor Ecclesiæ Dei in oppido Vuiteberga, Cimbrius, Erasmus Lætus, M. Iohannes Cogelerus. Quedelburgensis, & M. Paulus Crellius Islebiensis, Die uicesimo octauo Nouembris. Anno 1559.

PROPOSITIO.

PRofessio, Quæ nominatur Apostolicum Symbolum, commonefactio est ad confirmandas & consolandas pias mentes utilissima. Vt autem in alijs Articulis aliæ commonefactiones propositæ sunt, ita in hoc Articulo: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, asseueratio est opposita multis horribilibus Scandalis, quæ turbant homines, ut dubitent, an sit aliquis cœtus Deo placens, *Credo sanctã Ecclesiam Catholicam.*

cens, distinctus à cæteris hominibus, & ubi & in qua parte generis humani sit illud agmen ã Deo electum.

2. In tantis confusionibus hominum & opinionum, & cùm ubique similia uicia, & similis fortunæ uarietas sit, disputant multi, fortasis omnes pariter casu nasci & occidere, & opiniones temere ortas & receptas esse.

3. Deinde in eo ipso cœtu, qui Christianus nominatur, quantum semper fuit, est, & erit horribilium distractionum, odiorum & furorum? Statim post Apostolos, quam portentosæ opiniones uagatæ sunt? Præter Ethnicos & Iudæos, fuerunt Ebionitæ, Marcionis colluuies, obscœna factio Carpocratis, & alij multi. Postea magis distractum est genus humanum in Samosateni, Manicheorum, Arij, Pelagianorum Sectas. Hoc tempore quam terribilis est γιγαντομαχία. Hæc scandala intuens homo non ferreus, ita cohorrescit, uix ut erigere se possit.

4. Sed tamen aduersus ea consolationem quæramus, & fides, ut immota rupes consistat, inquiens: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, & ueris gemitibus clamemus ad Filium Dei: Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ, Simul etiam quæramus, quæ & ubi sit uera Ecclesia, in qua certum est esse electos, qui sint hæredes æternæ salutis, & nos in ueram Ecclesiam includamus, iuxta hæc dicta. 2. Iohan. 1. Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Psalm: 26. Vnum hoc requiro à Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ.

Psalmo 83. Beati qui habitant in domo tua Domine.

Psal: 91. Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri florebunt.

2. Corinth: 6. Ne distrahamini in diuersa iuga cum gentibus.

1. Corinth: 10. Fugite idola.

Ecclesia uisibilis.

5. Nec loquimur de Ecclesia, ut de Idæa Platonica, sed uisibilem Ecclesiam quæri uolumus, quæ in hac uita est uisibilis congregatio omnium amplectentium Euangelij doctrinam incorruptam, & legitimum usum Sacramentorum in qua congregatione Filius Dei est efficax uoce Euangelij, & multos regenerat, & hæredes æternæ salutis efficit, etsi simul in hac uisibili congregatione multi sunt non sancti, sed tamen doctrinam eandem profitentes. Hæc descriptio congruit ad similitudines, Matth: 13. de Sagena missa in mare &c.

6. Sunt & ualde multi infirmi, qui habent contagia errorum, Sed tamen sunt dociles, nec pertinaciter defendunt idola aut prauas opiniones, euertentes fundamentum. Ideo dicitur: Infirmum in fide adsumite, ne turbatus obruatur fluctibus dubitationum.

7. Hac definitione Ecclesiæ constituta, manifestum est, excludi omnes homines & omnes cœtus, ubicunque sunt, qui profitentur doctrinam pugnantem cum fundamento, id est, qui aut palam abijciunt scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola, aut Ethnici, blasphemi Iudæi, Mahometistæ, & similes, aut cum uideri uolunt amplecti scripta Prophetica & Apostolica & Symbola, tamen sanciunt & defendunt contraria, ut Hæretici, Pontificij, Anabaptistæ, Seruetus, Stenckfeldius, & alij angeli Enthusiastici.

Norma iudicij delere Ecclesia.

8. Norma sit iudicij scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola, quæ reipsa sunt breues dogmatum recitationes, quæ in Scriptis Propheticis & Apostolicis sparsa sunt diuersis locis, nec sunt alia doctrina extra illos fontes.

Ponti-

9. Pontificij normam faciunt iudicij consuetudinem suam, ut Ethnici consuetudinem multorum seculorum opponebant Christianis, quia confirmatæ temporibus falsæ opiniones difficulter euelluntur ex animis, Sicut uerè inquit Aristoteles: ὡς ἐιώθαμεν οὕτως ἀξιοῦμεν λεγέσθαι, μᾶλλον τὰ παρὰ ταῦτα οὐχ ὅμοια φαίνεται.

10. Sed nos in Ecclesia scire oportet, hanc uocem diuinam anteferendam esse omnium hominum & seculorum exemplis & autoritati: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Item, Quicunq; aliud Euangelium docet, Anathema sit.

11. Multum adiuuamur ueræ Ecclesiæ testimonijs, sicut præceptum est, ut infirmiores à firmioribus doceantur, & erigantur, ac mandatum diuinum est, ut Ecclesiam audiamus doctricem, Sicut scriptum est: Nisi uitula mea arasse tis, non inuenissetis. Sed tamen conferenda est uox docentium ad Normam, & fides nititur uerbo Dei. Nec tantum hæc recens & barbarica colluuies Sacrificulorum & Monachorum consideranda est, Sed uniuersa antiquitas Ecclesiæ, & delectus adhibendus est.

12. Sciunt Staphylus, Canisius, Hosius, & alij plurimi, qui defendunt idola Pontificia, falsissimum esse, quòd iactitant, consuetudinem huius temporis in suo cœtu, consensum perpetuum esse Ecclesiæ, sciunt noua idola excogitata esse & stabiliri, quæ uetustas uicina Apostolis prorsus ignorauit, in quorum defensione cum manifestè contra conscientiam suam agant, deplorandi sunt.

13. Cùm prædictum sit, magnas opinionum confusiones in ultima & delira mundi senecta fore, necesse est consuli scripta Prophetica & Apostolica, iuxta dictum Iohannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

14. Et agnitam ueritatem amplecti necesse est, quia terribilis sententia prolata est contra blasphemos, Matth. 12. Blasphemia Spiritus non remittetur hominibus.

15. Et contumelioſum est aduersus Deum, dicere, Legem moralem, Articulos fidei, promissionem gratiæ & æternæ salutis in sermone Prophetico & Apostolico esse ambiguà & incerta dicta, ut notæ confusæ erant in foliis Sibyllæ, sicut Staphylus uociferatur. *Staphyli impietas.*

16. Adfirmamus igitur nos amplecti scripta Prophetica & Apostolica, & quidem in hac ipsa sententia, quæ in Symbolis expressa est, & nos uerè ciues esse Ecclesiæ Christi, & uerè Ecclesias nostras, quarum extat Confessio exhibita à Duce Saxoniæ Electore Iohanne & Marchione Brandeburgensi Georgio, & alijs quibusdam in conuentu Augustano, Anni 1530. esse partem Ecclesiæ Catholicæ Christi, & iniustè nobis obijci, nos esse desertores Ecclesiæ & Schismatum autores.

17. Sunt enim Schismatum & Scandalorum autores, etiamsi ordinariam habent autoritatem, plurium seculorum & multitudinis suffragia, qui uoci diuinæ aduersantur, sicut Elias dicit: Non ego turbo Israël, sed tu. *Autores Schismatum qui?*

18. Hæc præfati sumus ad consolationem multorum, qui præstigijs Pontificiorum turbantur de ordinaria autoritate, de longi temporis consuetudine, & de Schismatum calamitatibus multa tragicè uociferantium.

Nunc & capita quædam doctrinæ recitabimus.

19. Confitemur in filio Dei Domino nostro Iesu Christo nato ex uirgine, duas

Duæ naturæ sunt in filio Dei.

ne, duas esse naturas, τὸν λόγον æterni Patris coæternum, & humanam naturam assumtam ex uirgine, & adfirmamus in Iohanne, cùm dicitur, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, intelligi oportere λόγον ὐφισάμενον, uiuentem & intelligentem, & constanter damnamus Samosatenũ, Seruetum, Conyzam, & similes, qui astutè eludunt dicta Iohannis, & negant oportere intelligi λόγον ὐφισάμενον.

20. Duæ sunt adpellationes Filij, λόγος καὶ εἰκών, quarum altera declarat alteram. Cùm enim sit εἰκών, statuendum est, esse λόγον, quia λόγος est imago cogitatione genita.

21. Hac declaratione sæpius usi sunt ueteres Scriptores, sed extat & hæc apud Nazianzenum, dici λόγον, quia sit persona immediatè proferens Euangelium ex sinu Patris, quod Angelis & hominibus ignotum erat. Hæc declaratio illustris est, & magis intelligi potest, & docet nos de immenso beneficio Dei, quòd Filius ab initio ad Ecclesiam missus sit, & allocutus sit Patres, & promissionem patefecerit. Quare & ipse inquit: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.

Error Arianorum.

22. Damnamus & Arianos, qui dixerunt, τὸν λόγον εἶναι ἐκ μὴ ὄντων, ac læti inuocamus filium Dei coæternum Patri καὶ ὁμοούσιον, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes qui laboratis: & Prophetica & Apostolica scriptura docet inuocandum esse Filium.

Error Nestorij.

23. Qualis sit copulatio in Christo, τοῦ λόγου & humanæ naturæ, in cœlesti consuetudine discemus. Sed certò damnamus Nestorium, qui contendit tantùm societate auxilij, τὸν λόγον in Christo esse, ut fuit in Elia, aut alijs Sanctis. Sed unio est hypostatica τοῦ λόγου, & humanæ naturæ adsumptæ, ut gestetur humana natura à uerbo, non solùm inseparabiliter, sed ita etiam, ut nisi sic sustentaretur, illa massa prorsus interiret.

24. Etsi exemplum prorsus simile nullum est, tamen uetustas usa est hac similitudine: Sicut homo est unum ὐφισάμενον, habens animam & corpus, ita λόγος & assumta natura sunt unum ὐφισάμενον, cùm gestetur humana natura à diuina. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus & Iustinus, qui tamen addit correctionem: τίνες μὲν τὴν ἕνωσιν, ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ μὴ πάντα, γοῦν τί.

25. Damnamus & Eutychen, qui confusionem naturarum finxit, dixit diuinitatem mortuam esse.

26. Canitur nunc quoq; in Græca Liturgia precatio opposita Samosateno, Ario, Nestorio, & Eutychi, his uerbis: μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ, ἀθάνατος ὑπάρχων, καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκοθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου μαρίας, ἀτρέπτως ἐνανθρωπήσας σταυρωθείστε χριστὸς ὁ θεός, θανάτῳ θάνατον πατήσας, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς. Eam precationem rectè intellectam & nos probamus.

Spiritus sanctus est ὐφισάμενον.

27. Spiritus sanctus, de quo dicitur: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem &c. Item, Acto. 2. Dextera Dei exaltatus, promissionem Spiritus sancti accipiens à patre, effudit &c. non est motus creatus, sed est ὐφισάμενον procedens à Patre & Filio, ὁμοούσιον Patri & Filio.

28. Hanc confessionem opponimus non solùm Serueticis & Stancaro, qui falsas & uirulentas calumnias de nostris Ecclesijs spargit, sed etiam ipsis Diabolis, ut asseueratio nostra & ad posteritatem ostendat, nos constanter amplecti & retinere Symbolum Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum.

Non

29. Non casu,nec tantum ad ingentes miserias huius ærumnosæ uitæ nascimur,sed immensa bonitate Deus propter Filium,& per eum colligit æternam Ecclesiam,edita promissione gratiæ, quam ignotam omnibus creaturis Filius protulit ex sinu æterni Patris. *Summa doctrinæ Christianæ.*

30. Idem Filius Dei Dominus noster Iesus Christus mittens Apostolos, iubet eos in suo nomine prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum. Vult igitur argui omnia peccata, & Legem enarrari in ministerio Euangelico,sicut ipse Dominus,qui est finis & interpres Legis interpretatur Matthæi 5.& alibi,& uult hoc horrendum peccatum accusari, quod homines non norunt Filium, nec credunt in eum, sicut inquit : Spiritus arguet mundum de peccato,quod non credunt in me. Manifestum est autem propriè in Euangelio doceri,quis sit Filius, & quare missus sit.

31. Deinde uult & promissionem gratiæ,& salutis æternæ proponi, qua fit consolatio,quia credenti certò donantur gratis proter Filium remissio peccatorum,imputatio iusticiæ,Spiritus sanctus,et hæreditas æternæ salutis. Hæc sola fide accipiuntur,& cum accipiuntur, Spiritus sanctus excusitat in cordibus læticiam acquiescentem in Deo,inuocationem & alias uirtutes, sicut scriptum est: Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Item, Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

32. Hæc fiunt uerbo Dei cogitato,siue lectum,siue auditum sit.Nec communicat se Deus in iustificatione sine suo uerbo, ut fanatica Stenckfeldij turba fingit adflatus sine cogitatione uerbi Dei,cùm Paulus expressè dicat: Fides ex auditu est.

33. Et quidem sæpè comperimus monstrosa ingenia falsò iactare adflatus,& quia domicilia sunt Diabolorum,furiæ & πλάσορες fiunt urbium & gentium, Tales erant Monetarius,Multi in urbe Monasterienſi,& alij multi similes ueterum illorum Carpocratis,Marcionis, Montani &c.

34. Vtraq; concio uniuersalis est, concio arguens peccata, & promissio gratiæ. De peccato inquit Paulus Roma.3. Vt omne os obstruatur, & reus sit totus mundus Deo.Promissio uniuersalis est. Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis,Et ego reficiam uos,Et nihil dubium est,summum & seuerissimum præceptum esse,ut omnes homines credant filio Dei,iuxta dictum: Spiritus arguet mundum de peccato,quod non credunt in me.

35. Vtrumq; seueriſsime mandatum est, ut dolentibus consolationem proponamus,iuxta Euangelium de Filio Dei, & ut ipsi audiant & se sustentent cogitatione Euangelij,& repugnent dubitationi. Hoc cum faciunt, uerè trahuntur à Deo.Nam Deus uerbo trahit,non ut herbæ sine cogitatione medentur. Et ueri dolores & sensus consolationis discernunt hypocrisin à uera conuersione.

36. Vtrumq; sit certissimum,sensum consolationis testimonium esse præsentiæ Spiritus sancti,qui est Arrabo gratiæ, & assiduè confirmandam esse certitudinem in inuocatione,Sicut meminimus sanctam matronam non multo ante mortem dicere, Non se petere longam uitam,sed hæc se petere,ne extinguatur hæc consolatio,quam Deus cordi tribuisset. *Sensus consolationis est testimonium præsentiæ Spiritus sancti.*

37. Nititur autem hæc fides nec dignitate propria, nec qualitatibus propijs,sed ipso Deo & Mediatore agnito per uerbum. Sicut in Psalmo dicitur: Spero in uerbo eius,spero in Dominum.

38. Horrenda uox est,docere homines uocatos & dolentes, ut maneant in dubitatione, donec ui cogantur credere, sed doceantur potius, ut confugiant ad Filium Dei assidua inuocatione : Conuerte me Domine, & conuertar. Credo Domine,opem fer imbecillitati meæ. Petite & accipietis,Ephe : 3.in Christo habemus παῤῥησίαν καὶ προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ. Cum talibus consolationibus erigimur, fit hoc, quod uetus dictum inquit,Præcedente gratia,comitante uoluntate. Nec uoluntas quæ sanari incipit,iam se ut truncus habet,aut scopulus.Sed rectè dictum est,& quidem uerecundè,quod Nazianzenus scripsit : πᾶν τὸ κατορθούμενον παρὰ θεοῦ ἔξει, δέδοται δὲ τοῖς καλουμένοις,καὶ ὕυτω νεύουσι.

39. Hic processus à uerbo initium sumens,& intelligi potest, & usum habet in docendis & consolandis ijs,qui anguntur.Prius de electione disputare, est quærere non mandata,& implicare mentes incertitudini.

40. Nec sequitur ex hoc processu meritum stabiliri,Imò fides non accenderetur,nisi gratuitam misericordiam intueremur.

41. Remouemus igitur illa tum Manichæa, tum Enthusiastica, quæ fingunt uiolentam impressionem adflatuum expectandam esse, & interea dubitandum de gratia,quod cùm dicunt,pugnant cum hoc dicto : Sola fide iustificamur.

42. Simul etiam damnamus Pelagianos, qui sunt blasphemi contra Spiritum sanctum,& re ipsa tollunt articulum fidei : Credo in Spiritum sanctum. Imò grati hoc summum Dei beneficium,& agnoscimus,& expetimus,& celebramus.Quid enim dare maius potest quam seipsum ? sicut inquit : Effundam de meo Spiritu, Et quanta consolatio est in tanta infirmitate nostra, habere hunc παράκλητον gubernatorem & opitulatorem.

43. Datur autem cogitatione Euangelij,ut sæpè adfirmant dicta diuina, Gal.3.ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

44. Imaginatio Stoicæ necessitatis,est abyssus horribilium errorum & confusionum animi,Deum contumelia adficit, delet inuocationem, extinguit diligentiam in regendis moribus,& præcipitat mentes in desperationem.

Præsentia Dei. 45. Etsi igitur piè & constanter profitemur, Deum adesse omnibus creaturis generali actione, ut nominatur, id est, conseruatione substantiarum, donec conseruantur, sicut dulcissimè concionatur Psalmus, Domine probasti me, &c. & quanquam multa sunt fatalia, ut pœnæ scelerum, & translationes imperiorum, & multa in priuatis mirabiliter gubernantur: tamen regula constantissimè tenenda est : Deum non esse causam peccati,nec uelle,nec efficere, nec adprobare peccatum, nec impellere uoluntates ad peccandum.

Libertas regendi locomotiuam. 46. Etiam in non renatis reliqua est aliqua libertas regendæ locomotiuæ,ut usitatè nominamus, quia etiam post deprauationem generis humani manet neruorum talis natura,ut cogitatione impelli possint,ut cieant externa membra uel coerceant, ut Achilles quanquam ardet ira, tamen potest manus frenare,ne interficiant Agamemnonem.

47. Ac seueriss imè præcipit Deus etiam non renatis,ut disciplinam præstent,quæ est regere externos gestus,ut congruant ad externa opera Decalogi, & declarat iram suam aduersus uiolantes disciplinam horribilibus pœnis in hac uita,& nisi fiat conuersio,æternis post hanc uitam.

Nec ta-

48. Nec tamen hæc disciplina est impletio Legis Dei, nec iustitia coram Deo, nec meritum remissionis peccatorum & gratiæ.

49. Tristissima etiam sunt huius libertatis impedimenta, imbecillitas, quam nascentes nobiscum adferimus, & Diabolicæ insidiæ & impulsiones, quæ mala considerare debent conuersi ad Deum, ut confugiant ad filium Dei, & auxilium petant. Sic scriptum est: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

50. Quanquam ualde multa Deus in omnibus renatis ita agit, ut uoluntas humana se tantum ut subiectum patiens habeat, ut Paulus inquit: 2. Corinth. 1. Excellenter onerati fuimus supra uires, ut desperauerimus de uita. Item Ierem. 10. Scio Domine, quòd non est hominis uia eius. Et manifestum est humanam naturam imparem esse magnitudini certaminum & periculorum: Tamen regulæ tenendæ sunt de plerisq; actionibus, quæ testantur, aliquid esse loci diligentiæ nostræ seu uoluntati comitanti Spiritum sanctum, ut Ephesios 5. Videte quomodo accuratè ambuletis, non ut fatui &c.

51. Et certè manet natura neruorum in renatis, & quidem cor iuuatur & accenditur Spiritu sancto. Scipio abstinens ab aliena sponsa, regit tantum locomotiuam. Ioseph regit locomotiuam, Sed iuuatur cogitatione uerbi Dei, & Spiritu sancto incendente cor ad inuocationem Dei, & petitionem auxilij, & ad intellectum ac amorem castitatis. In hac lucta, etsi caro sentiebat infirmitatem, tamen mente seruit Legi Dei, & uolens uitat illecebras. Dauid uolens indulget illecebris, & effundit Spiritum sanctum. Hæc necessaria doctrina adsiduè cogitanda est, ut & diligentia & inuocatio accendantur, sicut mandatum est: Petite & accipietis. Et Timotheum iubet Paulus ἀναζωπυρεῖν donum Dei. Et ad Ebræ. 12. dicitur: Teneamus gratiam, per quam seruiamus bene placentes Deo cum reuerentia & cautione. Nam Deus noster ignis consumens est. Hæ commonefactiones sunt utiles uitæ, & intelligi possunt. Præstigiæ Sophismatum de coactione, nec intelliguntur, nec sunt utiles uitæ.

52. Damnamus & Pelagianos & Pontificios. Vtriq; enim fingunt posse Legi Dei in hac uita satisfieri, & homines mereri remissionem peccatorum, & iustos esse coram Deo propter propria opera, seu propter propriam obedientiam. Et adfirmamus ueræ Ecclesiæ doctrinam semper fuisse, esse & futuram esse hanc, Hominem sola fide coram Deo iustificari, propter Filium Dei gratis. *Pelagiani.*

53. Eadem est enim uox Prophetarum & Apostolorum, quòd accipiant remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ, & sint iusti imputata iustitia, & accepti Deo ad uitam æternam, propter Mediatorem Filium Dei per misericordiam gratis, sola fide, id est, fiducia misericordiæ, propter Mediatorem promissæ, non propter proprias qualitates aut uirtutes, aut propter iusticiam essentialem. Ideò Daniel inquit: Non propter iusticiam nostram, sed per misericordiam propter Dominum exaudi nos. Et Dauid inquit: Eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam. Et hæc fides accenditur per Spiritum sanctum cogitatione promissionis, iuxta dictum: Fides ex auditu est. *Eadem uox Prophetarum & Apostolorum, de iustificatione.*

54. Hanc esse sententiam Pauli in acerrima contentione de iustificatione, in Epistola ad Romanos, nihil dubium est, & hanc esse necessariam &

uerè ſalutarem conſolationem omnes pij intelligere poſſunt. Damnamus igitur corruptelas,quæ contra hunc articulum uariæ excogitatæ ſunt omnibus temporibus.Origenes,Thomas,& alij multi Synecdochen fingunt,Fidem intelligunt noticiam hiſtoriæ,& addunt hominem iuſtum eſſe coram Deo,propter ſequentem obedientiam, quam nominant dilectionem. Oſiander etiam Synecdochen facit,ut ipſe nominat,Sed ſplendidius loquitur,ait fide præparari hominem, ut fiat iuſtus ipſo Deo in eo agente, quod idem eſt, ac ſi diceret, hominem iuſtum eſſe ſequente nouitate.

55. Veriſimum eſt in Regeneratione ſeu conuerſione, fide accipi Spiritum ſanctum, & incoari nouam obedientiam, ſicut Paulus inquit, Per Chriſtum habemus gratiam & donum: Sed etiam de renato hæc neceſſaria conſolatio ſemper in hac uita retinenda eſt, quòd ſit iuſtus ſola fide, id eſt, habens remiſsionem peccatorum,& acceptus Deo ad uitam æternam, propter Mediatorem Filium Dei, quia certum eſt incoatam obedientiam nequaquam ſatisfacere Legi Dei, & nondum in renatis in hac uita reſtitutam eſſe conformitatem cum Lege,de qua dicitur: Deus erit omnia in omnibus beatis. Fatentur ergo & deplorant omnes Sancti peccatum in eis adhuc hærens, ut Roman.7. Video aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ,&c.Et in Pſalmo dicitur: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.Et Iob 9. Verè ſcio,quòd hoc certum ſit,quòd non ſit iuſtus homo coram Deo.Et cap.14.Quis dabit purum de polluto,ubi nullus eſt purus? Hanc molem peccati in corde ſecuri hypocritæ leuem eſſe ſomniant, ſed pij, qui habent exercitia pœnitentiæ,qui & dubitationibus, & multis errantibus motibus repugnant,hi aliquo modo & ſentiunt & deplorant naturæ uulnera. Ideo confugiunt ad filium Dei Mediatorem, & ſtatuunt ſe ſola miſericordia propter ipſum iuſtos reputari,& hæredes eſſe uitæ æternæ.

Renatus iuſtus ſola fide.

56. Falſum eſt igitur,quod Pontificij dicunt,bona opera eſſe merita uitæ æternæ.

57. Manet tamen æternus & immutabilis ordo ſapientiæ & iuſticiæ in Deo,ut creatura rationalis Deo obtemperet. Ideo uera eſt propoſitio: Noua obedientia eſt neceſſaria. Non addimus hanc particulam,ad ſalutem: ſed dicimus ſine ulla Sophiſtica neceſſariam eſſe, quia hunc ordinem ſanxit Deus. Et qualis barbaries eſt, offundere populo hanc imaginationem,quòd licitum ſit ruere contra conſcientiam in omnia ſcelera?

58. Damnamus & hanc falſam & barbaricam imaginationem Antinomorum,qua fingunt,non effundi Spiritum ſanctum delictis contra conſcientiam,cùm Paulus expreſſè dicat: Scortatores,Adulteri &c.non poſsidebunt regnum Dei,Et Iudæ 1. Transferunt gratiam Dei in ἀσέλγειαν.

Incoata iuſticia.

59. Quomodo autem placeat Deo incoata obedientia,quanquam valde languida eſt, rectè in Eccleſijs noſtris exponitur. Nam utrumque ſcire neceſſe eſt, & quomodo perſona ſit accepta, & quomodo placeant opera. Nam hæ quoq; barbaricæ uoces execrandæ ſunt, Deus non curat opera. Item,bona opera obſunt ſaluti. An Deus non curat opera,cum horrendam iram ſuam aduerſus peccata in toto genere humano ingentibus calamitatibus declaret? Quare etiam hoc docemus: Etſi bona opera non ſunt merita uitæ æternæ, tamen mereri ea mitigationem multarum pœnarum publicarum & priuatarum in hac uita, & donorum incrementa, iuxta hæc dicta:

Si nos

Si nos iudicaremus ipsi,non iudicaremur à Domino. Item, Date & dabitur uobis.

60. Cum igitur manifestum sit,Pontificios magna errata contra Legem Dei,& contra Euangelium defendere,& addere manifesta idola & parricidia, necesse est seiungi ab eis,iuxta dictum: Fugite idola. Nec tamen simus erro- nes,Sed ostendamus nos coniunctos esse cum eo cœtu, qui rectè docet,& non defendit pertinaciter idola, & opiniones cum fundamento pugnantes, quia Deus uult esse Ecclesiam,& consociationem cum Ecclesia, Et in hanc includa- mus nos,sicut dulcissimè dictum est in uersu Nazianzeni, ζητῶ νῦε κίβωτον, ὅπως μόρον ἀινὸν ἀλύξω. Hæc,ut supra dictum est,quotidie cogitanda sunt,cum dicimus: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam. *Pontificij fugiendi.*

61. Solebat dicere senex non ἄθεος Faber Stapulensis, illud Catonis: Quem fugiam habeo, quem sequar,non habeo. Fatebatur manifestè & fugi- enda esse idola Pontificia,Sed uidebat næuos in nobis, propter quos coniun- ctionem metuebat. Sed sciamus dictum Filij Dei: Beatus qui in me non fuerit offensus. Etiamsi est magna infirmitas in nobis, tamen Ecclesiæ conso- ciatio expetenda est,Et certum est,defensores idolorum & parricidas non esse Ecclesiam,& eorum societatem fugiendam esse. Erant & in Iudæa tristissimæ dilacerationes tempore Zachariæ,Simeonis, Iohannis Baptistæ,& tamen ho- rum coniunctio expetenda erat, etiamsi in horum auditoribus magna fuit in- firmitas.

62. Manifestum est,esse cultus Idolorum inuocationem hominum mor- tuorum,& adorationem panis in circumgestatione,& in Sacrificijs Pontificio- rum. Hæc idola perinde fugienda sunt,ut Ethnica.

63. Refutat inuocationem hominum mortuorum hæc uox expressè: Do- minum Deum tuum adorabis,& ipsi soli seruies. Et qualis amentia est,inuoca- re aliquid,à quo nescias te cerni & audiri? *Sancti non inuocandi.*

64. Dignum memoria est Lutheri dictum. Inuocationem hominum mor- tuorum eò quoq; detestandam esse,quia obscurat hoc illustre argumentum de Christo: Prophetica & Apostolica dicta docent inuocandum esse Messiam. Est igitur in eo natura diuina.

65. Cæterum historiam uniuersæ Ecclesiæ, seriem patefactionum Dei,per quos,ubi,quibus testimonijs doctrina repetita sit, quomodo Deus præsenti- am suam in Ecclesia ostenderit, nosse necessarium est, quantum hæc inquiri possunt. In ea consideratione gratiarum actio fiat ad Deum, confirmetur & fides exhibitis testimonijs,& cognitis piorum confessionibus. Expauescamus etiam intuentes horribilia uasa iræ,Saulem,Absolonem, fanaticos Doctores, Tyrannos,& ueris gemitibus petamus,ut Deus faciat nos uasa misericordiæ, propter Filium & per eum,sicut inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Deniq; amplissima sapientia est consideratio historiæ Sanctorum, remota eorum in- uocatione.

66. Fremant licèt omnes Hypocritæ & portæ inferorum, tamen hanc ueram doctrinam proponi necesse est: Non habet panis rationem Sacramenti extra institutum usum,quia Sacramenta sunt actiones certo modo diuinitus institutæ,quam sententiam cum Eccius refutare in colloquio Regensburgensi non posset,incensus ira,postea tantum uini hausit, ut mox secuta sit sæuissima febris.

67. Totum chaos rituum Ecclesiasticorum, qui hominum autoritate instituti sunt apud Pontificios, plenum est errorum, & fuit carnificina conscientiarum impediens fidem & inuocationem, finxerunt necessariam esse enumerationem delictorum, satisfactiones Canonicas, discrimina ciborum & similes ritus esse cultus Dei & merita, contenderunt peccata esse uiolationes traditionum, quæ humana autoritate in Ecclesia conditæ sunt. Hæc deliramenta manifestè pugnant cum his dictis: Frustra colunt me mandatis hominum. Et nemo uos arguat in cibo &c. Et tamen impudentia tanta est Esauitarum, ut tales ineptias defendant editis Sycophanticis scriptis.

68. Manifestè inquit Paulus: Prohibitionem Coniugij esse doctrinam Dæmoniorum. Et hanc prohibitionem Pontificij tuentur barbarica fœuitia, pellunt in exilia pias familias Sacerdotum, qui in coniugio uiuere malunt, alicubi etiam interficiunt eos. Talium scelerum defensores non esse Ecclesiam Dei, manifestum est, quia sunt organa Diabolorum, qui libidinum confusiones odio Dei confirmari uolunt, & sunt homicidæ.

69. Talium scelerum & factionum nos non esse socios lætemur, quia scriptum est: Non communices alienis peccatis. Et opponamus mandata Dei aduersarijs uociferantibus, nos esse Schismatum & Scandalorum autores. Difficile est non languefieri talibus criminationibus, & ingens rabies est Diaboli, qui circumit, ut leo rugiens, quærens, quem deuoret, qui & tyrannos & fanaticos Spiritus armat, ut maiores dissipationes faciant. Sed credimus hos nostros cœtus sonantes uocem Euangelij, Esse Ecclesiam Dei, & eum precamur, ut nos gubernet & protegat, Amen.

PROPOSITIONES DE IVDICIIS Ecclesiæ, de quibus disputabit Magister Dauid Voit, Lector Academicæ Regiomontanæ, die 15. Martij, Anno 1560.

1.

CErtissimum est Filium Dei uelle in Ecclesia iudicia esse de Doctrina & de Moribus, & nequaquam uelle infinitam licentiam esse ludendi delicijs opinionum, & præstigijs cauillationū, nec uelle exempla uitæ sine censura esse. De his iudicijs loquitur Dominus, inquiens, dic Ecclesiæ, & Paulus in secunda Epistola ad Corinthios, & 1. Timoth. 5. Et exemplum Synodi in Actis extat.

Iudicia in Ecclesia.

2. Rectè dicitur Normam Iudiciorum in Ecclesia esse scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola, quæ quidem sunt breues recitationes articulorum fidei, ex scriptis Propheticis & Apostolicis collectæ, ut simul in conspectu sit doctrinæ summa. Necesse est enim retineri dictum Pauli: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Et dictum Iohannis: Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Item, frustra colunt me mandatis hominum.

Esauita Viennensis.

3. Viennensis Esauita impudenter dicit, ineptum & ridiculum esse, à Scriptura petere certam sententiam de difficilibus religionis controuersijs. Tales uoces contumelioſas haud dubiè puniet Deus, & ostendere nos contrariam confessionem necesse est.

4. Nos dicimus ueram Ecclesiam Doctricem audiendam esse, sed tamen fidem niti uerbo Dei expresso in scriptis Propheticis & Apostolicis. Vult enim

enim Deus in Ecclesia ministerium docendi esse, Vult legi illa scripta, & moneri rudiores de genere sermonis,& ostendi membra & ordinem in uniuersa doctrina,non uult interpretes alia dogmata extra scripta Prophetica & Apostolica gignere.

5. Et manifestum est, collatione locorum, intentione & studio opus esse, Sicut Paulus inquit, Sis assiduus & intentus in lectione,doctrina & consolatione. Item,Sermo Christi habitet in uobis abundè in omni sapientia,& docete & commonefacite uos mutuo.

6. Huius studij rectrix est uox ueræ Ecclesiæ in docendo, Sicut dictum est: Nisi arassetis uitula mea,non inuenissetis.

7. Ac loquimur de ueræ Ecclesiæ uoce, ut cùm in Iudæa essent Pharisæi & Zadducæi,qui peregrinas interpretationes comminiscebantur, & quidem uocabulum Pharisæi significat interpretem, adeo glorioſum titulum illi sibi sumserunt,tamen præter hos erant uera Ecclesia uisibilis,Zacharias,Elisabeth, Simeon,Anna,Ioseph,Maria,soror Mariæ,& horum auditores multi.Hi cùm audiebantur,iudicari potuit, ipsi ne retinerent natiuam sententiam Prophetarum,an Pharisæi & Sadducæi. Ita nunc iudicari potest, an Pontificij, Anabaptistæ & alij hæretici retineant natiuam sententiam in scriptis Propheticis & Apostolicis,an uero nos: quanquam cum Pontificijs paucæ controuersiæ sunt τοῦ ῥητοῦ καὶ διανοίας, quia in plerisq; controuersijs Pontificij manifestè pugnant cum expressis præceptis diuinis. Vt cum iubent inuocare homines mortuos, cum iubent fieri adorationem panis in circumgestatione, cum iubent manere in dubitatione de gratia,cum affirmant homines satisfacere legi Dei externa obedientia,& iustos esse propria legis impletione, cum prohibent coniugium magnæ parti hominum,qui non sunt idonei ad cœlibatum, cum contendunt cultus Dei esse opera à Deo non mandata, imò perfectiones esse, ritus Monasticos,ut desertionem propriarum facultatum, ut scribit Canisius.

8. Deniq; multa sunt,ubi facilima est dijudicatio, uolentibus sine Sophistica iudicare:qualia & hæc sunt:Noua obedientia non est necessaria, seu bona opera non sunt necessaria.Homo habet se purè passiuè in malis & bonis operibus.Has portentosas & Diabolicas uoces detestamur, & dolemus tantam aliquorum audaciam esse,ut in Ecclesia Dei hæc sonare audeant.

9. Nec tantum docet auditores uera Ecclesia, sed etiam testimonio suo confirmat,sicut Dominus inquit: Et tu conuersus confirma fratres tuos. Item, Infirmum in fide assumite,ne dubitatione opprimatur.

10. Quanquam igitur opponunt Pontificij scripta Prophetica, obscura & incerta esse,tamen adfirmamus legentibus & adhibentibus piam collationem certa esse,Sicut Paulus inquit,Euangelium nostrum non est uelatum,nisi in his qui pereunt. Et cum æternus Pater de cœlo ediderit hoc mandatum de Filio,hunc audite,& filius proferat Euangelium ex sinu æterni Patris, non existimemus nobis offerri ambigua folia Sibyllæ. *Scripta Prophetica & Apostolica certa.*

11. Grauiter scripsit Epiphanius: τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα ἀλληγορίας δέεται, ἀλλὰ ὡς ἔχει, θεωρίας δὲ δέεται καὶ διαθέσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως δύναμιν. *Epiphanius de intellectu Scripturæ.*

12. Certè natiua uerborum significatio in lege morali, in promissione gratiæ & salutis æternæ,& in articulis fidei in Symbolis, & alibi,ubi proprio sermone recitantur,retinenda est.

13. Quod autem dicit Epiphanius sensu & speculatione opus esse,sensu intel-

ſu intellígit ſingula uocabula declarari.Senſu, id eſt,experientia diſcimus quid ſit dolor,pauor,mors,conſolatio, fides,lætícia, uita. Speculationem nominat dialecticum ordinem membrorum, definitiones, diuiſiones, diſtinctiones, iudicium de conſequentijs. Hæc non gignunt peregrinas ſententias,ſed natiuas rectè ordinant.

14. Quanquam igitur incidunt controuerſiæ ῥητοῦ καὶ διανοίας, tamen hæ dijudicandæ ſunt ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & ex his dijudicari poſſunt à pijs,qui doctrinam Eccleſiæ didicerunt, qui quidem & teſtimonijs ueteris Eccleſiæ,quæ nondum diſceſſerat ab Apoſtolorum ueſtigijs adiuuantur.

Anabaptiſtæ tollunt diſtinctionem Dominiorum.

15. Cum Anabaptiſtæ tollunt diſtinctionem Dominiorum & Politicum ordinem,propter hæc dicta. Da omni petenti te. Item,Non uindicantes uosmetipſi,refutantur collatione locorū. Alibi enim expreſſè comprobantur, Politicus ordo & diſtinctio dominiorum,& rectè inſtituti in Eccleſia norunt diſcrimen Legis & Euangelij,& diſcrimen æternæ iuſticiæ & Politicæ. Et ualet uera ſententia propter doctrinam certo à Deo traditam, quâ fides nititur, non propter autoritatem perſonarum iudicantium ſeu ordinis, ut arroganter fingit Eſauita,ualere determinationes in quæſtionibus dubijs,propter Pontificum & Epiſcoporum ordinem.

Iudicia Politica,& iudicia dogmatum, in Eccleſia diſſimilia.

16. Diſſimilia ſunt iudicia Politica, & dogmatum iudicia in Eccleſia. In Politicis ualet determinatio in quæſtione dubia, autoritate Regia ſeu prætoria,quia Deus armauit Magiſtratus hac poteſtate. Et neceſſe eſt obtemperare propter ordinis gradum,qui mandatum etiam habet tuendæ ſuæ ſententiæ gladio.

17. Et tamen nec Politica poteſtas habet autoritatem pronunciandi contra ius naturæ,ſeu diuinum nobis traditum. Sed cum incidunt quæſtiones de ijs,quæ non poſſunt demonſtrationibus extrui ex iure naturali, ibi propter probabilem rationem & autoritatem Magiſtratus ualet ſententia,quia negocia Politica ratione iudicari poſſunt.

18. Sed in iudicijs dogmatum non ualet ſententia propter autoritatem ordinis,Sed propter certa teſtimonia diuina. Quia neceſſe eſt Regulam retineri.Si quis aliud Euangelium docet,Anathema ſit.

Concilia errarunt.

19. Fuerunt Synodi aliquot quarum magna fuit frequentia,quæ ſceleratè errauerunt: In ſynodo Syrmienſi & Antiochena præſens fuit Imperator Conſtantinus,ubi magna frequentia Epiſcoporum decreuit in Chriſto nato ex Virgine non eſſe diuinã naturam.Sic errarunt & Ariminenſis,et Seleucienſis ſynodus. In Epheſina ſecunda tanti fuerunt tumultus,ut Antiochenus Byzantino defendenti ueritatem calces illiſerit,ex quo ictu intra triduum Byzantinus mortuus eſt,quam ob cauſam illa ſynodus nominatur λῃστικὴ.

20. Et multæ Pontificiæ ſynodi confirmarunt manifeſta idola,inuocationes hominum mortuorum,& adorationem panis in circumgeſtatione,&c.

21. Cum igitur manifeſtum ſit errare Synodos poſſe,neceſſe eſt quærere normam iudiciorum non errantem,ſcilicet ſcripta Prophetica, & Apoſtolica, & Symbola.Et quanquam aliquando errantium maior eſt multitudo,tamen ueritas in Eccleſia in aliquibus manet,iuxta dictum: Niſi Dominus reliquiſſet nobis Semen &c.Cum Apoſtoli Chriſto pendente in cruce conſternati tacent, retinent tamen lucem ueritatis Mater,& ſoror Matris,& conuerſus latro in cru-

in cruce,& pauci alij. Talibus exemplis consolemur nos nunc quoq; aduersus multitudinem eorum,qui crudelitatem contra ueram Ecclesiam exercent, & confirmemus nos testimonijs diuinis.

22. Veram confessionem edidit synodus Nicena de filio Dei,quæ adfirmauit,intelligi oportere λόγον ὑφισάμενον, cùm dicitur,ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. Etsi huius synodi testimonio & similibus admonemur & confirmamur, tamen fides nititur testimonijs, quæ extant in scriptis Propheticis & Apostolicis, quæ sine ambiguitate idem adfirmant.

23. Monachi contendunt in Paulo non esse retinendum τὸ ἐκ τοῦ, cùm dicitur: Iustificamur fide,gratis sine operibus Legis, Sed adfingunt peregrinam sententiam contrariam Paulo,dicunt esse Synecdochen: præparamur fide,ut dilectione iusti simus. Hæc Synecdoche refutatur perpetuo consensu Propheticæ & Apostolicæ scripturæ,quia expressè dicitur:Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Iob 9. Verè scio quòd non sit homo iustus coram Deo. Et ad Roma.3. Vt omne os obstruatur, & totus mundus reus sit Deo. Hac posita perspicua Antithesi, sequitur exclusiua, Sola misericordia propter Mediatorem coram Deo sumus iusti,quod dicimus, Sola fide. Sicut Paulus inquit,Ideò ex fide gratis,ut sit firma promissio. *Monachi corrumpunt textum Pauli.*

24. Hanc ueram,necessariam & dulcissimam consolationem delent Pontificij,Hosius & similes,qui adfingunt Paulo Synecdochen contrariam continuæ ipsius disputationi.

25. Simul autem cum fide accipitur consolatio,Spiritus sanctus est arrabo gratiæ,accendit in corde lætitiam acquiescentem in Deo & inuocationem, qua clamamus, Abba Pater,iuxta dictum: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

26. Manichæi adfingunt peregrinam sententiam huic dicto:Scio Domine,Non est hominis uia eius:ergo inquiunt,nec bona nec mala agunt homines, sed impelluntur coacti. At collatio perpetuæ doctrinæ in scriptis Propheticis & Apostolicis ostendit,Deum nec uelle,nec efficere peccata, sicut expressè dicitur:Non Deus uolens impietatem tu es.Et dicitur aliqua esse carnis iusticia, Est ergo delectus & libertas aliqua regendæ locomotiuæ. Nec necesse est Dauidem rapere alterius coniugem. Et quanquam bonæ actiones fiunt ducente mentem & corda Spiritu sancto,non tamen prorsus ociosa est humana uoluntas. Et tamen multa Deus in omnibus sanctis agit,in quibus uoluntas eorum tantùm est subiectum patiens.Et Deus mirabiliter regit euentus. *Manichæorum error.*

27. Ideò in Ieremiæ dicto non comprehendantur malæ actiones, & in bonis non excludatur cogitatio uerbi, & diligentia,de qua dicitur: ἀκριβῶς πρίπατεῖτε,μὴ ὡς ἄσοφοι.

28. Enthusiastica & Stenckfeldiana sunt,dicere manendum esse in dissidentia & fremitu aduersus Deum,donec rapi & cogi te sentias & credas. Imò regula tenenda est,Fides ex auditu est.A uerbo Dei exordiendũ est,& in ueris doloribus sustentemus nos promissione gratiæ, intueamur filij Dei sacrificium,& opponamus dubitationi consolationes diuinitus traditas, & simul misceamus precationes, sicut scriptum est,Petite & accipietis.Hæc cùm fiunt,certum est trahi mentes à Deo,& ueri dolores,& ueræ consolationes discernunt pios ab Hypocritis. *Stenckfeldij impietas.*

29. Hæc in uita usum habent,& à pijs intelligi possunt, ad quorum iudicia pro-

cia prouocamus. Sicut docet Psalmus. Expectaui Dominum. In uerbo eius speraui.

30. Hærent in omnium animis tristissimæ dubitationes, quibus non repugnare est profundum & magnum peccatum, quod gignit tetros fremitus aduersus Deum, qui tela ignita Diabolorum inuitant, contra quæ iubet Deus opponi cogitationem uerbi & precationem, sicut in Salomone dicitur: Omnis sermo Dei clipeus est igni purgatus sperantibus propter ipsum. Item, Orate ne intretis in tentationem. Hæc lucta sit assidua, semper in conspectu sint dicta certa & illustria, & misceatur precatio, ut Dominus inquit: Oportet semper orare.

Tentationes de indignitate.

31. Tentationibus de indignitate opponenda est doctrina de gratuita reconciliatione. Tentationibus uerò de Electione opponantur promissiones uniuersales, nec labefactemus fidei initia alienis disputationibus non mandatis à Deo, Sed simus memores dicti Syracidæ: Quæ Deus tibi præcepit, sanctè cogita. Non agit uerbum Dei sine cogitatione, ut fiunt magicæ actiones.

32. Horrenda impietas est Pontificij dogmatis, quod iubet dubitare de remissione peccatorum, sicut & synodus Tridentina decreuit.

33. Multæ controuersiæ dijudicari possunt ex Grammatica cognita Phrasi. Hosius argumentatur de sacrificio: Græci nominant administrationem cœnæ Domini λειτουργίαν, Igitur est sacrificium. At λειτουργία significat propriè ministerium publicum, & maximè conueniens nomen, est ad nostrarum Ecclesiarum consuetudinem, in qua minister publicè exhibet sumentibus.

Sacramenta.

34. Regula firmissima est, Nihil habere rationem Sacramenti extra usum institutum, quia nulla creatura habet autoritatem instituendi Sacramenta. Ergo Pontificiæ adorationes in oblatione & circumgestatione sunt idolorum cultus. Et regula tenenda est, Fugite idola. Necesse est autem & ueros usus discere, & in sumtione agnoscere nos Christo insitos esse, tanquam surculos & uerè participes esse summorum beneficiorum, quæ Ecclesiæ meruit, & pro eis gratias agere. Ideò dictum est, Hoc facite in mei recordationem.

DISPVTATIONES
DVAE,
PRIMA
DE IVSTICIA FIDEI.
SECVNDA
DE BONIS OPERIBVS.
HABITAE A BERNHARDO ZIGLERO D. THEOLOGIÆ.

DISPVTATIO PRIMA,
De iustitia Fidei.

I.

Fide iustificamur.

HVIVS PROPOSITIONIS, FIDE IVSTIFICAMVR, VARIÆ CORruptelæ, non solum hoc tempore, sed etiam olim excogitatæ sunt, quæ magna uigilantia cauendæ & refutandæ sunt, ne præstigijs Sophismatum inducantur tenebræ simplici ueritati, & obscuretur gloria

gloria Filij Dei, & uera ac neceſſaria conſolatio conſcientijs eripiatur.

II.

Cum autem de Iuſtificatione loquimur, neceſſe eſt hæc tria complecti, Remiſsionem peccatorum,& imputationem iuſticiæ,& donationem Spiritus ſancti, uiuificantis corda fide,id eſt, fiducia Mediatoris, in quo motu uerè fit hoc in nobis,quod dicit Chriſtus,Spiritus ſanctus glorificabit me. Tunc uerè agnoſcitur Mediator,Et ſimul fit incoatio nouæ obedientiæ.

III.

Perſpicua, æterna & immota Euangelij ſententia eſt,Agentibus pœnitentiam remitti peccata,non propter propria benefacta, ſed propter filium Dei gratis per fidem,qua & articulos omnes fidei credunt, & ſibi applicant articulum de remiſsione,ac ſibi ipſis remitti peccata credunt.

IIII.

Acto. 10. dicitur: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, accipere remiſsionem peccatorum per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Et ad Roman.3. Iuſtificamur gratis per gratiam ipſius, per redemtionem,quæ eſt in Chriſto Ieſu,quem propoſuit Deus propiciatorem per fidem in ſanguine eius.

V.

Nec obſcura ſunt hæc intelligenti,quid ſit Euangelium, & quod ſit diſcrimen Legis & Euangelij.

VI.

Cum Adam & Eua lapſi eſſent,norant Legem,& inde ratiocinabantur, ſe damnatos eſſe: Iuſticia Dei eſt immutabilis, Damnari inobedientes eſt iuſticia Dei,Ergo non mutabitur ſententia de damnatione. *Diſcrimen Legis & Euangelij.*

VII.

Hoc argumentum nulla creatura ſoluere potuit, Sed filius Dei inenarrabili conſilio & immenſa bonitate, motus miſericordia generis humani, factus eſt deprecator,Et illi argumento ſic reſpondit,ut Iuſticiæ Dei ſatisfieret, quia oportebat aliquem in genere humano pœnam ſoluere,fit decretum,ut ipſe adſumat humanam naturam,& fiat uictima.Ita ipſo deprecante,& in ſeſe deriuante pœnam,mirabili ſapientia,mixta miſericordia & iuſticia Pater reconciliatus eſt.

VIII.

Cùm igitur audirent uocem promiſsionis de Semine, intelligebant ſe recipi,& ſibi remitti peccata,propter illud uenturum Semen, non propter aliquam propriam compenſationem aut dignitatem.

IX.

Et particula excluſiua, GRATIS, quam ſæpè repetit Paulus,ſic intelligenda eſt,ut excludat noſtra merita à remiſsione peccatorum: Non autem meritum Chriſti,Quia oportuit iuſticiæ Dei ſatisfieri, pœna in Mediatorem deriuata. *Cur dicendum,Gratis remitti peccata.*

X.

Ac neceſſe eſt excluſiuam retineri propter has neceſſarias cauſas.

XI.

Primum ut tribuatur debitus honor filio Dei.

XII.

Secundò, ut conscientiæ in uera pœnitentia certam & firmam consolationem teneant. Quia si remissio pendêret ex conditione nostræ dignitatis, fieret incerta.

XIII.

Tertiò, ut inuocatio ad Deum fieri possit, quia conscientia dubitans an simus recepti, fugit Deum & non inuocat. Ideò scriptum est: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

XIIII.

Sunt qui impropriè excluſiuam interpretantur, quasi nihil agat uoluntas. Gratis, id est, Deus sine aliquo nostro motu concurrente, sine contritione, sine fide, infundit nouas qualitates.

XV.

Hæc interpretatio impropria est, non enim ideo tollitur meritum, quia nihil agamus, Sed ut Mediatori debitus tribuatur honos, & sit certa promissio.

XVI.

Quare non excluduntur Contritio & cæteræ uirtutes, quæ existunt in conuersione: Sed hoc adimitur eis, ne sint meritum, seu causſæ impulsiuæ remissionis peccatorum, & reconciliationis & iustificationis.

XVII.

Necesse est enim in conuersione aliquam esse contritionem, id est, aliquos pauores, & agnitionem iræ Dei aduersus peccata. Ideò dicitur: Agite pœnitentiam. Et apud Iesaiam: Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito, &c. Verè enim & horribiliter irascitur Deus omnium peccatis. Et hanc suam iusticiam uult aliquo modo agnosci: ideò & ingentibus calamitatibus onerauit totum genus humanum, ut ira conspiciatur, & ipsa uoce ministerij Spiritus sanctus arguit peccata. Certissimum sit igitur Deum ualde detestari carnalem securitatem, & uelle ut expauescamus agnitione iustissimæ iræ aduersus peccata.

XVIII.

Papistæ corrumpunt particulam Gratis.

Aduersarij uerba quidem huius propositionis retinent, quia toties à Paulo repetita & inculcata sunt, GRATIS IVSTIFICAMVR propter Christum per fidem: Sed aliam sententiam affingunt contrariam Euangelio. Negant enim hanc Propositionem, de qua Paulus propriè dimicat, Agentem pœnitentiam oportere credere, se ipsum recipi à Deo, propter Mediatorem gratis, Et expressè iubent dubitare, Anathema inquiunt sit, qui docet agentem pœnitentiam debere statuere, quòd uerè accipiat remissionem peccatorum, & placeat Deo.

XIX.

Huic doctrinæ de dubitatione necesse est constanter aduersari, quia manifestè delet promissionem Euangelij, & postea multæ corruptelæ sequuntur.

XX.

Sic intelligunt, gratis fide iustificamur, id est, aliquibus gratis infun-

duntur

duntur nouæ qualitates,ſed ita,ſi habeant profeſsionem doctrinæ de Chriſto, qualem habent & Dæmones,nemo tamen ſtatuat ſe iuſtum eſſe,aut placere Deo.

XXI.

Hæc tota imaginatio eſt ocioſæ mentis Philoſophica ſpeculatio. Sicut enim Philoſophi diſcernunt Heroicas uirtutes à communibus: Sic iſti dicunt in conuerſis accendi nouas & ardentiores uirtutes, quàm ſunt in alijs.

XXII.

Hoc quidem uerum eſt,ſed non ſatis eſt hoc docere, Nam conſcientia non docetur in pauoribus,quid ſtatuere de uoluntate Dei debeat.

XXIII.

Promiſsio autem ideo tradita eſt,& miniſterium Euangelij ideo inſtitutum eſt,& ſeruatur diuinitus,ut nos uoluntatem Dei ſciamus,& agnitione miſericordiæ Dei recipiamur,& ex pauoribus erecti donemur noua luce & uita.

XXIIII.

Affirmamus igitur agentem pœnitentiam oportere non ſolùm mutilam quandam fidem habere,hoc eſt,noſſe & credere articulos fidei ueros eſſe, ſicut credunt Dæmones,ſed oportere ſibi applicare articulum de remiſsione, Credo remiſsionem peccatorum,non tantum alijs dari Petro & Paulo: Sed credo etiam mihi ipſi uerè remitti omnia peccata propter Mediatorem. *Agentem pœnitentiam, oportet ſibi applicare articulum de remiſsione.*

XXV.

In hac conſolatione ſimul datur Spiritus ſanctus,& accenditur noua lux, iuſticia & uita,ſicut ad Galatas dicitur, ut promiſsio Spiritus donetur per fidem.

XXVI.

Affirmamus igitur etiam hoc,dari Spiritum ſanctum, & nouam iuſticiam ſeu nouam obedientiam incoari in hac uita.

XXVII.

Status autem huius controuerſiæ eſt,An cùm dicitur, FIDE IVSTIFICAMVR, intelligi neceſſe ſit fidem,quia ſibi quiſq; propter Mediatorem remitti peccata credit,De hac fide ſpeciali dimicatio eſt.

XXVIII.

Hanc reijciunt aduerſarij,& præcipiunt dubitare. Hæc corruptela multos alios errores confirmat,nihil eſſe imputationem iuſticiæ.Item,homines iuſtos eſſe propria legis impletione. Item promiſsionem Euangelij inanem ſonitum eſſe,nec editam eſſe,ut mentes conſoletur aut fide accipiatur,quia neceſſe aut pium ſit dubitare.Item,quanquam promiſsio eſt uniuerſalis, tamen cùm dubitatio præcipitur,tollitur hæc conſolatio,cùm mens in dubitatione Ethnico more cogitat, Fortaſſe ad me nihil pertinet promiſsio. Item, non intuetur mens Mediatorem,nec eo utitur,cùm exiſtimat in dubitatione manendum eſſe. Deniq; multi errores impliciti ſunt doctrinæ aduerſariorum de dubitatione.

XXIX.

Cùm igitur doctrina illa præcipiens dubitare,& falſa ſit,& deleat neceſſariam conſolationem,& excutiat ueram inuocationem: neceſſe eſt errorem illum refutari.

XXX.

Doctrina de fide applicante promissionem.

Teneamus igitur hæc præcipua & firma argumenta de fide, qua sibi quisq; applicat promissionem.

Primum, quod recitat Paulus ad Roma. 4. Promissionem fide accipere necessarium est, ut Paulus clarè affirmat, Ideò ex fide gratis, ut sit firma promissio. Accipere autem promissionem fide, est repugnare dubitationi, & nos singulos de nobis statuere, pertinere ad nos reconciliationem, Ergo repugnare dubitationi necessarium est.

Secundum, Si non est facienda applicatio, frustra est edita promissio, & frustra sonat in Ecclesia uox absolutionis. Cur enim autoritate diuina pronunciatur hæc sententia, Remittuntur tibi peccata, si simul præcipitur dubitatio. Ioh. 5. dicitur, Qui non credit Deo, accusat eum mendacij. Quid aliud fit ab ipsis præcipientibus dubitationem? Certè Dauidem oportuit credere uoci Nathan, Dominus abstulit peccatum tuum: Ita & nos in Ecclesia uerè debemus absolutioni credere, tanquam uoci Dei de cœlo sonanti.

Tertium, Iustificati fide pacem habemus. Manifestum est dubitatione non effici pacem conscientiæ, sed magis augeri pauorem. Vult autem Paulus talem esse fidem, quæ pacem efficiat in conscientia, & quidem accedat ad Deum, ut Roma. 5. dicitur. Necesse est igitur hanc fidem intelligi de speciali, quæ repugnat dubitationi, & perterrefactis mentibus lenit dolorem, cum acquiescunt in Mediatore.

Quartum, Tollens hanc fidem specialem, tollit usum Mediatoris, quia dubitans an recipiatur, non amplectitur beneficium Mediatoris, sed relinquit eum tanquam otiosum, nec accedit ad eum, confugiens ad ipsius intercessionem. Hæc autem fuga mentis pugnat manifestè cum his dictis: Ad Roma. 5. Per hunc habemus accessum &c. Ad Ephes. 3. Per quem audemus accedere, & fiduciam habemus per fidem in ipsum. Hæc descriptio satis perspicuè ostendit postulari talem fidem, quæ sit fiducia accedens ad Deum, & multis insignibus uerbis eam illustrat, ut mens pauida & dubitans attrahatur ad Deum adiuncta Mediatori.

XXXI.

Hæc argumenta perspicua sunt omnibus, qui norunt exercitia pœnitentiæ & fidei. Qui uerò tam manifestis argumentis & testimonijs Pauli repugnant, ostendunt se uelut Ethnicos, nec pœnitentiæ nec fidei exercitia nouisse, & indulgere dubitationibus, quarum plena sunt hominum pectora, ut clamores multorum in ærumnis ostendunt, qui tunc ostendunt suas dubitationes, ut 4. AEneid. inquit rex impius:

Nos munera templis,
Quippe tuis ferimus: famamq; fouemus inanem.

Talis est inuocatio remouentium Mediatorem Filium Dei & fidem.

XXXII.

Etsi autem Sanctorum animi etiam in hac uita ingentibus dubitationum fluctibus sæpè concutiuntur, tamen pij promissionem diuinam opponunt, & repugnant dubitationi, & in Mediatore acquiescunt.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

De bonis operibus.

I.

PDeo immensa bonitate Dei & conditum est genus humanum, & redemtum, ut sit Ecclesia, cui Deus suam sapientiam & iusticiam communicet, & in qua uicissim agnoscatur, & in omni æternitate celebretur. Postquam igitur fide Mediatoris recepti sumus, restituuntur in nobis obedientia congruens cum uoluntate Dei, & uita æterna, ut celebremus Deum in lætitia & gratiarum actione in omni æternitate. *Genus humanum, cur conditum & redemtum.*

II.

Quare nequaquam existimandum est, ita nos receptos esse, ut nulla in nobis conuersio ad Deum & mutatio fiat, sed adhuc regnet peccatum, & securi laxemus frenos cupiditatibus: Sed necesse est in hac uita incoari nouitatem Spiritus, sicut expresse affirmat Paulus, inquiens: Superinduemur, si tamen non nudi inueniemur. *Conuersio necessaria.*

III.

Nec ideo Filius æterni patris Dominus noster Iesus Christus crucifixus est, & iram horrendam in se deriuauit, ut nos furenter ruamus in omnia scelera, & somniemus libertatem, quæ sit ἀνομία, cùm potius uelit nos ad imaginem suam restitui, sicut Paulus inquit: Oportet nos fieri similes imaginis filij Dei.

IIII.

Cùm latro in cruce conuersus est, & fide receptus, simul incoata est in eo noua obedientia, & multa bona opera simul extiterunt, pœnitentia seu contritio, fides & agnitio Dei, & agnitio huius Messiæ ibi pendentis, Agnitio iræ Dei aduersus peccata, ingens dolor animi deplorantis sua scelera, & multiplicem contumaciam, fides accipiens remissionem peccatorum, & uitæ æternæ hæreditatem propter Messiam, fiducia misericordiæ & præsentiæ Dei in ijs ærumnis quas sustinebat, dilectio Dei, & προαίρεσις bona obediendi Deo, quæ est Iusticia uniuersalis, spes liberationis, patientia subijciens animum Deo in hac tristi pœna, inuocatio, confessio, refutatio blasphemiarum. Deniq; huius latronis conuersio insigne exemplum est uniuersæ Ecclesiæ propositum, ut multa inde discamus omnes. Primùm ut cogitemus nos quoq; tanquam ibi pendentes reos esse, damnatos & calamitosos. Deinde, ut statuamus gratis nobis donari remissionem peccatorum, nos uerè recipi, et fieri hæredes uitæ æternæ, propter filium Dei, Et fides in hac consolatione in corde lætitiam pariat, excuscitet nos ad inuocationem, patientiam, confessionem, & refutationem malorum dogmatum. Hoc modo latronis exemplum intuentes, reijciamus ineruditorum clamores, qui dicunt in latrone conuerso non fuisse bona opera.

V.

Semper autem in hoc capite de noua obedientia, seu de bonis operibus, hæ sex quæstiones comprehendendæ sunt: *Quæstiones de noua obedientia.*

Quæ bona opera fieri necesse sit.

Quomodo fieri possint, & quæ causæ concurrant.

Quomodo placeat Deo noua obedientia.

Quæ ſint cauſſæ neceſsitatis.
An maneant peccata in hac mortali uita in renatis.
De diſcrimine peccatorum.

DE PRIMA QVÆSTIONE.

VI.

Lucerna pedibus meis uerbum tuum, inquit Propheta. Vult enim Deus immenſa bonitate ſua nos uoce regi, non uult nos noſtris imaginationibus, opera & cultus excogitare, ut horribili audacia fecerunt Ethnici, qui ſubinde noua numina excogitarunt, deleuerunt & leges morales, ut lege Laconica licuit de alterius uxore cum eius marito paciſci. Et omnibus ætatibus Diabolus aliquos incitat ad excogitanda noua dogmata, & cultus nouos, ut in ea multitudine, quæ nomen habet Eccleſiæ, ſæpè falſa dogmata ſparſa ſunt, & excogitatæ prauæ inuocationes, ut inuocatio mortuorum & idolorum, leges cœlibatus, & Monaſtici cultus. Aduerſus hanc audaciam humani generis tenenda eſt doctrina, Fruſtra me colunt mandatis hominum. Et ſciendum eſt, normam incoatæ obedientiæ oportere eſſe præcepta Dei, quorum ſumma in Decalogo comprehenſa eſt, quem ſapienter intelligi, iuxta declarationem à Chriſto & Apoſtolis expreſſam oportet. Ideò dictum eſt: Si uis in uitam ingredi, ſerua mandata.

Norma incoatæ obedientiæ.

VII.

Hæc noua obedientia non eſt tantum externa diſciplina, Sed etiam in corde noua lux, uera Dei agnitio, fides, timor Dei, fiducia, dilectio, ſpes, uera inuocatio, conſtantia ſeu firmitas in uera ſententia, fortitudo, temperantia, amor, caſtitas, & aliæ uirtutes. Etſi autem in hac mortali uita ſimul in nobis multum eſt caliginis & ſordium, tamen incoari uirtutes, quas nominauimus, & eſſe in nobis iuſticiam bonæ conſcientiæ neceſſe eſt. Nec poſſunt uera inuocatio, & fides, quæ eſt fiducia miſericordiæ, ſimul eſſe cum mala conſcientia, id eſt, cum προαιρέσει delinquendi.

Noua obedientia quid?

DE SECVNDA QVÆSTIONE, *uidelicet de cauſis.*

VIII.

Illuſtria teſtimonia ſunt ueri & magni amoris in Deo erga genus humanum, quòd & in creatione in nos transfudit ſuæ ſapientiæ & iuſticiæ radios, & deinde Filium pro nobis uictimam eſſe uoluit, ne totum genus humanum periret, & quòd in nos effundit Spiritum ſanctum, qui eſt ὁμοούσιος æterno Patri & Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto.

IX.

Nec uerò maius ac melius quicquam dare Deus poteſt, quàm hanc talem ſocietatem ſui Spiritus, quo nos cum diuinitate copulat, & accendit in nobis ueram lucem, iuſticiam & uitam. Suntq; execrandi furores Pelagianorum, qui horrenda impietate & ingratitudine negant Eccleſiæ dari Spiritum ſanctum, & ſuperbè affirmant homines Legi Dei ſatisfacere poſſe propriis huius miſeræ & languefactæ naturæ uiribus.

X.

Etſi & non renati aliquo modo poſſunt externa Legis opera facere, quia

quia ut disciplina in toto genere humano seruetur,& seruari possit,uoluit Deus hanc libertatem reliquam esse, qua uoluntas humana regit externa membra,seu locomotiuam,ut usitatè loquimur, tamen sine auxilio Spiritus sancti non incoatur interior obedientia. *Libertas in natura hominis reliqua.*

XI.

Datur autem Spiritus sanctus,cum in conuersione seu pœnitentia uocem Euangelij audimus & cogitamus,& corda fide eriguntur, & in ea consolatione sustentantur agnitione misericordiæ Dei,& incipiunt acquiescere in Deo, eum iuuocare,& ut Paulus inquit,clamare Abba pater. Ideò Paulus nominat Euangelium ministerium Spiritus. Item,Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et in Zacharia dicitur: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum, uidelicet quo moueamur, ut assentientes uoci Euangelij statuamus nos esse in gratia,& hac fide accedentes ad Deum inuocemus, &c.

XII.

Concurrunt itaq; hæ causſæ,uerbum Dei, & Spiritus sanctus illustrans mentem,& adiuuans uoluntatem,& uoluntas non repugnans, sed assentiens, & quidem cum iam iuuetur Spiritu sancto, luctans & ipsa cum infirmitate nostra,& non indulgens diffidentiæ,& alijs uitiosis affectibus. *Causæ concurrentes in uera conuersione.*

XIII.

Nequaquam enim ita cogitandum est,Indulgebo diffidentiæ aut prauæ cupiditati,donec sensero mihi uelut coacto,alios nouos motus insitos esse,Sed luctetur uoluntas,ne repellat Spiritum sanctum: Nec sensus seu experientia præcurrat fidem,ut cùm exploras an aqua calida sit aut frigida,Sed fides antecedat sensum aut lætitiam in corde. Rectè igitur dictum est: ἕλκει μὲν ὁ θεὸς, βυλόμενον δὲ ἕλκει. Et istud Augustini: Præeunte gratia, comitante uoluntate.

XIIII.

Non sit igitur ignaua uoluntas,præsertim cum Spiritus sanctus restituere libertatem cœperit, seuerè imperet externis membris, pugnet ut retineat Dei donum. Quare Paulus præcipit: Ambulate accuratè,non ut fatui,id est, quibuslibet opinionibus sine iudicio applaudentes,& ruentes quo impellunt errantes cupiditates. Et in Psalmo dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus. Et cum uerè dictum sit: Vitare peccata, est uitare occasiones peccatorum,aliquis est locus diligentiæ humanæ in uitandis occasionibus, ut Ioseph uitabat colloquia familiaria dominæ. Agamus autem Deo gratias totis pectoribus,quod in hac magna imbecillitate nos luctantes suo Spiritu adiuuat, regit consilia in multis rebus,quæ humana prudentia regi non possunt, flectit uoluntatem ad bona,reprimit temerarios impetus cordis, dat bonos exitus in negocijs inextricabilibus,& confirmat mentes & uoluntates, ne à Deo deficiant. Sicut Paulus inquit,Roma.8. τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν.

DE TERTIA QVÆSTIONE,

Quomodo placeat noua obedientia.

XV.

Cùm in hac mortali uita nobis in conspectu sint multæ nostræ sordes, excruciant animos, & impediunt inuocationem hæ dubitationes assiduæ,

an placeamus Deo, an tales exaudiat, an tales fecerit hæredes uitæ æternæ. Necesse est autem discrimen esse Ecclesiæ Dei,& omnium aliorum hominum, qui non sunt uera membra Ecclesiæ Dei. Dubitant de uoluntate Dei erga se uiri præstantes uirtute, Aristides, Xenophon, Atticus. Sed Abraham, Petrum, Paulum, necesse est non dubitare, an Deo placeant, an sint in gratia,an exaudiantur à Deo,iuxta illud: Omne quod non est ex fide peccatum est.

XVI.

Quomodo placeant Deo membra Ecclesiæ.

Quare maximè necessarium est,in tanta dissimilitudine & infirmitate uirtutum,certò scire,quomodo placeant Deo membra Ecclesiæ.Quanta dissimilitudo est Eliæ,& mulieris meretricis conuersæ? Et tamen mulierem conuersam quoq; necesse est statuere,se receptam esse, placere Deo, & exaudiri à Deo.Nisi enim hæc fides in ea luceat,non accedit ad Deum nec inuocat.

XVII.

Vt igitur hæc doctrina perspicua sit,hoc ordine præcipua membra comprehendi possunt. Primùm sciamus mandatum Dei æternum & immotum esse,ut singuli conuersi ad Deum statuamus recipi & placere personam propter filium Dei Mediatorem,gratis,etiamsi adhuc in nobis reliqua est magna infirmitas,& multæ sordes. Secundò, agnoscamus nos nequaquam satisfacere Legi Dei,& adhuc circumferre in nobis peccata, & hanc nostram infirmitatem ueris gemitibus deploremus. Tertiò, Et tamen sciamus Deum postulare,ut sit in nobis incoata obedientia, fides & iusticia bonæ conscientiæ, & hæc opera ipsi placere in reconciliatis propter Mediatorem fide.

XVIII.

Horum trium membrorum consideratio necessariam doctrinam & consolationem continet, Prohibet arrogantiam propriæ dignitatis, & tamen ostendit portum,scilicet Mediatorem,ac iubet eluctari ex dubitatione, ac statuere nos esse in gratia propter Mediatorem.Et de amplitudine misericordiæ Dei nos commonefacit, cùm affirmat etiam hanc incoatam & mendicam obedientiam in reconciliatis, quorum magna dissimilitudo est,Deo placere.

XIX.

Multæ pernicioſæ alucinationes sunt eorum, quorum scripta extant de hac quæstione. Alij iubent semper in dubitatione manere, an placeamus Deo,Alij signa colligere docent in nostris operibus. Sed utriq; errant,ignorantes discrimen Legis & Euangelij.Promissioni credere necesse est, & mentes deducendæ sunt, ad intuendum Mediatorem, & ad promissionem firma fide & spe amplectendam,non ad munditiem nostram magnificiendam, de qua Psalmus dicit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

DE QVARTA QVÆSTIONE,

Scilicet de caussis, cur necessaria sit noua obedientia.

XX.

Cur sit noua obedientia necessaria.

Et tamen semper manet sententia uerissima, Necessariam esse incoatam obedientiam, & ut suprà dixi, cum fide iusticiam bonæ conscientiæ.

Et ne-

Et neceſsitatis cauſa eſt,non tantum ut ſeruiatur proximo,ut quorundam fuit agreſtis oratio, Sed alia principalis eſt, uidelicet,debiti,quod non ſignificat coactionem ſeu uiolentiam,ſed æternum & immotum ordinem, quo creatura rationalis uniuerſaliter Deo ad obedientiam obligata eſt, Ideò & Paulus inquit: Debitores ſumus. *Neceſsitas non ſignificat coactionem.*

XXI.

Deinde accedunt & plures cauſæ. Neceſsitas à cauſa formali ſumta eſt, quod cum conuerſio reuera complectatur hos motus,timorem Dei, conſolationem,nouam lucem,agnitionem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & fiduciam acquieſcentem in Mediatore,dilectionẽ,inuocationem, ſpem, nec poteſt quidem eſſe & retineri fides,quæ eſt fiducia miſericordiæ, niſi ſimul ſint aliæ multæ uirtutes. Hæc non ſunt obſcura mediocriter eruditis, & non ignorantibus uera exercitia pœnitentiæ & inuocationis.

XXII.

Datur uita æterna propter filium Dei,non propter noſtram dignitatem. Et ſpes uitæ æternæ ſit certa propter Mediatorem, non propter noſtram dignitatem,iuxta illud: Qui gloriatur,in Domino glorietur. Item, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et tamen bona opera merentur multa præmia ſpiritualia & corporalia,quæ dantur tum in hac uita, tum poſt hanc uitam,ut multæ triſtes pœnæ publicæ & priuatæ mitigantur propter pœnitentiam,& bona opera aliquorum in Eccleſia, iuxta illud: Conuertimini ad me,& ego conuertar ad uos.

XXIII.

Non dubium eſt comminationes diuinas ratas eſſe, ac Deum uerè iraſci peccatis,iuxta illud: Deus ignis conſumens eſt. Et haud dubiè punit peccata in hac uita,& poſt hanc uitam,in his qui non conuertuntur. Rurſus etiam promiſsiones legales,id eſt,quæ promittunt præmia pro operibus, ratæ ſunt reconciliatis,etiamſi legi non ſatisfacimus: Sed quia placet obedientia in reconciliatis,meretur præmia in illis legalibus promiſsionibus propoſita, ut, Date & dabitur uobis. Item,Qui dederit potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam,habebit mercedem. Vult Deus & talibus promiſsionibus exerceri fidem,Nec dubium eſt hæc promiſſa præſtari.

DE QVINTA QVÆSTIONE,

An ſint peccata in renatis,in hac mortali uita.

XXIIII.

Manifeſtum eſt caliginem & magnos dubitationum fluctus in mentibus eſſe,manifeſtum eſt & multa magna incendia eſſe uicioſarum cupiditatum in renatis: Manent igitur peccata in renatis in hac mortali uita,uidelicet radix, de qua dicit Paulus, Senſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum,& huius radicis fructus, dubitationes & uitioſi affectus,& multa errata, quæ per ignorantiam accidunt,& magnæ neglectiones ſeu omiſsiones, ut uſitatè loquimur, in omnibus. *Peccata in Sanctis.*

XXV.

Sed donec reconciliati repugnant prauis motibus,& non ruunt contra conſcientiam, ac retinent fundamentum, & fide propter Mediatorem ſtatuunt tegi hæc mala, manent in gratia, & non effundunt Spiritum ſanctum.

Suntq;

Suntq; hæredes uitæ æternæ, sicut inquit Paulus: Nulla nunc condemnatio est his qui in Christo Iesu ambulant.

XXVI.

Sed qui scientes ruunt contra conscientiam, aut qui non retinent fundamentum, & impia dogmata amplectuntur, & pertinaciter stabiliunt, etiamsi cœco errore peccant ignorantes, ut multi ab Arianis seducti, tales effundunt & contristant Spiritum sanctum, & nisi conuertantur ruunt in æternum exitium, sicut Paulus inquit: Si secundum carnem uiuetis, moriemini. Item, Qui facit peccatum ex Diabolo est.

DE SEXTA QVÆSTIONE,
Videlicet, de discrimine peccatorum.

XXVII.

Nequaquam igitur fingenda est ἀνομία, & confirmandi furores multorum, qui cùm audiunt fide homines iustos esse, & manere in renatis peccata, sibi indulgent, & ruunt contra conscientiam, ac interea sibi blandientes, somniant se iustos esse, & placere Deo, cùm non sint simul mala conscientia, id est, propositum delinquendi, & fides, quæ est fiducia misericordiæ: Et contristent & effundant Spiritum sanctum, ruentes contra conscientiam.

Fides & propositum delinquendi, non sunt simul.

XXVIII.

Manifestum est ex dicto Euangelij, Matth. 12. Tunc uadit, & assumit alios septem spiritus &c. Item, Qui stat, uideat ne cadat, & ex alijs multis testimonijs & exemplis, renatos labi posse, & lapsos amittere gratiam & Spiritum sanctum, & reos fieri æternæ pœnæ. Et de Aaron dicitur, Deut. 9. Aduersus Aaron quoq; uehementer iratus est Dominus, & uoluit eum conterere.

XXIX.

Gradus à Paulo constitutus est, cùm inquit: Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Item, Manifesta sunt opera carnis, &c. Talia facientes regnum Dei non possidebunt. Vocat manifesta, quòd in quolibet iudicio conscientiæ agnosci & damnari possint.

XXX.

Itaq; propter lapsus contra conscientiam gratia amittitur, & excutitur Spiritus sanctus. Ac distantia infinita est inter lapsus contra conscientiam, & alia peccata, quæ non excutiunt Spiritum sanctum.

XXXI.

Vsitatæ sunt appellationes, nominare peccata mortalia, quibus admissis amittitur gratia: Venialia uerò caliginem & ἀταξίαν, quæ nobiscum nascuntur, & uitiosos affectus, quibus tamen repugnamus.

XXXII.

Errant autem furenter Monachi, qui dicunt uenialia esse paruas ordinis conturbationes præter legem, non contra legem. Nam certum est uitia reliqua in nobis, esse mala pugnantia cum lege Dei, ut Paulus Roma. 7. perspicuè affirmat. Nec extenuanda est turpitudo huius ἀταξίας, sed agnoscendum & celebrandum beneficium Mediatoris, qui est umbraculum, quo hæc peccata teguntur.

Peccata uenialia pugnãt cum lege Dei.

XXXIII.

Hanc

Hanc distinctionem peccatorum existimo aptè his appellationibus illustrari posse, si distinguatur peccatū in peccatum regnans, & non regnans, quæ nomina congruunt cum phrasi Pauli, qui ait: Non regnet peccatum, Et uidetur phrasis ex Genesi & Psalmis sumta esse, ut 4. capite Geneseos dicitur: Tu domineris eius. Et Psal. 119. Non dominetur mei omnis iniquitas.

CONCLVSIO.

HAnc explicationem doctrinæ de fide & bonis operibus, iudico ueram esse, & consensum Catholicæ Ecclesiæ Dei perpetuum, quem quidem & Ecclesiæ in his regionibus sonant uno spiritu & una uoce, cum uera Dei Ecclesia omnium temporum, meq; semper ad declarationem piam coram nostris Ecclesijs offero, si quid fortè obscurius, aut nondum satis explicatè dictum est, ut uidemus rem difficilem esse, perspicuè tantam rerum amplitudinem exponere. Quare & in ueterum scriptis sparsa sunt multa non satis propriè dicta, & tamen perpetuam sententiam Ambrosij, Augustini, Bernardi, Tauleri, Vuesselij, & multorum aliorum congruere nobiscum certum est: ac filium Dei oro, ut mentes nostras regat, ut uera inuocatione, & uera obedientia eum celebremus, ac colligat sibi inter nos hæreditatem, cui Deus suam bonitatem in omni æternitate communicet, Amen.

CAPITA DISPVTATIONIS DE ECCLESIA, IVSTICIA, FIde ac ministerio eius, ex Iesaia proposita à D. Bernardo Ziglero.

AD DIEM QVARTVM APRILIS,

PRÆSIDENTE SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE Bernardo Ziglero, proponetur ad disputandum locus Iesaiæ ex capite 26. secundum quasdam sententias illius certo numero thematum comprehensas, ut sequitur.

IESAIÆ XXVI.

IN DIE ILLA CANTABITVR CANTICVM NOVVM IN TERRA Iuda, est nobis ciuitas firma, salutem posuit (Deus) muros & copias (eius) Aperite portas & ingredietur gens iusta, custodiens fidem. Cogitatio suffulta (hoc est, firma & immota, scilicet quod) seruabis pacem. Quia in te speratur. Sperate in Domino in æternum, quia in יה Deo est petra æterna.

THEMATA.

I.

LVculenta descriptio est Ecclesiæ Dei, & promissio, quæ testatur mansuram esse Dei Ecclesiam etiam ruentibus imperijs. Hac consolatione & tunc Propheta ipse, & alij pij se sustentabant, & nos in tantis tumultibus regnorum confirmemus nos, ne fracti desperatione studium docendi & discendi Euangelij abijciamus. Ideo sic orditur Propheta. In die illa cantabitur canticum *Descriptio Ecclesiæ ex Iesaia.*

canticum nouum in terra Iuda. Id est, hoc canticum, hanc consolationem teneamus, mansuram esse Ecclesiam Dei.

II.

Qualis autem cœtus est? est ciuitas firma, cuius muri sunt salus, in quam apertis portis ingreditur gens iusta, custodiens fidem. Hæc definitio dextrè intellecta rectè describit Ecclesiam, & conuenit cum dicto Psalmi: Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Estq; sententia: Ecclesia est cœtus, quem Deus seruat, uocatus prædicatione Euangelij, iustus ac placens Deo, custodiens fidem, id est, assensum quo amplectitur uerbum Dei, hoc est, uerè credens, esse Deum, esse ei curæ genus humanum, dedisse eum promissiones, & has seruare, & hac fide inuocandum esse, &c.

III.

In hac definitione tantum ponuntur renati, sicut Ephes: 5. Ecclesiam non habentem maculam. Nam Spiritus sanctus loquitur de uiuis membris.

IIII.

Renati in uisibili Ecclesia.

Et tamen hæc ipsa renatorum Ecclesia nusquam collocanda est, nisi in Ecclesia uisibili uocatorum, iuxta illud Pauli: Quos elegit, hos & uocauit.

V.

Quoties de Ecclesia cogitamus, ueniat, in mentem huius Paulinæ uocis: Quos elegit, hos uocauit. Nulli sunt electi nisi in cœtu uocatorum. Sunt autem uocati audientes, discentes, & profitentes puram Euangelij doctrinam. Nulla extra hunc cœtum electio, nulla illuminatio fingatur. Sed sciamus in hoc cœtu uocatorum semper aliquos esse electos. Hæc magna pijs consolatio est, & eos inuitat, ut se ad hunc cœtum uocatorum adiungant, hunc foueant, cum hoc Deum inuocent.

VI.

Multæ traduntur distinctiones de Ecclesia, obscuræ & interdum tanquam Ideam Platonicam describentes, Sed pium & uerum est, unam dici Ecclesiam cœtum uocatorum uisibilem. In quo etiamsi magna turba est non renatorum, tamen in hoc solo cœtu sunt renati, & hæredes uitæ æternæ.

VII.

Etsi quærunt uiri Politici Ecclesiam similem imperijs mundi, quæ habent unum aliquem principem uisibilem, instructum potentia & præsidijs, & Legibus ac ritibus distinguentem suum cœtum à cæteris regnis, ut imperium Pontificium ad hanc humanorum imperiorũ formam constitutum est, ta-

Caput Ecclesiæ.

men Ecclesia uisibilis seu uocatorum, est dissimilis imperijs mundi. Habet caput Christum, & colligata est uoce & confessione Euangelij, & cum sit sine humanis præsidijs, mirabiliter seruatur à Deo omnibus ætatibus. Sic in Esaia dicitur capite 46. Qui gestamini in utero meo. Senescentem Ecclesiam ego portabo, Ego feci, ego gestabo, ego saluabo. Et cap. 51. Posui uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos &c. Hîc quoq; deducit nos Esaias ad Ecclesiam uisibilem, in qua sonat uox Euangelij. Ideò dicit: Posui uerba mea in ore tuo. Et hanc diuinitus defendi inquit.

VIII.

Idem uult Esaias in hoc capite 26. Ecclesia est ciuitas firma, cuius muri sunt salus, id est, quam filius Dei colligit, seruat, defendit, liberat, resuscitat ex morte.

IX. Itaq;

IX.

Itaq; cum angimur animis & quærimus ubi Ecclesia Dei mansura sit, cùm uidemus imperiorum ruinas, principum distractiones, & uarias confusiones rerum humanarum, respiciamus ad hæc dicta: In aluo Dei erit Ecclesia. Certò mansura est, & Deo curæ erit, ubicunq; erit. Sic non solum de uniuerso corpore cogitandum est, sed singuli nobis in omnibus periculis, & in ipsa morte hanc consolationem proponamus. Expelleris ex patria, discedis ex uita? Quonam? Cogita te gestari in aluo Dei, cogita hoc dictum Iesaiæ: Muros Ecclesiæ salutem esse. Aderit filius Dei qui est caput Ecclesiæ, & inuocantem seruabit, sicut scriptum est: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego uitam æternam do eis. Nemo rapiet eas de manu mea.

X.

Additum est in definitione Ecclesiæ, cœtum esse, qui ingreditur apertis portis, iustum, custodientem fidem. Hęc differentia planè discernit hunc cœtum ab omnibus imperijs & politijs mundi. Attica ciuitas seu Romana, cœtus est deuinctus legibus ad certa officia ciuilia, sed non est iustus cœtus, id est, placens Deo, & custodiens fidem, scilicet erga Deum.

XI.

Breuis est descriptio, ut sunt membra in Prophetis, sed plura loca conferenda sunt. Vocat iustam gentem quæ custodit fidem, scilicet erga Deum. Non loquitur Propheta de fide, aut ueritate tantùm ut homines prophani loquuntur, intelligentes fidem seu ueritatem, uirtutem seruantem pacta inter homines: sed de Dei agnitione & inuocatione hîc dicitur, sicut postea clarè addit: In te speratur seu confiditur. Sperate seu confidite in Domino. *Fidem custodire.*

XII.

Est ergo iusticia, custodire fidem erga Deum, id est, agnoscere & statuere quòd sit Deus, quòd se patefecerit, dederit promissiones de filio, quòd iuxta has promissiones uelit exaudire & saluare. Hæc fides est fiducia misericordiæ propter Christum promissæ, de qua Paulus concionatur, cùm toties ait iustificari nos fide.

XIII.

Congruit ergo Iesaiæ dictum cum Pauli doctrina, Ecclesiam esse iustam, id est, acceptam Deo ad uitam æternam fide, id est, fiducia misericordiæ propter Christum promissæ. Estq; uera propositio, Iustificamur fide, id est, fiducia Mediatoris Christi, non propter opera nostra aut dignitatem nostram.

XIIII.

Hanc fidem textus ipse definit: Fides est cogitatio firma, statuens de Deo, dare eum pacem, id est, reconciliationem, nec effundere ingentem iram aduersus nos, sed parcere nobis propter filium & dare salutem.

XV.

Hæc fides non tàntùm noticia est in intellectu, ut uocant, sed etiam est fiducia in uoluntate, nitens proposito mediatore, per quem pax restituta est. Et est firmus assensus, uincens Epicureas tentationes, & legis iudicium, accusans nos propter nostram indignitatem. Etsi uident suos lapsus ingentes, Adam, Aaron, Dauid, Manasse, Petrus & similes, tamen erigunt se promissione do-

natæ remissionis peccatorum,& statuunt se placere Deo propter mediatorem, quanquam horribiliter lapsi sint, & tenent regulam æternam & immotam. Gratia exuberat supra delictum. In hac consolatione cùm fides ex magnis dubitationibus eluctatur, satis intelligi potest, cur Propheta dixerit cogitationem firmam esse.

XVI.

Hæc fides luceat in inuocatione, spe, dilectione & alijs suis exercitijs. Ac ne intelligi quidem potest quid dicatur, nisi accedant exercitia inuocationis.

XVII.

Cùm autem sola Ecclesia sit populus inuocans Deum, cæteri enim homines omnes aberrant à Deo, docenda est Ecclesia de hac fide, nam sine ea nulla fit uera aut salutaris inuocatio Dei.

XVIII.

Errores eorum qui oppugnant doctrinam de fide.

Horrendas igitur tenebras stabiliunt multi, qui hanc doctrinam de fide oppugnant, & docent semper dubitandum esse, an simus in gratia. Hæc dubitatio est fugere Deum, non inuocare. Sic inuocabat Saul, sed corde fugiente Deum. Sic inuocant Ethnici, quos si interroges quid agant, an existiment se exaudiri, dicent profectò suos animos planè oppressos esse dubitatione. Sicut sæpè in tragœdijs tales uoces erumpunt calamitosis.

XIX.

Hinc sunt & tenebræ in enarratione Prophetarum, quòd dicta de fide & inuocatione uera non intelligantur ab illis interpretibus, qui obruta hac parte doctrinæ de promissione & fide, tantùm putant concionari Prophetas de disciplina, ut Hesiodum aut Theognidem, & doctrinam Ecclesiæ tantùm putant legem esse.

XX.

Hi errores taxandi sunt, ut illustrentur ingẽtia beneficia donata nobis per filium Dei, & uerè celebretur filius Dei, & fiat uera inuocatio, & discernatur ab Ethnica inuocatione, deniq; ut uerum discrimen conspiciatur, Ecclesiæ Dei & aliorum cœtuum.

XXI.

Meminerint ergo omnes studiosi perpetuo hanc eruditam definitionem fidei hoc loco in textu Esaiæ cap. 26. traditam. Fides est firma cogitatio statuens Deum dare pacẽ, scilicet propter filiũ promissum, & accendens fiduciam, ut hîc dicitur, ut confidamus Domino. Congruit autem hæc definitio cùm dictis Pauli. Fides est motus, quo statuimus nobis remitti peccata propter Mediatorem, & accedimus ad Deum & clamamus Abba Pater. Hæc definitio traditur Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum &c. Et Rom. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba Pater. Et Ephe. 3. Per quem audemus accedere in fiducia. Et Ebræ. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

XXII.

Etsi cum hac fide accipiente remissionem semper coniunctæ sunt aliæ uirtutes, dilectio & spes, tamen ideo dicitur: Fide iustificamur, ut intelligamus nos non propter nostras uirtutes, sed propter filium Dei recipi à Deo.

XXIII.

Interim

Interim prodest tenere differentias & definitiones harum uirtutum. Fides est adsentiri omni uerbo Dei & promissioni gratię, & confidere nos iuxta promissionem à Deo recipi & exaudiri. Spes est expectatio futuræ liberationis. Differunt perspicuè fides & spes, eò quòd fide agnoscimus uerbum Dei, & accipimus præsens beneficium, scilicet remissionem peccatorum. At spe expectamus futuram integram liberationem. Quòd igitur cauillantur aliqui, fiduciam esse actum spei, planè respondeo fiduciam præsentis reconciliationis esse actum fidei, sed fiduciam expectantem futuram liberationem esse actum spei. Dilectionem Iohan: definit in Epistola cap. 5. Hæc est dilectio Dei, ut mandata eius seruemus. Est igitur dilectio Dei, seruare mandata eius cum quadam lætitia, quæ oritur ex agnitione misericordiæ, beneficiorum & præsentiæ Dei curantis & recipientis nos propter filium. Propter hunc Iohannis locum schola stici doctores de dilectione, ut Philosophi de iusticia, uniuersali locuti sunt. Sed hæc iusticia dilectionis etsi hîc incoanda est, tamen adhuc ualdè imbecilla & exigua est, ideo oportet consolationem illam alteram proponi, quòd fide propter filium Dei placeamus, sicut Galat. 5. dicitur. Nos spiritu ex fide, spem iusticiæ expectamus. Item nulla nunc condemnatio, quasi dicat, etsi nondum sumus sine peccato, tamen nulla condemnatio est ambulantibus in Christo IESV.

XXIIII.

Hæc doctrina uera est, pia & utilis Ecclesiæ, sed quia ab ociosis & non exercentibus inuocationem in ueris doloribus, non intelligitur, ideo multi reclamant.

XXV.

Ecclesia intelligit cur subiecta sit cruci, & agnoscit iram Dei aduersus peccata, & clamitat cùm Iesaia: Iniquitates nostræ ut uenti dissipauerunt nos, qua uoce quid significetur melius intelliges, si iam Hungariæ dissipationes aspicias, aut miserandas Ecclesiarum dilacerationes. Moueamur ergo nostris & communibus miseriis, & discamus ueram inuocationem, & petamus fiducia filij Dei remissionem peccatorum, & faciamus fructus dignos pœnitentia. Hæc si faciemus, hæc doctrina & illustrior erit & dulcior.

XXVI.

Cùm Iesaias nominat fidem, item definit, fidem esse cogitationem firmam, certè requirit prædicationem uerbi Dei seu ministerium Euangelij. Nam fides ex auditu est, ut Paulus inquit. Ideo iubet in textu aperiri portas, id est, ministerium Euangelij exerceri: & hic locus rursus admonet, quod supra dictum est Ecclesiam iustorum oportere collocari in hac uisibili Ecclesia uocatorum, in qua pura uox Euangelij sonat, & non defenduntur pertinaciter errores pugnantes cùm Euangelio.

XXVII.

Commendatur etiam nobis ministerij Euangelici efficacia & dignitas. Tantùm per ministerium Euangelicum Deus est efficax, iuxta illud: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Damnemus ergo furores Anabaptisticos, qui ministerium damnãt, & quærunt nouos adflatus suis speculationibus. Veneremur etiam maiore studio & adiuuemus ministerium in Ecclesijs & scholis, & sciamus hoc officium Deo gratum esse & Deum propter ministerium aliquas politias seruaturum esse.

COLLOQVIVM VVORMACIENSE INSTITVTVM, ANNO M. D. XL. AVTORITATE INVICTISS. IMPERATO. CAROLI QVINTI AVgusti, ad dirimendas controuersias Ecclesiasticas.

Acta Ratisbonensia adiungenda editioni nostræ proximæ.

De manifestis abusibus potestatis Pontificiæ.

De manifestis abusibus Ecclesiasticis, & emendatione.

Responsiones Principum vtriusq; partis, de Ratisbonensi colloquio.

PHILIPPVS MELANTHON
LECTORI S. D.

RENOVAT MIHI COLLOQVII WORMACIensis recordatio acerbum luctum & verum dolorem, quem cepi exinteritu duorum, quorum ibi recens consuetudo mihi dulcissima fuit, D. Capitonis videlicet & Simonis Grynæi, qui cùm ambo propter excellentem eruditionem, virtutem & pietatem magno ornamento Ecclesiæ Christi fuerint, publica iactura & agnoscenda & deploranda est. Nihil enim dicam hoc loco de priuata nostra amicicia, qua fruemur aliquantò pòst multo suauius, cùm vnà cum Christo Prophetis & Apostolis conuersabimur. Grynæus cùm videret magnum decus esse Ecclesiæ, eruditionem magno labore accendere omnium honestarum artium studia conabatur, optimos autores veteres edebat ac enarrabat. Erat ingenium capax omnium bonarum artium, Sed hæc maior laus est, quòd non fastidyt doctrinam Ecclesiæ, sed semper ad philosophica studia lectionem adiunxit Prophetarum & Apostolorum. Capito Ecclesiam & voce & perpetuis monumentis erudyt. Sed vt de Wormacienſibus congressibus dicam. Eramus eô missi vt amanter & placide, sed tamen, sicut præsertim in Ecclesia decet, publicè de controuersijs inquisita veritate dirimendis conferremus. Ac sperabamus adfuturos gubernatores colloquij & βραβευτὰς, non mutos, sed qui contentionem moderarentur, & eligerent sententias veras ac concordiæ vtiles. Sed dum aduersarij defugiunt publicam collationem, & inter se aliquot insulsos & flexiloquos articulos componunt, nobis postea obtrudendos, nos ociosi ferè quotidie conueniebamus omnes, ac de singulis controuersijs summo candore acerrimè disserebamus. Ibi memini multa singulorum piè dicta, quæ à multis in commentarios relata sunt. Sed vt cetera omittam. Ventum erat ad controuersiam de autoritate Episcoporum & legibus, quæ in Ecclesia humana autoritate conditæ sunt. Ibi cùm mentio fieret decreti Apostolici, quòd est in Actis capite 15. audiebamus, & D. Andream Osiandrum & D. Capitonem historica quædam recitantes ex Iudæorum monumentis, quæ quia non nihil lucis addunt decreto Apostolico, duxi hic commemoranda esse. Scio prudentibus omnibus historica grata esse. Et narratio illa continet exemplum plenum eruditionis, ortum haud dubie à summis Prophetis, Itaq; magno me munere iudicabam ab vtroq;, ab Osiandro & à Capitone donari, cùm veterem illum ritum, nobis ignotum exponerent, dicebant enim Iudæos veteres florente adhuc eorum politia siquando vicinam aliquam ciuitatem ethnicam bello ceperant aut fœdere sibi adiunxe-

adiunxerant, non solitos imponere victis Legem Mosaicam aut circumcisionem, Sed tantùm hæc in conditionibus pacis, seu formula fœderis præcipere, vt deletis Idolis, vnum ac verum Deum conditorem rerum, qui se patefecit in verbo dato populo Israël colerent, deinde quia ethnici scortationem non solebant prohibere, & nimium laxarant frenum vagæ libidini, addebatur hoc, vt prohiberent scortationem. Addebantur & reliqua capita quæ in decreto Apostolico recensentur, ne rebus immolatis idolo, ne sanguine & suffocatis vescerentur. Nec obscura est ratio de immolatis, noluerunt enim pios ad conuiuia & pompas festis diebus eorum, qui idola colebant, accedere, ne societate sua confirmarent impia sacrificia, quæ tunc fiebant. De sanguine & suffocato sumtum est præceptum ex historia Nohæ. Nam hunc ritum vetustiorem Moise tradi vicinis Iudæi victores voluerunt, vt esset monumentum seueriſsimi præcepti, quod Deus Nohæ commendauit, de priuata cæde. Ergo etiam veteres gubernatores populi Iudiaci intellexerunt ceremonias Mosaicas ad suam tantùm politiam pertinere, nec esse iusticiam, promissionem verè salutis pertinere etiam ad gentes, & has ita placere Deo & iustas esse, si verum Deum, qui promiserat semen in quo benedicendæ essent, omnes gentes agnoscerent, & fide inuocarent, & in moribus ijs legibus obtemperarent, quas omnium hominum mentibus Deus impressit. Quare Apostoli, quod proprium erat muneris ipsorum, intiò pronunciarunt de ceremoniarum abrogatione, & Iudæos ac gentes hoc onere leuauerunt. Deinde præcepta de idolis & de scortatione adjci necesse fuit, vt facilè intelligi potest, quæ cùm essent addenda, vsi sunt formula vsitata veterum gubernatorum eius populi, à qua minus abhorrebant vicini. Hæc si quis expendet, intelliget longè discrepare exemplum Apostolorum, à consilio Episcoporum, qui postea à se excogitatas ceremonias, celibatum, & ciborum discrimina, & quidem tanquam cultus Ecclesiæ imposuerunt. Hæc historiola ostendit hanc partem in decreto nec nouam nec ingratam fuisse vicinis. Hæc vt recenserem, admonitus sum recordatione Capitonis, cuius memoria studiosis commendanda est, vt talis viri mores, pietatem, & studia imitentur. Nec profectò quidquam habeo, quòd de eo conuentu relatu dignius iudico. Nam publicæ tridui declamationes, verius quàm disputationes quales fuerint, lector ex hac editione cognoscet. Fortasse prodest extare ἐωλοκρασίαν Eccianam eò, vt boni & graues palàm videant, Sophistas illos nec candorem nec studium veritatis, ad has tantas deliberationes adferre. Audiui Eccium glorioſe iactitantem, posse se vtranq; partem tueri. Putat de laude ingenij certari, non quærit veritatem, non studet consulere Ecclesiæ, deniq; in hac causa deploranda erat omnium lacrimis humani generis miseria, quòd propter malum originis, hæc præstans natura, primùm horribili ira Dei, deinde ingenti mole calamitatum huius vitæ, & morte ipsa oppressa est. Præterea imagine Dei in nobis deformata, nunc in tenebris & contumacia perpetua contra legem Dei versatur. Hoc tantum malum isti Epicurei extenuant. Sed hæc relinquo cogitanda pio lectori, cùm conferet vtriusq; conciones. Non arbitror autem quenquam pium adeo lentum esse, καὶ ἄχολον, vt sine fremitu Eccij Sophismata & ineptas verborum præstigias legere possit. Ludit vocabulis, criminis, culpæ, peccati capitalis, conuerrit testimonia, quæ scit nihil contra nos facere, deniq; Socraticus disputator est, perpetuò suam sententiam occultat, tantùm hoc agit, vt oppugnet aduersarium. Ingenuè dicam quod sentio, Sæpè mihi & stomachum & bilem hæ insidiosæ tergiuersationes, captiones, γοητεῖαι mouerunt, quæ Phormionem aut Pseudolum in Comœdijs, non Theologum in explicatione doctrinæ decent. Hæc eò commoro, vt cogitent studiosi, quantum sit periculi cum his Sycophantis congredi, seq; ad similia certamina maiore cura præparent, ac primùm quidem vera & salutaria Ecclesiæ dice-

reſtudeant, deinde luceat in oratione, tanquam in vultu ingenuitas dicentis, ſitq; propria & ſimplex orationis forma. Qualis Apelleis eſt color in tabulis. Hæc vt efficiam conniti me non exigua animi contentione, multi norunt. Eccij verò voluntatem, longè aliam in hoc ipſo congreſſu fuiſſe, ipſius declamationes oſtendunt, qui de induſtria quædam inuoluit, deinde apertè falſa & impia attexit. Nam in poſtrema peroratione, cùm multa inſulſa cumulaſſet, quæ indigna erant reſponſione, tandem Stentorea voce clamitans, confirmabat vulgatam ſui gregis opinionem, quæ agentes pœnitentiam iubet dubitare, an Deo reconcilientur, iubet hos inuocantes Deum dubitare an placeant, an Deus eorum preces accipiat, ac detorquebat eô dictum Salomonis. Neſcit homo an amore vel odio dignus ſit. Illi verò Doctores odio digni ſunt, qui Salomonis dicto affingunt ethnicam ſententiam. Sic Epicurei aut Pyrrhonij loquuntur, odium & amorem Dei incertum eſſe. Eſt'ne incertum diſplicere Deo Neronem? Sic in Eccleſia loqui furor eſt, in qua & conſcius ſibi ſceleris expaueſcere iram Dei debet, & agens pœnitentiam certò ſtatuere ſe in gratiam recipi & exaudiri propter filium Dei. Extat vox Euangelij, quæ eſt promiſſio condonationis. Additum eſt iuſiurandum. Viuo ego, inquit Deus, Nolo mortem peccatoris. Extat mandatum vt promiſſioni credamus. Et nominatim fides toties poſtulatur. Hæc omnia ſimul obruit & delet opinio Ecciana, quæ iubet dubitare. Quid dicat & velit Salomon non eſt obſcurũ, modo dextrè accipiatur eius dictum. De uarijs euentibus in hac vitâ diſſerit, vt doceat nos nec efferri blandiente fortuna, nec frangi animis in rebus aduerſis, ac de voluntate Dei non ex his euentibus, ſed ex alijs teſtimonijs iudicare. Eruditiſſimum & plenum pietatis præceptum eſt, Sed accidit Salomoni idem quod ille dicebat, dextra ſe præcepta tradere, Sed quoſdam auditores ſiniſtra accipere. Hæc eò recito, vt qui legent has Eccij pagellas, admoniti citius deprehendant errorem, ac ſimul deplorent Eccleſiæ tenebras, in qua tales Pyrrhoniæ ſententiæ ab aduerſarijs noſtris defenduntur & confirmantur, quæ filium Dei manifeſta contumelia adficiunt, Cogitent etiam omnes pios & ex animo debere execrari tam abſurdos errores, & quærere melius doctrinæ genus. Hoc ſtudium etiamſi in odio eſt, tamen & Deo, & Eccleſiæ & nobis ipſis debemus. Scio fruſtra hæc dici ijs, qui religiones iudicant fabuloſas eſſe, & Eccleſiæ certamina tanquam facem diſſidiorum publicorum execrantur. Et hac vltima ætate mundi videmus hanc cyclopicam philoſophiam latè vagari, & multos habere adplauſores. Sed vt Machabæorum tempore non deleta eſt Eccleſia funditus, ita ſcimus & nunc, quanquam atrociter graſſantibus Turcis & domeſticis hoſtibus, reliquias Eccleſiæ Deum ſeruaturum eſſe, apud quas hæ piæ cohortationes de puritate Euangelij inquirenda & propaganda valere ſperamus. Erat exigua Eccleſia, cum filius Dei penderet in cruce, & ſubitæ tenebræ medio die cœlum ac terras inuoluerent, Nec tamen funditus deleta eſt. Sed iam & Latro, & Centurio agnoſcunt & prædicant Chriſtum. Ita nos in hac mundi ſenecta, cum propter εἰδωλομανίας & alia ſcelera mundum oppreſſit ira Dei, tamen clamore noſtro aduerſus atheos laudes Dei & filij eius Ieſu Chriſti ſonemus. Iraſcamur Epicureis ſapientibus, qui derident nomen Dei, Dimicemus cùm Turcis qui filio Dei maledicunt, Refutemus impios ſacrificulos & monachos, qui Idola colunt, nec tribuunt filio Dei iuſtos honores, non agnoſcunt eſſe Mediatorem, non volunt eum fide inuocari. Magnum & multiplex bellum iam Eccleſia Dei gerit. Sed ſcriptum eſt de hoc tempore: Tunc ſtabit pro filijs populi ſui Dux magnus, qui eſt filius Dei Victor & Triumphator. Huic nos pijs & ardentibus votis commendemus, & ab eo auxilium & ſalutem perpetuam expectemus. Ego hac me conſolatione & alias ſæpè, & adhuc ſuſtento, Quòd ex Deo eſt, non delebitur. Nec verò dubito

dubito diuinitus patefactam esse genus doctrinæ, quod fulget in nostris Ecclesijs, Nec sum adeo ferreus, vt solus non adficiar, vel publicis Germaniæ periculis, cui iam aduersus externum hostem consensu principum opus est, vel domesticis vulneribus nostrarum Ecclesiarum, quæ regi melius tranquillis temporibus possent, Nam discordia etiam in parte saniore disciplinam impedit. Hæret autem discordia in repub. aduersariorum culpa, quorum duricies asperrimos scopulos, & Caucasi rupes vincit. Negant enim pacem fore, nisi oppresserint veritatem. Nostras verò sententias fuisse moderatas, acta publica ad omnem posteritatem testabuntur, Toties flagitauimus veram dijudicationem, toties ipse supplex oraui Potentes, vt saluti Ecclesiæ consulerent, Sed planè visus sum, vt est in græco versu, Nauis quassata procellis supplicare scopulis. Quare Ecclesias nostras Deo commendemus & nostrum officium bona conscientia faciamus, ac precemur Deum, vt & Principum mentes gubernet, qui vtrumq; curare debent, vt & de Deo ac filio eius Iesu Christo, rectè doceantur homines, & armis patria aduersus barbarum hostem defendatur, qui sæuiciam suam non tantùm in vulgus exercet, Sed multo crudelius in ipsos Principes,
Neq; tamen sinet Deus hac barbarie deleri funditus Ecclesias,
nec quinta Monarchia futura est, Bene vale.

INCOAVIT COLLOCVTIONEM
D. DOCTOR IOHANNES ECCIVS.

DATA ET FACTA IVSSIONE PER ILLVSTREM DOMINVM CÆsareæ Maiestatis Oratorem, adiuncto sibi Regię Maiestatis nuncio, & Dominis præsidentibus. Ego licet minimus inter fratres meos & dominos, ex parte undecim Principum catholicorum delectus & deputatus pro hoc colloquio, ante omnia unum præfabor. Quòd mora hactenus protracta iam in decimam septimanam, partim facta fuit ob longas certationes interuenientes. Auxit autem non parum, quòd domini aduersæ partis obtulerunt nobis exemplar confessionis & Apologiæ minus consentaneum recessui Haganoënsi, uigore cuius confessio ipsa, sicut Cæsareæ Maiestati ac Principum ordinibus fuit exhibita, nudè, uerè debebat nobis quoq; fuisse exhibita. Vnde non parum temporis & negotij absumsimus in illis conferendis, ut iustissimè habuissemus occasionem colloquium differendi.

Verum cùm simus ita animati, ut nihil magis pensi habeamus, quàm ut Christianam concordiam cùm illis inire possemus, qui ex nobis exierunt, etiam maiora libentius passuri, pro unitate Ecclesiæ reconcilianda, & procuranda animarum salute. Illo ergo prætermisso, salua tamen protestatione, nomine Electorum & Principum coram Dominis præsidentibus facta, ad negocium ipsum conuertamus.

Et hoc quidem pro mea parte polliceor me id candidè, amicè, solius ueritatis & pacis gratia facturum.

Quòd si aliquando uerbulum excideret, quod posset asperius uideri, profecto non est mentis meæ, neq; collocutorem meũ aut alios quoscunq; præsentes uelle exasperare, paratus semper amicam atq; mansuetiorem exhibere interpretationem, ut omnes intelligant, me magis ueritatem & charitatem quęrere, quã uerbis durioribus nostra tueri. Ita illis prælocutis statim accingar ad negotium.

Quantum ergo ad Confessionem attinet, non moror proloquium.

Articulus quoq; primus post Arianam hæresin profligatam ab uniuersa

Ecclesia Catholica est receptus, ut non opus sit in præsentia super eo contendere. Et ideo pergamus ad Articulum secundum, nisi dominus Collocutor aliquid in primo desideret.

RESPONDIT COLLOCVTOR PHILIPPUS MELANTHON.

Potestis pergere Domine Doctor.

DOCTOR IOHANNES ECCIVS.

IN Articulo ergo secundo, ubi damnantur ueteres & noui Pelagiani, negantes peccatum originale in pueris, sicut & Zuinglius definiuit peccatum originale solum esse defectum quendam naturæ, rectè in articulo peccatum originale adseritur. Sed duo sunt, quæ petimus clarius explicari, ut ad cupitam concordiam perueniamus.

Primùm est in explicatione peccati originis, quæ fit in confessione, non modo per deformationem illius peccati, sed per grauia peccata etiam actualia. Apologia uerò adeo non mollius sensit, sed immodicè auxit, ut tribueret habentibus peccatum originale, non solum horribilem cœcitatem, inobedientiam, sed etiam odium Dei, contemtum Dei, infidelitatem, cum multis alijs.

Cùm autem hactenus in Ecclesia & sanctis patribus, semper discrimen sit habitum inter peccatum actuale & originale, ne paruuli tantis criminibus onerentur, uidetur antiqua patrum explicatio sufficere. Et per hanc commodè expositam possumus uenire in concordiam. Nam ista etiam in Apologia non rejcitur: peccatum originale scilicet esse carentiam iusticiæ originalis debitæ inesse. Vnde non diffido, quin Collocutor meus cum suis, si concordiam quærit, facilè posset in unam sententiam nobis acceptabilem conuenire.

Alterum uerò quod petimus, & difficilius, quod in Confessione sub nube proponitur: sed in Apologia deuelatur, puta, non solum peccatum originale esse uerè peccatum damnans ante Baptismum, sed concupiscentiam post Baptismum relictam, esse uerè, per se & simpliciter peccatum, sicut contendit dominus Collocutor meus multis uerbis in Apologia, Et scripsit in libro de Anima. Et Luther, qui hanc contrarietatem Ecclesiæ inuexit, adfirmauit, concupiscentiam illam non solum materialiter, sed etiam formaliter esse peccatum propriè. Quare non immerito Luther fuit flagellatus (ut uerbo Apologiæ utar) à Catholicis ab ea parte, qua adstruit tantum manere peccati post Baptismum formaliter, quantum materialiter.

At forte omnes hîc domini mei circumsedentes & circumstantes mallent, ut dictum ipsum principale prosequerer, his & alijs omissis, quæ à diuersis fuerunt dicta uel scripta.

Venio ergo ad principalem, & est nodus negocij, nisi benigniorem uelitis dare interpretationem, facilè hîc non possumus conuenire, licet de illa nondum desperem. Ratio quæ nos Catholicos mouet, potest esse ista. Nihil est de nouo adfirmandum in Ecclesia, quod pugnet cùm Propheticis, Euangelicis & Apostolicis dictis, atq; à sanctis patribus est reiectum. Asserere autem post Baptismum in puero remanens esse peccatum, prædictis omnibus est aduersum, itaq; à nobis ita crudè recipi non potest.

Nam amplissimum Baptismi beneficium in nouo Testamento à Christo Saluatore

Saluatore nobis datum, Spiritus ſanctus, ut eſſet rota in medio rotæ per Prophetícos uiros prius deſcripſit. Ita enim inquit per Micheam inter alia: Deponet iniquitates noſtras, & proïjciet in profundum maris omnia peccata noſtra. *Micheæ 7. in fine.* Quod ſi aliquo gloſſemate mens Prophetæ aliorſum torquetur, non permittet hoc idem Spiritus, per Ezechielem dicens cap. 36. Et effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabímini ab omnibus inquinamentis ueſtris. Quem locum ſancti Patres de Baptiſmo intellexerunt. Ponderat Beatus Hieronymus ad Oceanum, quod inquit. Ab omnibus inquinamentis, Nam qui dixit, ab omnibus, nullum præteriit.

Porro Chriſti uerba ad Nicodemum hoc teſtantur: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Arbitratus id quod res eſt, ſufficere ad renouationem animæ, ſi per lauacrum Baptiſmi regeneretur. Quod non fieret, ſi permaneret peccatum adhuc à protoplaſto Adam deſcendens, concupiſcentiæ ſcilicet.

Ita etiam Paulus teſtatur, baptiſatos alloquens, Sed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis. Quia non competunt in habentem peccatum damnabile ſiue capitale, habentem peccatum per ſe, & propriè & ſimpliciter.

Hieronymum audiuimus. De ſententia Auguſtini tam certa eſt Eccleſia, quod iam non uno loco, Sed pluribus etiam libris expreſſerit.

In Enchiridio. In libro contra duas Epiſtolas Pelagianorum. Ad Valerium de nuptijs & quibuſdam alijs. Baptiſatum carere omni peccato, ſed non carere omni malo, & improbat eos, qui exiſtimarunt Baptiſmum non aliter repurgare peccata, quàm tonſor abradat capillos barbæ iterum renaſcentes.

Hæc ita breuiter uolui conferre, & amicè, cum domino collocutore. Qui ſi fortè idoneam & Catholicis acceptabilem daturus eſt expoſitionem, ſuperuacaneum eſſet, coram tantis dominis & excellentiſsimis uiris plura uerba facere. At ſi quid deſiderabitur, & plura adferre parati ſumus, cùm ex canonicis ſcripturis, tum ex ſanctis patribus, modo intelligam mentem dominationis ſuæ.

HACTENVS D. DOCTOR ECCIVS.

Reſpondit Philippus Melanthon.

FActa poteſtate dicendi ab illuſtri Domino Cæſareæ Maieſtis Commiſſario & Oratore, & generoſis nobilibus & præſtantibus uiris dominis præſidentibus, ſicut conſtitutum eſt, reſpondebo breuiter, & qua decet moderatione.

Et primum quoniam ſacra res agitur, auſpicemur à precatione.

Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui pro nobis factus eſt uictima, aditurus mortem, rogauit Patrem cœleſtem: Pater ſanctifica eos in ueritate, ſermo tuus eſt ueritas. Cùm autem certum ſit exaudiri preces filij Dei, & hîc propoſitus ſit nobis pontifex propter quem exaudimur. Nos quoq; ipſius uoce & propter ipſum petimus, ut nos ſanctificet ſua ueritate, ac mentes noſtras & linguas regat, ut uera, pia & ſalutaria Eccleſiæ ſuæ dicamus. Flectat etiam omnium animos ad piam & ſanctam concordiam.

Ac nos quidem Deum teſtem facimus, nos non cupiditate aliqua iniuſta aut moroſitate diſſentire à cæteris. Sed cùm ſtatuamus hoc doctrinæ genus

quod

quod profitemur, uerè esse perpetuum Catholicæ Ecclesiæ Christi consensum, bona conscientia Ecclesijs nostris hanc doctrinam proponimus. Vt autem ueniam ad orationem clarissimi D. Doctoris collocutoris: Primum quòd moram excusauit, & causam contulit in exemplarium dissimilitudinem: Respondeo rerum eandem esse sententiam, etsi quædam alicubi in posteriore editione, uel magis mitigata, uel explicatiora sunt.

Quòd adiecit, exijsse nos ex ipsis, obijciens uidelicet crimen desertæ Ecclesiæ, ad id respondere necesse est, etsi id faciemus hoc loco breuiter.

Cùm consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi uerè amplectamur, ac tantùm quosdam abusus alterius partis reprehendamus, quemadmodum cogit cœleste mandatum, Non assumes nomen Dei uane. Et Paulus, Si quis aliud Euangelium docuerit, Anathema sit: nõ discessimus ab Ecclesia catholica Christi, sed relinquimus taxatos abusus. Ac ab ipsis uerius ex ipsorum cœtibus expulsi sumus, uiolentis Edictis, excõmunicationibus, & noua acerbitate, quæ in Ecclesia non fuit usitata. Non propterea Ieremias discesserat à populo Dei, etiamsi damnabatur ab ijs, qui tenebant ordinariam potestatem, ita nobisquoq; ratio nostri officij constat. Et iudicium Deo & ueræ congregationi Ecclesiæ permittimus. Deinde semper nos ad iudicium Ecclesiasticum non partiale obtulimus, & adhuc nos offerimus. Quare nihil fuit opus præsertim in hac amica collocutione initio nos condemnare. Hæc non uolumus hoc tempore copiosius persequi. Ac nos referimus ad ea, quæ sæpè antea in hanc sententiam à nobis priuatim & publicè dicta & scripta sunt.

Quod pollicetur, se amanter disputaturum esse, gratum nobis est. Hoc certè uerè affirmare possumus, nos sine acerbitate animi, sine odio dissentire. Libenter etiam uel iniquis conditionibus ac difficilibus sarturi communem tranquillitatem, quantum sine contumelia uerbi Dei facere possumus. Quod ad me priuatim attinet, tribuo D. Doctori collocutori eam laudem, quæ homini erudito debetur.

NVNC AD ARTICVLOS.

DE primo Articulo. Non est controuersia, in quo constat nostras Ecclesias fideliter defendisse communem consensum aduersus Seruetum, & alios quosdam. Ac uolumus & hoc loco testatum, nos in Ecclesijs nostris retinere Symbola, Apostolicum, Nicenum & Athanasianum. Ac doctrinam de unitate essentiæ diuinæ, & tribus personis sic intelligere & explicare, sicut in Symbolis illis in ueteribus Synodis, Nicena, Constantinopolitana, Ephesina & Calcedonensi exposita est: & præcipuis Ecclesiasticis scriptoribus, Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Epiphanio, Ambrosio, Augustino.

Libenter etiam receptas in Ecclesia formas sermonis retinemus. Nam & nos uitandę ambiguitatis causa propriè & perspicuè loquendum esse sentimus. Et tantum de primo Articulo.

DE SECVNDO ARTICVLO.

NON existimabamus eo tempore cum exhiberetur Confessio, futuram altercationem de hoc articulo, cum his aduersarijs: sed aliorum clamores retundendi erant, qui prorsus tollebant peccatum originis, ut semper fuerunt, qui de pec-

de peccato originis incommodè senserũt, propterea ꝙ magnitudo infirmitatis humanę non satis iudicio rationis conspici potest. Eamꝙ ob causã hic articulus, & de ipso peccato, et de magnitudine infirmitatis tantũ in uerbo Dei reuelatur.

Rectè autem dixit D. Doctor de definitionibus facilius conueniri posse. Nã & nos recipimus ueterẽ definitionẽ utramꝙ. In quarũ altera peccatum originis dicitur esse carentia iusticię originalis debitæ inesse. In altera uocatur concupiscentia, Nec dissidere has definitiones, nec discrepare eas à nostra sententia iudicamus. Nam carentia illa significat despoliationem ingentium donorum, quæ in conditione primis parentibus data sunt, uidelicet lucis, qua firmiter agnoscebant Deũ, aut agnoscere poterant, & conuersionis uoluntatis ad Deũ, & rectitudinis omniũ uiriũ. His amissis successit caligo in mente, auersio uoluntatis, & ἀταξία omniũ appetitionum uoluntatis & appetitus sensitiui. Hęc conueniunt ad eam definitionem, in qua peccatũ originis concupiscentia uocatur. Discernimus enim appetitiones ipsas diuinitus conditas, à deprauatione quę accessit, seu ab Ataxia. Manent in uoluntate adfectus diuinitus additi humanæ naturæ, manẽt appetitiones in sensitiuo appetitu: nec propriè cõcupiscentiã ueteres uocari uolebãt appetitiones illas diuinitus additas, sed earũ deprauationẽ, Vt quanꝙ in Catone est amor & admiratio uirtutis, tamen uoluntas auersa est à Deo. Ex his nos quidẽ, & ueteres definitiones, et nostrã sententiam cũ illis cõgruere sentimus. Quod uerò usi sumus uocabulis, quæ significant actus, discernimus & nos originale ab actualibus. Sed cùm negatiuè descripserimus, significauimus donorum illorum despoliationem.

Nec illud reprehẽdendũ est, ꝙ exaggeramus magnitudinẽ eius mali, modò intra metas legitimas consistamus. Arbitramur enim non esse leuia mala caligi nẽ illã in mente, & auersionẽ uoluntatis à Deo, ex quibus tam horribiles dubitationes Epicureę, Academicæ, & infiniti errores de Deo orti sunt. Et accesserũt ad auersionem uoluntatis horribiles blasphemiæ omnibus ætatibus. Nec Prophetæ leue malũ describunt, Cũ inquit Iere: Prauũ est cor hominis & peruersũ.

Nec fuit exiguum ornamentum illa originalis iusticia, quam (ut nos quidem existimamus) significat similitudo uel imago Dei, qua uidelicet mens humana templum erat Dei, in qua luceret illustris noticia Dei, firma adhæsio, & perfecta dilectio. Quare & Paulus renouari iubet imaginem, Et ut intelligi possit, quid uocet imaginem, addit, in sanctitate, ueritate &c.

Hęc si de definitionib. satisfacient, nulla est discrepantia. Sed si nõ satisfacient, offerimus nos ad copiosiorẽ explicationẽ. Ac requirimus in iudicando candorẽ. De altero loco fortasse plus erit controuersiæ. Quod enim D. D. citauit multa testimonia, quæ confirmant in Baptismo tolli peccatum, sentimus nos quoꝙ in Baptismo, et remitti peccatũ originis, & cętera (ut in adultis) et dari spiritũ sanctũ, qui incoat nouã lucem, & conuersionem uoluntatis. Nec dubitamus quin tota Ecclesia sic sentiat. Id autem est amplificare & ornare Baptismũ, quòd tanta est gratiæ exuberantia, ut hoc malũ, ꝙ reliquũ est, etiam tegatur, & condonetur his, qui manent in gratia. Sicut Pau. inq: Exuberare gratiam supra peccatum. Nunc manet hoc in controuersia. An morbus reliquus in sanctis sit pœna tantũ seu adiaphorõ, an uerò sit res digna ęterna morte sua natura, si non condonaretur. Porro hîc morbus non tantùm est concupiscentia in appetitu sensitiuo, nec tantùm fomes seu qualitas corporis, sed reliqua est in mente nondum prorsus dispulsa caligo, ut maximè experiuntur sancti, qui agnoscunt dubitationes de Deo, diffidentiam, Nec ita uoluntas conuersa est ad Deum, ut tota ardeat dilectione

lectione,Sed ſancti etiam ruunt in admirationem & amorem ſui. Manet igitur & in mente, & in uoluntate, & in appetitu ſenſitiuo infirmitas, quam toties de-
Rom. 7. plorant ſancti. Vt Paulus inquiens, Infelix ego homo, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Ait item graſſari hanc legem in membris hoſtili more,
Pſalm 50. & legem mentis captiuam rapi. Hæc non eſt leuis querela. Nec illa leuis ducenda eſt in Pſalmis, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum &c.
Pſalm 116. Item, Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax, Id eſt, non rectè ſentiens de Deo.

Quare malum illud quod reliquum eſt, non tantùm pœnam, nec rem adiaphoram eſſe dicimus, Sed rem ſua natura dignam morte æterna, niſi condonaretur. Et adultis opus eſt fide, quæ & repugnet huic malo, & petat condonationem, qua fide excuſſa, rurſus id malum etiam meretur mortem æternam.

Teſtimonia in Scripturis expreſſa ſunt. Nam Paulus diſertè uocat peccatum hunc ipſum morbum, loquens de ſe iam renato Rom: 7. Habitat in carne mea peccatum. Et quidem hoc malum aliâs deſcribit uerbis priuationem ſignificantibus, Aliâs poſitiuè, Vt cùm inquit: Senſus carnis inimicicia eſt ad-
Romana. 7. uerſus Deum, ac ne poteſt quidem legi Dei ſubijci. Item, uideo aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Nec tantùm loquitur de appetitionibus in ſenſu, ſed de ſuperioribus malis. Nec peccatum aliud hîc ſignificat, quàm quod ipſe exponit in textu: Videlicet, malum repugnans legi Dei.

Huc accedunt alia teſtimonia paſsim in ſcripturis tradita. Quia Prophetæ, ut oſtenderent hominem non eſſe iuſtum lege, ſed opus habere remiſsione
Geneſi 6. peccatorum, ſæpè repetunt doctrinam de hoc malo, Vt in Geneſi: Cor hominis prauum eſt omni tempore. Ieremiam & Pſalmos ſupra citaui.

Auguſtinus. Nec dubitamus hanc, quam tradimus, eſſe Auguſtini ſententiam, qui toties dicit, remitti hoc peccatum in Baptiſmo, quod ad reatum attinet. Addit etiam incoari renouationem. Sed tamen reliquum manere peccatum, nam hoc uerbo ſæpè utitur: Vt tractatu 41. in Ioha. Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Non ait, non ſit, ſed non regnet. Quàm diu uiuis, peccata neceſſe eſt eſſe in membris tuis. Saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet. Hîc certè de renatis loquitur.

Et libro 5. contra Iulianũ, tria huic morbo tribuit etiã in renatis, Quòd ſit peccatũ, quòd ſit pœna peccati, & cauſa peccati, uerba hæc ſunt. Concupiſcentia carnis aduerſus quam bonus concupiſcit Spiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatũ mentis, et pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobediẽtis, et cauſa peccati eſt, defectione conſẽtiẽtis, uel cõtagione naſcẽtis.

Alibi de Baptiſmo paruulorum: Lege peccati, quod licet iam remiſſum eſt, in uetuſtate tamen carnis manet.

In concione Domini in monte, Etſi deleta eſt iniquitas, nondum tamen ſanata eſt infirmitas. Adhuc dices, Dimitte nobis debita noſtra. Sentit igitur ſanctis opus eſſe huius ipſius uicij condonatione.

Ad Iulianum taxans etiam hominum duriciam, qui non expaueſcunt, cùm ſentiunt infirmitatem, uidelicet, dubitationes de Deo, & multos errantes impetus, addit Epiphonema. Crede, ſi non pugnas, Agnoſce, ſi pugnas. Hac uoce ſignificat, multos ſecuros extenuare hunc morbum. Sed quia in hac materia ſatis conſtat ſibi Auguſtinus, non eſt opus coaceruatione teſtimoniorum.

Quòd uero D. Doctor citat locum de nuptijs, quæſtio eſt ibi: quomodo
diſcerni

discerni debeat appetitio generationis, à deprauatione. Et disertè ibi inquit, Concupiscentiam in renatis non esse peccatum, quia remissum sit, uidelicet, in eo laborans, ut creaturam & deprauationem discernat.

Postremo, Cùm tota nostra sententia habeat illustria testimonia Prophetica & Apostolicæ scripturæ, & eruditiorum Patrum, & nec incurrat in Pelagianas opiniones, nec in Manichæas, nihil habet absurditatis. Discernit enim naturam & deprauationem, et tribuimus uoluntati humanæ suas partes, ut suo loco dicemus.

CONCLVDIT D. PHILIPPVS.

Hæc dixi breuiter, Si D. Doctor uolet de ea re latius disputari, offero me ad declarationem huius sententiæ, quantum opus est. Et peto, ut reliqui Domini assidentes in hac parte etiam dicant, si quid uelint. Non enim solus mihi sumo iudiciũ. Et est Ecclesiastica consuetudo, ut singuli dicant sententias.

ECCIVS RESPONDIT.

Oportet ut hæc prius expediamus, postea dicant reliqui, quantum uolent. Quæ sunt acceptanda, acceptabimus. Sed quæ egent expositione, etiam exponantur.

EODEM DIE A PRANDIO HORA tertia continuata est Collocutio à Doctore Eccio.

Illustris Domine, Reuerendissime pater, cæteriq; generosi, & nobilissimi uiri, patres & domini semper obseruandi.

Ad continuandam ea, quæ hodie sumus exorsi, ne longo uerborum circuitu uos distineam, quàm primũ recurro ad domini collocutoris sermonem.

Et quod primo attinet ad uarietatem exemplarium, cùm facilè possem responsionem suam infringere, & oculari inspectione monstrare, ut non solum uerbis, sed rebus ipsis oblata exemplaria à confessione Augustana dissideant. Nam nisi dissiderent, Augustæ non fuisset laborandum in uocula Meriti, quam tum reiiciebant. Vt sim breuior, remitto me ad futuros articulos colloquij, ubi illa per me in apertum deducentur, ut in articulo decimo, &c.

Secundò, Dominus meus collocutor rapuit uerbulum, quo dixeram eos à nobis exijsse, quasi accusassem iam ab initio eos desertores Ecclesiæ, quod uerba mea non significabant, cum multis modis exitus iste possit interpretari. Quod ut in præsentia non est necessarium, ita nec commodum, cum nihil ardentius cupiam, quàm lucrari fratres, & eos habere in unitate fidei & Ecclesiæ comparticipes. Alioqui non deesset quod responderem super edictis à gloriosissimo Imperatore nostro promulgatis, cum alijs magistratibus, de quibus forte, ut mihi uideor, minorem querelam debent facere, quàm de alijs regibus Christianitatis, qui feruentius executi sunt mandata contra illos.

Et quod abusibus nostris causam exeundi uult adscribere, meo paruo ingenio non satisfacit, Cum in uiginti et uno articulis prioribus, quos dicunt esse fidei, à nobis plerunq; dissentiant.

Ieremiam non oportet adferre, qui Patrum suorum, & reuelationis diuinæ sequebatur iussa. Itaq; Dominum collocutorem meum, pro candore ingenij sui, & omnes quotquot adestis precor, quemadmodum hodie ab initio testatus sum. Si unum uel alterum uerbulum exciderit, non uelitis in malam partem, sed benignè interpretari, ne semper, quod uitio dari solet, extra chorum

saltemus,& circuitu uerborum ad confessionem non pertinentium excellentissimi huius confessus animos fastidio permoueamus.

Quantum uero attinet ad primum articulum, qui est extra controuersiam receptus,mirè mihi placuit,quod Dominus Collocutor sacrum concilium Nicenum laudauit. Vnde mihi amplior spes est facta inundæ concordiæ. Quod olim Iuuenis uidebatur sacro detrahere concilio.Et Lutherus in sancta Synodo Nicena adseruit fidem,& Euangelium defecisse.

Quantum uero ad articulum secundum attinet, placet etiam hoc,in quo concordamus, rectè asseri,peccatum originale contra uteeres Pelagianos & nouos.Quod uero D. Magister explicando definitionem peccati originalis, uoluit ipsum non modo esse carentiam iusticiæ originalis, Sed etiam aliorum donorum,ut illa dinumerauit partim, In hoc peto commodiorem expositionem.Nam iuxta sanctorum Patrum scripturas Canonicas nobis exponentium sententiam,si puer donatus esset illa iusticia originali, etiamsi alijs donis careret,culpa originalis ei minimè inesset. Vt inter plures,maximè Veteres fuit controuersum,An Adam protoplastus in gratia gratum faciente fuerit creatus? De cuius tamen iusticia originali non fuit dubitatum. In hoc tamen consentio D.Magistro,Ob hanc iusticiæ originalis carentiam puerum multis bonis,& ante & post Baptismum carere,Quod si illa fuerit mens eius, rectè concordamus.

Et quod inter respondendum fassus est originalis & actualis peccati differentiam,etiam cum plausu recipimus,licet iuuenis uidebatur dissentire. Itaq; allegata de corde peruerso recipimus,Sed tunc peruertitur, quando concupiscentia regnat in corpore nostro,& ei obedimus.Alioquin propensionem animi ad mala experimur,& agnoscimus,Deo dicente,Sensus & cogitatio hominis ab adolescentia prona sunt ad malum. Qua de re fatemur, illa bona, de quibus D. Magister futura fuisse hominibus, si in iusticia originali perstitissent,scilicet noticia,dilectione &c.& illa pronitate in malum caruissemus. Gene. 8.

Illud autem quod pro remanente culpa post Baptismum fuit allatum, quod ex eo dignitas Baptismi sit amplificata,non intelligo,cum uideatur hoc uergere in iniuriam Baptismi, imo in iniuriam Christi,qui est autor Baptismi, si non esset sufficiens ad delendam omnem culpam peccati. Cum contra Paulus ad Titum tam diserte nobis Baptismi excellentiam commendet,dicens:Secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, per Iesum Christum Saluatorem nostrum,ut iustificati gratia ipsius,hæredes simus secundum spem uitæ æternæ.

Hîc testatur Apostolus,nos saluos factos, Spiritum sanctum abundè in nos effusum.Nulla autem esset abundantia,si prealeret remanens culpa.Christiani fateamur potius unius Christi obedientiam maiorem promeruisse nobis gratiam,quam Adæ inobedientia ingesserit culpam.Parum enim uidetur esse,quod D.Magister dicit,condonari hoc peccatum, si fide arripiatur indulgentia,cùm paruulis ante usum rationis decedentibus non uideatur consultũ. Et si fide condonatur,iam iterum derogatur Sacramento Baptismi. Et non solum hoc, sed cessant dogmata nouitia, quibus nobis perpetuum imponunt concupiscentiæ peccatum. Vt si saltem Baptismũ nolunt recipere,huius culpæ medicinam,tamen potenti eorum fide agnoscant peccatum illud non esse perpetuum.

Felicius

Felicius ergo uideretur pro concordia actum, si cum communi Ecclesia concupiscentiam fatentur ante Baptismum esse culpam & pœnam, post Baptismum uero duntaxat esse pœnam, aut (ut Augustinus solet dicere) malum.

Et ut hoc obiter iam attingam (cũ Augustini mentio facta est) D. Magister Augustinũ citauit lib. 5. contra Iulianum, ubi tria tribuit cõcupiscentiæ. Solent dicere Iureconsulti, inciuile est non tota Lege perspecta respondere. Nam quæ Augustinus ibidem attulit, de concupiscentia ante Baptismum dixit, quam infelix Iulianus Pelagium secutus, neq; peccatum, neq; malum esse uoluit, sed laude dignam.

Identidem sentiendum de Augustino, super Iohanne citato tractatu 41. cum clarissimis uerbis sanctus pater adserat. Quicquid ante Baptismum à nobis peccatum est, in ipso Baptismo deletum esse, & ea quæ sequuntur.

Cùm autem in ipsum Augustinum inciderimus, præstat & alia euacuare. Nam nullibi dixit Augustinus (de quo me refero ad tam sanctum Patrem) peccatum remanere in puero baptisato post Baptismum. Nam quod solet citari, peccatum deleri in Baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur, Hoc Augustinus non habet, Nam concupiscentię meminit, quæ remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Pulchrum enim est, quod Augustinus ait, illud non esse peccatum, non habere reatum. Verum Lutherus hunc locum primus deprauauit, unde fortè sequentes similiter lapsi sunt.

Alij loci ex Augustino citati adferunt solutionem in dorso (ut dici solet) quoniam fatemur concupiscentiam remanentem, infirmitatem esse, morbum esse, & filios gignere se peiores, malos motus, quibus si mens consenserit, certè concipiens pariet peccatum, Id quod sanctus Iacobus nos docuit.

Arbitror autem uenerandum Magistrum amicum meum, si amicè uoluerit negocium hoc concordare, facilè hoc efficiet, Si id quod hodie dixit, de condonatione peccati, & in Apologia de non imputando peccato, ita interpretabitur, ut culpa quæ propriè & uerè dicitur reatus, in Baptismo aboleatur, ipsa tamen cùm pugnam exerceat continuam carnis aduersus Spiritum, & colluctationem illam carnis, de qua sæpe Apostolus, sitq; à peccato facta, à peccato relicta, & ad peccatum inclinans, propter quæ sanctus Paulus non semel ipsam appellauit peccatum, ad Roma. 7. Vbi fuit adsumtum, Paulum de se loqui, super quo non contendo. Licet Origenes, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, & si rectè memini Paulinus, magnus pręco sancti Felicis, cuius hodie memoriam agit Ecclesia, diuersum sentiant. At propter Augustinum iam senem uerba ista de persona Pauli intelligentem, hoc quoq; non displicet nobis.

Sed eiusdem Augustini explicationem suscipiamus, ut Apostolus concupiscentiam uocet peccatum, quia peccato facta est, addo, quia inclinat & mouet ad peccandum. Elegans est simile quod Augustinus adfert, concupiscentiam sic dici peccatum, sicut scriptura hominis dicitur manus eius, uel elocutio lingua dicitur.

Quod ex Psalmo citatum fuit, omnem hominem esse mendacem, Psalmum recipimus. At expositionem nouam in præsentia non uidemus admittendam. Sic quod uenerandus Magister alium concordantem adduxit locum Pauli, quia locum non expresit, non occurrit memoriæ in hanc sententiam à Paulo fuisse hoc dictum. At de sapientia carnis hoc habet ad Romanos, quòd sit inimica Deo, & legi Dei non sit subiecta.

At quòd quædam loca hodie per me citata ex multis libris uno collyrio uoluit sanare, non accipio. Nam deordinationem esse in natura agnoscimus. Hinc multa mala Augustinus concupiscentiæ tribuit.

At ubiq; fatetur omnia peccata in Baptismo esse remissa. Et præter locos superiores placet subijcere illud Augustini, de persona sua, libro 6. contra Iulianum cap. 5. Absit ut ego inanem dicerem gratiam lauacri illius, in quo renatus sum ex aqua & Spiritu, qua liberatus sum à reatu omnium peccatorum. Etiam Iulianum ibidem corripit de falsa sententia. Ait eum multum errare, si putat baptisatum carere concupiscentia. Omni enim peccato caret, non omni malo. Et planius: Omni reatu omnium malorum caret, sed non omnibus malis.

Cùm ergo dignitas Baptismi hoc exigat, & meritum sanguinis Christi effusi à Patre hoc impetrauerit, & scripturæ Canonicæ tam clarè & irrefragabiliter testentur, omnium peccatorum remissionem in Baptismo donari. Atq; Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, uerbis minimè ambiguis hoc comprobant, quod tota hactenus suscepit Ecclesia, facilis & plana apparet in hoc articulo concordia, uelut supra memini, de applicanda condonatione, & non imputatione huiusmodi peccati, ut sic deinceps idem dicamus, et sentiamus, & fiat pax et cõcordia in Ecclesijs nostris. Quod præstet benedictus Mariæ filius, fiat.

SEQVENTI DIE SABBATI

15. Ianuary, mane hora octaua, continuauit collocutionem D. Philippus.

Facta potestate dicendi ab illustri Domino Commissario Cæsareæ Maiestatis, & reuerendis, generosis, nobilibus & præstantibus uiris D. Præsidentibus, respondebo ad ea breuiter, quæ heri agitata sunt.

Primùm ad ea, quæ ad prægrauandos nos de exemplaribus, & edictis præfatus est clarissimus D. Doctor, commodius alibi respondebimus. Et sit modus aliquis harum exprobrationum.

Secundò, Quòd optat similem consensum de cæteris articulis, ut de primo, uerè & ex animo idem optamus, uidelicet, ut uerbo Dei coniuncti essemus, sicut in primo articulo consensus est.

Ac sperarem posse constitui talem consensum, si iudices haberemus idoneos. Sicut animaduerti potest in secundo articulo, in quo apparet facilem esse conciliationem. Pius & candidus iudex uidet reuera non discrepare definitiones dextrè intellectas. Postea in altero loco facilis est dijudicatio, de peccato in Sanctis, si quis doctrinam Pauli considerat, & suæ mentis motus aspicit. Quis nostrum non ex animo dolet, se uexari dubitationibus de Deo, non satis timere, non ardere dilectione, multa humano consilio suscipere sine inuocatione, incendi etiam alijs prauis adfectibus. Hæc etiamsi non accedat perfectus consensus, agnoscit mens pia esse peccata, dolet & petit condonationem. Non igitur difficilis est huius loci dijudicatio.

Atq; utinam summi principes exaudirent uota & gemitus piorum in omnibus nationibus, qui optant, ut Ecclesijs rectè consulatur. Ac nunc quidem gratiam habemus clementissimo Imperatori, qui hanc collocutionem instituì uoluit, ut aliquando deliberationes de dijudicatione haberi possint. Ac Deum precamur, ut consilia pia & salutaria Ecclesiæ adiuuet.

Hæc

Hæc breuiter adieci,ut ad eam partem præfationis reſponderem, in qua D. Doctor facit mentionem aſperitatis, quæ contra nos exercetur. Quam ſi adprobat,doleo. Scriptum eſt enim: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Tertiò, In definitionibus dicit me plura tribuere dona iuſticiæ originis, quàm conueniat.Et addit exemplum: Si infanti donaretur iuſticia originalis, cariturum eum culpa, etiamſi dona cætera non haberet. Reſpondeo. Non opinor D. Doctorem uelle peccatum originis tantùm eſſe reatum,& non etiam auerſionem à Deo.Ita fatendum eſt,iuſticiam eſſe non tantùm acceptationem,ſed etiam conuerſionem ad Deum,& quidem omnium uirium (de originali loquimur) Ideò neceſſariò complectitur hæc dona, in mente lucem de Deo, in uoluntate conuerſionem ad Deum,& in cæteris uiribus debitum ordinem. Et hæc haberet infans,donatus iuſticia originali: niſi uelit iuſticiam tantùm de acceptatione intelligi,quod non opinor.

Porrò ut differunt nunc peccatum & pœna,ſcilicet, mors & quidquid mors complectitur,id eſt,languor uirium ingenij & corporis,& tyrannis diaboli ſæuientis,uel in corpora uel aliter.Ita differunt iuſticia originalis,& dona addita,ſcilicet immortalitas & excellentia multiplex mentis & aliarum uirium. Sed tamen iuſticia originalis,niſi uelit ſolam acceptationem ſignificari,eſſet rectitudo omnium uirium erga Deum. Quare tria illa quæ dixi neceſſariò complectitur.

Nec aliud uoluiſſe uidentur Patres,qui hoc peccatum definiunt, uel carentiam iuſticiæ debitæ ineſſe,uel concupiſcentiam,uel ignorantiam in mente, & inobedientiam in uoluntate.Item,cum dicunt, iuſticiam originis eſſe rectitudinem uirium,uidelicet erga Deum,ſeu ut Nazianzenus dixit,fuiſſe imaginem Dei.Hæc omnia congruere ſatis apparet,& ſpero D.Doctori ſatisfacturа eſſe. Certè non puto eum probare,quod Occam dicit,ſe ſi non impediretur autoritate patrum,dicturum eſſe,peccatum originale tantum eſſe reatum.

Quartò, Etſi de meis ſcriptis hîc non præcipuè agitur, ſed de communi doctrina Eccleſiarum noſtrarum: tamen ſi quod meum erratum mihi obijcitur,ingenuè reſpondebo,ac libenter cedam meliora monentibus.

Cæterum quod ait, cum applauſu recipi diſcrimen inter originale & actualia,uerè affirmare poſſum, hoc diſcrimen in Eccleſijs noſtris diligenter tradi,ac ſemper traditum eſſe. Alius alio fortaſſe magis propriè loquitur,ut fit. Imò extant noſtrorum ſcripta,in quibus laudatur Auguſtinus, quod harum appellationum diſcrimen diligentius tradiderit,quàm ſuperiores.

Porrò in Scriptura uidendum eſt, quando peccatum de ſolo originali, quando de actuali,quando de utroq; intelligendum ſit,ſicut ſæpè utrunq; complectitur,ut ſeries argumentorum oſtendit.

Quintò,Non moueo litem de loco Ieremiæ,prauum eſt cor hominis &c. poſſumus enim uti alijs teſtimonijs. Sed tamen iudicandum alijs relinquo,an expoſitio de ſolis actualibus,ad quæ accedit conſenſus, reddat integram ſententiam textus,cùm Propheta dicat,prauum eſt cor in omnibus,& peruerſum. Nec in Geneſi dicitur,prona eſt ad malum, Sed, omnis cogitatio cordis mala eſt omni tempore. Hę uniuerſales certè deſcribunt naturę corruptionem.

Sextò, Atrocius quàm in tali Colloquio conueniebat in nos inuectus eſt, cum dixit à nobis iniuria affici Baptiſmum,imò Chriſtum. Hic locus poſtulat

refutationem,in qua & de dignitate Baptiſmi, & de exuberantia gratiæ ac beneficijs filij Dei dicendum eſt,quem inuocamus,& toto pectore celebrare cupimus.Adfirmamus etiam exuberare gratiam ſupra peccatum. Alioqui enim non adferret ſalutem æternam,non uinceret mortem &c.prædicamus & illud, Spiritum ſanctum abundè effundi,&c.

Sed cum ſic argumentatur, ſi manet peccatum, detrahi merito Chriſti. Nos autem manere dicimus,ergo detrahimus merito Chriſti. Reſpondeo ad minorem. Dicimus non manere peccatum,ſed tolli,non ſolum imputatione, ſed etiam re ipſa. Verùm in hac uita incoatur noua & perpetua iuſticia,cum deleri incipit,ac mortificari peccatum. Poſtea exhibetur tota iuſticia extincto corpore,quod ut Paulus inquit,morti deſtinatum eſt, propter peccatum(ſcilicet inhærens)Illuſtratur igitur meritum Chriſti, quod docemus cum ſcripturis,etiam Sanctos habere remiſsionem propter mortem Chriſti,non propter legem aut propriam dignitatem.Et pij habent certam conſolationem intuentes in uictimam filium Dei.

Alter Syllogiſmus eſt,Spiritus ſanctus abundè in nos effunditur. Ergo ſic abundat,ut omne peccatum tollat. Concedo, uincit enim peccatum,& incoat nouam iuſticiam,poſtea conſummata renouatione tollit omne peccatum. Interim luctatur cum peccato,ſicut inquit Paulus Roma.8. Sed & nos ipſi,qui primitias Spiritus habemus,gemimus in nobis, expectantes adoptionem filiorum.Item,Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Abundè igitur effunditur in corda Spiritus ſanctus,qui uincit peccatum, & eo ordine tollit,ut dictum eſt. Sicut & Zacharias 12. inquit,effundi Spiritum gratiæ & precum &c.uidelicet,quia Spiritus ſanctus exuſcitat corda, ut gratiam agnoſcant,credant remiſsionem peccatorum,& expectent liberationem ac uerè inuocent,complexus uidelicet principales cultus,qui proprij ſunt illius nouæ iuſticiæ.

Tertium argumentum,in quo dicitur, detrahi Sacramento Baptiſmi, Si fide opus eſt ad petendam remiſsionem, fruſtra datur remiſsio in Baptiſmo. Reſpondeo. Mirus eſt intellectus Baptiſmi, ſi ſanctificari infantes ſine Spiritu ſancto exiſtimant. Nam cum remittitur hoc peccatum,ſimul datur Spiritus ſanctus,qui repugnare huic peccato & tunc incipit, & poſtea in adultis repugnat,in quibus lucere iam fides debet, quæ & agnoſcat infirmitatem,& luctetur cum hoc peccato,& petat condonationem. Itaq; rectè conueniunt hæc,& condonari per Baptiſmum,& in adultis fide opus eſſe, quæ petit condonationem,ut dictum eſt.Nam cum in Baptiſmo datur Spiritus ſanctus, is in adultis, qui non excidunt certè eſt efficax.

Septimò, Venio ad Auguſtini loca. Quanquam ut fit in multis controuerſijs ſæpè diſsimilia teſtimonia ex Scriptoribus citantur, tamen eſt æqui iudicis,& amantis ueritatem,quærere perpetuam autoris ſententiam. Nec uerò dubitamus perpetuam hanc eſſe ſententiam Auguſtini,quam commemorauimus,etiamſi aliâs commodius,aliâs minus commodè loquitur,ac iudicium lectoribus permittimus.

Quòd enim D.Doctor eludit citata teſtimonia,facilè eſt iudicium,quæ ſit ſententia.Negari enim non poteſt,quin locus in Iohannẽ tractatu 41. quem citauimus,et de renatis loquitur,& de malo originali, inquit enim: Quàm diu uiuis,peccatũ neceſſe eſt eſſe in membris tuis.Quod nõ poteſt intelligi de actualibus,ad quæ perfectus conſenſus accedit. Et lo-

Et locus contra Iulianum de renatis loquitur, Nam diſertè dicit: Concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, et peccatum eſt &c.

Poſſunt autem colligi multa teſtimonia, quæ ſententiam noſtram confirmant. Vt contra Iulianum lib. 3. Lex peccati repugnans legi mentis, quæ in tanti quoq; Apoſtoli membris erat, remittitur in Baptiſmo, non finitur.

Ad Macedonium. Credentes iuſti ſunt propter participationem gratiæ, peccatores autem propter uicia infirmitatis. Quantum igitur ex fide iuſtificati ſumus, iuſti ſumus. In quantum autem reliquias ex Adam trahimus, ſine peccato non ſumus.

Sed omitto hanc recitationem, & peto ſententiam perpetuam autoris conſiderari, Nam cauſa præcipuè nititur teſtimonijs Propheticis & Apoſtolicis. Ideo ueniamus ad locum Pauli ad Roma. 7.

Dominus Doctor bene nouit eſſe quandam diſſimilitudinem interpretationum Origenis, & illorum qui eum ſecuti ſunt, & alteram quam uocamus nunc Auguſtinianam. Nec tamen arbitror D. Doctorem Origenicam ſic amplecti, ut eam anteferat Auguſtinianæ. Et cum Scripturæ ſententia certa ſit, unam eſſe ueram & ſolam amplectendam ſentimus. Itaq; reiecta Origenica, textum ipſum inſpiciamus, in quo Paulus illam ſingularem Euangelij doctrinam de uſu legis, de liberatione, quæ fit per gratiam, & de infirmitate reliqua, ſupra quam tamen exuberat gratia, copioſè exponit.

Primùm enim inquit: Sine lege peccatum fuiſſe mortuum, In qua ſententia, ſicut in reliquis, Origenes uarias opiniones colligit, et nihil firmi tradit. Cùm hæc ſit ſententia uera, ſine lege non agnoſci peccatum, agnitione illa quæ terret, & pauores incutit conſcientijs, de qua alibi inquit: Lex iram operatur. Item, Aculeus mortis peccatum eſt, potentia peccati Lex.

Sequitur in textu, Ego autem uixi aliquando ſine lege, hoc eſt, ſecurus non ſenſi terrores legis. Veniente autem mandato peccatum reuixit, & ego mortuus ſum, uidelicet, agnito peccato ſum oppreſſus terroribus mortis, & iudicio legis. Hæc prima pars eſt, in qua de uſu legis concionatur.

Poſtea attexit certamen renouati hominis poſt illos terrores. Eſt igitur continua ſententia. Et ſicut de ſeſe loquitur initio, ita loquitur & poſtea de ſua perſona. Ac ne poteſt quidem intelligi, niſi de eo, qui iam renouari cepit, cum aliquoties dicat: Delector lege Dei ſecundum interiorem hominem. Quod non dici poteſt, de non renato. In hoc igitur inquit, inhabitare peccatum. Et quid intelligat peccatum ſatis oſtendit, cum diſertè addit: Peccatum illud repugnare legi mentis, legi Dei. Non igitur ſignificatio alia uocabulo peccati attribuenda eſt, ſicut D. Doctor Metalepſin facit, peccatum dici, quia ſit à peccato factum. Quanquam id quoq; ſuum habet locum. Sicut ſupra ex Auguſtino citauimus, & peccatum & cauſam peccati, & pœnam peccati, hunc morbum dici. Sed nominatim Paulus hîc de infirmitate loquitur repugnante legi Dei. Id autem peccatum uocari ſua natura nemini obſcurum eſt.

Huc accedit deinde & altera ſententia, in qua ad citationem meam reprehendit D. Doctor: Senſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum. Res eadem eſt, ſi mauult dici, ſapientia carnis. Quia certè Paulus loquitur de opinionibus carnalibus, ſeu rationalibus, quas habet homo ſecundum naturam hanc corruptam, & de motibus uoluntarijs, qui illis erroribus reſpondent. Hoc totum ſignificantius dicitur in textu, phronema, quàm uulgo legitur ſapientia. Et ſi de

uocabulis nihil pugno. Rerum hæc controuersia est,nam ex hoc loco multa pendent, Non potest beneficium Christi satis conspici,nisi morbo agnito. Et cum recepta est opinio rationalis, concupiscentiam seu infirmitatem illam, in intellectu, & uoluntate,& appetitu sensitiuo, & uiciosos motus, quos uocant primos motus &c.non esse peccata,statim obrepunt imaginationes falsæ de lege, quòd homines lege iusti sint, legi satisfaciant &c.

Cùm autem dubitari non possit,quin sua natura sit peccatum, id quod uocatur inimicicia aduersus Deum.Quid enim dici potest atrocius? satis illustre testimonium habemus nostræ sententiæ.Conuenit huc etiam,quod primæ Iohan.2.dicitur: Concupiscentia carnis non est ex patre,&c.

Quòd autem Iacobus dicit: Concupiscentia cum parit, parit peccatum, rectè dicitur: Nec sequitur ipsam concupiscentiam propterea non esse malum sua natura dignum morte æterna. Sed ut est arbor mala,ita fructus malos parit.Sicut alibi Paulus, fructus peccati.

Nec illud obstat,quòd disputant, non simul stare gratiam & peccatum. Verum est excuti Spiritum sanctum & gratiam ac amitti fidem, qua iustificamur,admissis peccatis contra conscientiam, sicut Paulus inquit: Si secundum carnem uixeritis,moriemini. Sed idem fatetur simul esse in renatis Spiritum sanctum & morbum illum,quem uocat peccatum,qui non est ociosus. Ideo inquit: Si actiones carnis spiritu mortificabitis,uiuetis. Et hoc modo coniungit alibi & sæpè,ueterem & nouum hominem. Caro concupiscit aduersus spiritum,Spiritus aduersus carnem. Vetus noster homo crucifixus est, &c. Vt in curatione incoata est sanitas,ita hîc incoata est renouatio.

Et tamen exuberat gratia,quòd uidelicet condonantur reliquiæ peccati, & morbus paulatim aboletur,& integra nouitas,uidelicet,perpetua iusticia & uita donatur.

Hæc nihil habent obscuri,nihil perplexi,& sine ulla dubitatione in scripturis sanctis Prophetarum & Apostolorum ita tradita sunt. Ideò his testimonijs contenti simus.Et tamen Ecclesiæ testimonium non aspernamur. Ideo Augustini dicta citauimus,qui & ipse superiores Scriptores allegat.

Quòd autem postremo loco proposuit D. Doctor,ut dicamus culpam tolli.

Respondemus. Satis clarè nos testatos esse, tolli reatum,sed quod hoc molitur,ut eò perducamur,ut hunc morbum reliquum tantum pœnam esse fateamur,nequaquam adsentimur.

Ac mihi quidem ut ignoscat peto, si non aliter cum ipso uelim loqui, quàm quotidie in precibus coram Deo loquor.

Certè cum cogito dubitationes,cum agnosco quantum absim ab illo timore & amore Dei,qui requiritur,non possum iudicare tantum pœnas esse. Fateor & agnosco esse peccata. Et sic tota Ecclesia precatur,Dimitte nobis debita nostra.

Itaq; propositam illam mitigationem non possum admittere.Ac peto potius,ut ipsi Scripturæ adsentiantur,& suis conscientijs, quæ & ipsæ agnoscunt in quotidiana uita,hæc mala non tantum pœnas, sed sua natura peccata esse, Sed condonari Sanctis,fide petentibus condonationem.

Reliqua est particula de citato loco,Peccatum remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur.Quod ad me attinet, agnosco malè citatum esse: Sed hæc senten-

sententia sæpè in Augustino tradita est. Alibi inquit, Non ut non sit, sed ut non regnet.

Et mutassem ipse multò antè, si editionibus adfuissem.

Reliqua omitto, Et si opus erit, declarabo nostram sententiam copiosius.

Quod de locis Micheæ & Ezechielis, & alijs nihil dictum est. Respondi in summa, Peccatum in Baptismo tolli, quod ad reatum attinet, Et dari Spiritum sanctum, qui incoat nouam iusticiam, hæc postea consummatur.

Ita Prophetæ non de uno tantum opere Baptismi, sed de tota significatione & effectu loquuntur. Sicut aliâs sæpè complectuntur incoatam nouitatem & consummatam, Vt Ieremiæ 31. Feriam fœdus nouum &c. Item, Ioelis 2.

Dixi quantum potui iam, oro etiam ut audiantur reliqui, qui possunt ista melius dicere. *Conclusio.*

Finita hac oratione ex mandato illustris Domini Commissarij Cæsareæ Maiestatis, & dominorũ Præsidentium petitum est, ut Doctor Eccius, quantum possibile esset contraheret sermones, & diceret ea, quæ pertinere uiderentur ad ipsum negocium, omissis alijs. Et ut in cæteris idem fieret &c.

EODEM DIE, HORA SECVNDA Pomeridiana D. Doctor Eccius.

Illustris, reuerendissimi, ornatissima præstantissimorum uirorum corona.

Ad ea quæ uenerandus D. Magister hodie proposuit, etsi plura forent dicenda, pro arduitate negocij, me tamen tempori accommodabo. Quantum enim ad exemplariorum mutationem attinet, sciens iam prætereo.

Quòd uerò edicta Principum respicit, & arbitratur Dominus meus me non probare asperitatem illam: Profectò magna esset Eccij temeritas, si Regum & Principum facta temere iudicaret.

Id autem quod inter præfandum immiscuit, De motibus mentis, & peccato Sanctorum, cum dubitant, non satis timere uel ardere dilectione. Etsi hoc ad alium pertineat Articulum ante uiginti annos Lipsiæ per me disputatum, aduersus Lutherum & Carolostadium, cum oportunè locus ille tractabitur, Deo dante, non deerunt Eccio sacræ Scripturæ, Patrum autoritates, ad hæc rationes inuictæ.

At quia D. Magister post longam orationis tractum, in eandem descendit materiam, motus illos, quos solent Theologi primos appellare, Constituere hominem in inimicicia Dei, quod ex allegato Apostoli loco de prudentia carnis cupiebat adstruere. Cum tamen longè aliud sit, etiam sua interpretatione, prudentia carnis, phronema, quàm concupiscentia, fomes & morbus ille.

At omnium uestrum præsentium prudentiam testor, Quis arbitrabitur ex illis ipsis primis motibus, tam atrox crimen committi. Cum enim nemo illis careat, & prorsus nobis inuitis suboriantur, sit ergo uir bonus, qui his motibus ad auariciam, adulterium, uindictam, aut alia crimina extimuletur, qui tamen rationis ductu huic tentationi uiriliter auxilio Dei resistat, ne regnet & obediat concupiscentijs illorũ motuum. Quantò rectius ad sanctorum patrum sententiam dixisset, primos motus si his non consentiatur, non habere culpam criminis. Etsi non existimem D. collocutorem, pro sua moderatione, uniuersos homines tam graui uelle onerare crimine: tamen indoctiores Ecclesiarũ præ-

dicato-

dicatores,crudè intelligentes huiuſmodi concupiſcentiam, capitale adſerunt eſſe peccatum & horrendum, hominesq; conſtringunt in ineuitabile peccatum,dum aut uir,matrona,aut honeſta uirgo huiuſmodi connatis motibus titillatur.Nam ſi conſenſerit,actuale peccatum perficitur. Si non conſenſerit,adhuc per concupiſcentiam remanentem adfirmant peccare, quod à Patribus ſemper fuit uitatum, ne in lege Chriſti perfectiſsima quocunq; caſu homo fiat perplexus. Vt etiam Gerſon illuſtris apud eos Theologus,in Moralibus, & aliâs ſæpè docet.

Quin unà ex hac radice eò deuehuntur,ut innocentiam infantilem etiam renatam capitalibus onerent peccatis,dum fame preſſa cibum petit,aut lac maternum,aut frigus refugiens expetit calore temperari. Hæc de Domini collocutoris mei præfatione.

Antequam uero rem ipſam aggrediamur,uideor iuſtum ſeruaſſe ordinem,quòd cum heri colloquium meum concluſurus eum rogitabam, Vt cum fratribus ſuis Chriſtianam nobiſcum concordiam iniret, monſtraui iter, per quod facilis nobis tranſitus,in delectu Auguſtano, quaſi in fine meas preces reiecit,eò quòd quotidianis precibus Deo ſupplicet: Dimitte nobis debita noſtra.

Verum ſi maluiſſet ſequi Auguſtinum, quem iactat ſuæ partis eſſe, non fuiſſet aſpernatus humiles preces meas, ex caritate & amore concordiæ proueuntes.Nam diuus Pater libro primo contra duas Pelagianorum Epiſtolas affirmat,Nos non dicere propter concupiſcentiam: Dimitte nobis debita noſtra,ſed illud quod ſequitur,Et ne nos inferas in tentationes.

Cum autem non me fugiat ueſtras excellentias & dominationes expetere,ut ſim breuior,uotis ueſtris ſtudebo obſequi.Ita tamen,ut nihil depereat ueritati Euangelicæ, quod ut præſtem commodius, omnes ſuppliciter precor, memori mente teneant,quæ in faſcem iam redigo. Omnia enim quæ uel ex Apoſtolo, Auguſtino, & aliis ſunt allata,intelliguntur uerè à ſanctis Patribus conformiter de concupiſcentia uel ipſius fomite, uel malis eius affectionibus,exercentibus nos per totam hanc uitam,ut non abſonè diceret Iob,Militia eſt uita hominis ſuper terram(Auguſtino ſic citante) Nam hæ ſunt ueteris hominis atq; primi Adæ terreni reliquiæ,quem exuere oportet, & de die in diem renouari.Oportet mortificari illas reliquias,legem membrorum debilitari.Hinc ieiunia,uigiliæ,caſtigationes corporis in Eccleſia conſtituuntur. Et ab aliquibus uoluntarijs uotis adſumuntur.Quòd cum pauci ſimus, qui illa faciamus,non mirum,ſi concupiſcentia,fomes,Lex membrorum, Tyrannus iſte regnat in mortali corpore noſtro. Quæ dum nos pertrahunt ſæpenumero in conſenſum peccati,meritò nos omnes infirmitatem hanc deprecamur, à qua ſanctiſsimi uiri ſe petierunt liberari.

Hoc ita præfato,obiter percurramus quæ hodie fuerunt adducta.

In puncto enim definitionum attulit, lucem & conuerſionem ad Deum,ad iuſticiam naturalem pertinuiſſe. Hoc profectò in ſcripturis & patribus non inuenio.At iuſticia naturalis plurimum tribuit illis emolumenti. Quemadmodum collocutor meus confeſtim ſubiecit de morte & condependentibus malis.Itaq; quoq; iuſticiam naturalem habuiſſe dona addita.Sed ex illo inferre identitatem donorum metaphyſicè rationi minus congruit.Sicut et illud,quod iuſticiam originalem ſeu naturalem dixit omnium uirium complexam rectitudi-

tudinem, Si de sola iusticia loquitur, non tonabimus contra Augustinum. Si uero de iusticia illa loquitur, cum suo toto comitatu, maiora illi tribuere non uerebimur. Itaq; iusticiæ illius naturalis naturæ institutæ amissionem consecutam esse ignorantiam in mente, quam heri Dominus collocutor appellabat caliginem & inobedientiam in uoluntate, fateri illud non abhorremus: Cùm sancti Bernardi sententia sit recepta, etiam remisso peccato originali, sequelas noxias & pœnas remanere.

De Occam inducto, quem forte 26. annis non uidi, nec tamen sic excidit memoria, quàm diuersa fuerit Doctorum super peccato originali sententia. Vt aliqui maximè ueteres, ad morbosam illam concupiscentiæ qualitatem respicientes, originis peccatum per eam definierint.

Rursus iuniores formale ipsius attendentes, reatum concupiscentiæ & iram Dei, quod natura essemus filij iræ, & ita priores partes reatui tribuerunt. Hanc sententiam Occam & alij iuniores secuti, ueteres tamen ob autoritates patrum non audebant reijcere. Quare Gabriel Theologus Germanus, uariarum opinionum conciliator studiosissimus, etiam hac parte Doctores in concordem traxit sententiam.

Porrò discrimen peccati actualis & originalis peccati doceri in Ecclesijs, sicut heri mihi placuit, hodie quoq; non displicebit. Nam de Magistro uenerabili, & sui similibus doctis uiris non dubito, quin illa & alia adtemperare possint. At uereor, cum indocti concionatores, quorum maior est pars, sicut etiam apud nostros, in illa scripta nondum emendata inciderint, carentes sale sapientiæ labantur, ne quid durius dicam.

Nec est necessarium, ut diutius Ieremiæ locum uentilemus: Quod hominis cor prauum & peruersum ab adolescentia, uel propter ipsam concupiscentiam, mali illicem, uel actualia peccata, fateamur.

De uniuersalitate lectio Ecclesiastica quod memini, non habet. Quod si etiam habuerit, sabbatarium est, quomodo in sacris literis sunt recipiendæ uniuersales propositiones. Sicut omnis Iudæa exiuit ad Iohannẽ. Tritum est illud.

Miror autem uehementer, quod uenerandus Magister tacitè uoluit me suggillare in hesterna citatione Geneseos, cum lectio Ecclesiastica constanter ita habeat, sicut citaui, Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Cùm uero astruit, suos nihil detrahere uel dignitati Baptismi, uel merito sanguinis Christi effusi. Adsentitur enim in Baptismo abunde dari gratiam, & abunde Spiritum sanctum. Rectè quidem hoc. Ita enim Paulus loquitur ad Titum per me citatus. Verum an uobis alijs præsentibus satisfecerit, nescio. Mihi profecto non satisfecit. Quomodo enim uel gratia, uel Spiritus sanctus abunde daretur in Baptismo, Si non potens esset culpam omnem remittere & abolere?

Nam sic sentiendo, potius dicendum foret, culpam abundare & exuberare, quæ per gratiam Baptismi non posset exterminari, esset enim consentaneum, Baptismi Sacramentum esse impotentius, quàm pœnitentiæ, in quo nedum culpa, sed pœna quoq; aduersariorum iudicio adimitur.

Baptismus uero tanquam fragilior, culpam totam non posset auferre.

Quæ subinde Dominus meus adiecit de incipiente iusticia, mortificatione, renouatione & similibus, ex communi nostro proloquio uerum recipiunt sensum.

Sic de

Sic de concupiſcentia ſpiritus apud Paulum,de effuſione Spiritus apud Zachariam,nos ſponte illos locos heri præoccupauimus. Veluti nemo eſt,qui non experiatur colluctationem carnis & ſpiritus.

Neq; mihi ſatisfacit,cum admiratur Baptiſmum in pueris,qui luctetur & petat condonationem. Pueri, ut ait Moiſes,hodie non ſciunt,quid bonum,& quid malum. Rogo Dominum meum,iam à 25.fermè annis notum,ut magis admiretur Baptiſmi efficaciam,& uirtutem regeneratiuam,qua corpus tangit, & animam abluit,ut Auguſtinus inquit: Sibi ipſi mouit difficultatem, quomodo Baptiſmus conferat gratiam & ſpiritum Baptiſato infanti,in quo tamen remaneat culpa.Et quod Lutherus ait,æquè manere peccatum originale poſt Baptiſma, ſicut ante. Fateor paruitatem ingenij mei, non potentem capere, quòd puer ſit amicus Dei per gratiam,& inimicus Dei per culpam.Et ut apertius dicam quod uolo,cum concupiſcentiæ culpam in homine facitis perpetuam,uſq; ad conſummatam renouationem, non eſt homo in terra, quin mille millibus eum oneremus peccatis,& iiſdem capitalibus,ut aliqui ex ueſtris dicunt,propter illam concupiſcentiæ culpam.

Quis ergo ex amplo terrarum orbe ſaluabitur, tot laqueis capitalium peccatorum implicitus? ut ei propter continuum concupiſcentiæ peccatum,à puero in cunabulis uſq; ad decrepitam ſenectutem, reſpirare nullum tempus detur,quin potius omnes ſine diſcrimine,propter hæc capitalia peccata eſſent æterno igne cruciandi.

Ad Auguſtinum hodie repetitum tractatu 41. Super Iohanne pleniter fuit reſponſum.Et Dominus Collocutor,ſi plenam Auguſtini ſententiam adduxiſſet, habuiſſet ſolutionem,ſubdit enim Auguſtinus: Saltem illi regnum auferatur,non fiat quod iubet.Ecce de concupiſcentia ſolicitante ad peccatum loquitur,quam rectè in libro 2.contra Iulianum, ſub nomine legis peccati fatetur remitti, ſed non finiri.

Quod ut uerum ſit,adeat uenerandus M.eundem eodem libro dicentem. Iam'ne diſcernis? Iam'ne perſpicis? & in Baptiſmate fieri omnium peccatorum remiſsionem.De lucta uero ſubdit.Et cum Baptiſatis fieri quaſi ciuile bellum interiorum uiciorum,& poſt pauca,Quamuis non eodem modo appelletur peccatum,quo facit reum,cum ſequentibus &c.

Sic quod Auguſtinus ad Macedonium appellat credentes eſſe peccatores,non uiſo loco,Auguſtini mentem ex uerbis in Pſalmum accipio. Omnes præuaricatores terræ. Infantes,inquit,ſunt præuaricatores,ſicut & peccatores impropriè.Notetur uocula impropriè.

Porrò cum D. Doctor dicit Eccium feciſſe Metalepſin de uocula peccati: non fuit ille Eccij,ſed Auguſtini,non in uno loco facta.

Neq; ego uolo eruditiſsimas aures auditorum prolixiore expoſitione ſeptimi capitis ad Roma. moleſtare, cùm non exiſtimem, nos hac poſitos fore, ut Lectores: quod munus nobis in Scholis domi eſt expediendum.

Itaq; ut uno uerbo me explicem,In tanta Doctorum uarietate,mihi heri non diſplicuit,Auguſtini ſenis ſententia, cui ſi D. Magiſter accommodauit non ſentio.Sed ea, quæ attulit ex ſententia capitis ſui, non recipio.

Quantum uero attinet ad dictum Iohannis in ſecundo primæ, nihil ſibi ſuffragatur.Eſt enim autoritas Sabbataria. Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt,concupiſcentia oculorum & ſuperbia uitæ, quæ non eſt ex Patre,

Patre,sed ex mundo. Vbi graphicè tantorum criminum, quæ in mundo fiunt, causas describit.

De Iacobo nemo dubitare potest, quin pro communi sententia faciat, Concupiscentiam adstruens quando conceperit parere peccatum. Quod tum fit,quando uoluntas adfectibus concupiscentiæ consentit.

Postremò ut aliquid uideatur tribuere efficaciæ Baptismi, tolli fatetur reatum.Quæram ex ipso,An etiam culpa tollatur uel maneat, nolo enim rixari de uerbis,quod Lutherus ante tot annos reatum dixit Sophisticum,Sed hoc scire aueo,An ablato reatu,maneat culpa, remanens peccatum, aut minus. Si enim culpa non remanserit,sed simul cum reatu tollatur, facilius ad optatum concordiæ terminum perueniemus.

Sin autem inuolucris uerborum,sicut quidam alij fecerunt, hanc teneret sententiam,Baptismum, uidelicet, adferre remissionem peccatorum,sed non auferre peccatum,in eodem uersaremur ambiguo.

Nam quæ dixit de uarijs prauis cogitationibus suborientibus,nihil moramur.Quas Doctores etiam Catholici muscis AEgyptiacis comparauerunt.

Neq; satisfactum est autoritatibus Micheæ, dicentis: omnia peccata auferri,proijci in profundum.Neq; Ezechieli testanti,mundatos ab omnibus inquinamentis, cum immundissimum restaret concupiscentiæ peccatum.

Minus etiam Apostolo responsum ad Corinthios,cum inquit: Et hæc quidem fuistis,sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis. Quæ competere non possunt in Baptisatum,adhuc peccato remanente obligatum.

Et ut pleniter sententiam Ecclesiæ adstruamus,placet altius repetere Pauli sententias,qui cum dixisset Romanis: Ne regnet peccatum in mortali uestro corpore,ut obediatur concupiscentijs eius,subdit: Quid ergo, Peccabimus? quia non sumus sub Lege,sed sub gratia, absit. Cur ergo ex aduerso dicitis esse peccatum,ubi Paulus prohibet,Absit, inquit,ut peccetis.

Iacobus quoq; inquit: Resistite Diabolo,& fugiet à uobis. Si peccatum cõcupiscentię per hanc uitam in nobis remaneret,quando diabolus aufugeret?

Porro Paulus ad Coloss. inquit: Mortificate membra uestra super terram,fornicationem,immunditiam,auariciam,&c.Si semper remaneret peccatum,usq; ad consummatam renouationem, nemo ex Christianis mortificaret membra sua.

Non dissimili pugnat sententia ad Romanos, dicens: Si Spiritu facta carnis mortificaueritis,uiuetis. Remanente culpa concupiscentiæ nemo uiueret,& minus impleretur quod ille iussit, ut destruamus corpus peccati,ut ultra non seruiamus peccatis. Quod illos fecisse existimandum est, de quibus idem meminit,Sicut hodie adductum est,qui sunt primitiæ spiritus, expectantes adoptionem, &c.

Et quod ab initio dixit capitis, nihil damnationis esse his qui sunt in Christo Iesu,subdit causam,quia non ambulant secundum carnem. Frustra etiam idem Apostolus animasset Catholicos,cum inquit: Lex spiritus uitæ in Christo Iesu,liberauit me à lege peccati & mortis. Quæ non competunt in habentem capitale peccatum.

Quas autoritates Pauli, cum alijs similibus de lauacro & mundatione Baptismi fortiter oppono docentibus, concupiscentiæ peccato nos tota hac uita esse constrictos.

Et licet sæpè audiuerimus iam Augustinum, tamen innumeri alij quoq; eius loci sunt, pro cõfirmanda Christianorum sententia. Placet tamen uel illud adferre ex libro 1. de ciuitate Dei, cap. 25. Quod si concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ uoluntatis legem, quasi lege sua moueatur, quantò magis sine culpa est in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis. Verba minimè dubia, Concupiscentiæ motum non plus nocere corpori, non consentientis, sicut nec dormientis.

Et rursus & clarius loquitur, Fomes inquit, ante Baptismum, pœna est & culpa, post Baptismum uero pœna est non culpa.

Atq; de peccatorum meritis, & remissione lib. 1. cap. 34. ostendit in puero baptisato nec originale esse peccatum, neq; actuale, cum multis similibus.

Prodeat quoq; in aciem pro ueritate tuenda sanctus martyr Cyprianus de ablutione pedum, ubi inquit: De abdito & secretissimo Spiritus sanctus munere uenit, & huius gratiæ liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula, aliqua in parte post ablutionem illam uestigia relinquat, Vbi apertissimis uerbis Martyr affirmat, uestigia maculæ originalis nulla relinqui.

Sententia est etiam diui Ambrosij in Epistolam ad Corinthios.

Sanctè ergo dixit Augustinus lib. 2. de ciuitate Dei, loquens de pueris Baptisatis. Quibus inquit, nihil est innocentius.

1. Postquam uero Prophetas, Euangelium & Apostolos, sanctos Patres audiuimus, præstat sententiam nostram rationibus quoq; firmare. Nam adesse remanens peccatum, quod nobis inuitis impugnaret, addo etiam expugnaret, ubi libertas arbitrij seruaretur? cum inconcussa & firma stet Augustini sententia de alijs peccatis quam originali.

Peccatum est adeo uoluntarium, ut si non sit uoluntarium, non sit peccatum.

2. Præterea & quod eadem radice pugnat nullum mandatum debet dari, nisi de bono uel malo contingenti. Si autem hoc concupiscentiæ peccatum esset in nobis necessarium, nullum super eo datum fuisset mandatum. Vis rationis traditur per Augustinum lib. 1. de doctrina Christiana. Et quod ipse testatur de gratia & libero arbitrio. Mandata Dei non prodessent homini, Si in his non haberet liberum arbitrium.

3. Cuilibet quoq; Christiano constat eum debere conformiter agere præceptis diuinis, alioqui non poterit assequi uitam æternam. Hoc quod Augustinus adsumsit de Spiritu & litera. Et Christus ipse testatur. Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Si quis enim mandata Dei non seruauerit, maledictiones super eum uenient, de quibus in Deuteronomio, Ad ista ergo inconuenientia uitanda, satius est uim & efficaciam Baptismi agnoscere, meritum Christi in Baptismo agentis multis laudibus prosequi, innocentiam infantium post Baptismum non sæuicia plusquam Herodiana persequi. Sed Deo gratias agere, qui pueris innocentiam restituit. Et nos adulti, qui perperam sæpè concupiscentiæ tentanti consentientes diuino implorato auxilio fortiter tentationibus resistentes, à Deo Optimo Maximo in æterna beatitudine coronemur.

Hæc ita uolui adferre, ut uenerabili D. collocutori satisfacerem, & superadderem

adderem quoq; ad hanc materiam pertinentia, rogans etiam atq; etiam, ut formulam concordiæ nobis tolerabilem adhuc cum fratribus suis acceptare uellit, quò pax in Ecclesijs Germaniæ in ædificationem subditorum feliciter redeat, ita precor.

SEQVENTE DIE DOMINICO, VIDELICET 16. Ianuarij, hora tertia Pomeridiana.

Primum Doctor Conradus Braun nomine præsidentium, statibus confessioni Augustanæ adhærentibus significauit, quòd D. Commissario & D. Præsidentibus uideretur, præterito biduo de secundo confessionis articulo ab utraq; parte satis esse disputatum. Ideo illos petere, ut ipsi uelint super eo articulo ulterius colloqui supersedere.

STATVVM VERO AVGVSTANÆ CONFESSIONIS nomine, D. Philippus respondit.

Quanquam cupiant Domino Commissario, & Dominis Præsidentibus gratificari, existiment tamen rem esse admodum grauem, non ad ea, de quibus heri sint accusati, respondere. Ideoq; petere, ut quod in huiusmodi causis sit usitatum, etiam ipsis concedatur, uidelicet, ut quoties dicit actor, toties audiatur reus.

Ad hæc iussus est præsidentium Orator respondere, Quòd licet satis sit ab utraq; parte super secundo articulo collocutum, nolle tamen Dominum Commissarium & Dominos Præsidentes ipsorum petitionem denegare. Sed ita, ut alteri parti posteriores dicendi partes seruentur, eò quòd Confessio & Apologia ab ipsis oblatæ, sint uice primæ propositionis.

Adiecit, petere D. Commissarium & Dominos Præsidentes, ut sermones utrinq; contrahantur, ne spacium unius horæ excedant.

Sub ista, D. Philippus dictorum statuum nomine gratias agit Domino Commissario & Dominis Præsidentibus, ostenditq; esse quædam superiori die dicta ab aduersarijs atrocius, deinde adducta etiam argumenta quædam, quibus necesse sit respondere. Petijt etiam, ut cuilibet ab ipsorum parte ad hoc Colloquium deputato, pro se dicere uolenti, sicut antea concessum esset, non denegaretur.

Item uideri ipsis, cum aduersarij primum dicere cœperunt, eos esse actores. Nam Confessionem & Apologiam oblatas, esse materiam circa quam hæc causa uersetur. Quare postremò monuit æquum esse, ut ipsis, non aduersarijs, postremæ dicendi partes permitterentur.

ORator præsidentium subiecit, uideri Domino Commissario & Dominis Præsidentibus, quod ad continuandum & concludendum Colloquium super isto puncto, facienda sit iam ab utraq; parte conclusio.

Et quod ad alios articulos pertineret, uelle dominationem ipsius cum Præsidentibus crastina luce suam declarare sententiam.

RESPONSIO TERTIA PHILIPPI.

Nec prolixitas hesternæ orationis, nec causa ipsa, in qua nihil est perplexi, difficultatem aliquam mihi adfert in respondendo: Sed duæ res aliæ laborem mihi augent, et ueritati adferunt periculum, uidelicet, quòd neglecto ordi-

ne clarissime D. Doctor uariè res miscuit,& uerba quædam captat ambigua, ut causæ nostræ noceat. Vt cum pro peccato seu uicio, quod in Sanctis nos dicimus remissum & condonatum esse, ipse utitur aliâs insidioso uocabulo crimínis,aliâs capitalis peccati,aliâs culpæ.Cùm inter hæc plurimum intersit.Interdum mea uerba omnino deprauat. Vt cum ait, Me mirari Baptismum in pueris,qui petat condonationem.Hæc portenta uerborum nequaquam nostra sunt.

Cum hoc modo offudit nebulas,deinde addidit atrocia conuicia, tribuit nobis Herodianam fæuiciam.Ego ab utraq; re abhorreo, & à Sophistica,& à maledicentia. Et arbitror uoluntatem esse clementissimi Imperatoris,& illustris Domini Commissarij & Dominorum Præsidentium, ut placidè ueritas quæratur. Et mihi conscius sum,me hactenus ingenuè,& sine ullis fucis,declarasse nostras sententias.Hæc ratio si mihi mutanda est,optarim clarissimo D. Doctori alium collocutorem dari.Maximè enim à negocijs relligionis abesse Sophisticam oportuit,& certare conuicijs nequaquam libet.

Baptismus infantium defensus & ornatus est multorum scriptis apud nos. Et sumus plerique patresfamilias. Certè de liberorum nostrorum salute cogitamus.Quoties ipse audiui inculcari hanc uocem:Non est uoluntas patris,ut pereat unus de paruulis istis. Sentimus eos in Baptismo fieri filios Dei,accipere Spiritum sanctum,& manere in gratia,tamdiu quoad non effundant eam peccatis actualibus ea ætate,quæ iam dicitur rationis compos.Morbus autem qui adest,non est capitale,sed remissum & condonatum peccatum. Desinat igitur nobis tribuere Herodianam fæuiciam,aut uicissim audiet, quæ non uolet.

Spero me excusatum esse prudentibus,quod hac utor præfatione. Nam hoc maledictum dissimulare non licuit. Tribuo eruditionem D. Doctori,tribuo etiam candorem.Ideò libenter cum eo cogitationes meas conferrem,sicut soleo cum multis,si sine animi acerbitate & sine Sophistica disputaret. Sed hæ rixæ nihil me delectant,nec sunt utiles ad tranquillitatem. Nunc uenio ad ipsius responsionem.

Ac primùm de uocabulis dicam. Crimen uocatur actuale peccatum,& quidem factum, quo lex Dei contra conscientiam uiolatur,cum hoc non est gratia.Nec dicimus uicioſos motus in Sanctis,quibus repugnant,crimina esse. Ac perplexitatem illam,de qua dixit,maximè explicat doctrina nostra de Iustificatione.Ostendimus quomodo placeat obedientia, cùm tamen sit imperfecta. Rursus etiam dicimus,amitti iusticiam & gratiam, cum uiolatur Lex Dei contra conscientiam,sicut Paulus inquit : Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Discernimus etiam appetitiones & deprauationem, Ideò iniuriam nobis facit,cum ait,nos infantes onerare capitalibus peccatis, cum fame cibum petunt,aut frigus refugiunt.

2. Sæpè repetit nomen capitalis peccati,quod intelligimus peccatum regnans(ut Paulus loquitur)seu originale seu actualè. Toties autem testati sumus,tribui renatis non regnans peccatum,sed condonatum.

De culpa mouemur ambiguitate uocabuli.Nam ueteres plerunq; appellatione culpæ utuntur pro reatu,id est,imputatione,qua aliquis reus est.Recentiores simpliciter pro peccato,& distinguunt contra pœnam. Quare ut obtineat hunc morbum tantũ esse pœnam,non uicium pugnans cum lege Dei,postulat, ut dicamus tolli omnem culpam. Si cul-

Si culpam tantum intelligeret reatum,nihil impediret.Sed si hoc uult,reliquias morbi tantum esse pœnam, & non sua natura uicium repugnans legi Dei,nequaquam assentior. Ac dico,nimium extenuari hoc malum, & inde sequi alia incommoda.Nam si concedamus nullum esse in Sanctis peccatum,pugnat id dictum cum Iohanne. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, mendaces sumus.Et accedit imaginatio,quòd homines legi Dei satisfaciãt etc.

DIXI DE VOCABVLIS, ET SIMUL RESPONDI AD POSTULATIONEM HERI PROPOSITAM, DE CULPA.

3. Nunc ad rerum definitiones accedo. Videt statum huius controuersiæ D.Doctor,uidelicet,an rectè nos sic exaggeremus peccatum. Et an nimium extenuent recentiores.Ideo quærit Antithesin iusticiæ originalis & peccati.Si iusticiam originalem tantum intelligit esse acceptationem et peccatum tantum reatum,id est,imputationem seu reiectionem,sine uicio in natura hominis,nimium Philosophatur.

Scriptura & Patres sentiunt iusticiam illam non tantum acceptationem fuisse,sed rectitudinem, uidelicet erga Deum, hæc nulla esse potest sine luce agnoscente Deum,& sine conuersione uoluntatis ad Deum, & debito ordine reliquarum uirium,Sicut disputatur in 2.distinct: 29.

Et Ambrosius inquit: Quando Adam solus erat, non est præuaricatus, quia mens eius Deo adhærebat.

Hîc certè complectitur eadem, quæ ego sum complexus. Nec facio identitatem Metaphysicam donorum.Et constat ex uulgaribus descriptionibus iusticiam,quæ uocatur uniuersalis, complecti plures uirtutes,seu obedientiam in omnibus uiribus.

E regione peccatum originis intelligimus non tantum reiectionem humani generis,seu imputationem. Sed etiam ipsius naturæ deprauationem in mente,uoluntate & appetitu sensitiuo.Non igitur tantum referat concupiscentiam ad appetitum sensitiuum. Etsi de hoc exempla sunt magis usitata,sed etiam ad superiores uires,sicut dictum est.

Extat clara sententia Augustini de Baptismo paruulorum.Remanet corruptio non solum in corpore,sed etiam in animo,qui est homo interior.

Rectè igitur huc accommodantur dicta Pauli, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Item, Animalis homo non percipit ea,quæ sunt Spiritus Dei.Stulticia enim est ei,& non potest intelligere. Hîc certè de mentis & uoluntatis morbis loquitur.Hinc satis intelligi potest, nos rectè exaggerare peccatum,Nec me affingere nouam Paulo interpretationem. Sed hanc quam recensui,uerè esse sententiam Propheticæ & Apostolicæ scripturæ, & eruditiorum patrum.

4. Accedo ad ea,quæ de Baptismo dicta sunt. Potius (inquit)culpa exuberaret,si gratia uel spiritus non posset totam remittere & abolere.

Breuis responsio est,Dicimus totam remitti,cùm homo per Baptismum à Deo recipitur in gratiam.Ideo gratia exuberat,quæ hoc peccatum totum sepelit condonatione,sicut Roma. 6.dicitur.

Tunc etiam incoatur in renato nouitas spiritualis,etsi manet interim corpus peccati(ut uocat Paulus)cui repugnat nouitas,quæ tandem abolito corpore peccati fit consummata.

De Sacramento pœnitentiæ & Baptiſmi in adultis ſimilis ratio eſt. Actualia cùm actu tranſiuerint, ut dici ſolet, non manent, & remittuntur. Sed malum originale manet actu, etſi incipit mortificari, & tamen condonatur quod manet. Non igitur minus tribuimus Baptiſmo, quàm Sacramento pœnitentiæ.

Quod ſequitur, à me non eſt dictum. Baptiſmum in pueris petere condonationem, ſi caſu ſecus recitat meum dictum, boni conſulo. Sed ſi uolens deprauat, moleſtè fero. Etſi quales ſint in infantibus motus Spiritus ſancti ſanctificantis eos, nobis quærere non eſt opus. Tamen cum dicatur, Talium eſt regnum cœlorum, neceſſe eſt fateri, quod in eis incoetur nouitas.

Poſtea uerò de motibus in adultis dixi, fidem luctari cum hoc peccato, amplecti condonationem in Baptiſmo acceptam. Et, quia malum non eſt ociosum, petere condonationem. Nec dixi remanere in baptiſato culpam, uito enim hoc uerbum, propter ambiguitatem.

Ait ſe non poſſe intelligere, quomodo infans ſimul per gratiam ſit amicus Dei, & inimicus per culpam.

Quis hoc dixit? Renatus eſt amicus Dei propter mediatorem Chriſtum per gratiam, ſeu accepto Spiritu ſancto, & malum quod reliquum eſt, condonatur, etſi eſt uicium pugnans cum lege Dei, ſed non regnat, imò ſepultum eſt condonatione, ut alibi de definitionibus Orthodoxæ fidei cap. 49. dicitur. Nullus Sanctus & iuſtus caret peccato, nec tamen ex hoc deſinit eſſe iuſtus uel ſanctus, cum affectu retinet ſanctitatem.

Poſtea ſequuntur fulmina uerborum, cum ait: Cùm concupiſcentiæ culpam in homine facitis perpetuam, uſq; ad conſummatam renouationem, &c. Non eſt homo in terra, quin mille millibus eum oneretis peccatis, & iiſdem capitalibus.

Primùm ſcit nos non ſic loqui, concupiſcentiæ culpam eſſe perpetuam. Deinde illud etiam de ſuo addidit, quòd oneremus homines peccatis capitalibus. Dicimus enim renatis hoc peccatum condonari. Interea tamen uerum eſt, hunc morbum non eſſe ocioſum, & parere multos motus pugnantes cum lege Dei, quibus repugnandum eſt, & fide tuenda conſolatio. Quòd hæc mala condonentur, & quòd obedientia quanquam imperfecta placeat Deo, propter mediatorem, qui pro nobis interpellat.

Hæc ſunt uera, ſalutaria piis, & perſpicua. Ideò illa popularia quæ adiecit in declaratione, non metuimus. Nec pauca, nec leuia ſunt etiam ſanctorum peccata, ſicut Moiſes orat: Nec innocens coram te eſt innocens. Et Dauid, Propter nomen tuum Domine propiciaberis peccato meo, Multum eſt enim. Etſi ſecuris & non expertis ueræ pœnitentiæ exercitia, hæc leuia uidentur. Sed experti deplorant ea, ut Ezechias, Sicut leo contriuit omnia oſſa mea. Et legimus in uita Auguſtini, aliquot continuis diebus ante mortem magno mœrore conflictatum, & inter lachrymas & preces queſtum eſſe, quod in tàm longa uita, peccata ſua non uehementius deploraſſet. Et ſanctiſsimè inquit de ciuitate Dei lib. 13. Sine peccato autem qui ſe uiuere exiſtimat, non id agit, ut peccatum non habeat, ſed ut ueniam non accipiat.

5. Multa uolens omitto. De loco ad Corinth: Abluti eſtis, ſanctificati eſtis &c. Reſpondeo ut ſupra. Et originale & actualia in adultis, de quibus loquitur Paulus remiſſa per Baptiſmum. Nec regnat originale, etſi corruptio reliqua

qua est. Hæc fuistis, inquit, id est, polluti actualibus & originali. Nunc abluti estis, & sanctificati remissione peccatorum & incoata nouitate.

6. De septimo capite ad Romanos idem facit D. Doctor, quod quispiam pictor faciebat in pictura immolationis Iphigeniæ, in qua cum consumsisset gestuum uarietatem in singulis principibus qui adstabant, nec posset gestu præ cæteris insigni paternam mœsticiam exprimere, pingit tegentem pallio uultum. Ita D. Doctor consumtis glosis, quibus pingit cætera testimonia, præterit & inuoluit præcipuum locum, de quo Augustinus inquit, Vim sibi feciſſe uerba Pauli, ut cogeretur assentire, loqui eum de sese, seu de renatis.

Ibi diserte Paulus hunc morbum sæpe nominat peccatum, & ne quid sit ambigui in uocabulo peccati, inquit esse quiddam repugnans legi Dei. Deinde consolationem addit: Nulla cõdemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant, Quia lex uitæ liberauit me à lege peccati & mortis, uidelicet, condonatione & incoatione nouitatis. Non enim ait se deposuisse morbũ, uidelicet, legem in membris. Imò postea ait: Corpus propter peccatum destinatum est morti.

Autoritates citatas ex Augustino & alijs relinquo iudicio prudentum. Quarum pleræq; nihil contra nos faciunt. Dicimus & nos in Baptismo remitti omnia peccata, & peto considerari perpetuam Augustini sententiam.

7. Tandem omissis testimonijs adiecit argumenta, sumta à ratione & ciuilibus moribus, quibus probat hunc morbum non esse peccatum.

Primum est.

Omne peccatum præter originale, est uoluntarium.

Ergo hic reliquus morbus in sanctis non est peccatum seu uicium pugnans cum lege Dei.

Respondeo. In ipso antecedente est exceptum originale, & dictum illud loquitur de moribus ciuilibus.

Hæc est autem præcipua causa, cur de hoc loco contendamus, ut retineatur discrimen inter delicta ciuilia, & immunditiem coram Deo. Item, inter ciuilem iusticiam & iusticiam fidei.

Secundum Argumentum.

Nullum mandatum debet esse impossibile.

Ergo aut concupiscentia non est peccatum, aut lex erit impossibilis.

Respondeo ad antecedens. Adsentior de moribus externis, atq; ita lex Dei, quod ad disciplinam attinet, est possibilis, uidelicet, quod ad externa honesta officia attinet. Sed lex Dei non tantum de externis officijs concionatur, uerum de integra obedientia cordis, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Externa disciplina & professio ueri cultus possibilis est, & præstari debet ac potest. Sed nemo satisfacit huic legi, quòd ad cordis munditiem, & obedientiam integram attinet. Ideò Paulus dicit: Lex Dei spiritualis est, id est, non tantum politica disciplina, sed requirens spirituales motus, summam dilectionem Dei, &c. Et tamen hæc lex etiam fuit possibilis ante lapsum Adæ, postea natura corrupta repugnat legi, & tamen proposita est, ut foris coherceat, et intus accuset ac damnet peccatum. Sicut Paulus acerrimè contendit, lege non iustificari homines, & concionatur, mediatorem filium Dei datum esse, per quem reconciliati hæredes efficiamur nouæ & perpetuæ iusticiæ & uitæ. Sicut & Ioannes inquit: Lex per Moisen data est, gratia & ueritas per Iesum Christũ facta est, id est, donata et remissio peccatorũ, & uera ac perpetua iusticia et uita.

Ita rursus fit lex posſibilis,cum incoatur nouitas. Iuxta illud: Dabo legem meam in corda eorum,&c. Et peccata condonantur propter filium Dei his,qui agunt pœnitentiam & credunt sibi propter filium Dei ignosci,&c.

Neq; hîc detrahitur libero arbitrio,id disciplinam externam utcunq; regere potest,& adiutum à Spiritu sancto,habet nouos motus consentientes legi Dei.

Tertium Argumentum.

Si uis ingredi in uitam,serua mandata.

Nemo potest seruare mandatum, Non concupisces, si intelligatur de morbo naturali.

Ergo nemo potest saluari.

Profectò deploranda est hæc confusio Legis & Euangelij. Moisi tabulæ collisæ significant neminem iustificari lege coram Deo. Ideò hoc dictum,Si uis in uitam ingredi, serua mandata,conferri oportet ad promissionem de Christo factam,propter quem remittuntur peccata,& datur noua iusticia, & placet incoatio Legis, ut suo loco dicetur.

Quòd igitur inquit,ut uitet absurda, quæ in argumentis recitat,Ideo sic contendere,ne hic morbus in sanctis existimetur esse uicium pugnans cum lege Dei.Nos absurda tollimus & grauiores opponimus causas retinendæ sententiæ nostræ,ne confirmemus humanas opiniones,quæ fingunt homines legi Dei satisfacere,& alias,quæ obscurant beneficia Christi.

Quòd uerò petiuit,ut cum meis Collegis colloquar,feci,& rogaui,ut liberè singuli dicerent quod sentiunt,& omnium una est sententia. Omnes homines communi naturæ modo propagatos ex coniunctione maris & fœminæ, adferre secum nascentes peccatum originis, sicut Ecclesia confitetur.

Et iudicant declarationem definitionum,quam recensui, congruere cum scriptura Prophetica et Apostolica,& scriptoribus Ecclesiasticis,& existimant in ea re non esse dissensionem.

Conuenit item,quod omnes fatentur,in Baptismo remitti peccatum originis,hoc est,condonari & dari Spiritum sanctum, qui incoat nouitatem spiritualem.

De morbo autem reliquo in Sanctis sentiunt,eum non esse Adiaphoron aut tantum pœnam,Sed uicium pugnans cum lege Dei,quod est peccatum sua natura,Sicut & Paulus expressè aliquoties peccatum nominat,sed condonatur renatis.

Hæc sunt plena & perspicua uerba, quæ nihil habent ambiguitatis aut præstigiarum.Quod si hæc sententia satis factura est D. Doctori & eius Collegis gaudemus.Nos quidem non dubitamus eam uerè esse Catholicæ Ecclesiæ Christi consensum,hoc est Patrum,Prophetarum,Apostolorum,& omnium Sanctorum,usq; ad hunc diem.

Et iudicamus hanc sententiam certò in scripturis Propheticis & Apostolicis traditam esse.Nec dubitamus prouocare ad iudicia uerè Ecclesiastica,hoc est,ad pios & eruditos toto orbe terrarum.

Ac admiramur,quòd tantopere contendant aduersarij,homines sine peccato esse posse,cum Augustinus hanc opinionem insaniam uocet inquiens,Sine peccato autem in hac uita neminem dixerim,quanta libet Pelagiani inflentur & rumpantur insania.Non quia peccati aliquid remaneat, quod in Baptismo non re-

non remittatur,Sed quia in nobis,in huius uitæ infirmitate manentibus,quotidie fieri non quiescant,quæ fideliter orantibus quotidie remittantur.

Sed in Ecclesia plerunq; duo sunt cœtus. Alter,qui tantum legem carnaliter intelligit,ac tumet persuasione suæ iusticiæ. Alter, qui agnoscit propriam infirmitatem,& confugiens ad mediatorem filium Dei, fide petit & accipit remissionem.

Vtriusq; generis imago proposita est in conuiuio apud Simonem, qui cum despiceret miseram mulierculam,inflatus admiratione suæ sanctitatis,patrocinari incipit Christus mulierculæ,& uituperans arrogantiam Pharisæi,illi alteri tribuit remissionem peccatorum,& laudem impletæ legis, uidelicet dilectionem. Luce 7.

Fortasis hoc tempore idem nobis accidit. Nam personæ in utraq; parte facilè possunt accommodari, Nos de prædicatione pœnitentiæ,de fide & remissione,de agnitione propriæ infirmitatis,& de ueris cultibus disserimus,ut Christo pedes lauemus,id est,ut ministerium Euangelij ornemus, propter hoc studium quomodo excipiamur,res ipsa ostendit.

Audiuistis D.Doctor sententiam,de qua collocuti sumus,Si quis uolet,aliquid addat,Ego non uolui esse prolixior,mandato domini Commissarij obsequens.

Doctori Eccio petenti concessum est, ut sequenti die hora septima diceret,idq; breuiter, Et iniunctum, ut hanc collocutionem de secundo articulo absolueret.

SEQVENTI DIE DECIMASEPTIMA

Ianuarij,hora octaua, Doctor Eccius.

In nomine tuo dulcis Iesu Amen.

Illustris,reuerendi,clarissimi,strenui, nobiles & prudentissimi Domini & Patres.

Restat ut Collocutori meo satisfaciam. Nam quòd primo dicit, à me neglectum ordinem,fateor me feciſse pro commoditate materiæ.

Quæ superiori die dixi de capitali uicio,& similibus,neq; Domino Magistro hoc imposui,neq; communiter Ecclesijs eorum. Verùm quod concionatores minus circumspecti aliquando ex imperitia aggrauant ultra regulam non aggrauanda,Et uicium concupiscentiæ in lingua nostra Germanica nominant,Haubt sunde,non potui certius reddere latinè, quàm per capitale.

Rogo Dominum Magistrum & sui similes eruditiores, quòd corrigant alios minores,si exorbitauerint.

Conqueritur uenerabilis Magister,quòd sophisticè & conuicijs egerim cum eo,Sanctè promitto, non fuisse mentis meæ, aliquo conuicio ipsum uel Collegas eius adspergere,Quemadmodum in ingressu colloquij testatus sum.

Sophisticam existimat,quòd aliquando seriem uerborũ suorum non sum assecutus. Verum hoc non factum est fallendi animo,ut Sophistæ solent. Sed quia D.Magister nouit,me nunquam habuisse Notariorum scripta,quod credebam,hoc eis non licere,tamen quòd ei communicata sunt,non grauatè fero.

Sed uicissim rogo,ne tam grauiter ferat,si unum uel alterum uerbulum à me sine dolo fuerit cõmutatum, cùm omnes præsentes uideant,& experiantur, me non uenire instructum cum continua serie orationis,domi preparatæ,Licet & hoc libenter condonabo Domino Magistro,ut ipse re experiatur,magis me

quæren-

quærere ueritatem & concordiam,quàm uanam memoriæ iactantiam. Nouit enim ueneranda ſua dominatio,quòd Caroloſtadio in congreſſu Lipſico hoc nolui permittere.

Ad materiam uerò digreſſus,cum diſcrimen attulerit de crimine,de culpa,non admodum ei refragor,ne in Scoticas ſubtilitates de reatu,obligatione, & Dei offenſa incidamus.

Et quod addidit,reliquias peccati originalis,& ipſam concupiſcentiam uicium eſſe,cum Auguſtino & Damaſceno non reſpuimus.

Quòd autem ad iuſticiam originalem regreditur,exiſtimo in ſuperioribus ſatisfactum.

Porrò quòd peccatum originis adfirmat eſſe deprauationem naturæ etiam in mente,citans ad hoc Auguſtini teſtimonium de Baptiſmo paruulorum, qui inter alia damna etiam corruptionem mentis enumerat.

Breuiter reſpondeo: Hoc omnes fateri in Eccleſia,alia enim eſt natura à Deo inſtituta,ut abſolutiſsimo artifice,alia uerò natura deſtituta,læſa,& inordinata. Mentem hominis uulneratam fatemur originalis peccati reliquijs,ut eſt ignorantia.

Et quod in artibus ſolebam dicere,Ariſtoteles hanc intellectus deordinationem expertus eſt,ſed cauſam ignorauit,Cum fateretur nihil eſſe in intellectu,quin prius fuerit in ſenſu,clarè perſpiciens Dominum intellectum pendêre ab ancilla ſenſuali noticia.

At duo addiderim,unum,cum hoc omnes fateamur, deſideraſſem in uenerabili Magiſtro,ut pro modeſtia ſua,non oneraſſet Scholaſticos Doctores, ac ſi docerent, uires noſtras naturæ eſſe integras.Fatemur enim cum dominatione ſua & concordamus,uires animæ eſſe læſas & deordinatas,iuxta parabolæ ſententiam uulgatam,de homine deſcendente in Hiericho, qui incidit in latrones,fuit ſpoliatus gratuitis, & uulneratus in naturalibus.

Alterum quod ſubijcio eſt,cum repetijt,uicium illud concupiſcentiæ etiam eſſe in mente,cum dubitationibus, illud ei condonaueram, non reuocaturus in dubium,etiamſi illud atro calculo apud me notaueram. At altera uice redeunti,opus eſt ueritatis aſſumere patrocinium.Et ita ſentio,Deordinationem hanc hominis naturam infirmare. At quòd concupiſcentiæ uicium,in ſuperiori animæ parte,in mente exiſtat,non uideo pro paruitate ingenij mei, quomodo conueniat Paulo ad Romanos ſcribenti: Scio quia non habitat in me,hoc eſt,in carne mea bonum. Notetur,in carne: Sequitur etiam, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: per antitheſin affirmat, eſſe in membris,excludendo mentem.

Mox ſubdit de lege peccati,quæ eſt in membris meis. Poſtremò magno affectu exclamat, Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius.Ponderetur,de corpore.Mentem uerò,quę eſt interior homo,non prægrauatam concupiſcentia,illis ipſis uerbis teſtatur.Condelector enim lege Dei,ſecundum interiorem hominem.

Pari modo dubito,dubitationes admittere in ſanctis,cum dubitans in fide ſit infidelis. At ſi per dubitationem intelligit humilitatem mentis(ſicut omnino arbitror dominationẽ ſuam facere,pro ſingulari eruditione)non reſpuo. Cum ſic homo neſciat,an amore,uel odio dignus ſit. Et Gregorius doceat,bonarum mentium eſſe,agnoſcere culpam,ubi non eſt culpa.Neuter noſtrorũ(ut opinor)

opinor)contendet cum Luthero,iactante in Galatis,quemlibet debere esse certissimum,supra omnem certitudinem,se esse in caritate.

Quæ uerò uenerandus Magister attulit de comparatione Sacramentorum,breuitatis studio nolo conferre, sed arbitrio Lectoris committere.

At quod suspicatur,me ex animo uerba quædam, aut sententias depraua sse,cùm tot annis integritatem meam habuerit perspectam,ut synceriter & amicè cum eo agam,uel si uerbo essem lapsus,quod non arbitror: aut Notarij elocutionem meam non pleniter perceperint, paucis enim uerbis, ut soleo,in chartula annotaram uerba ista. Luctetur et petat condonationẽ,Condonatur autem peccatum,baptismo & fide. Scio D. Magistrum pluribus uerbis fuisse usum. At ob cõmoditatem contraxi,profectò nõ animo uerba sua corrũpendi.

Venio ad illud,quod assumtum est de puero amico & inimico Dei, an sic satis se explicuerit,committo beneuolo Lectori.

Et quæ de perpetuo dixi concupiscentiæ malo, usq; ad mortem, occasionem præbuit mihi is, qui uerba Pauli ad Roma.6. (Qui mortuus est,iustificatus est à peccato)intellexit de morte corporis.Non dubito uenerabilem Magistrum cum Doctoribus suis Collegis illi minimè subscribere, cum ex diametro pugnet cum Paulina sententia.

Dominus quoq; Magister digreditur ad peccata Sanctorum. Et de peccato bonorum operum,citans illud Psal.142.Non intres in iudicium cum seruo tuo,&c.Ne & ego extra Chorum(quod aiunt)saltem, materiam in præsentia non excutio.Solum ei oppono eiusdem Psalmistæ uerba dicentis: Iudica me Domine secundum iusticiam meam,& innocentiam meam super me.

Nec potest ignorare D.Magister,quot & quanta fuerint per me Lipsiæ adducta,cum disputationi interfuerit.

Ea quæ sequuntur sicco pertransirem pede, nisi Homericum mihi obiecisset pictorem cum Iphigenia,qui affectus & motus paternos non ualuit exprimere.Si mens sit illa Domini Magistri,ut Eccij doctrinam iam exhauserit, ut hoc loco nesciat respondere,certè fallitur.Nisi enim ornatissimæ considentium coronæ non esset molestum,periculum facerem adhuc biduo uel triduo in hac materia.

Scio autem omnium uirorum uota acclamantium,Sat prata biberunt.

Et pingendi meam industriam audiuistis, cum tot uerbis Pauli morbum concupiscentiæ esse in inferiori parte animæ ostendi.

Sæpè adfert,peccatum dici Paulo,quod repugnat legi Dei, nec nostri asspernantur. Sic enim caro concupiscens aduersus Spiritum,pugnat cum lege Dei. Et est in hac uita perpetuum illud bellum ciuile,ut citauimus Augustinum, & militia, sicut citauimus Iob.

Ad argumenta uerò conatus est respondere, an uotorum factus sit compos,auditorum & Lectoris commendo iudicio.

Quæ de possibilitate Legis adduxit,non possum silenter præterire.Nam possibilitatem illam ad externa refert.Mihi autem apparet,eandem debere affirmari in interioribus,uti ueritas ipsa Christus apud Matthæum testatur.Exeunt,dicit,ex corde cogitationes malæ: Homicidia, adulteria, fornicationes, furta,falsa testimonia,& blasphemiæ.Hæc sunt quæ inquinant hominem. Ita affirmat scrutator cordium.

Fateor,apparentem adiecit probationem de dilectione Dei super omnia.

At Au-

At Augustinus in libro de litera & spiritu,quem scio ei fore familiarem,audiat & sequatur.Non statim culpa est,si nondum tanta dilectione Deum diligamus,quanta illi perfectæ cognitioni debetur. Aliud est,non totam assequi caritatem,aliud est,nullam sequi cupiditatem.

Arrisit etiam mihi datam à Magistro posibilem mandatorum Dei obseruantiam,adiutorio gratiæ diuinæ. Et nostri ita docent: Licet uenerabilis Magister in Apologia sua,aliquando nostris hæc tribuit, & rectè facit, aliquando aufert, cui dissentimus.

Assumtum de Lege amphibolo utitur, propter legis æquiuocationem. Ne sim fastidio,unum duntaxat adduco Pauli locum,ad Galat.2.Per legem legi mortuus sum,quod de una lege nequit intelligi.

Transeat quod Ieremiam citat cap.31. Dabo legem meam in cordibus eorum.Nam non ignorat Paulum euocare hunc locum, ad Ebræ.8. & intelligere de lege Euangelica.

Ad me non attinet,quod respondens Christus dicit: Si uis ingredi ad uitam,serua mandata.Interrogatio enim præcedens præbet intellectum responsionis sequentis. At non opinor,uelle D. Magistrum,Christum attulisse confusionem Legis & Euangelij.Sed hi uideant, qui scripserunt Decalogum nouo Testamento esse antiquatum.

De eo uerò,quod immiscuit de insana Pelagianorum doctrina, homines posse esse sine peccato,cum sit extra chorum, in præsentia præterimus, hoc affirmato tamen,Catholicos explosa temeritate Pelagiana, gratiam Dei dicere, esse necessariam & auxilium diuinum : Iuxta Mileuitani & Romani concilio-rum decreta,ut extat in multis libris apud Hieronymum, & in pluribus apud Augustinum.Nam omnes beati Augustini regulam humiliter suscipimus,qui in libro confessionum dehortatur,ne proximos nostros peccatores iudicemus, cum quilibet certò sibi persuadeat,Si non diuina bonitate impediretur,eum in tot mala incidere,quàm quiuis sceleratissimus. Hæc diui patris est sententia, uerba mente non teneo.

Alia quæ attulit,non sunt controuersa,ideo breuitati studens ad conclusionem pergo.Et quoniam satis amanter pro concordia suorum confratrum obtulit sententiam,& ego quoq; pro nostris & communi sensu Ecclesiæ suscipiendum offero.

Clarè fatentur, omnes ab Adam propagatos,secundum legem communem,nasci cum peccato originali,& ita in ira Dei.

Esse autem peccatum originale carentiam iusticiæ originalis debitæ inesse,cum concupiscentia.

Et in Baptismo reatum peccati originalis, & omnia peccata remitti per meritum passionis Christi.

At morbum remanentem, ipsam nimirum uicios am concupiscentiam, cum ex peccato relicta ad peccatum semper inclinet,ob hoc peccatum dici posse,sicut scriptura dicitur manus. Propterea tamen nec propriè & formaliter peccatum damnabile appellatur.

Omissis ergo alijs pluribus,ad Epilogum me conuerto. Cùm Micheas dicat,In Baptismo proijci in profundum maris omnia peccata.Et Ezechiel nos mundari ab omnibus inquinamentis nostris. Zacharias cum alijs, Spiritum sanctum dari.Et Christus,renascentiam dixerit ex Spiritu & aqua fieri.

Paulus

Paulus quoq; appellauerit ipsum lauacrum uitæ & regenerationis,in quo abundè detur Spiritus sanctus, in quo abluti sumus & sanctificati, proceres quoq; Ecclesiæ,Cyprianus,Hieronymus,Ambrosius,Augustinus & Chrysostomus,testentur omnia peccata remitti in Baptismo. Audiuimus etiam D. Collocutorem tam nomine suo, quàm suorum, iam affirmasse peccatum hoc in Baptismo esse condonatum,esse sepultum,& à Deo non imputari.Sed quod ad infirmitatem carnis,legem membrorum,morbidam concupiscentiam attinet,cum nos perpetuò infestet malis motibus & concupiscentijs fatiget, ad peccata non incitet,Deum maximum oremus,ut gratia sua uelit nobis adsistere,& præstare,ne inducamur in tentationem,Sed liberemur à malo præsentis & futuræ uitæ,ut cum eo lætemur in æternum,qui est benedictus in secula.

ABVSVS POTESTATIS PONTIFICIÆ, *conuersæ in Regiam dominationem.*

I.

PApa transformat gubernationem Ecclesiasticam in imperium mundanum, adfirmat se habere Dominium super regna mundi, & ut ipsi loquuntur, utrunq; gladium.Item,Sicut Canon citatur, quòd habeat potestatem cœlestis & terreni imperij.Idq; eò est indignius,quod adfirmat à Christo hanc mundanam potestatem Petro traditam esse,& falsò detorquetur ad Pontificiam potestatem hoc dictum: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

II.

Ex hoc errore constitutio Bonifacij octaui nata est, quæ cum sit falsa, prorsus abolenda esset.

III.

Adeo absurda scribuntur de hac mundana potestate Pontificis,ut glosa in Decretis dicat,Christum usum esse hac regia potestate,cum fuit coronatus spinis.

IIII.

Papa adfirmat se habere potestatem transferendæ Monarchiæ,quam tenet Imperator Romanus. Et quidem adfirmat Papa,se hanc potestatem habere mandato Christi.

V.

Extat ficta donatio Constantini,in qua dicitur,Imperium occidentis donatum esse Syluestro.

VI.

Hæc figmenta pepererunt bella,ut tempore Friderici secundi & Ludouici Bauari,& multipliciter nocent Ecclesiæ, Quia dum Papa regit imperia mundi,negligit Ecclesias, & multa constituit ad augendam mundanam potentiam contra salutem Ecclesiæ,& attemperat religionem ad suas utilitates.

VII.

Etsi Reges & respublicæ debent honesta stipendia dare Episcopis, qui rectè funguntur officio Ecclesiastico,tamen sit modus,Et sint Episcopi contenti stipendijs suis,& faciant suum officium.Papa autem non contentus est ueteribus reditibus Ecclesiæ Romanæ,nec oppidis donatis à Carolo,aut Ludouico primo. Sed omisso officio Episcopi dominatur regio more,auget ditionem bellis,seu iustis seu iniustis, ui & fraude, occupat alienas urbes qualicunq;

prætextu.Sic Romam ipſam & multas Italiæ urbes inuaſit,Sic inani prætextu dominium ſibi arrogat regni Neapolitani.

VIII.

Hæ opes ſæpè magnos motus in Italia pepererunt,dum ferè ſinguli Pontifices,uel augere ditionem conantur,ut Papa Iulius,uel filios, aut propinquos euehere,expulſis prioribus dominis,ut accidit ſub Alexandro 6. & Clemente. Longum eſſet ueteres hiſtorias recitare.

IX.

Item,quoties ad hanc regiam dominationem tuendam Pontifices commiſerunt inter ſe reges Europæ.Poſt mortem Friderici ſecundi, uocati ſunt in regnum Neapolitanum Galli, Cunradinus hæres regni captus,& decollatus eſt à Pontifice.Quantum bellum accendit Iulius Papa,ut Bononiam reciperet?

X.

Hæc tota regia dominatio Pontificum pugnat cum dicto Chriſti,qui ait,Reges gentium dominantur eorum, uos autem non ſic.

XI.

Habent omnes aulæ ſua uicia,Sed ubi ſunt legitima imperia,ubi præſunt hi,qui liberis non ſolum regna aut patrimonia, ſed etiam beneuolentiam ciuium relinquere cupiunt,maior eſt iuſticiæ cura,maior modeſtia. Sed cum Romæ homines peregrini,cœlibes omnia gubernent,& propoſita ſit ſpes quibuslibet maximarum opum,ampliſsimorum honorum,multò maior eſt ambitio, quàm in alijs aulis.Et cum pecuniæ,præſertim Romæ,omnia obediant,Quantum in tanta licentia ex ambitione & auaricia flagiciorum oritur, ut in uerſu dicitur: Regnandi cauſa uiolandum eſt ius,in alijs rebus pietatem colas. Deinde opes alunt luxum, & cœlibatus incendit cupiditates,& confirmat licentiam.Hinc oritur ſumma turpitudo morum.

XII.

Interim dum Pontifices & Cardinales qui antecellunt ſapientia,ſunt occupati curis regiæ dominationis, & alij in ocio uiuunt,quæ faciunt officia Eccleſiaſtica? Si non poſtulandum eſt à ſummis gubernationibus ut per ſe doceant: tamen certè hanc oportuit eſſe primam curam Pontificis,Cardinalium & Epiſcoporum,ut Eccleſiæ haberent paſtores idoneos,& ut extaret doctrina Eccleſiaſtica pura,& conſenſus eſſet docentium,ut errata doctrinæ, & falſas ac ſuperſtitioſas opiniones undecunq; ortas,aut ab ipſis Pontificibus, aut monachis,aut ab alijs,ueteres & recentes corrigerent,abolerent uicioſos cultus,coercerent populum Eccleſiaſtica diſciplina. Et ad hæc tanta negocia conuocarent Synodos,concederent pijs,& doctis libertatem dicendæ ſententiæ,emendarent iniuſtas leges,exigerent dogmata & leges ad uerbum Dei, iuxta mandatum cœleſte, Hunc audite.

Hæc cum non faciant,imò ne dominatio labefactetur, conentur opprimere piam & ſalutarem doctrinam Euangelij, utiliſsimum eſſet Eccleſiæ Chriſti regiam illam dominationem Pontificibus adimere, & opes redigere ad mediocritatem.Nam dum tenent regiam dominationem,et tantas opes,impoſsibile eſt,eos plus curare Eccleſiaſtica officia,quàm prophana negocia.

ABVSVS MANIFESTIORES
Sacramentorum.

DE

DE BAPTISMO.

PIa & communis consuetudo est Ecclesiæ, ante Baptismum recitare locum I.
Euangelij in quo scribitur: Talium est regnum cœlorum,& adduntur precationes. Vt autem populus adiungere posset suas precationes,& excitari lectione Euangelij,utilius esset illas lectiones lingua populo intellecta fieri. Item cùm susceptores respondeant pro puero,conueniret eos sermonem intelligere, de quo interrogantur.

Aboleatur & ritus baptisandi campanas,qui est quædam ueri Baptismi contumelia.

DE CONFIRMATIONE.

OLim in Ecclesia fuit consuetudo Catechisandi iuniores & rudes, Et postea II.
in confirmatione flagitabatur professio fidei. Nunc in Ecclesijs consuetudo Catechisandi prorsus desijt,Hanc negligentiam necesse est corrigi,& mandandum est pastoribus,ut certis temporibus conuocent iuuentutem,& proponant eis articulos fidei,Decalogum,summam doctrinæ Euangelij,de peccato, & de remissione peccatorum,& de fide in Christum, de Sacramentis,de ueris Dei cultibus. Et exploretur ac audiatur iuuentus, Cogantur & patresfamilias mittere ad tale examen liberos,seruos & ancillas.

Huius moris restitutio maximè necessaria est. Sed ad hanc rem opus erit pastoribus & ministris eruditis.

DE ORDINE.

HIc abusus sunt multiplices. Ordinantur indocti,malè morati,non ad offi- III.
cia certa.

Hæc mutanda erunt,Formæ etiam uideantur, in quibus mandata dantur ordinatis,Obligatio de cœlibatu tollenda. Sint eruditi examinatores,et audiant ordinandos de summa doctrinæ Christianæ, non tantùm de puerilibus Eelementis Grammatices.

Ideò prodesset extare scriptum aliquod publica autoritate de summa doctrinæ Christianæ,commendatum singulis Episcopis. Id ad puritatem doctrinæ,& ad concordiam retinendam prodesset.

Nec putent Episcopi,se perfunctos esse suo officio,cùm ordinatos admittunt,Sed postea sint etiam inspectores doctrinæ,& morum, ut de uisitatione & Synodis infrà dicemus.

Abusus est,quod ordinatio retinetur in minoribus ordinibus,In subdiaconatu & diaconatu solis nominibus sine officio.

Olim Lector in Ecclesia erat Doctor iuuentutis,seu scholastica persona, qualis fuit Origenes. Nunc manet titulus in hoc ritu ordinationis,sine re.

DE SACRAMENTO POE-
nitentiæ.

ABusus manifestus & usitatissimus est, quòd propter consuetudinem multi IIII.
petunt,& impetrant absolutionem,qui non habent propositum emendandorum morum,sed perseuerant in manifestis delictis, ut scortatores, adulteri, usurarij, simoniaci & alij. Tales non sunt absoluendi, donec manifestè alijs scandalo sunt.

Abusus manifestus est, quod in doctrina de pœnitentia hactenus fuit omissa doctrina de fide in Christum, qua accipimus remissionem peccatorum. Sed multi docuerunt, propter contritionem remitti peccata.

Abusus manifestus est, quod non docentur Ecclesiæ, ne scrupulosa enumeratione excrucientur mentes. Sicut quidam modesti homines totos quatuor dies, aut plures consumebant in recitatione delictorum, quorum tamen plerag erant uiolationes superstitiosarum traditionum humanarum, nec norant discrimen inter diuina præcepta, & superstitiosas traditiones.

Abusus manifestus est, contentio de proprio sacerdote. Pastores ipsi debebant suam plebem audire, aut si qui mallent apud alios sua arcana deponere, iubere, ut testimonia adferrentur ab honestis uiris, qui cõfessiones audiuissent.

Multi sunt abusus manifesti in reseruatione casuum. Seruit ea res ambitioni & auariciæ pontificiæ. Et pleræg reseruationes pertinent ad casus, quibus humanæ traditiones uiolatæ sunt, grauiora delicta facilius remittuntur. Item, Si qui ignorant, quid ualeat hæc reseruatio grauiter cruciantur, cum putant se excludi à regno Dei.

Sunt & in satisfactionibus uarij & manifesti abusus. Imponuntur opera inutilia, peregrinationes, preces ad sanctos compositæ, in quibus multa absurdè dicuntur, ut Maria mater gratiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe, &c. Vexantur etiam conscientiæ omissione satisfactionum, præsertim cum indocti putent eas mereri remissionem culpæ.

Abusus manifestus est, dare indulgentias. Cum enim olim indulgentiæ fuerint relaxationes pœnarum Canonicarum, & tempora ipsa mutauerint pœnas Canonicas, iam indulgentiæ sunt inane nomen.

Commenticium est, quod docent in indulgentijs adplicari merita sanctorum, cum tamen hæc adplicatio non pertineat ad claues. Item cum dicatur, Iustus sua fide uiuit, qua adplicat sibi Christi merita, non est persuasio offunde nda populo, quod propter merita sanctorum saluentur.

Blasphema uox est, quod in absolutione addunt meritis Christi merita sanctorum, cum dicunt, merita Christi & Mariæ & omnium sanctorum sint tibi ad remissionem peccatorum.

Abusus manifestus est, quod populus putat minus ualere absolutionem sui Pastoris, quàm indulgentias.

Abusus manifestus est, quod dantur indulgentiæ pro mortuis, cum scriptum sit: Quidquid ligaueritis super terram, &c.

Abusus manifesti sunt, quod populus iubetur redimere relaxationes traditionum de cibis & alijs. Hæ imposturæ etiam quæstuosæ sunt, & non solum falsæ persuasiones nocent conscientiæ, sed etiam iniustè compilatur populus.

Abusus manifestus est, quod obnoxij publicis criminibus cum recipiuntur, ab ijs qui præsunt, redimunt pecunia publicam castigationem, quæ ad exemplum pertinet.

Abusus manifestus est, quod de bonis malè partis dantur facultates dispensandi, & faciendi compensationes quæstuosas auditoribus confessionum.

DE COENA DOMINI ET de Missa.

Abusus

ABusus manifesti sunt,quòd multis datur Sacramentum,quos constat perseuerare in manifestis peccatis. Et sic ingens turba sacrificulorum assiduè celebrat Missas.

Abusus manifesti sunt,quòd discernunt adplicationes Missæ,generalem, specialem,Et hanc uolunt esse in arbitrio Sacerdotis,ut adplicet,uel multis uel paucis,uiuis & mortuis,æqualiter uel inæqualiter,& adfirmant Deum partiri fructus Missæ,secundùm determinationem sacrificuli. Sic enim loquuntur: Et quidem fingunt Missam prodesse alijs ex opere operato.

Hæc est prorsus ethnica persuasio.Et cùm Paulus dicat puniri Ecclesiam propter indignè sumentes,non dubium est,hanc horribilem prophanationem causam esse maximarum calamitatum publicarum. Recepta enim opinione, quod fiat adplicatio iuxta arbitrium sacrificuli, & opus sine pietate facientis prosit alijs,hîc sacrificuli securi cœperunt cumulare Missas,& uberius adplicare ijs,qui plus numerabant.Inde Missæ in quęstum conuersæ sunt,Nec alia res in mundo quæstuosior est, quàm Missa.

Et recepta est persuasio,ut putetur esse remedium omnium malorum corporalium & spiritualium,Mercatores conducunt Missas,ut fœlix sit negocatio,uiatores,ut iter sit faustum,ægroti ut conualescant,&c.

Hæret fiducia operis sacrificuli.Interim quomodo prosit conscientijs,quomodo sit exercenda fides,& inuocatio in fide, silentium est.

Templa sunt occupata Missis,cum interim negliguntur ministerium docendi Euangelij,& Catechesis,& examen iuuentutis ac rudium. Imò magis occupata sunt templa in ferijs mortuorum,quàm ministerio,quod uiuorum causa institutum est. Et in lectionibus nulla est animorum intentio,sed seruitur pompæ more ethnico,ut olim celebrabantur ludi funebres.

Vt Persicos reges præcedebat equus gestans numen Persicum, sacrum ignem.Ita Papam solet antecedere equus gerens Sacramentum,cùm Christus non instituerit suum munus ad hoc,ut seruiat ambitioni Pontificum.

In festo corporis Christi circumferuntur simul cum Sacramento, statuæ ethnico more,& prædicatur hic cultus tanquam singulare meritum, & confirmatur hæc persuasio per indulgentias.

DE CONIVGIO.

DVm immodicis laudibus ornantur uota Monachorum, obrepsit opinio, VI. quasi coniugium sit genus uitæ uix placens Deo.

Negligunt concionatores hortari adultos ad coniugium, cùm neglectio coniugij multis sit exitio,qui polluunt se uagis libidinibus.

Cùm in gradibus certis Deus prohibeat cognatos aut affines iungere connubia,& honestè quidam gradus sint additi, Romæ sine discrimine dispensatur de utrisq; diuinis & humanis prohibitionibus, ut constat concessum esse fratri,ducere fratris mortui coniugem.Item,Concessum esse,ut frater duceret fratris filiam,contra prohibitionem in Leuitico. Tales dispensationes Romæ uenales sunt,ut testantur multa exempla.

Prohibitiones humanæ moderandæ essent,ut de cognatione spirituali.

Abusus periculosus est,quòd personæ innocenti, in diuortio iusto, non conceditur coniugium,cum Christus clarè excipiat casum adulterij. Et diuortium intelligi debeat de uero diuortio,ubi persona innocens uerè liberatur.

Vtilius esset etiam seruari uetera iura,de consensu parentum,quàm sine discrimine adprobare clandestinas desponsationes.

Iniustum est solui desponsationes ingressu monasterij.

DE VNCTIONE INFIRmorum.

VII. ABusus est,quod unctio sine seria & uera precatione adhibetur,& adhibetur superstitiosè, non ut sanetur ægrotus, aut ut consolatione aliqua ex Euangelica concione adiuuetur,Sed tantum umbra uetusti moris retinetur. Et confirmatur ibi fiducia inuocationis sanctorum.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

VIII. MAnifesti abusus sunt,imaginari sanctos esse opitulatores, qui ipsi tollant morbos,aut depellant pericula, aut prælientur, sicut fingunt de Georgio, aut similibus,cùm solius sint Dei opera,Patris,Filij & Spiritus sancti,ubiq; adesse & exaudire,dare uitam & salutem, ut Christus inquit: Pater usq; modo operatur,& ego operor. Et Esaiæ 45. Nunquid non ego Dominus,& non est ultra Deus præter me.Deus iustus & saluans,non est præter me. Conuertimini ad me &c.Et si quid agitur ministerio angelorum, Deo impellente agitur.

Ethnica insania est,singulis sanctis tribuere certa officia. Anna fingitur dare opes,uelut Iuno. Antonium faciunt custodem porcorum,&c.

Est & ethnica insania fingere,quòd ad unam statuam magis exaudiat sanctus quàm ad aliam.Ideò aliæ statuæ magis coluntur quàm aliæ,ut statua Mariæ Lauretanæ aut Elueticæ,Et singuli meminerunt,se ad tales statuas inuocasse Mariam,uelut præcipuam propiciatricem & placabiliorem Christo. Vt autem ad Pastores pertinet docendo reprehendere hos uiciosissimos cultus,Sic ad officium Magistratus pertinet,tales statuas reipsa tollere, Deut.12.

Creuerunt & peregrinationes ex hoc errore, quòd aliæ statuæ magis quàm aliæ colendæ putantur.Cum Deus non sit alligandus ad ullam rem,ad quam se ipse suo uerbo non alligauit,Esaiæ 66.Sed uelit ubiq; inuocari,in Spiritu & ueritate,in nomine Christi.

Declarat etiam Diabolus manifestis signis se autorem esse peregrinationum multarum,ut multi norunt ad sacella Viti, homines sanos alioqui, corripi furore Diabolico,& saltare per triduum aut quatriduum.Constat & in hac urbe Ratispona,multos accurrisse ad statuam subito furore percitos,& iacuisse aliquandiu ante simulacrum stupentes, Atq; ita uelut uoto persoluto, ad se redijsse.Hæc similia sunt multorum ethnicorum exemplorum,ut de Orgijs,de Corybantibus legitur.

Scimus alicubi persuasum fuisse mulieribus,prodesse ad fœcunditatem, si nudæ circumirent in sacello aram,& offerrent munus. Multa quæ uerecundè recitari non possunt, omittimus.

Quantum impostrarum est,& in ipsis imaginibus,uidimus statuas Mariæ,quæ ita fabrefactæ erant,ut uultum auertere à precante, aut annuere possent.Hæc non possunt singula commemorari,Sed pastorum & magistratuum diligentia tales abusus tolli oportuit,qui tamen propter quæstum retinentur.

Abusus est in iureiurando addere sanctos.Ita me Deus adiuuet,& omnes sancti. Vel sicut legitur in Decretis. Ita me Deus adiuuet,& hæ reliquiæ sanctorum.

Postremò,

Postremò, si officium mediatoris Christi illustraretur in docendo, facilius abusus illi caueri possent.

Feriæ sanctorum moderandæ sunt, & corrigendi abusus plurimi earum feriarum, populus piè conuenire debebat ad audiendam ueram historiam, quę hortaretur pios, ut agerent gratias Deo, qui Ecclesiam confirmat exemplis sanctorum. Item, ut accenderentur ad imitationem. Nunc, aut nullas audit historias, aut fabulas audit, putat sanctum placandum esse his operibus, ieiunio, & ceremonijs festi diei. Non igitur conuenit ad discendum, sæpius uero conuenit ad conuiuia, ad ludos.

Prohibendæ sunt etiam discursationes stationariorum, qui confirmant errores, & expilant plebem.

Prohibendæ etiam consecrationes similes magicis, ut herbarum, cultrorum & similes, Quibus uana fiducia alitur, & mens à Deo auertitur.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

IX. PRima esse cura debebat, ut Ecclesiæ haberent idoneos Pastores, & ut in scholis studia utilia florerent, Ad utrumq; opus est inspectoribus seu Episcopis, seu alijs, & mediocribus stipendijs. Nunc magni sunt abusus, pauci sunt idonei Pastores, & Episcopi negligunt uisitationem seu inspectionem. Scholæ negliguntur, quia desunt inspectores prudentes, & reditus. Quare opus erit ex Monasterijs, aut Collegijs rursus transferre aliquam partem ad parochias & scholas. Certum est enim olim tantos reditus donatos esse Ecclesijs, ut ministerium Euangelij & literæ conseruarentur, & pastores ac pauperes scholastici alerentur. Hæc duo præcipua inprimis habent opus reformatione, Et utrumq; efficiendum est, ut sint inspectores fideles & prudentes, ac ut sit unde alantur pastores & scholastici.

Hæc facile possent effici, si Papa, Cardinales & Episcopi facerent officia Ecclesiastica, Sed hi occupati dominatione mundana, alias res agunt.

DE ECCLESIASTICA GVBERNATIONE Papæ & Episcoporum.

DVo sunt propria munera Ecclesiasticorum gubernatorum, uisitare Ecclesias, & Synodos conuocare. Visitatio explorat doctrinam, & mores ministrorum, studia Scholarum, & ea quæ ad conseruationem Ecclesiarum necessaria sunt. In Synodis deliberationes habendæ sunt de abusibus, qui subinde exoriuntur, Sunt & iudicia doctrinæ exercenda.

X. Hæc omnia negliguntur à Romano Pontifice, Cardinalibus & Episcopis, & uagantur ministri Ecclesiarum, sicut grex sine Pastore. Sed Romanus Pontifex sibi cauit, sumit sibi autoritatem supra omnes Canones, & concilia, & uetat se corrigi ab alijs, etiamsi innumerabiles animas perdat, ut apertè dicit cap. Si Papa 40. dist: Hic error tollendus est ex Ecclesia.

Deinde quales sint mores in Collegijs, & aliorum Sacerdotum, non est obscurum. Qualis fiat collatio Sacerdotiorum. Quales Romæ lites sint de præbendis, notum est

Transfert ad se Roma. Pontifex collationes, accipit annatas & alias pensiones sine modo. Hi abusus corrigendi sunt, si Synodi generales conuocari

non possunt, congregetur nationalis, aboleantur uicioſi cultus, & iniuſtæ traditiones, conſulatur moribus Sacerdotum, deliberetur de collationibus Sacerdotiorũ, efficiatur ut qui ſunt in Collegijs, non ſint ocioſi, ſed ſeruiant Eccleſiæ. Interim quilibet Patronus uideat, ut paſtores habeat idoneos, item Scholis proſpiciatur, ut rectè doceatur iuuentus.

DE OFFICIALIBVS ET ABVSV excommunicationis.

XI. SI officiales eſſent docti & boni uiri, non tantùm iudicia exercere deberent, Sed etiam inſpicere Eccleſias & Scholas. Nunc tantùm exercent iudicia, & quidem pleraq; prophana.

Eccleſiaſticus iudex cognoſcit de doctrina, & punit manifeſta crimina, Nec ſit unus tantum iudex, ſed debet eſſe cœtus aliquis. Sicut Paulus plures adhiberi iubet, & Chriſtus inquit: Dic Eccleſiæ, Nunc autem unus aliquis officialis exercet iudicium, & transfert ad forum ſuum cauſas prophanas, Sicut et Pontifices excommunicarunt Imperatores ſine legitima cognitione, & propter imperij controuerſias. Et nunc magnus quæſtus eſt officialibus ex controuerſijs, quæ ſunt alienæ à foro Eccleſiaſtico.

Item, in puniendo ſeruiunt magis auariciæ ſuæ, quàm utilitati Eccleſiæ.

Denicq; hoc genus hominum, quod re ipſa ſuſtinet Epiſcopi munus, minimum habet grauitatis.

DE MONASTERIIS.

MOnaſteria locupletia, nec ſeruiunt Eccleſijs, nec colunt ſtudia. Et cùm multa ſint, prodeſſet inde ſumere reditus ad parochias & ſcholas conſtituendas. Iniuſtum eſt enim alibi ocioſam turbam de Eleemoſynis datis ad conſeruationem miniſterij. Iniuſtum eſt & hoc, quod deuorantur à Cardinalibus, Epiſcopis, aut Principibus, & defraudatur Eccleſia.

Monaſteria uirginum, propter ſexus imbecillitatem maximè habent opus pia mutatione, Nobilitas eò puellas includit, ut patrimonijs parcat. Et poſſet conſuli nobilitati hoc modo, ſi talia monaſteria tanquam Scholæ eſſent, ubi puellæ ſine uotis docerentur, & ſi quæ uellent deinde nubere elocarentur, etiam adiutæ mediocri dote. Nunc tenentur ibi implicitæ uotis, cum multæ non ſint idoneæ huic uitæ generi. Cruciatur infirmus ſexus & ſua imbecillitate, & ſuperſtitioſis cultibus & opinionibus. Nec audiunt, nec diſcunt ſynceram Euangelij doctrinam. Habent auditores confeſsionum indoctos aut etiam malos, legunt, canunt latina quæ non intelligunt.

Eſt magnorum gubernatorum adhici huius ſexus miſericordia, Conſulatur puellarum ſaluti, quarum et animæ & corpora periclitantur, Liberentur uotis, & præficiantur eis pij & prudentes concionatores, emendentur ſuperſtitiones.

Sunt & collegia militaria, quibus opus eſt coniugio, & quadam mutatione ſuarum ordinationum.

In monaſterijs tenuioribus, ut Dominicanorum, Franciſcanorum, & Auguſtinianorum ſunt aliqui ſtudioſi, & ſeruientes Eccleſijs. Sed hos ipſos ſæpè audimus deplorare ſuperſtitiones, quibus multi apud eos faſcinati tenentur.

Hîc etiam iuuenibus conſuli oportet, per uiſitationem, quæ fieri debebat ab Epiſcopis, aut prudentibus uiris ei rei præfectis.

Corrigen-

Corrigendi etiam erunt in Monasterijs abusus Missarum, quæ ibi magis conducuntur, quàm apud alios sacrificulos. Et sunt alia uicia, Superstitiosi cultus sanctorum, indulgentiæ, & seruitus Pharisaica in ceremonijs certis.

Oramus autem Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, saluatoris nostri, ut Ecclesiam suam liberet ab omni errore, & sanet, augeat, & seruet propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, qui pro nobis uictima factus est.

DE ABVSIBVS ECCLESIARVM *emendandis*.

AVTORE PHILIPPO MELANTHONE.

CVm prima & præcipua cura esse debeat in Ecclesia Christi, ut Euangelium rectè, purè, & perspicuè doceatur, prodesset aliquam summam doctrinæ Euangelij, tanquam Catechismum edi de Deo, de tribus personis diuinitatis, de creatione, de peccato originis, de Christo, deniq; de cæteris articulis Symboli. In hac summa prodesset complecti articulos conciliatos. Ita & multi piè erudirentur, & paulatim Ecclesiæ coirent in concordiam. I.

Prohibendum est, ne omittantur conciones ordinariæ in festis diebus, & curandum per eos qui præsunt, ut pastores pia, & utilia ad ædificationem, & apta temporibus dicant. Et in fine concionum addant adhortationem ad pœnitentiam, cum publica absolutione, & precationum pro præsentibus necessitatibus quolibet tempore. II.

Et quia uetus consuetudo tradendi Catechismi, & pueritiæ peculiariter erudiendæ & explorandæ, ferè ubiq; negligitur, inter præcipuas reformationis partes ducimus esse, renouationem eius moris. Quare efficiendum est, ut per pastores aut diaconos singulis septimanis, duæ horæ aut tres, pro conditione loci, tribuantur Catechismo, sic, ut cœtu puerorum, & puellarum conuocato tradatur ordine, et simplicissimè summa doctrinæ Christianæ, & audiantur ordine pueri & puellæ, recitantes symbolum, decalogum, precationem dominicam, doctrinam de fide iustificante, de Sacramentis, de pœnitentia, de bonis operibus, de cruce, Cogitemus purissimã Ecclesiæ partem esse pueritiam rectè institutam. Ideò hæc ætas nequaquam negligenda est, præsertim cum & hic fructus accedat, quod cum tenera ætas pia & salutari doctrina imbuitur, simul concipit amorem religionis Christianę, qui postea, cum accedunt anni, prodest moribus. Et melius iudicant homines de ijs doctrinis omnibus, quarum elementa rectè imbibit prima puericia. Deniq; notum est illud. Vsq; adeo à teneris consuescere multum est. Et toties clamitat ac præcipit Deus in sacris literis, ut doctrina cœlestis tradatur pueris. III.

Et quia ceremoniæ inuitare homines, & adsuefacere debent, tum uero etiam signa sunt, ad admonendos, et docendos rudes utilia, curandum est, per eos qui præsunt, ut ceremoniæ utiles, & quæ aliquid grauitatis habeant, retineantur, & absurdæ ac indignæ grauitate Ecclesiæ aboleantur, ut sunt multæ statuarum circumgestationes, ut alicubi magno pondere crux circumfertur, quam uix quatuor gestare queunt &c. Item statuæ & picturæ fabulosæ, et quæ superstitiosè coluntur. Harum rerum emendatio bonis & prudentibus gubernatoribus in qualibet diœcesi commendetur. IIII.

Sed plurimũ refert, quales sint pastores, et cęteri doctores & ministri Ecclesiarum. V.

siarum. Ac ne idonei præficiantur, potissimum ex his duabus causis accidit, uel quia patroni & collatores commendant indoctos & ignauos, aut propter priuatam beneuolentiam, aut corrupti pecunia, aut propter alias causas non probandas, uel quia Episcopi, sine delectu, sine exploratione, admittunt quoslibet, & cum non adficiantur cura salutis Ecclesiarum, nec doctrinam, nec mores pastorum inquirunt, nec præficiunt inspectores, qui indoctos erudiant.

VI. Vt igitur his causis occurrant, primùm de collatione deliberandum erit. In collegijs prodest restitui Canonicam electionem, nec concedi, ut mense Papali, aut per alias occasiones intrudantur indocti aut malè morati.

Cæterum in eligendis pastoribus, etsi ius patronis nollemus adimi, tamen nec patroni præficiant pastores, non prius commendatos aliquo testimonio Ecclesiæ, hoc est honestorum hominum in eo cœtu, cui datur pastor. Et liceat Ecclesijs reijcere impios aut non idoneos, aut referre rem ad Episcopos, aut eos qui loco Episcoporum sustinent gubernationem Ecclesiasticam.

Episcopi, aut hi qui Ecclesiasticam gubernationem loco eorum sustinent, nullos ordinent, nisi ad certa ministeria Ecclesiæ. Nec sint ocioſi sacrificuli, tantùm eò ordinati, ut uictum sibi quærant lectione Missarum, ut uulgo fit.

Nec ordinentur inexplorati, sed sint uiri docti & graues aliquot, quibus sit in qualibet diœcesi mandata cura examinis, hi neminem admittant ad ordinationem, nisi adferat testimonium de uocatione ad certum ministerium, & de moribus, deinde doctrinam inquirant de dogmatibus Ecclesiæ necessarijs. Si quos inuenient prorsus indoctos, prohibeant, ne ordinentur, & significent patronis aut Ecclesijs, ut alios quærant idoneos. Sin autem erit aliquis mediocri doctrina instructus, & uideatur posse proficere, detineatur, & ab aliquo examinatore per mensem unum atq; alterum erudiatur. Nam examinatores illi nõ tantum sint ocioſi auditores ordinandorum, sed suscipiant laborem etiam erudiendi indoctiores, eosq; sepius audiant. Et Episcopis aut gubernatoribus curæ sit, ut pauperes ordinandi interim uictum habeãt, & aliquot libellis necessarijs instruantur. Hæc officia si sumtuosa esse arbitrantur, cogitent nullum esse sanctius eleemosynæ genus, quàm pauperum sacerdotum studia iuuare, & confulere Ecclesijs, ac reputent sibi propter tales eleemosynas tantas opes datas esse, curabunt igitur, ut pauperes ordinandi habeant hospitia & præceptores.

Vt autem pastores, & cæteri ministri Ecclesiarum, sacerdotes, & diaconi, possint Deum inuocare bona conscientia & uera fide, aboleatur lex & obligatio, quæ prohibet coniugium sacerdotibus, ac liceat eligere ad sacerdotium, uidelicet ad docendum Euangelium, & ad Sacramenta administranda, honestos maritos, liceat etiam his, qui sunt ordinati cœlibes, postea honestum coniugium contrahere. Si enim hoc non conceditur, multis locis deerunt pastores, & Ecclesiarum solitudo, & uastitas metuenda est. Sicut iam in ipsis Episcoporum ditionibus in Germania scimus multis locis deesse pastores Ecclesijs. Cedat igitur humana traditio, & iniusta lex necessitati publicæ, cedat dignitati ministerij, quod ut conseruetur, tollantur iniusta uincula, & obligationes, quæ deterrent pios & moderatos ab ea functione.

Haud dubiè omnes modesti toto corpore atq; animo cohorrescunt, cum cogitant quanta agmina animarum hæc lex de cœlibatu tot iam seculis traxerit in æternum exitium.

Quanquam igitur cœlibatus fortasis ad opes Ecclesiasticas retinendas est accom-

accommodatior,tamen maior habenda est ratio ueri cultus Dei,salutis animarum,et publici exempli.Sacerdotes polluti mala cõscientia non possunt Deum inuocare,ruunt in interitum perpetuum,& nocent exemplo moribus aliorum.

Si his tantis causis gubernatores non mouentur,si impediunt ueram Dei inuocationem,si non adficiuntur exitio aliorum,profectò dura est Ecclesiæ seruitus.Quare oramus,ut hoc uinculo cœlibatus ministri Euangelij liberentur.

IX. Abusus frequentissimus est ubiq;,qui grauiter offendit Deum,quod homines obnoxij publicæ turpitudini petunt absolutionem,& cœnam Domini, sine uera pœnitentia,tametsi propter solennem ritum,quandam simulationem pœnitentiæ præ se ferunt.Hoc eò fit,quia Episcopi multis seculis neglexerunt iudicia Ecclesiastica,ut postea dicemus. Sed tamen mandetur pastoribus, ut prudenter Sacramenta administrent, nec absoluant eos,qui non promittunt emendationem uitæ. Et, si possunt,obnoxios manifestæ turpitudini indicent iudicibus Ecclesiasticis,aut alijs magistratibus.

X. Pastores in singulis Ecclesijs audiant semel in anno ordine auditores, præsertim rudiores : ac fidem eorum explorent,idq; in templo fiat. Nec potest hac in re quisquam detrectare pastoris autoritatem, quia singuli debemus fidem profiteri,præsertim apud pastores pios & fideles, cùm hoc ex officio postulant.Ibi pastor singulos etiam ea quæ cuiusq; ætas aut mores postulant,prudenter,& grauiter moneat,& erudiat indoctiores, de fide, de moribus, de usu Sacramentorum.

XI. Et ut populus tranquilla & pia conscientia ad cœnam Domini accedere possit,conscientijs illorum consulatur, qui cum norint ueterem Ecclesiæ morem,integro Sacramento uti malunt.Nemo circunferens malam conscientiam potest Deum inuocare,ut igitur Deus colatur,& ut consulatur hominum saluti,gubernatores maximè cauere debent,ne lædantur piæ conscientiæ.

Constat hanc ceremoniam institutam esse,ut fidem confirmet in pauidis mentibus,seu consolationem adferat,& ut hîc gratiæ agantur Deo.Quomodo autem consolationem capiet,aut aget gratias exulcerata conscientia? Hæc arcana uulnera gubernatores Ecclesiæ intelligere,& sanare debebant.Ideò tollatur abusus,uidelicet,prohibitio calicis.

XII. Maximus & uniuersalis abusus est,quod non exercentur iudicia Ecclesiastica,nec de doctrina,nec de moribus sacerdotum,aut populi. Primùm Pontifices quando conuocarunt Synodos ad ueram,& æquam cognitionem de doctrina? sed iam de particularibus Ecclesijs agimus. Episcopi habent officiales, ut uocant,quibus controuersiæ de contractibus sponsalium, & aliæ quædam inquisitiones commissæ sunt. Hi nec intelligunt officium suum,nec faciunt. Sed habent quædam aucupia pecuniæ, quæ longum esset recitare.

Non possumus sine magno dolore commemorare Ecclesiæ calamitates. Nos in Germania titulos habemus Episcoporum,Episcopos qui officiũ suum faciant,non habemus.Cùm enim quatuor sint præcipua Episcopi officia,docere & gubernare doctrinam,ordinare et explorare ordinandos,præesse iudicijs Ecclesiasticis,& uisitare Ecclesias : nostri Episcopi in Germania uix umbram & ceremoniam unius muneris retinent,uidelicet, ordinationẽ sine exploratione.Interim tenent amplas ditiones,quas cum administrant,ducum officijs funguntur,non Episcoporum.Quas si uolunt retinere,non enim impedimus,deliberetur de certis,qui uerè regant Ecclesias ; & ut supra dictum est,oportere in

qualibet

qualibet diœceſi eſſe certos delectos uiros, qui præſint ordinationi, & explo-
rationi ordinandorum, ita ſint, ſeu ijdem, ſeu alij, qui præſint iudicijs Eccleſia-
ſticis, & uiſitent Eccleſias.

Fungatur igitur uero munere Epiſcopi, ſeu unus aliquis certo loco, ſeu hæc decuria iudicum. Neceſſe eſt enim in Eccleſia eſſe aliquos idoneos guber-
natores doctrinæ & ordinationis. Neceſſe eſt iudicia exerceri de doctrina, & de controuerſijs ſponſalium, de diuortijs. Neceſſe eſt reſtitui excommunicatio-
nem mandatam in Euangelio. Hunc Epiſcopi uicarium, ſeu hanc decuriam iu-
dicum tueatur ille, qui titulum tenet Epiſcopi.

Iam ſi collegia haberent uiros doctos, pios, & exercitatos: expeditiſsi-
mum eſſet legere hos iudices ex collegijs. Sed addendi ſunt aliqui honeſti, gra-
ues, & docti uiri laici. Et in ſingulis diœceſibus pro magnitudine plures tales decuriæ iudicum conſtituantur, ſed ſit una ſuprema, quæ, ut dictum eſt, ſit ue-
lut uicaria Epiſcopi.

Vt autem habeant hæ decuriæ honeſta ſtipendia, certæ præbendæ ſeu certa collegia, ſeu reditus monaſteriorum ad hos uſus transferantur. Quanta eſt enim turba ocioſorum & ignauiſsimorum hominum nunc in collegijs & opulentis monaſterijs?

Conſtat, exigua pecunia apud officiales poſſe tranſigi de pœna ſtupri aut adulterij. Hæc lenitas auget licentiam. Ideò ſeueritas iudiciorum, & pœnarũ reſtituenda eſt. Ac primùm de omnibus criminibus hoc ſeruetur. Habeat ſu-
um ius magiſtratus ciuilis. Vt ex officio laicorum delicta inquirit & punit, ita ſacerdotes reos manifeſtorum criminum, ſtupri, adulterij, furti, cædis, & ſimi-
lium, puniat ſuarum legum pœnis. Et quidem docendus eſt magiſtratus, ne ne-
gligenter officium ſuum adminiſtret. Nam diuinitus huic gradui commenda-
ta eſt diſciplinæ externæ conſeruatio & defenſio, ut Paulus docet, inquiens, magiſtratum honore afficere bona opera, ècontra uerò formidandum eſſe ma-
lis. Nec exigua morum corruptio inde orta eſt, quod forum Eccleſiaſticũ im-
pediuit magiſtratum ciuilem, ne inquireret aut puniret adulteria. Sit igitur ui-
gilans & acer magiſtratus ſciat ſe diſciplinę cuſtodem eſſe diuinitus in hac ſta-
tione collocatum. Interim tamen Eccleſiaſtici iudices ſuum faciant officium. Et quia in multis locis ciuilis magiſtratus, ex quadam ueteri & praua conſuetudi-
ne ſegnior eſt in puniendis adulterijs: ideo paſtores & iudices Eccleſiaſtici ſint diligentiores in ſuo officio. Paſtor admoneat obnoxios criminibus, adulterijs, Epicureo contemtui religionis Chriſtianæ, blaſphemis ſermonibus, periurijs, aut alijs criminibus. Si admonitus non pollicetur emendationem morum, de-
ferat eum decuriæ iudicum, hi, re inquiſita, ſententiam excommunicationis fe-
rant aduerſus reum, ac magiſtratui ciuili ſuam ſententiam indicent.

Et ita ſint conſtituta iudicia delectis, certo numero uiris grauibus, doctis & iuſtis, ne paſtor, aut quiſquam alius uideatur odio potius reum in periculum adducere, quàm moueri ad accuſandum officij ratione. Nec liceat ſoli paſtori, ferre ſententiam excommunicationis, ſine ulla iudicum decuria, aut nemine ad-
hibito ex honeſtioribus uiris ſuæ Eccleſiæ. Vt enim uocantur hæc iudicia Ec-
cleſiæ, ita ſunt plures adhibendi, ut Paulus uoluit. Tyrannis eſt inimica Eccle-
ſiæ. Ideo ſpecies omnis tyrannidis in Eccleſiæ iudicijs fugienda eſt.

His decurijs iudicum commendanda eſt uiſitatio Eccleſiarum, ubi de do-
ctrina paſtorum fiat inquiſitio. Coerceantur petulantia ingenia, quæ ſerunt

falſa

falsa dogmata,tollantur superstitiones, & statuæ ad quas fiunt concursus, & inspiciantur etiam scholæ,& gubernentur studia.

Nec officinæ typographicæ negligendæ sunt.Plurimum enim refert,quales libri ueniant in manus hominũ,cauendumq́,ne spargantur impia dogmata aut famosi libelli.Ideò magistratus in singulis locis præficiant certos inspectores seu censores officinis,nec liceat edere libros non approbatos ab his censoribus. Fiat etiam inquisitio de moribus pastorum & populi,si compertum fuerit,pastorem admisisse aliquod flagitium,puniatur seueris legum pœnis,& eò minus conniuendum est ad stupra, adulteria, aut scortationes sacerdotum, quia petimus concedi eis coniugium. Quare seueríssimis pœnis corporis illa delicta puniantur.

Inspiciant etiam uisitatores rationes ærarij in Ecclesijs,& curent fideliter pendi stipendia pastoribus,diaconis,& his qui præsunt scholis.

In scholis non solum Ecclesiæ seminaria sunt,sed etiam ibi præparantur in- XIIII.
genia ad omnem reliquam uitę gubernationem.Imò scholæ sunt fontes humanitatis in tota uita,quibus neglectis,necesse est sequi magnas tenebras, confusiones religionum,& superstitiones,legum & literarum atq; artium interitum, obliuionem antiquitatis & historiarum, morum feritatem, denicq; infinitam barbariem morum,& omnium uitæ partium. Quare omnes sapientes gubernatores maximè iudicarunt scholarum constitutionem ad rempublicam pertinere,& benè constitutas, præcipuum decus & ornamentum esse ciuitatum. Qnanto magis in Ecclesia tuendæ sunt scholæ? in quibus conseruatur & propagatur doctrina Euangelij,& traduntur aliæ bonæ artes,utiles,tum ad explicandam cœlestem doctrinam,tum ad reliqua uitæ officia gubernanda. Et hac in re moueamur consuetudine Ecclesiæ omnium temporum. Nunquam sine scholis floruit Ecclesia,uoluit Deus certos esse cœtus ad tabernaculum,quod Moyses condidit,& postea ad templum: non aliam ob causam,nisi ut ibi studia legis diuinæ,& aliarum artium bonarum in quadam frequentia uigerent, & iuuentus excoleretur. Ita Samuel adolescens missus est ad tabernaculum, tanquam ad Academiam,& postea Elias,ac Eliseus,Ioannes Baptista,Christus habuerunt agmina auditorum.Hunc morem & Apostoli seruarunt,ut ex Irenæo apparet,qui testatur Ioannem non solum uniuersam multitudinem illiteratam docuisse,sed etiam habuisse quosdã assiduos auditores,qui se totos studijs addixerant,quos solitus est familiariter docere,etiam extra conuentus uniuersæ Ecclesię.Hinc orta sunt uetera collegia,et proderat esse tales scholas,quæ erant testes,quæ doctrina ab Apostolis accepta esset,et conseruabant sententiã Apostolorum,ideò sæpè allegantur illæ ueteres scholæ: & propter has laudatur ordinaria successio,quod essent certi testes doctrinæ Apostolicæ.Nunc hæ laudes ad potentiam amplificandã transferuntur postea cum opes,Regia dominatio,luxus,extinxerunt studia collegiorũ,caligo ingens in Ecclesia secuta est,& nata est illa Theologia monachorum,diluta quadam inerudita philosophia,& superstitionibus.Et hæc ipsa nunc cõsenuit,quare sapientes gubernatores prouidere debent,ut in scholis rursus pia et sincera doctrina Christi tradatur,et muniẽdæ sunt scholę,ut ad posteros propagari incorrupta ueritas possit.

Deinde quia in singulis regionibus magno numero pastorum opus est, alendi sunt pauperes scholastici de publico,qui cum rectè didicerint doctrinam Christianam,postea præficiantur Ecclesijs.Hæc est uetus & uera Ecclesiæ consuetudo.

Toties uociferantur aduersarij nostri,consuetudines Ecclesiæ negligi,cùm ipsi hæc utilissima instituta Prophetarum et Apostolorum penitus deleuerint, quæ quidem ut restituantur & conseruentur, omni contentione gubernatores perficere debent,uidelicet ita,ut scholæ floreant,et propagetur salutaris doctrina,et præparentur,excolantur ac erudiantur studiosi postea præficiendi Ecclesijs.Porrò in Academijs opus est duplici emendatione,uidelicet, doctrinarum & disciplinæ.De artibus tradendis uerè eruditi et prudentes ordinem præscribant,ita ut iuuentus non solum uersetur in artibus prophanis, sed etiam discat Christianam doctrinam.Deinde ut ad ueram philosophiam reuocetur, & explosis nugis sophisticis,tradatur Dialectica sincerè & prudenter,adiungantur Physica & Mathematica,formetur stylus. Sed hæc pars de doctrina longior est,quàm ut tota hîc comprehendi possit,& singulis locis iudicio eruditorum & prudentum constituenda est.

Disciplinæ restitutio requirit autoritatem & diligentiam principum & magistratuum,necesse est mores seueritate maiore regi, & continere iuuentutem intra septa,& ad pia exercitia reuocare, licentiam adstringere, prohibere conuiuia intempestiua,indecorum,scenicum,et militarem uestitum,hæc emendatio obtineri non potest,nisi magistratus ueris pœnis contumaces puniant.

Sed ut Demosthenes neruos belli uocat pecuniã,ita ad hos gradus omnes opus est reditibus,uidelicet,ad alendos pastores,iudices,scholasticos,& sunt in promptu,si rectè collocentur,facilè enim iniri ratio potest, ut nobilitas in collegijs maiori parte redituum Ecclesiasticorum fruatur, & tamen aliqua collegia,& monasteria trsnsferantur ad hos tres gradus : ad augenda stipendia pastorum & diaconorum,deinde ad constituendas decurias iudicum, ac scholas, in quibus non solum mercedes dandæ sunt docentibus, sed etiam mediocris uictus præbendus pauperibus scholasticis.Hæc ut facilius fiant, opulenta monasteria transferantur ad hos usus,in quibus nunc tantum ocioſi & ignaui homines aluntur.Et satius est hoc totum uitæ genus aboleri,quàm interim esurire pios pastores,cum honestis uxoribus,& pijs liberis,aut scholasticos,aut Ecclesias stare orbatas pastoribus,aut deseri literarum studia. Cum ait Christus, dignus est operarius mercede sua : & Paulus inquit : Nemo militat suis stipendijs,mandatum Dei præcipit,ut ad hanc militiam Ecclesiæ, docentium & discentium,stipendia conferantur.Et propter hanc causam à pijs regibus et principibus hæ opes Ecclesijs,quas nunc tenent, donatæ sunt. Iniquum est autem præripi stipendia ab ocioſis,& fucis, ac interim fame perire eos, qui durissimam militiam in docendo & in gubernatione sustinent. Hæc sunt mutanda, bonorum & sapientum regum,& principum concilijs & autoritate.

VIII. Sed de monasterijs uirginum omnino prodest sexum illum imbecillem liberari uotis.Semper in conspectu sit sapientibus,& pijs gubernatoribus hæc regula.Non esse impediendam ueram Dei inuocationẽ, qui cum mala conscientia inuocari non potest,nec animas abstrahendas esse à Deo in æternum exitium.Constat autem in tanta imbecillitate eius sexus,multarũ conscientias grauissimè excruciari.Ideò aboleantur hæc uota.Et tamẽ pauperibus puellis præsertim nobilibus,consulatur ex his reditibus,qui per certos quæstores ad hos usus quotannis colligãtur,& quodam ordine distribuantur. Nam in pagis aut locis desertis,uirginum cœtus esse,non uidetur utile,sed si placet aliqua monasteria uirginum conuerti in scholas puellarum nobilium & aliarum,id fiat in urbibus

urbibus,ubi est honesta disciplina.Et præsint honestæ,piæ et graues matronæ. Tales scholas aliquas puellarum esse, sine ullis uinculis uotorum optandū esset,in quibus nobilium filiæ & aliæ puellæ discerent literas & doctrinā Euangelij,& adsuefierent ad ipsa exercita,& bonos mores,nupturæ cum uellent.

Hæc est imago honestissimi cœtus matronarum & puellarum, quæ olim quadam assiduitate seruiebant templo, in quo cœtu Anna prophetissa, tanquam magistra fuit reliquarum. Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui elegit sibi Ecclesiam, in qua in uita æterna celebretur, emendet,regat,defendat & augeat eam,Amen.

RESPONSVM PRIMVM ELECTORVM & Principum, alterius partis,datum Imperatoriæ Maiestati de actis Colloquij.

POstquam inuictissimus Imperator, Dominus noster clementissimus, Electoribus,Principibus,& statibus clementer patefecit,et scripto comprehensa offerri curauit ea,quæ consignata fuerunt à collocutoribus, quos sua Maiestas ad id,cùm hoc sibi communes status detulissent, delegit, ut uiam & rationem ad conciliandam religionem citra tamen aliquod præiudiciū quærerent: petijtq; sua Maiestas,ut ab Electoribus ista cognoscantur,suamq; ipsorum sententiam,hi super istis rebus Imperat: Maiesta: communicent: Electores & cæteri Principes,atq; horum absentium legati,arduum istud negotium, pertinens nimirum ad gloriam & honorem Dei omnipotentis,salutem animarum, & communem Germanicæ nationis utilitatem, diligenter, quantum per temporis breuitatem licuit,expenderunt. Ad negocium igitur huiusmodi commodè expediendum,utile & consultum eis uidetur,ut Cæsareæ Maiestati scripta sex collocutorum,in quibus de articulis religionis controuersis agitur,iterum reddantur,suaq; Maiestas tanquam aduocatus et defensor Catholicæ Ecclesiæ, humilimè rogetur,ut cum legato Pontificio,iuxta decretum Haganoense, sex collocutorum scripta cognoscere,& communicare uelit,præcipuè uerò articulos,in quibus collocutoribus conuenit,exacta & summa diligentia examinare, ita,ut si quid in collocutorum scriptis repertum fuerit, quod uel sententia uel uerbis pugnet cum sanctis patribus & laudabili Ecclesiæ consuetudine, si quid adhæc forsan abusuum in Ecclesia deprehensum fuerit, id mutetur,emendetur,tollatur. Præterea si opus sit declaratione aliqua,ad ea elucidanda,quæ in articulis obscurius posita sunt,ea ut adijciantur, huiusmodi uerò resolutionem factam,referendam,quamprimum fieri potest,ad status imperij,ut sic cum Imperat: Maiesta: iuxta id,quod initio comitiorum ipsa proposuit, concorditer status de his rebus agere possint. Vt denicq; Impera: Maiesta: dare uelit operam,ut protestantes consentiant in aliquam Christianam formam,et rationem conciliandi reliquos articulos nondum conciliatos, quod si nec hoc à protestantibus impetrari poterit,ut ad generale concilium rejciantur,aut saltem ad nationalem Synodum(si habendi generalis nulla spes fuerit)modo illa ritè,& legitimè conuocetur,quo tandem in Germanica natione, Christiana pax & tranquillitas conseruari possit.

RESPONSVM IMPERATORIS, ELECTORIbus,cæterisq; principibus redditum.

IMperatoria Maiestas, clementissimus Dominus noster, responsionem Electorum, Principum, statuum, et legatorum, eorum principum, qui absunt, pertinentem ad causas religionis, & ad librum eis à sua Maiestate oblatum, probè intellexit. Sperauerat autem sua Maiestas, Electores, principes, ac reliquos status, postquam satis longo tempore librum habuerunt, ac eum proculdubio examinarunt, aliquanto explicatius ac clarius exposituros suam sententiam. Porrò quia semel in ea sententia, quam obtulerunt Imperat: Maiestati, obfirmarunt animos, ne officio suo deesse sua Maiestas cuiquam uideri possit, nihil ipsa intermissuram se offert in hac re, quod quidem suam Maiestatem decet. Tradere itaq; librum legato Pontificio parata est, ac cum eo communicare, quo de huius etiam sententia fieri certior possit, &c.

SENTENTIA IMPERATORIS, DE *ineunda consensione Religionis, & faciendo reformationis initio, deliberationi Electorum, Principum, & omnium Statuum proposita.*

IMperatoria Maiestas, Dominus noster clementissimus, iuxta sententiam & consilium Electorum, Principum, & Statuum Imperij, quæcunq; inter collocutores acta sunt, legato Pontificio communicauit, decq; his legati sententiam rogauit, hanc denicq; causam, similiter & reformationem, ut illa quamprimum (sicut ea summè necessaria est, & in prioribus comitijs sæpe postulata) institui possit, summa diligentia eidem legato commendauit. Ad quæ ambo legatus respondit binis scriptis, quid ei faciendum uideatur, quæ scripta Imperatoria Maiestas statibus hîc offert.

Postquam autem sua Maiestas in hac causa religionis, quantam omnino potuit, diligentiam adhibuit, nec tamen existimare potest, quod hisce comitijs quicquam amplius agi & effici queat, præsertim cum legatus pontificius ea, quæ scriptis eius continentur, responderit: deinde quia ob hanc causam multum iam temporis effluxit, licet nihil sit effectum, utcumq; sua Maiestas plurimum & laboris, & molestiæ insumpserit, uisum est ei, statibus sententiam suam, & deliberationem, quæ ad recessum, & summariam decretum horum comitiorum conferre possit, exponere. Ea uero sic habet.

Consideratis laboribus, & diligentia, longo iam tempore multifariam adhibitis ad causas religionis componendas, ne ea causa religionis denuo in controuersiam trahatur, ut etiam caueantur, & auertantur ulteriora incommoda, & ut quàm minimum dissidij relinquatur, ut etiam posthac auxilio Dei omnipotentis ad omnimodam concordiam articulorum, qui adhuc in controuersia supersunt, eò facilius perueniri possit, uidetur Impera: Maiest: deliberandum esse, an consultum sit, ut saluo quidem recessu Augustano articuli, de quibus inter collocutores utriusq; partis conuenit, recipiantur tanquam Christiani, nec amplius in disceptationem reuocentur, idq; saltem usq; ad concilium generale, penes quod sit ulterior examinatio illorum, & aliorum id genus articulorum, id quod etiam legato Pontificio uidetur, ut illius scripta satis testantur, dummodo, ut legatus pollicetur, & certiores eos facit, primo quoq; tẽpore habeatur

beatur concilium,aut tantiſper dum per alias uias legitimas,cum conſenſu ſtatuum,rationes alię ſuſcipiantur,quibus expediri tandem hoc negocium poſsit.

Præterea,an conſultum uideatur, ſi uel concilij celebrandi ſpes nulla ſit (quod tamen ut habeatur,neceſſario religionis rationes efflagitant) uel id tardius,quàm conuenit,congregetur,ut tunc alius conuentus ſtatuum imperij indicatur,in quo de religionis cauſis agatur, quò tandem commodè ad ſalutarem finem perducantur omnia.

Qua in re Imperatoria Maieſtas,quantum ad ſe attinet,nihil intermiſſurã ſe pollicetur.Eſtq; in ea ſententia, ut quamprimum fieri poteſt,in Germaniam iterum,auxilio Dei omnipotentis,redire uelit,atq; ea præſtare,quæ digna ſunt Imperatore Chriſtiano,quæq; huius officium requirit. Propoſuit denicq; ſua Maieſtas,ſe daturum operam,ut in propria perſona iam conueniat Pontificem Romanum,ut certò ab illo cognoſcat, quidnam de concilio ſperandum ſit.

RESPONSVM PRINCIPVM ELECTORUM,datum Imperato: Maieſta: ad propoſitam ab eo deliberationem,de concluſione,& decreto in cauſa religionis faciendo.

VT Imperatoria Maieſtas clementiſsimus Dominus noſter, acta uniuerſa eorum,qui ad Colloquium deputati fuerant, legato Pontificio communicarit,ad cognoſcendam eius de actis illis ſententiam, unà cum reſponſo, quod idem legatus dedit,& alijs, quæ ad faciendam comitiorum concluſionem & decretum pertinent,Principes Electores, & abſentium legati, qua decet,ſubmiſsione,ex facta benigno iuſſu Maieſtatis eius narratione, cognouerunt.

Principio bene memores ſunt Electores, fidelis ac indefeſſæ diligentiæ, quam aliquot iam annis Imperatoria Maieſtas,ex paterna et clementiſsima beneuolentia erga Germanicam nationem,adhibuit,ut diſſenſio in religione ad Chriſtianam concordiam,& conciliationem redigeretur,ac in Imperio pax,& tranquillitas conſtitueretur,ac conſeruaretur, pro quo fideli ſtudio,ac opera, Electores præſentes, abſentiumq; legati Imperatoriæ Maieſtatis humillimè gratias habent,parati ſemper,re etiam ipſa,gratos ſe declarare.

Expenderunt autem diligenter Electores ſcriptum Imperatoriæ Maieſtatis,ante omnia uerò,quantum quidem ad controuerſias in religione tractatas â collocutoribus attinet, deliberarunt apud ſe certo conſilio, utile ac bonum eſſe,atq; adeo ſibi placere fatentur,ut articuli, qui â collocutoribus conciliati ſunt, tanquam boni recipiantur,ulteriorq; de illis exquiſitio ad liberum et Chriſtianum concilium differatur,uel ad nationalem Synodum legitimè congregatam,aut ſi neutrum horum ſit ſperandum, aduenturum conuentum imperij. Sperant autem id ualdè utile forè, ad alia etiam incommoda ac diſsidia præcauenda,profuturum denicq; ad conciliandos reliquos articulos,qui adhuc in controuerſia ſunt. Adhæc ſi ſpes aliqua fuerit,conciliandi præterea articulos aliquot nondum conciliatos, rogant humillimè Electores, horumq; abſentium legati, Imperatoria Maieſtas diſpicere ipſa uelit de mediis & uijs conciliandi tales. Cæterum,ſi fuerit impoſsibile,talia conficere iſto tempore,rogant Electores,horumq; abſentium legati,cum omni ſubiectione,Imperatoriã Maieſtatem,ut ipſa iuxta promiſsionem ab ea factam,& pro qua humillimè gratias agunt,uelit apud ſummum Pontificem inſtare diligentiſsimè,ut ad exami-

nandum,& conciliandum,tum commemoratos,tum cæteros etiam articulos liberum & Christianum concilium, quàm celerrimè indicat, in loco aliquo commodo Germanicæ nationis,idq; sine omni dilatione habendum curet.

RESPONSVM PRINCIPVM, QVI *Romanum Pontificem agnoscunt,datum Imperat: ad propositam de religionis negocio deliberationem.*

I. CAtholici principes ac status,quantum per temporis breuitatem licuit, expenderunt scriptum,recenter ipsis ab Imperatoria Maiestate oblatum,unà cum resolutione Pontificij legati.Probè uero memoria repetunt Imperatoriã Maiestatem,& in alijs comitijs,et in præsentibus,mirificum laborem ac studium semper adhibuisse,ut religionis controuersiæ componerentur,ac de reformatione Christiana cogitaretur,de qua uoluntate Catholici principes,& status suæ Maiestati humillimè,& cum omni subiectione,gratias agunt.

II. Quia uero Imperatoria Maiestas significauit se intra paucos dies hinc discessuram,non uidetur esse necessarium,ut status superuacaneis ac prolixioribus scriptis aut disputationibus suæ Maiestati sint molesti,tum uel eam, uel seipsos diutius remorentur,sed in hoc potius incumbendum, ut Christianè tandem finis huic negocio imponatur, ita tamen, ut tantisper,dum id fit, Imperatoria Maiestas adsit,quod ut faciat,humillimè roganda est.

III. Vt autem ad Imperatoriæ Maiestatis scriptum respondeatur. Initio fatentur status,sibi compertum esse,quod in Germania,& alijs nationibus, imò in toto propè orbe Christiano,non pauci abusus, sectæ,hæreses, & scismata passim obtinuerunt,quæ omnia sine generali concilio extirpari, aut emendari nequaquam poterunt.

Fatentur etiam status catholici,non decere se,ut immutationẽ aliquam religionis,ceremoniarũ aut rituum(quę per aliquot centenos annos durarunt,partim etiam concilijs sunt instituta) uel consentiant,uel mutari talia permittant: eò quod summus Pontifex,per suum legatum,sese offert ad celebrandum concilium intra breue tempus, uelitq; hac de re Imperatoria Maiestas in propria persona colloqui cum summo Pontifice.Quod propositum Pontificis statibus catholicis,supplicant ijdemPontifici,ut omni amota procrastinatione,Christianum et generale conciliũ indicet,indictumq; haberi curet,in loco aliquo commodo Germanicæ nationis,quo sic multarum animarũ perditio præcaueatur.

Porrò si negocijs secularibus impediti potentatus Christiani in propria persona uenire ipsi ad concilium non possent,nihilominus tamen,ut concilium procedat,summus Pontifex dare operam debet,simulq; apud potentatus,qui ipsi in concilio comparêre non poterunt, diligentissimè instare, ut hi suo nomine,& loco,eruditos, probos,& idoneos,plena cum potestate, commissarios mittant,ut semel Christianitas ipsa in formam & uitam uerè Christianam restituatur,errores extirpentur,Dei denicq; ira,& plagæ imminentes auertantur.

Quod si huiusmodi generale concilium non impetratum fuerit (quod tamen status Catholici,confisi promissis summi Pontificis & Imperatoriæ Maiestatis minimè fore putant)etiam atq; etiam orant status,ut summus Pontifex & Imperatoria Maiestas dare uelit operam, ut saltem in Germania nationale concilium habeatur,Iam si nec ipsa ratio habendæ nationalis Synodi summo

Ponti-

Pontifici & Cæsareæ Maiestati placuerit, rogant status, ut iuxta id quod sua Maiestas facturam se & curaturam recepit, sine omni dilatione, in imperium Germanicæ nationis uenire uelit, atq; conuocatis statibus, denuo tentare, ut errores extirpentur, ac omnia, quæ prauè intellecta & accepta sunt, Christianè discutiantur. Atq; istæ uiæ solæ restant, quibus saluti Christianorum consuli poterit, adeo ut nisi aliqua istarum ineatur, magis atq; magis in se diuidetur Germanica natio, eiusdem gloria, honor, & opes interibunt, atq; id genus plurima incommoda ad uicinas etiam nationes pertingent.

Secundò, Catholici status decreuerunt apud se, quod auxilio Dei, constanter adhærere uelint nostræ ueteri religioni & ueræ fidei, quemadmodum hæc in sacris Euangelijs, concilijs, statutis, & ordinationibus Christianæ & Catholicæ Ecclesiæ, ac doctrina sanctorum Patrum, ab Apostolorum tempore, usq; ad hodiernum diem, mansit, & obseruata est.

Præterea recessus, ordinationes, & mandata per Imperatoriam Maiestatem & status Catholicos, præcipuè uerò decreta Augustani conuentus, in quæ tamen communiter à statibus consensum est, sequi, et his parêre firmiter in animum induxerunt, indubitatò sperantes, quod reliqui status omnes, qui in Augustanum recessum consenserunt, eidemq;, sigillis etiam suis appensis, subscripserunt, promissis insuper auxilijs Imperat : Maiestatis, paulopost Ratisbonæ iterum ratam habuerunt subscriptionem Augustæ factam. Et tandem Haganoæ tertiò Electores & principes, qui istic in propria persona fuerunt, seruandumq; receperunt, adeo ut sese obtulerint, collocuturos de defensione, si quid tentaretur aduersus recessum Augustanum, quemadmodum in decretis eorum comitiorum, & scriptis in illis exhibitis continetur. Maximè uerò inhærendum Augustano recessui principes censent, & ab eo nullo modo recedendum : cum Imperat : Maiesta : & in eisdem comitijs, & hîc, cum in primo sua propositione, tum formula deliberationis, de recessu hic constituendo, eundem recessum Augustanum, ipsa quoq; saluum manere se uelle declarauerit.

Tertiò, cum Imperat : Maiesta : ex singulari proculdubio clementia, proponit, suæ Maiesta : uideri, articulos, in quibus inter collocutores conuenit, & qui conciliati sunt, sine ulteriori discussione, usq; ad concilium, recipiendos esse & approbandos, &c. Respondent Status, se in hoc nullo pacto consensuros, neq; enim id uideri consultum, ob sequentes causas. Primùm namq; à collocutoribus propositi sunt articuli aliquot, minimè necessarij, superuacantes, & de quibus nulla fuit antehac controuersia, nec hodie est. Vt sunt primus, secundus, tertius & quartus. Absurdum igitur uideri, ut articuli nunquam controuersi concilientur. Præterea, quartus articulus de peccato originali, non hic est conciliatus, sed Vuormatiæ alia tamen forma, quam nunc est in scripto oblato, propositus. Secundò maximopere necessarium erit, ut ab utraq; parte denuo eligantur, qui nouo colloquio & disputatione excutiant omnia. Extant enim uerba in scripto commemorato, quæ non sunt consentanea consuetudini Ecclesiæ, & formis loquendi à Patribus usitatis. Adhæc insunt scripto dogmata quædam minimè admittenda, quæ partim obliteranda sunt, partim mitiganda, & in aliam formam redigenda, præstiterit itaq; negocium istud menses adhuc aliquot differri. Tertiò, hi articuli solum conciliati sunt, qui & minoris momenti sunt, & de quibus inter doctos non magna antehac fuit controuersia, qui deniq; non tam periculosam offensionem apud plebem uulgò excita-

rent,quàm alij nondum conciliati. Et quia præcipui articuli,atq; adeo ij, quibus Christiana fides nititur, ut est articulus, de uenerando Sacramento ueri corporis & sanguinis Christi,de adoratione & reseruatione eiusdem,communione Sacramenti sub utraq; specie,confessione,pœnitentia et satisfactione &c. Hi nimirum non solum non conciliati sunt,sed à protestantibus uehementissimè impugnati,adeò ut de his nulla conciliatio speranda sit. Quin imò collocutores Catholicæ partis plusculũ,quam decebat,in his concesserunt protestantibus,ita ut quæ admissa sunt ab illis,emendatione & declaratione habeãt opus.

Quartò,quoniam si reciperentur articuli conciliati,multis modis posset imminui existimatio summi Pontificis, Imperatoriæ Maiestatis,& statuum catholicorum,hiq; omnes,ne se hoc nomine uarijs obtrectationibus exponant, periculum erit. Videtur catholicis statibus consultius,& melius esse,ut suo loco scriptum collocutorum relinquatur,& omnia negocia ad religionem pertinentia differantur ad concilium uel generale,uel nationale, uel saltem ad conuentum omnium statuum imperij,quemadmodum etiam Pontificij legati resolutio consulit,nimirum ut ista omnia ad consilium summi Pontificis reijciantur.

RESPONSVM ELECTORIS, ALIORVMQVE Principum,& statuum protestantium,ad propositam ab Imperatoria Maiestate deliberationem, de decreto faciendo in causa religionis.

QVæ Imperatoria Maiestas exponi fecit Principibus Electoribus, alijsq; Principibus,& ordinibus de suo discessu,deinde capita,& articulos,ad faciendam actorum in his comitijs conclusionem, & decretum pertinentes,tum ea,ad quæ se Imperatoria Maiestas offert,& quæ petit,ea omnia princeps Elector ac cæteri principes,& ordines qui Augustanæ confessioni adhærent,præsentes,& absentium legati,cum summa reuerentia,& submissione audiuerunt, & cognouerunt: aguntq; cum omni subiectione gratias Imperatoriæ Maiestati, ob summam diligentiam,& laborem,quem ipsa impendit,in hoc,ut causæ religionis controuersiæ Christianæ componerentur,similiter & Christiana reformatio Ecclesiæ impetraretur. Non dubitant autem status commemorati, Imperatoriam Maiestatem ex responsione pertinente ad negocium religionis, quam nudiustertius suæ Maiestati obtulerunt,intellexisse. Status ipsos modis omnibus propensos esse ad Christianam concordiam, in qua diuinũ uerbum, & ueritas locum habere,et Christianæ Ecclesiæ reformatio,quam et sua Maiestas summæ necessariam agnoscit,ad effectũ perduci,ac reipsa constitui possit.

Cæterum quia Statibus prædictis placuerunt articuli conciliati, modo intelligantur rectè & Christianè, atq; adeo iuxta responsionem, quam scripto obtulerunt,adhuc eosdem articulos placere fatentur. Rogant autem: supplicíter Imperatoriam Maiestatem,quod ipsa uelit efficere,ut eiusmodi articuli pro conciliatis recipiantur,in hoc ut sint auspicatum exordium concordiæ,sperant enim status Deum omnipotentem gratiam suam largiturum,ut sic ueritas magis atq; magis dilatari, & eò expeditius uia ad Christianam reformationem parari queat.

Satis præterea intellexit Imperatoria Maiestas Statuum prædictorum animum

animum ac uoluntatem,quantum ad articulos nondum conciliatos attinet,ex scripto suæ Maiestati oblato. Simul autem status humillimè rogant,quòd sua Maiestas recessum Augustanum,eò quod minimè idoneus est ad concordiam promouendam,imò etiam cum quibusdam articulis pugnat, clementer uelit tollere,aut saltem suspendere.

Cognoscere enim facilè potest Imperatoia Maiestas, Augustanum recessum(si is ualere debet,atq; in suo uigore manere) maximo impedimento futurum speratæ concordiæ in religionis causis,nec non Christianæ reformationi, communi deniq; paci,neq; enim duo hæc simul posse consistere.

Quòd uero Imperatoria Maiestas à statibus petit,ut cogitare uelint,si, posito casu,concilium non procederet, an tum communis imperij conuentus iterum indici debeat,in quo religionis causæ amplius tractarentur,& ad commodum exitum perducerentur.

Quantùm ad concilium attinet,probè adhuc se memores esse fatentur status suæ appellationis, protestationis,& omnium,ad quæ se obtulerunt. Nihil quoq; tam ardentibus uotis expetunt,quàm ut legitimum,liberum & Christianum concilium in Germania celebrari possit,in quo religionis controuersiæ,secundum uerbum Dei,excutiantur,Christiana etiam reformatio,& abusuum, qui obtinuerunt, extirpatio sequi possit.

Quòd uerò status consentire debent in eiusmodi concilium,in quo Papa, uel sui(qui protestantium statuum aduersarij summi existunt) de religione cognoscendi & iudicandi potestatem haberent, id quo minus faciant status, iustis,firmis,& certissimis rationibus permouentur, quemadmodum eas bona ex parte exposuerunt in recusatione concilij Mantuæ indicti,ad quam rursus se referunt,humilimè rogantes Impera: Maiestatem, ut istud statuum propositum,necessarijs,& ineuitabilibus causis innixum,boni consulere uelit.

Relinquunt uerò status liberum arbitrio,& consilio Imperatoriæ Maiestatis,ut si minus impetrari possit Christianum & liberum concilium in Germania,in quo scilicet agatur de religione, & reformatione Christiana,ut per alium conuentum imperij de his rebus Christianè agatur,& transigatur.Parati enim sunt status,id quod sæpenumero iam testati sunt, suæ Christianæ confessionis,& doctrinæ Ecclesiasticæ sufficientes causas adferre,eiusq; rationem reddere.

RESPONSVM LEGATI PONTIFICII,

de actis Colloquij,datum Imperatoriæ Maiestati,cuius supra in sententia ab Imperat: statibus exhibita,mentio facta est.

NOs Gaspar,miseratione diuina,Tituli sancti Apollinaris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Contarenus, Sanctissimi Domini nostri Papæ,& sanctæ sedis Apostolicæ, in partibus Germaniæ, de latere Legatus. Requisiti à Cæsarea Maiesta:suo,ac reuerendissimorũ & illustrissimorũ Principum sacri Romani imperij nomine,quid nobis uideatur de his,quæ in negotio religionis tractata sunt,inter collocutores Catholicorum & Protestantiũ,à Cæsarea sua Maiestate deputatorum,& scriptis mandata,in quodam libro,exhibito eis à præfata Maiestate,cum quibusdã apostillis utriusq; partis,nec non in quibusdam quinternionibus Protestantium: dicimus,quod omnibus benè

discus-

discussis & consideratis, nobis uidetur. Cùm Protestantes in nonnullis articulis discedant à communi consensu Ecclesiæ Catholicæ, in quibus tamen non desperamus, aliquando ipsos quoq; Deo bene iuuante, nobiscum consensuros, nihil amplius de reliquis omnibus statuendum, sed remittenda esse summo Pontifici, & Apostolicæ sedi, qui uel in concilio generali, cuius celebratio non multo post fiet, uel modo alio, magis oportuno, si res ita exegerit, ea poterit iuxta Catholicam ueritatem diffinire, nec non, habita rerum & temporum ratione, statuere, quæ uidebuntur fore expedientia Reipublicæ Christianæ, & huic inclitæ nationi Germanicæ.

ALTERVM SCRIPTVM LEGATI,

in quo suam de actis Colloquij sententiam magis explicat.

NOs Gaspar miseratione diuina Tituli sancti Apollinaris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Cardinalis, Contarenus, sanctissimi Domini nostri Papæ, & sanctæ sedis Apostolicæ, in partibus Germaniæ, de latere legatus. Postquam scripturæ nostræ, quam nuper in negotio religionis super tractatum Collocutorum à Cæsarea Maiestate, in eadem religionis causa deputatorum, eidem Cæsa: Maiestati obtulimus, uariam à Principibus, & statibus Imperij interpretationem fieri intelleximus, quibusdam ita interpretantibus, quasi quosdam articulos, quos quidam concordatos esse contendunt, acceptandos, & usq; ad futurum Concilium tolerandos, & ab omnibus seruandos esse uoluerimus, alijs contra putantibus, nos totum hunc Collocutorum tractatum, omniaq; quæ in ipso acta, et quomodocunq; disputata sunt, ad decisionem summi Pontificis, & Apostolicæ sedis in concilio generali &c. remisisse. Nos, ne ulla in hac parte dubitatio relinquatur, sed ut mens & uoluntas nostra clarè intelligatur, sic mentem uoluntatemq; nostram declaramus, nihil in hoc toto negocio, per prædictam nostram scripturam quacunq; ratione decidere, aut quod aliqui articuli prædicti tractatus acceptentur, aut usq; ad futurum concilium tolerentur, uel seruentur, diffinire uoluisse: sicut nec adhuc quidem decidimus, aut diffinimus. Sed tractatum prædictum totum, omnesq; eiusdem articulos summo Pontifici & Apostolicæ sedi, in concilio generali uel alio modo, ut in scriptura diximus &c. diffiniendum remisimus, quemadmodum & adhuc remittimus, quam quidem sententiam nostram, ut antea Cæsareæ Maiestati ore declarauimus, ita nunc hoc scripto testamus & confirmamus.

TERTIVM SCRIPTVM LEGATI AD

Episcopos, de reformatione morum.

REuerendissimi & Illustrissimi Domini. Cùm heri reuerendissimæ & illustrissimæ Dominationes uestræ frequentes ad nos uenissent, ac nos quædam illis exposuissemus, quæ nobis ad reformationem Christianam facere inprimis uidebantur. Petierunt illæ, ut ea, quæ à nobis dicta fuerunt, scriptis mandare, eorumq; exemplar reuerendissimis & illustrissimis dominationibus suis tradere uellemus, ut ea commodius uidere & perpendere possent, quare nos, ut eis satisfaceremus, quod heri dixisse nobis uisi sumus, hîc quam potuimus breuiter scripsimus.

Illud primùm, quod in Domino hortamur, & monemus reuerendissimas & illu-

& illustrissimas Dominationes uestras, pertinet ad uniuscuiusq; nostrum uitam,& uiuendi rationem,in qua danda est omnis opera,ut Deo optimo placeamus,et fideles dispensatores inueniamur,ac legitimi Domini gregis pastores. Vitabimus ergo primum scandalum omne,ne scilicet populus possit uel leuiter suspicari,esse nos ullis uoluptatibus addictos,aut auariciæ, aut ambitioni. Vitandus est etiam luxus omnis,in epulis,in domus apparatu, uestibus, cæterisq; omnibus,quæ solent laicos & uniuersum populum multum scandalizare.

Secundum pertinet ad familiam, ex cuius moribus,si Christiani & boni fuerint,populus ædificatur,si uerò mali fuerint, multum offenditur, & facile coniecturam facit morum Episcopi ex moribus familiæ.Idcirco,ut copiosè admonet Bernhardus in lib.de Consideratione ad Eugenium pontificem, maxima est adhibenda cura prælato cuicunq;,in comparanda sibi honesta familia, & in seruanda ab omni mala labe,& suspitione,imò instituenda,ut ex familiarium nostrorum conuersatione,populus instruatur & ædificetur.

Tertium pertinet ad curam gregis nobis commissi,ad quam maximè putamus pertinere,ut Episcopi habitent in locis frequentissimis suarum Diocœsium,ubi facile cauere poterunt,et præuidere,si quid labis huius quæ grassatur per Germaniam obrepserit,& confestim in tempore remedium adhibere.

Proderit etiam habere fidos exploratores in locis alijs,ubi Episcopi non habitant,ut per eos certiores fieri possint,si qua fraude aduersarius noster eos tentauerit,ac confestim queant prouidere & mederi. Visitare etiam Diocœses frequenter,multum proderit,quo more uti solent Imperatores,in urbibus obsessis & oppugnatis ab hostibus.Curare etiam,ut cultus diuinus uigeat in Ecclesijs nostris,& beneficia à nobis conferantur,uiris probis & idoneis.

Quartum pertinet ad dispensationem facultatum,& redituum Episcopalium,ex qua magna comparatur inuidia apud populum, si uiderit Episcopum sumtus magnos facere,in luxu,& apparatu domus & familiæ, pauperes uerò negligi,ideò uitandi sunt omnes sumtus huiusmodi, & pauperes quàm maximè fouendi sunt,in eorumq; necessitatibus maxima utendum est largitate.Hac enim ratione & Deum faciemus nobis propicium (Nam fœneratur Domino, qui miseretur pauperis,ut inquit Salomon)& populum nobis beneuolum. Ad id enim maximi momenti est hæc facultatum nostrarum dispensatio.

Quintum pertinet ad disciplinam & institutionem populi. Comparandi sunt concionatores seu prædicatores uiri probi & docti, qui possint uerbo & exemplo docere bonos mores,& orthodoxam doctrinam, qui non sint contentiosi,neq; insectatores aduersariorum, ideo ne uideantur odisse, sed potius amare & optare eis bona,ac præsertim eorum salutem. Nam acris insectatio eos irritat,& magis pertinaces facit, neq; ædificat populum.

Sextum pertinet ad institutionem iuuentutis, in literis & disciplinis,qua in re uidemus Protestantes nihil prætermittere,sed omnem lapidem mouere, ut in suis Gymnasijs habeant uiros doctos & illustres, quorum fama inuitatur iuuentus Germanica,& præsertim nobiles,ad eorum Gymnasia, ubi imbuuntur simul cum literis etiam doctrina Protestantium, qua corrumpuntur ipsi, ac deinde per omnem Germaniam dispersi,alios quoq; inficiunt. Idcirco danda est omnis opera,ut apud Catholicos instituantur Scholæ & Gymnasia,conducantur Doctores Catholici,uerè docti in bonis literis & disciplins,qui sint celebres,ut eorũ fama àlliciatur iuuentus,et nobiles ad nostra Gymnasia, ibiq;

bonis

bonis literis & orthodoxa doctrina imbuantur. Ab Episcopis etiam admoneantur parentes, ne uelint liberos suos institui in Gymnasijs, in quibus orthodoxa fides non uiget, præsertim cum habuerint scholas orthodoxas paratas.

Hæc uoluimus D. V. Reuerendissimis & Illustrissimis proponere, ut capita quædam generalia, quibus multa particularia addi possunt, pro cuiusq; prudentia, ut pareamus summo Domino nostro Pontifici Maximo, qui nobis mandauit, ut eas hortaremur ad Christianam reformationem, simulq; ut fungeremur officio personæ quam gerimus, Legati inquam sedis Apostolicæ, ad quam pertinet cura omnium Ecclesiarum, ac etiam ut satisfaceremus charitati fraternæ, & illi necessitudini, quam compluribus de causis sentimus nobis esse cum hac nobilissima & inclyta uestra natione.

His scriptis responsum est à concionatoribus profitentibus Augustanam confessionem, cuius responsionis exemplum priori parti actorum ad finem adiecta est.

ACTA IN CONVENTV RATISBONENSI.

PIO LECTORI PHILIPPVS MELANTHON, S. D.

NON DVBIVM EST FILIVM DEI CONcionari de Ecclesia postremi, hoc est, nostri temporis, cum ait uenturam esse adflictionem ingentem, qualis non fuit inde vsq; ab initio mundi, nec erit postea. Etsi enim semper Ecclesia non leuibus certaminibus & ærumnis exercetur, tamen in hac postrema ætate durissimè quassatur. Nunquam tot ac tàm seua genera calamitatũ concurrerunt. Multis seculis penè prorsus extincta Euangelij luce, magnæ in Ecclesia tenebræ fuerunt, & grassatæ sunt non leues εἰδωλομανίαι. Has defenderunt Pontifices, Episcopi, & eorum satellites, non aliter, quam Rex Babylonius suæ statuæ adorationem tuebatur. Seuitum est in membra Christi, in homines pios qui taxarunt errores. Sicut inquit Daniel, doctos ruituros esse interfectos gladio, flammis, & alijs modis excruciatos Accessit ad hoc malum rabies Turcica, quæ in Asia, Græcia, Illyrico, Thracia, & Ecclesias deleuit, & exercet crudelitatem quantam nulla exercuit unquam monarchia. Interim, & seditiones domesticæ hæresium passim tumultuatæ sunt. Ac recens postquam Deus aliquam Euangelij scintillam nostris Ecclesijs reddidit, quasi omnium certaminum nunc sit epitasis, magis exarsit furor Diaboli. Pontifices seuierunt atrocius, Turci longius progressi, florentissimum regnum Pannoniæ occupant, & iam in uestibulo Italiæ ac Germaniæ crudelissimum latrocinium exercent. Passim uero in Europa creuit Epicurea factio, quæ singulare genus sapientiæ esse ducit, ridere Deum & diuinam doctrinam. Exorti sunt alicubi & Anabaptistæ, non multum dissimiles Manichæis, alicubi & Sirenes, quæ fingunt bellas dogmatum corruptelas. In his tantis malis cogitent pij Lectores, qualis sit imago ueræ Ecclesiæ, quæ passim sparsa circumfert Euangelium, agnoscit Christum filium Dei, & uerè Deum inuocat, Hanc dilacerant, hinc Pontifices, Episcopi, Monachi, Anabaptistæ, Epicurei, illinc Turci, &, ut Ieremias ait, expandit Sion manus suas, nec est qui consoletur. Ac uerè talis est Ec-

est Ecclesiæ status, qualem describit Esaias. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma & Gomorra essemus. Cùm igitur postremæ reliquiæ veræ Ecclesiæ tàm variè oppugnentur, vtcunq; intelligi potest, cur dixerit Christus, futuram adflictionem, qualis nulla vnquam fuit. Equidem cohorresco toto corpore, cum cogito euersam à Rege Babylonico vrbem Ierosolymam, ciues partim trucidatos, partim abductos, Deinde post reditum, sæuiciam Antiochi & Herodis. Postremò etiam Apostolorum & Martyrum ærumnas. Hæ tragœdiæ omnes, etsi fuerint luctuosæ, tamen si conferantur ad Pontificiam εἰδωλομανίαν contunctam cum sæuicia, ad fanaticorum deliria, ad Epicureorum ῥᾳθυμότητα, cuius contagium latè vagatur, & relligionem obruit, denique ad barbariem & immanitatem Turcicam, quanto grauiora sint hæc mala, facilè iudicari potest. Hæc eò commemoro, vt pij Ecclesiæ ærumnas animo reputantes, accendantur ad petendum à duce Christo auxilium, qui nunc haud dubiè mirabiliter cum diabolicis agminibus rabiosissimè furentibus dimicat. Sed nos vocat ad eandem militiam, armat nos, & vult stare instructos, vt suo quisque loco prælietur, vult pios doctores retinere doctrinæ Euangelicæ puritatem, vult bonos gubernatores adiuuare propagationem veræ & salutaris doctrinæ, & delere idola, & fanaticorum deliria, vult pios bellatores defendere Ecclesias, politias, leges, disciplinam, aduersus Turcicum furorem. Sed vt est infirma & dissipata vera Ecclesia, ita segniter præliatur, multo plures sunt, qui impediunt bonorum voluntates. Diu Pontifices conati sunt in Germania ciuile bellum accendere, extant enim literæ in eam sententiam ad quosdam principes scriptæ. Sed Imperator Carolus parci voluit patriæ, & ut Ecclesiastico more dijudicarentur controuersiæ dogmatum, iussit cogi synodos, sed Pontifices vident, si pijs & doctis concedant sententiæ dicendæ libertatem, regnum, & opes, venire in discrimen. Tentauit igitur Imperator alias vias dissidia componendi, qua in re laudanda est eius moderatio, & quòd ciuilia bella prohibet, & quòd deliberationes eruditorum de doctrina instituit, quæ, etsi initia difficilia sunt, tamen aditum faciunt ad emendationem Ecclesiarum. Itaque gratiam ei propter hanc moderationem debemus, & Deus orandus est, vt eius voluntatem gubernet. Cæterum quibus consilijs institutæ sint disputationes Ratisbonenses, quis sit autor libri qui propositus est, vt viam monstraret ad concordiam, ego non planè scio. Voluntatem etiam existimo aliquorum non esse vituperandam. Et hoc nomine laudandus est Imperator ipse, quod ita librum exhibuit, vt iusserit collocutores delectos candidè & liberè de singulis locis sententias suas dicere. Quare nos de locis aliquot disputauimus, vt ex articulis nostris, & alijs quæ hic adiecta sunt, intelligi poterit. Nec verò ignoro hæc tempora, cum vagantur in vicinia Turcici exercitus, qui Germaniæ vastitatem & exitium minantur, flagitare domesticam concordiam, & hanc toto pectore opto, sed profecto magna est impietas, obliuiscì homines tot seculorum delicta, obliuiscì priuatas cupiditates, & veros odiorum fontes, qui merentur pœnas, & accusare Euangelium, accusare Deum, qui ne funditus periret Ecclesia, pro sua immensa clementia rursus accendit doctrinam salutarem, quam constat penè extinctam fuisse. De hoc tanto munere ingrati homines vno conqueruntur. Hoc iubent nos abijcere, vt patria defendi possit. Multas Ecclesia ingentes ærumnas perfert. Sed nihil tristius ac acerbius est hac venenata calumnia, qua deformant eam Epicurei sapientes, qui cœlestem doctrinam facem esse dissidiorum clamitant. De hac calumnia queritur in Psalmis ipsa Ecclesia inquiens: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Est autem facilis & perspicua refutatio. Nam error veritati cedere debebat. Sed in hac vita Ecclesia premitur tyrannicis iudicijs. Vitam, corpora, for-

tunas pro communi tranquillitate magno animo adducit in discrimen, sed abijcere veritatem non potest. Interea eadem vera Ecclesia præstat politica officia, tuetur ciues, ac socios, dimicat pro patria. Et quidem in hoc agone lucere fidem oportet, adeuntem ingentia pericula, propterea quod adesse Deum opitulatorem statuit. Excellit vera Ecclesia magnitudine animi, cum sola intelligat nos ad aliam longè meliorem vitam conditos esse, cùm sciat causas veras communium calamitatum, & didicerit, quàm sit pium & gloriosum reprimere diabolum grassantem in impijs, & tyrannicis Imperijs, denique cum in exercitu piorum ducem adesse Filium Dei norit, destruentem opera diaboli. Hæc animi magnitudo etiam in pijs mulieribus sæpe conspecta est. Et falso iactitant ignaui se esse Ecclesiæ membra. Deinde nouit Ecclesia politias diuinitus constitutas esse, & amat hunc ordinem, amat omnes coniunctos ciuilibus vinculis, didicit ex Euangelio, nos debere animas pro fratribus ponere, vt Iohannes scribit. His tantis causis impellitur, vt omnibus officijs iuuare ciues & socios cupiat. Non igitur accusari potest Ecclesia, non cœlestis doctrina. Alia sunt quæ principes disiungunt, quorum certamina vtinam aliquis Nestor dirimeret. Est id quidem fatale malum regnorum, vt poëta dicit.

Nam cætera regna.
Luxuries vicijs odijsq; superbia vertit.

Sed si quis putat sanari hoc malum fucosis conciliationibus dogmatum, longè fallitur. Qualia autem sint inuolucra passim sparsa in librum, prudens lector facile agnoscet. Neq; tamen impedio, si quem delectant hæc Vlyssea artificia, quo minus fruatur. Placere mihi moderatas sententias testantur mea scripta, & meæ actiones, ac soleo sæpe iocans dicere, me sequi Aristotelis philosophiam, qui virtutibus omnibus hanc metam constituit, videlicet μετριότητα. Sed idem Aristoteles graui consilio discernit à mediocritate, seu moderatione, εἰρωνείαν quam quidem inter vicia recenset. Et sæpe captiosa est ironia, ac vt Aristophanes dicit, σαίνει δ' ακνους ὥσπερ κύων λαΐδαργος. Res testatur ipsa, hoc genus doctrinæ quod profitemur, non humana sagacitate patefactum esse, sed diuinitus iterum Ecclesiæ illuxisse, Deinde constat, in eo propagando pios non leuia certamina sustinuisse. Quæ autem esset ingratitudo, nunc extinguere lucem diuinitus accensam, & confirmare eorum pertinaciam qui crudelitatem in doctores exercuerunt. Retineamus Dei donum, & ea quæ sunt vera & Ecclesiæ necessaria, moderatè, sed tamen ingenuè, propriè & perspicuè dicamus. Plerumq; perspicuitas orationis est signum rectæ & honestæ voluntatis, iuxta illud Euripideum, ἑδὼ γὰρ τὸ σαφὲς. Et profecto in Ecclesijs opus est proprietate & perspicuitate in dicendo, quam qui amant, fugient dicta flexiloqua, qualia multa sunt in hoc libro. Et admixti sunt aliquot loci apertè pugnantes cum sententia nostrarum Ecclesiarum. Ideo adiectæ sunt responsiones nostræ, in conuentu exhibitæ, quæ verecundè & moderatè scriptæ sunt. Nos cum nostro munere in explicatione doctrinæ, bona conscientia functi sumus, exitus Deo commendemus, qui Ecclesiam cùm aduersus Turcicam crudelitatem defendet, tum seruabit in alijs tempestatibus. Haud dubiè miranda Dei opera sunt, conseruatio Ecclesiæ, & defensio politiarum. Ideo ab ipso hæc & petamus & expectemus. Vt Antiochum exigua auxilia, vt ait Daniel, depulerunt, ita aliquando Deus liberabit orbem à Turcica tyrannide mirabili modo.

DE

I.

DE CONDITIONE HOMINIS, ET ANTE LAPSVM NATVRAE INTEGRITATE.

DEVS hominem ad imaginem & similitudinem suam condidit, Genesis primo. Non in corpore quidem, quanquam & illud dedit mirificè ornatum, & diuinis usibus appositum, sed in mente, quam intellectus & uoluntatis uiribus præditam, secundum seipsum uirtute uestiuit, id est, arbitrij libertate, sapientiæ luce, & innocentiæ pulcritudine quadam, ac participatione suæ diuinitatis gratuita, mirificè decorauit, Ecclesiastici 17. & Eccle. 7. ut esset in laudem gloriæ ipsius, Ephe. 1.

In hac imaginis & similitudinis integritate constitutus homo, in intellectu ueram ac uiuam Dei sui archetypi noticiam, & rectum de rebus iudicium, in uoluntate uero ardentem erga Deum amorem & obedientiam, quæ in eo tamen sensim crescere debebant, possidebat, Eccle. 17. Psalm. 8. Gene. 2.

II.

DE LIBERO ARBITRIO.

ET quoniam Deus homini arbitrij libertatem indidit, adiecit quoque mandatum, relinquens illum in manu consilij sui, ut si uellet, posset per acceptam & assistentem gratiam, & uim Spiritus sancti mandatum seruare, & imaginem in qua conditus erat, incontaminatam custodire, sin nollet, gloriam & honorem suum, uoluntaria corruptione amittere, & uitam æternam morte commutare, Eccles. 15.

Hæc arbitrij libertas, quæ erat in omnibus nobis, si non cecidisset Adam, futura, nunc aliter se habet in lapso post peccatum, ante reparationem, aliter post reparationem, aliter denique post glorificationem.

De libertate ante lapsum scriptum est, Ante hominem uita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi, quem nihil in natura sua impediebat, ut faceret bene, nihil impellebat, ut faceret malè, Eccle. 15.

Verùm huiusmodi concreata libertas faciendi boni, & continendi se à malo, per hominis lapsum est amissa, sola libertate à coactione retenta, quæ tàm est in malis, quàm in bonis. De qua dictum est, Quoties uolui congregare filios tuos, & noluisti, Matth. 23. Inefficax quidem ad incoandam & efficiendam iusticiam ueram, & opera coram Deo bona, sicut scriptum est, Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, 1. Corinth. 2. & iterum, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, Legi enim Dei non est subiecta, ac ne potest quidem subijci, Roma. 8. Valens tantum ad efficienda opera externa & uitæ præsentis, tam bona quàm mala. Nam quod non ex fide fit, peccatum est, Rom. 14. Vnde Augustinus in præfatione Psalm. 33. Neque bona opera, inquit, appellauerim, quæ non de radice bona procedunt.

De libertate uerò post reparationem Christus dixit, Si filius uos liberauerit, ueri liberi eritis, Iohan. 8. & Apostolus Rom. 8. Lex enim spiritus uitæ, liberum reddidit me à Lege peccati & mortis. Hæc nobis per filium opificio

Spiritus ſancti reſtituitur & conſeruatur, iuxta illud Chriſti: Sine me nihil poteſtis facere. Iohan. 15. & illud Pauli, Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, quo à ſeruitute peccati liberamur, & ſerui iuſticiæ efficimur, quemadmodum dixit Apoſtolus, Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſticiæ, uocata propterea libertas à peccato.

Denique de libertate poſt glorificationem, quæ eſt libertas ab omni errore iudicij, & praua concupiſcentia, ait Apoſtolus. Quod Deum tunc uidebimus, ſicuti eſt, & ei perfectè adhærebimus. Imò Deus erit omnia in omnibus.

Et quia per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, uerè liberi efficimur, ut iam in eo omnia poſsimus qui nos confortat, Philip. 4. idcirco hæc libertas in concionibus ad populum magnis encomijs celebranda eſt, ut intelligat, quid in Chriſto ſit adeptus, & quod ad gratiam, quæ eſt in Chriſto Ieſu, attinet, poſſit nunc ſe continere à peccato, § obedire Deo, & facere eius mandata, & quòd hunc adiuuante Spiritu ſummo ſtudio contendere debeat, quemadmodum facit Apoſtolus. Peccatum, inquit, uobis non dominabitur. Non enim ſub lege eſtis ſed ſub gratia, Gratia autem Dei uita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro, Roma. 6. Et 2. Corinth. 6. Adiuuantes inquit adhortamur, ne in uacuum gratiam Dei receperitis, Sic enim gloria Chriſti & abundantia ac uis gratiæ & doni iuſticiæ, quod per eum recipimus Roma. 5. commendantur. Etſi interim etiam diligenter inculcandum ſit, tantum adhuc in nobis ad bonum infirmitatem, & ad malum inclinationem remanere, quæ illam uim ſpiritus Dei remoretur, & prauas cupiditates gignat, impellatq; ad ea facienda, quæ nõ uolumus, Galat. 5. Quo fit ut nemo in hac uita ſit ſine peccato, 1. Iohan. 1. Quò magis à Chriſto pendendum eſt, & cum timore & tremore in hac uita uerſandum, atq; ſtudendum eſt, ne unquam deſimus gratiæ Dei, Ebræ. 12. neúe contriſtemus Spiritum ſanctum, quo ſignati ſumus in diem redemtionis, Ephe. 4.

§ *Mallent protestantes sic: Possit nunc resistere peccato, & præstare incoatã obedientiam.*

III.
DE CAVSA PECCATI.

CAuſam peccati conſtat eſſe malam uoluntatem Diaboli & hominis, ſe à Deo auertentem, quæ malicia uoluntatis non à Deo, ſed ex Diabolo & nobis eſt, ſicut Chriſtus ait, Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.

Inuidia itaque Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Sapientiæ 2. & per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, Roma. 2. Quod factum eſt, cùm Adam aſtu Diaboli circumuentus, fidem uiuam & amorem Dei perdidit, & horum loco ſui fiduciam & amorem imbibit, Gene. 3.

IIII.
DE ORIGINALI PECCATO.

PEccatum igitur Originale dicimus eſſe carentiam ſeu defectum originalis iuſticiæ debitæ ineſſe, Originalem uerò iuſticiam intelligimus eſſe in gratia Dei, & imaginem illam & ſimilitudinem Dei habere, ad quam conditi ſumus, & quę Spiritum ſanctum & ex hoc Dei noticiam & amorem complectitur, cuius defectus ſunt, deſtitui gratia & ſpiritu Dei, ſeu ut Paulinis uerbis utamur, incredulitas & inobedientia, Rom. 3. Galat. 3. & Rom. 5. Concupiſcentiam uerò intelligimus eſſe corruptionem & inordinatam diſpoſitionem uirium humanarum,

manarum, seu uitiosam inclinationem in malum, quæ & ob id Lex membrorum, Lex peccati, & peccatum quoque appellatur Roma. 7. Cauendum igitur, ne regnet peccatum in mortali corpore nostro Rom. 6.

Ad rationem itaque peccati Originalis, utrumque simul & coniunctim requirimus, utputa, & defectum Originalis iusticiæ debitæ inesse, & concupiscentiam seu uitiosum habitum, qui iunctus huic carentiæ non potest non prodire in omne genus peccati actualis, in non renatis, in quibus Diabolus efficax est, Ephes. 2.

Disertè autem discernimus peccatum originale ab actuali, sic ut originale dicamus consistere in uera carentia iusticiæ originalis, habente coniunctum uiciosum habitum inclinantem ad peccatum. Verùm quidquid est præter illam carentiam & habitum uiciosum in nobis peccati, quod in actum aliquem erumpit, siue id fiat cogitatione, siue locutione, siue externo opere, siue actus operis ue debiti omissione, actuale uocamus.

Peccatum ergo originale secundum suam propriam rationem acceptum, prout distinguitur radix à fructibus, per Adam in omnem posteritatem pertransijt, & in mortem regnauit Roma. 5. Fitq; nobis omnibus nascentibus sola propagatione proprium, sicut dicit Apostolus Rom. 9. cum nondum nati fuissent aut aliquid malè egissent. Item, Roma. 5. Regnauit mors ab Adam etiam in eos qui non peccauerunt. Et tamen uerum est, quòd hæc nuda carentia iusticiæ debitæ, habens annexum uiciosum habitum, res est seu peccatum dignum morte, quia Deus in homine hoc peccato oppresso, non uidet imaginem suam, aut sui noticiam seu amorem, & proinde nascimur omnes natura filij iræ, Ephe. 2. Adeo ut ne infantes quidem, qui nec dum renati decedunt, ab hac damnatione, quæ in carentia diuinæ uisionis & lucis constituta est, sint immunes.

Tametsi enim in nobis nascentibus adhuc uestigium quoddam imaginis Dei reliquum sit, quod lumen naturæ appellamus, quo etiam in qualemcunq; Dei noticiam assurgimus, Quia tamen hoc uestigium admodum exile est, ad contaminationis grauitatem, fit ut Deus idipsum non agnoscat, quod ad faciendam spiritualem & ueram iusticiam omnino sit inefficax, etsi ad condemnandos iusticiæ Dei non subiectos sufficiat, Roma. 1.

Dissoluitur autem hoc originale peccatum per lauacrum regenerationis & renouationis in uerbo uitæ, per meritum Christi, Ephes. 5. Nam Baptismo reatus mali huius per meritum passionis Christi dissoluitur, & gratia Dei restituitur, tum etiam concupiscentiæ uis reprimitur, donato spiritu Christi, qui nouos & sanctos in homine motus excitat, Sicut docet Apostolus, Rom. 5. Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius iusticiam propagatur donum in omnes homines in iustificationem uitæ, Et quemadmodum per inobedientiam unius, peccatores multi constituti sumus, Sic per unius obedientiam multi iusti constituentur. Rursus cap. 6. Consepulti sumus ipsi per Baptisma in mortem, ut quemadmodum Christus est excitatus à mortuis per gloriam patris, sic & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Proinde etsi post Baptismum in renatis remaneat materiale peccati & radix omnis amaritudinis, formale tamen quod reatus est, aufertur. Nam eo per Baptismum soluti in Christo induti sumus, atq; ad imaginem filij Dei saltem incoatam reformati, Sicut dicit Apostolus, Qui tradidit semetipsum pro Ec-

clesia,ut eam sanctificaret mundatam per lauacrum in uerbo. Et,quicunque in Christo baptisati estis, Christum induistis. Idcirco propter meritum passionis Christi, & Christum ipsum habitantem in sanctis, reliquum huius mali non computabitur in peccatum. Neque est peccatum, quod eos ullo reatu, qui propter Christum sublatus est,obstringat, donec in aliquem actum,uel cogitationem,uel concupiscentiam erumpit,uel in actus debiti omissionem,iuxta illud: Nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis, Rom. 8.

Vnde Augustinus rectè utitur his loquendi formulis, Reatus iste nascendo contractus,renascendo dissoluitur,libro de Spiritu & litera. Item contra Iulianum libro 2. Lex ista, inquit, peccati,quæ in membris est corporis mortis huius, & remissa est generatione spirituali,& manet in carne mortali.Remissa, quia reatus solutus est Sacramento,quo renascuntur fideles.Manet autem,quia operatur desideria,contra quæ dimicant & fideles. Item,omni reatu caret Baptizatus,Rursus, omni reatu omnium malorum caret baptizatus. Præterea ad Bonifacium scribens,Baptisma inquit, omnem dat indulgentiam peccatorum, & aufert crimina,non radit. Et in hanc sententiam alia plurima sanctus ille Episcopus scripsit.

Itaq; docendum est cum Augustino diligenter, legem illam peccati & relictam in sanctis concupiscentiam,si ex se nullum fructum malum edit,non esse peccatum, quod adhuc eos reatu aliquo teneat. Omnis enim reatus eius per Christum sublatus est.

Cæterum eodem Augustino autore agnoscendum quoq; & docendū est, quod Apostolo malum hoc uocetur peccatum. Neq; id solum quia peccato inuectum sit, sed etiam quia ad peccatum inclinat, & ei inest inobedientia contra dominatum mentis. Nam idem uir Dei libro 5. cap. 3. contra Iulianum sic scribit, Concupiscentia carnis,aduersus quam bonus concupiscit spiritus,& peccatum est,quia illi inest inobedientia contra dominatum mentis,& pœna peccati est,quia reddita est meritis inobedientis,& causa peccati est, defectione consentientis,uel contagione nascentis.

Et aduersus eundem Iulianum libro 2. Quamuis inquit, iam non eodem modo appelletur peccatum,quod facit reum,sed quod sit reatu primi hominis factum,& quod rebellando nos trahere nititur ad reatum,nisi adiuuet nos gratia Dei per Iesum Dominum nostrum, ne sic etiam mortuum peccatum rebellet,ut uiuendo reuiuiscat & regnet.

Statim uerò ubi in aliquem uitiosum actum, quales sunt contemnere seu odisse iudicium Dei, & eius promissis diffidere, fremere aduersus Deum,& similes etiam longè minores motus,quibus qualiscunq; accedit aut delectatio,aut assensus, aut tolerantia,erumpit seu ebullit,fit in nobis actuale peccatum,quod indiget noua remissione,seu non imputatione. Et quia tanta est nostra infirmitas,& tàm fœcunda illa radix amaritudinis, quæ in nobis supereſt, ut non succumbamus subinde concupiscentiæ, quin radix illa amaritudinis amaros fructus, hoc est, neglectum Dei & peruersas adpetitiones proferat: Ideo necesse est, ut omnes sancti, quamdiu sunt in hac uita, dicere opus habeant. Dimitte nobis debita nostra, & item, si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. Differt itaq; cōcupiscentia quæ est in non renatis,à cōcupiscentia, quę est adhuc in re-

in renatis,quod illa coniunctum habeat reatum mortis æternæ, Ab hac autem renatorum cõcupiſcentia hic reatus per Chriſtum ſublatus eſt, Sicut illa poſt ſe uiolenter corripit impium,contra hanc dimicant fideles,eamq; mortificant,Illa autem reprobis illis ſic eſt materia ruinæ, ſicut hæc eſt nobis exercitium humilitatis & fidei. Quoniam igitur reatus ablatus eſt,concupiſcentia ſupereſt, quæ contra ſpiritum perpetuò exurgit.Ideo in cõcionibus ad populum utrunq; hoc populo diligenter exponendum eſt. Primùm,ut beneficium gratiæ Chriſti recognoſcant ac prædicent, in eo quod hoc malum Deus non imputat. Deinde ut agnita probeq; conſiderata tanta infirmitate, quæ ſupereſt, ſe totos ſanandos Chriſto medico,indies plenius permittant & offerant. Cumq; ne illicita deſideria in ſe exiſtant, uelle quidem debeant, etſi dum ſunt in corpore mortis huius non obtineant, in iugi pœnitentia & precatione ueniæ perſeuerent. Poſtremò, ut cogitent cum quanto & quali hoſte domeſtico ſibi ſit pugnandum,ut ſtudioſius opem ſpiritus Domini ſemper implorent,& uigilandum inſtandumq; ſibi ſciant, ut carnem ſuam cum uicijs & concupiſcentijs ſuis crucifigant & mortificent.

Contra uerò non minore ſtudio uis gratiæ in Baptiſmo acceptæ,magnificè celebranda,atq; adeo docendum eſt, eam eſſe maiorem, modo fide exerceatur,quàm eſt reſidua hæc noſtra infirmitas,quòd ea infirmitas & uicioſitas crucifigi & mortificari poſſit,uſq; ad plenã uictoriam in futuro ſeculo, Iuxta illud, Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati,& de peccato condemnauit peccatum in carne, ut iuſticia legis adimpleretur in nobis. Item,fratres, non ſimus debitores carni,ut ſecundum carnem uiuamus. Item, quicunque ſpiritu Dei aguntur,hi ſunt filij Dei,Rom.8.

V.

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS.

NVlli Chriſtiano dubitandum eſt,poſt lapſum primi parentis omnes homines, ut inquit Apoſtolus,naſci filios iræ & inimicos Dei, eoq; eſſe in morte & ſeruitute peccati.

Item,nulli Chriſtiano ambigendum eſt, nullum hominem poſſe Deo reconciliari,itemq; liberari à ſeruitute peccati, niſi per Chriſtum unum mediatorem Dei & hominum,per cuius gratiam,ut inquit Apoſtolus ad Romanos,nõ tantum reconciliamur Deo, & liberamur à ſeruitute peccati, ſed etiam efficimur conſortes diuinæ naturę & filij Dei.Item perſpicuum eſt,quod adulti non conſequuntur hæc beneficia Chriſti,niſi præueniente motu ſpiritus ſancti, quo eorum mens & uoluntas mouetur ad deteſtationem peccati. Nam impoſsibile eſt,ut inquit Auguſtinus, nouam uitam inchoare, niſi prioris nos pœniteat. Item Lucæ ultimo Chriſtus iubet prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſsionem peccatorum, Iohannes etiam Baptiſta miſſus ad parandas uias Domini,prædicauit pœnitentiam, inquiens, Pœnitentiam agite, adpropinquat enim regnum cœlorum, Deinde à Spiritu ſancto mouetur hominis mens in Deum per Chriſtum, & hic motus eſt per fidem,per quam hominis mens, certò credens omnibus quæ tradita ſunt à Deo etiam certiſsimè, & ſine dubio aſſentitur promiſsionibus nobis exhibitis à Deo, qui, ut dicitur in Pſalmo, fidelis eſt in omnibus uerbis ſuis, Et ex eo fiduciam capit, propter promiſsionem Dei, qua policitus eſt ſe remiſſurum peccata gratis, & adoptaturum in filios credentes in Chriſtum, eos inquam, quos prioris uitæ pœnitu-

erit,& hac fide erigitur in Deum à Spiritu ſancto, Ideoq; accipit Spiritum ſanctum,remiſsionem peccatorum,imputationem iuſticiæ,& innumera alia bona.

Firma itaque eſt & ſana doctrina,per fidem uiuam & efficacem iuſtificari peccatorem.Nam per illam Deo grati & accepti ſumus,propter Chriſtum. Vocamus autem fidem uiuam, motum Spiritus ſancti, quo uerè pœnitentes uetęris uitæ,eriguntur ad Deum, & uerè apprehendunt miſericordiam in Chriſto promiſſam, ut iam uerè ſentiant, quòd remiſsionem peccatorum & reconciliationem propter meritum Chriſti,gratuita Dei bonitate acceperunt,& clamant ad Deum,Abba Pater,id quod tamen nulli obtingit, niſi etiam ſimul infundatur charitas ſanans uoluntatē, ut uoluntas ſanata,quemadmodum D. Auguſtinus ait,incipiat implere Legem. Fides ergo uiua ea eſt, quæ apprehendit miſericordiam in Chriſto,ac credit Iuſticiam,quę eſt in Chriſto,ſibi gratis imputari,& quæ ſimul pollicitationem Spiritus ſancti & charitatem accipit. Ita quòd fides quidem iuſtificans,eſt illa fides quæ eſt efficax per charitatem.Sed interim hoc uerum eſt,quòd hac fide eatenus iuſtificamur,id eſt,acceptamur & reconciliamur Deo,quatenus apprehendit miſericordiam,& iuſticiam quæ nobis imputatur propter Chriſtum & eius meritum, non propter dignitatem ſeu perfectionem iuſticiæ,nobis in Chriſto communicatæ.

Etſi autem is qui iuſtificatur iuſticiam accipit & habet per Chriſtum,etiam inhærentem, ſicut dicit Apoſtolus,Abluti eſtis,ſanctificati eſtis, Iuſtificati eſtis &c. quare ſancti patres iuſtificari etiam pro eo,quod eſt inhærentem iuſticiam accipere,uſurparunt: Tamen anima fidelis huic non innititur, ſed ſoli iuſticiæ Chriſti nobis donatæ,ſine qua omnino nulla eſt nec eſſe poteſt iuſticia. Et ſic fide inChriſtum iuſtificamur,ſeu reputamur iuſti,id eſt,accepti,per ipſius merita, non propter noſtram dignitatem aut opera. Et propter inhærentem iuſticiam eò iuſti dicimur,quia quæ iuſta ſunt, operamur,iuxta illud Iohannis: Qui facit iuſticiam iuſtus eſt.

Et quanquam in renatis ſemper creſcere debent timor Dei, patientia & humilitas,& aliæ uirtutes,cum renouatio ſit imperfecta,& hæreat in eis ingens infirmitas, tamen docendum eſt, ut qui uerè pœnitent ſemper fide certiſsima ſtatuant,ſe propter mediatorem Chriſtum Deo placere,quia Chriſtus eſt propiciator,Pontifex & interpellator pro nobis, quem pater donauit nobis, & omnia bona cum illo.

Quoniam autem perfecta certitudo in hac imbecillitate non eſt, ſuntq; multæ infirmæ & pauidæ conſcientiæ,quę cum graui ſæpè dubitatione luctantur,nemo eſt à gratia Chriſti propter eiuſmodi infirmitatem excludendus, Sed conuenit tales diligenter adhortari, ut ijs dubitationibus promiſsiones Chriſti fortiter opponant & augeri ſibi fidem ſedulis precibus orent, iuxta illud, Adauge nobis Domine fidem.

Item Chriſtiano cuiq; debet eſſe compertum, non in hoc datam eſſe nobis hanc gratiam & hanc regenerationem, ut in eo gradu innouationis noſtræ, quem primum nacti ſumus ocioſi,conſiſtamus, ſed creſcamus in ipſum per omnia,qui eſt caput. Ideoq; docendus eſt populus,ut det operam huic augmẽto, quod quidem fit per bona opera,& interna & externa,ā Deo mandata & commendata,quibus Deus promiſit propter Chriſtum in pluribus locis Euangelij clarè & manifeſtè mercedem, bona tam corporis quàm ſpiritus, in hac uita, prout diuinæ prouidentiæ uiſum fuerit, & poſt hanc uitam in cœlis.

Ideoq;

Ideoque quamuis hæreditas uitæ æternæ propter promissionem debeatur renatis, etiam cum primum in Christo renati sunt, nihilominus reddit Deus etiam bonis operibus mercedem, non secundum substantiam operum, neque secundum quod sunt à nobis, sed quatenus in fide fiunt, & sunt à Spiritu sancto, qui habitat in nobis concurrente libero arbitrio, tanquam partiali agente.

Et amplior & maior felicitas erit eorum, qui maiora & plura opera fecerunt, propter augmentū fidei et charitatis, in qua creuerūt huiusmodi exercitijs.

Qui autem dicunt sola fide iustificamur, simul tradere debent doctrinam de pœnitentia, de timore Dei, de iudicio Dei, de bonis operibus, ut tota summa prædicationis constet, sicut Christus inquit, prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo, Idq; ne hæc loquendi formula aliter quàm prædictum est intelligatur.

VI.

DE ECCLESIA, ET ILLIVS *signis ac autoritate.*

ECclesia est cœtus seu congregatio hominum omnium locorum & temporum, qui uocati sunt in communionem professionis unius eiusdemq; fidei, doctrinæ ac sacramentorum, secundum catholicam, orthodoxam & Apostolicam doctrinam.

In hoc cœtu quicunq; in unitate ueræ ac uiuæ fidei per caritatem efficacis, sub uno capite Christi, & subministratione Spiritus sancti cohærent, & eisdem sacramentis spiritualiter communicant, hi soli eam Ecclesiam constituunt, quæ à Paulo templum sanctum & domus Dei, corpus Christi, 1. Corinth. 6. Ephe. 2. & 4. Timo. 3. & à Iohanne ciuitas sancta Ierusalem descendens è cœlis, constructè uiuis lapidibus, Apocal. 22. dicitur: hic est populus Dei sanctus, emundatus ab omni iniquitate, acceptabilis Deo, sectator bonorum operum, ad Tit. 2. Qui allegoricè hortus cōclusus, signatus fons, puteus aquæ uiuę, paradisus cum fructu pomorum, in scripturis præsignatus est. Hæc est illa Ecclesia electorum Dei, occulta nobis, cognita uerò soli Deo, sicut scriptum est, cognouit Deus qui sunt eius, 2. Timo. 2. In qua in præsentia sunt, quicunq; fidei & charitatis spiritum non amittunt, Heb. 3. Etsi non pariter omnes eandem spiritus perfectionem participent, Rom. 12. 14. 15. Ephe. 4. In qua etiam ij censentur, etsi non in præsentia, prædestinatione tamen Dei, quos ille conuertendos nouit, etsi nobis foris esse uideantur, quemadmodum D. Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib. 5. cap. 27. docet.

Deinde sunt in hoc cœtu, quod ad externam societatem attinet, etiam mali æterno supplicio destinati, quamdiu uiuis membris, si non spiritualiter, corporaliter tamen, hoc est, externis fidei signaculis & uisibilibus pietatis sacramentis, ueluti palea frumento, coniuncti sunt, Matth. 3. & 13. formam quidem pietatis habentes, sed uirtutem eius abnegantes. 1. Timoth. 3. Qui ab Apostolo donec separentur seu abscindantur à corpore, intus esse dicuntur, 1. Corinth. 5. Tollite malum è uobis &c.

Hic ergo cœtus unius scilicet professionis & signorum, habens, dum hic uiuitur, multos malos & Hypocritas admixtos, est, ceu magna domus, in qua non solùm sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, 2. Timoth. 2. Inuisibilis quidem secundum eam partem, quæ spiritu Dei uegetata, in uitam æternam prædestinata

destinata est, uisibilis autem secundum externam illam professionem, & communionem per totum terrarum orbem diffusa, incipiens ab Ierusalem, & inde per Apostolos propagata in omnes gentes Luc.24. Act.1. Rom.10.

Et ut mali & peccatores non sint uiua membra Ecclesiæ, nec de Ecclesia electorum Dei, quæ sancta & communio sanctorum uocatur, nihilominus tamen Christus docuit nos, non alibi hanc Ecclesiam sanctorum quærere, quàm in illa congregatione magna, in qua est hæc ueræ fidei, religionis & sacramentorum professio, & administratio, in qua quisquis permanserit, communione omnium bonorum quorumcunque piorum, qui ab initio mundi fuerunt, fruitur, non præiudicantibus peccatis alienis, quod communio sacramentorum cum malis non maculet aliquem, sed consensus factorum. Quisquis uerò ab hac Ecclesia se separauerit, hoc solo scelere, quod à Christi unitate seiunctus est, non habebit uitam æternam, sed ira Dei manet super eum.

Et ne quis uacillaret, addidit Christus certissima signa, quibus hæc magna domus, quæ est Ecclesia Dei, nobis cognoscibilis sit, quæ sunt sana doctrina, rectus sacramentorum usus, & uinculum unionis & pacis. Ephe.4. Roma.12.

Duæ priores notæ separant ab Ecclesia tum Ethnicos seu paganos, tum hæreticos, 1. Corinth.5. 1. Iohan.1. 1. Timoth.1. & 2. Timoth.2. & 3. ad Titum 3. Tertia nota separat schismaticos & ritè excommunicatos 1. Corinth.5. & 11.

Ad hæc quarta Ecclesiæ nota est, quòd catholica sit & uniuersalis, hoc est, per omnia loca & tempora diffusa & propagata usque in fines terræ.

VII.

DE NOTA VERBI.

HAs notas dum in hac magna domo superesse uidemus, non moratur, quòd multi interim in ea sint mali, atque etiam præsideant ac dominentur, quò minus credamus, non alibi usquam, quàm hîc, ubi scilicet uiget sana doctrina, uerus usus Sacramentorum, & uinculum charitatis, ueram Ecclesiam piorum esse requirendam. Hæc enim [a] magna domus promissionem habet infallibilis præsentiæ Dei, & Spiritus sancti, quæ ob permixtos malos ab ea non auferetur, sicut scriptum est: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth.28. Item, Non relinquam uos orphanos, Iohan. 14. Quid enim, si exciderunt à fide quidam illorum, nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? absit, Est enim Deus uerax, omnis autem homo mendax. Rom.3.

[a] *Protestantes uellent omitti uerbum, magna.*

Nouit enim Deus hanc magnam domum mirabili consilio conseruare, non in quibuslibet, sed ijs tantùm, qui ueræ pietatis cultores, Ecclesiæ unitatem, ob permixtam malorum multitudinem non deserunt, qui & apud Esaiam reliquiæ dicuntur, in quibus promissiones conseruantur & adimplentur. Nisi, inquit, Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes essemus, Esaiæ 1. Et rursus, Si fuerit numerus filiorum Israël, tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Esai.10. Rom.9. Et Apostolus inquit, An nescitis in Elia quid dicit scriptura? quemadmodum interpellat Deum aduersus Israël. Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam, Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia uirorum, qui non curuauerunt genua

genua ſua ante Baal. Roma. 10. 3. Regum 19. Has reliquias Chriſtus oues ſuas appellat, quæ uocem eius audiunt & ſequuntur, in hoc à Deo peculiariter deſtinatæ, non ut extra magnam hanc domum priuata conſenſione ſe colligant, ſed ut in his magna illa domus conſeruetur, fulciatur & ſuſtentetur, ne planè ac funditus pereat. Ipſæ enim ſunt domus illa fundata ſuper Petram, in quam ſi irruant omnia aduerſa, nihilominus firma, ſtabilis et immobilis perſiſtit Matt. 7.

Et ut hæc magna domus non ſemper æquè floreat multitudine piorum, nec ſit in ea ſemper eadem uerbi perſpicuitas, propterea tamen ambigendum non eſt, quominus in ea conſeruetur illa uera Eccleſia, quæ ſola habet unctionem ſpiritus, docentem nos de omnibus, Conſeruatur autem, dum retinetur doctrinæ unitas, in iſs ſaltem, quæ ad pietatem & ſalutem ſunt neceſſaria, Fuerunt enim, ſunt & erunt ſemper in hac magna domo, qui hanc doctrinam in fide, ſpe, & charitate conſiſtentem, illabefactatam tueantur.

VIII.

DE POENITENTIA
poſt lapſum.

IN hac ſola catholica Eccleſia eſt remiſsio peccatorum, quæ non ſolum in Baptiſmate, ſed etiam poſt baptiſma confertur pœnitentibus, Nec tantum eſt in Eccleſia remiſsio peccatornm leuiorum, quæ iugi ſanctificatione noſtri repurgantur, uerùm etiam grauiorum, de quibus dixit Apoſtolus. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt, & iterum, 2. Corinth. 12. Timeo ne iterum cum uenero ad uos, humiliet me Deus apud uos, & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, ſuper immundicia & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.

Hanc remiſsionem peccatorum poſt lapſum negantes Nouatiani, qui & Cathari, rectè damnati ſunt, quod ſcriptura & uerbo & exemplo teſtetur, conuerſioni locum eſſe poſt lapſum. Ezechiel. 31. Matth. 8. Lucæ 15. Galat. 6. Apoc. 2. Acto. 8. 4. Reg. 2. 1. Tim. 1. Corinth. 2. Solum enim incredulitatis ſeu finalis inpœnitentiæ, ac blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, & deſperationis peccatum remiſsionem non habet, neque hic neque in futuro ſeculo, Matth. 12. De quo intelligi poteſt, quod ſcribit Apoſtolus ad Ebræ. cap. 6. Impoſsibile eſſe eos qui ſemel ſunt illuminati, & guſtauerunt donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaueruntq; nihilominus bonum Dei uerbum, uirtutéſque uenturi ſeculi, & prolapſi ſunt rurſus, renouari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibi filium Dei, & oſtentui habentes. Et iterum capite 10. Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam noticiam ueritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſed terribilis expectatio iudicij. Significat enim Apoſtolus, eos qui poſt acceptam noticiam Euangelij rurſus ſibi filium Dei crucifigunt & oſtentui habent, ac uoluntariè peccare non deſinunt, non habere aliam pro peccatis hoſtiam, ſeu aliam per pœnitentiam renouationem. Quale uidere eſt in Iuda proditore, qui tradens & reijciens Chriſtum non inuenit pœnitentiæ locum, tametſi pœnitentia commiſſi ſceleris ductus ſucclamaret, peccaui tradens ſanguinem iuſtum, Matthæi 27. Non enim reſpexit in redemtorem, quem prodendo repulit. Quale etiam de Eſau refert, & cæteris omnibus qui excuſauerunt ſe, ne eis fieret uerbum, & recuſauerunt loquentem. Hebræ. 12.

Quod

Quod qui non credit in Christum iam iudicatus sit, quia non credidit in nomine filij Dei, Iohan. 3. qui & subdit eum, qui incredulus est filio, non uisurum uitam, sed mortem super eum mansuram. Atq; hoc est peccatum illud ad mortem, de quo in epistola prima Iohannis cap. 6.

Alioqui testatur in Hebræis Apostolus, excepto hoc incredulitatis & obdurationis finalis immani crimine, nullum esse peccatum, ne blasphemiæ quidem, præter quàm in Spiritum sanctum, quod in Ecclesia non remittatur, modo per fidem ad Christum redeamus, in hac hostia & alia nulla, peccata expiari credamus. Sic enim ait cap. 3. Videte fratres, nequando sit in aliquo uestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo uiuo, sed adhortamini uosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obturetur quis ex uobis fallacia peccati, Nam, ut subijcit, participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius usque ad finem firmum retineamus. Non enim uniuersi qui profecti ab Aegypto peccauerunt, sed qui audientes exacerbauerunt corda, obturauerunt & increduli fuerunt, ij soli non potuerunt introire propter incredulitatem.

Quamuis quoq; pia est sanctorum patrum expositio, qui locos illos Pauli interpretantur de alia renouatione per baptismum, quam Ecclesia, in qua unus tantum Baptismus est, non agnoscit.

Constat autem conuersionis post lapsum ratio, ut supra de iustificatione dictum est, mortificatione & uiuificatione, Verûm mortificatio hic non tantum contritionem, sed & confessionem & satisfactionem castigatoriam (de qua infra dicetur) postulat: Describitur enim pœnitentia post Baptismum ab Apostolo in hunc modum, ut sit dolor seu tristitia secundum Deum, in ijs qui peccauerunt, gignens in eis solicitudinem, indignationem, satisfactionem, timorem, desiderium, uindictam, 2. Corinth. 7.

Efficitur autem hęc mortificatio in nobis non tam ministerio legis Moisi, quam legis spiritus uitæ, dum hæc in Baptismo nobis insita, & peccato rursus obruta, per Euangelij uerbum in nobis resuscitatur cordibus nostris inclamãs. Memor esto unde cecideris & age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem, uenio tibi cito &c. Apocal. 7. Item, o insensati, quis uos fascinauit non obedire ueritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, & in uobis crucifixus. Et iterum irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus seu tribus testibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit &c.

Hæc uox spiritum nostrum præoccupatum peccato ad contritionem & inenarrabiles gemitus reuocat, qui in confessionem tandem erumpunt, & solicitudinem, indignationem, satisfactionem, timorem, desiderium, & uindictam pariunt & operantur, De quibus animi motibus dictum est in Dauid prophetа, Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humilitatem Deus non despicies.

Huic timori succurrit fides, quæ respicit in Christum, quem habemus apud patrem aduocatum, iustum, & qui est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi, 1. Iohan. 2. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper uiuens ad interpellandum pro nobis, quod maneat in æternum, sempiternum habens sacerdotium, Hebræ. 7.

Hac

Hac fide rursus innouatio Spiritus accipitur, & uiuificatio mortificationi coniungitur. Sic enim precatur Dauid, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, Asperges me domine Hysopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor, Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabant ossa humiliata, Spiritum rectum innoua in uisceribus meis, Redde mihi lætitiam salutaris tui &c. Et iterum, Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina, delictum meum cognitum tibi feci, & iniusticiam meam abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. De hac remissione per testimonium Spiritus, quemadmodum in iustificatione, certi reddimur, Sacramento pœnitentiæ, cuius uis in absolutione consistit, accedente, de quo postea dicendum erit, Hactenus de pœnitentia post lapsum, quæ in sola Ecclesia Christi agitur, & remissionem obtinet peccatorum.

XI.

DE AVTORITATE ECCLESIÆ IN DISCERNENDA & INTERPRETANDA SCRIPTURA.

ECCLESIAE ergo autoritas cognoscenda & requirenda est. Hæc uerò autoritas ut perspici possit, sciendum est Deum ut hanc Ecclesiam sibi compararet, principio usum esse ministerio uerbi uocalis, non scripti, quod quasi per manus tradi & communicari uoluit, In quem modum & Christus Apostolis suis mandauit, ut irent in mundum uniuersum, & prædicarent Euangelium omni creaturæ. Quo tamen uocali, & externo uerbo Deus non aliter utitur quàm instrumento, quo internum illum afflatum exhibet, quo solo aperiuntur corda.

Collocutores protestantium de hoc articulo suum exhibuerunt scriptum signatum litera. A.

Postea Dei beneficio addita est scriptura, tum ut humanæ imbecillitati, in obliuionem & errorem procliui, tum diaboli fraudibus, qui uerbum excutere nunquam non molitur, succurreretur.

Quia uerò, ut dictum est, Deus sciebat futurum esse, ut Diabolus uiuum illud uerbum, comparato in id omni astu, corrumpere satageret, & quòd homines in hoc subornaret, qui transfigurantes se in angelos lucis, tùm scripturas adulterinas, quibus diuinam & Apostolicam autoritatem arrogarent, sub ipsorum etiam Apostolorum nominibus ederent, tùm qui uerè Apostolicas, in suam ipsorum perditionem deprauarent, uinculum quoq; charitatis, quod in eis esset, iniquis discisionibus, rumperent, Iccirco Ecclesiæ suam autoritatem, eandemq; duplicem constare uoluit.

Principio apud Ecclesiam esse uoluit autoritatem iudicandi inter scripturas, & discernendi Canonicam à non Canonica, Quæ & suo tempore apud synagogam fuit, postea per Christum in Ecclesia confirmata, qua saluberrimus ille canon Ecclesiasticus constitutus est, qui sanctam scripturam Canonicam, tam ueteris quàm Noui testamenti, certis terminis, & certis Prophetarum & Apostolorum libris contineri diffiniunt, ac eminentiam istam Canonicam sacrarum literarum cæteris libris ademit, quæ per successionem Episcoporum, & propagationem Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus, ut omnino dubitari non liceat, sit ne uerum seu rectum, quidquid hæc scriptura continet. Ad hanc Eccle-

siæ autoritatem, respicit & illud Augustini, Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoueret autoritas.

Quæ tamen autoritas, in discernendo tantùm ueras scripturas à falsis sita est, Nam omnem scripturam, quæ in Ecclesiasticum Canonem, ut uera ac diuina semel recepta est, planè immobilem esse constat, & omni autoritate humana longè maiorem, de qua dixit Christus, quòd solui non possit. Vt frustra & irreligiosè disputetur, num autoritas Ecclesiæ scripturis anteferenda sit, Num Ecclesia abolere seu mutare possit tradita in uerbo Dei, num statuere quid possit contra uerbum Dei.

Verùm cum, docente Apostolo Petro, omnis Prophetia scripturæ, propria interpretatione non fiat, quòd non humana uoluntate allata sit aliquando, sed Spiritu sancto inspirati, sic loquuti sint homines Dei, uoluit quoq; Deus, ut autoritas interpretandi scripturas apud Ecclesiam, quæ Spiritu suo regitur, esset, ut idem qui scripturæ autor est, Spiritus, eius etiam sit interpres, unde dominus legitur Lucæ ultimo, aperuisse discipulis mentem, ut intelligerent scripturas.

Non est autem hæc autoritas apud ullum priuatum requirenda, sed ad totam Ecclesiam, & ad communem consensum omnium piorum recurrendum est, quæ est uniuersalis testificatio Spiritus sancti, firmamentum ueritatis, In quam sententiam dixit Apostolus 1. Timot. 3. Ecclesiam esse columnam & firmamentum ueritatis.

Summa enim autoritas interpretandi scripturas, cui contradici non liceat, non apud singula membra, sed apud totam Ecclesiam residet, quæ non solum germanos sacræ scripturæ libros à supposititijs discreuit, sed & germanam scripturæ interpretationem in necessarijs tradidit, Qualia sunt, quòd patris & filij & Spiritus sancti eandem naturam & essentiam, & tres personas, Et in Christo domino duas naturas, & unam personam confitemur: hæc enim & pleraq; alia magis scripturarum interpretatione explicata, quàm ipsarum scripturarum uerbis expressa, ipsis tamen scripturæ uerbis implicita, omnis catholica recepit Ecclesia.

Hinc est, quod Athanasius ait, Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorũ noua doctrina exurgit, contra insolentes quęstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum uocabula immutare, & significantius rerum naturas exprimere, quæ tamen existentium causarum uirtutibus congruant, & quæ magis easdem antiquitus fuisse demonstrant, non ortus nouitatem mensurant. Hæc ille.

Et præclarè Irenæus, Si, inquit, de aliqua quæstione dubitatio est, oportet ad antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus conuersati sunt Apostoli, & ab eis de proposita quæstione sumere quod certum est. Quid enim (ut subijcit) si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, non ne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt hi, quibus committebant Ecclesias, cui Barbari assenserunt, atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem.

Huius autem autoritatis, quam Ecclesia circa scripturæ interpretationem obtinet, in communi illo & uniuersali perpetuo consensu sitam, in primis Synodos, deinde Ecclesiasticos scriptores omnium temporum, qui tamen suspectę fidei non sunt, idoneos testes esse constat, cum unanimiter tradunt ac docent doctri-

doctrinam aliquam, ab Apostolis in nos usq; prouectam, in Ecclesia semper receptam fuisse, quæ & scripturis consentanea sit.

Porro huic uero & perpetuo consensui, cui Synodi & patres concors testimonium ferunt, obtemperare debemus, sed ita, ut Ecclesia illi obtemperandum esse censuit. Differunt enim quæ communi consensu tradita sunt. Quædam enim eorum dogmata sunt planè necessaria, quædam non item, quæ scilicet pro ratione temporis instituta mutari possint. Quamobrem consensum istum communem, secundum eam rationem, qua loquitur nobis, & in illum finem, in quem respicit, accipere debemus, ne in scripturas impingamus, ne'ue dogmata, quæ Basilius libro de Spiritu sancto ἄγραφα uocat, cum necessarijs dogmatibus de fide confundamus. Neq; enim par debuit haberi ratio prohibiti esus, & suffocati sanguinis, atq; interdictæ fornicationis, tametsi illud eadem autoritate, qua istud decretum, & multo tempore in Ecclesia communi omnium consensu receptum, atq; adeo Synodorum canonibus firmatum sit, ad tempus enim necessarium hoc iudicatum est, Quamobrem sine religionis præiudicio obsoleuit, At illum perpetuum est, quod diuina lege expressum sit, Neq; fornicatores neq; adulteros regnum Dei possessuros. Actorum 15. 1. Corinth. 6.

Cæterum ubi scriptores uariant, liberum habet lector auditor'ue iudicium, quid approbet uel improbet, Ita tamen, ne quis sibi temere confidat, sed in rebus dubijs doceri magis cupiat, quàm docere, & ubi necessarium uidebitur, iudicium de ambiguis Ecclesiæ deferat, iuxta illud Apostoli, cæteri dijudicent. 1. Corint. 14.

Nam & Spiritus per Ecclesiam probandi & dijudicandi sunt, nec statim singulis permittendum, scripturas in quibus sunt multa difficilia intellectu, pro suo ingenio interpretari, 2. Petri. ult.

Est autem uniuersalis Ecclesiæ perpetuus consensus, & orthodoxorum generalium conciliorum, quibus pridem omnes Ecclesiæ assensum præbent, autoritas, à particularium Ecclesiarum & Synodorum autoritate diserte discernenda, Hoc enim uniuersalis ille consensus, & admirabilis in unam eandemq; doctrinam conspiratio proprium habet, ut eius interpretationi standum sit, quod notis infallibilibus nitatur, quæ sunt promissiones diuinæ, de Spiritu ueritatis, Ecclesiæ nunquam defutura doctrinæ concordia, & cum scripturis consensio. Quæ utraq; signum sunt Spiritus, qui unitatis dicitur, non dissensionis, & omnis ueræ interpretationis ac salutaris ordinationis dictator & autor est, Hæc consensio Ecclesiarum est etiam piorum sanctimonia, miraculis & sanguine martyrum comprobata.

Cæterùm Ecclesiæ particulares autoritatem quidem habent scripturas conferendi, scrutandi atq; etiam interpretandi, Iohan. 5. Acto. 17. sic tamen, ne pugnet cum perpetuo illo consensu, utq; dum uariant sententiæ, particulares Ecclesiæ minores, ad maiores & plures, plures denicq; ubi necessum erit, ad uniuersalem Ecclesiam referant, Quod fieri debet per cœtus, qui in Synodis conueuenient, quarum aliæ sunt Episcopales, aliæ prouinciales, aliæ nationales, aliæ uniuersales, Atq; hactenus de Nota uerbi dictum sit.

X.

DE SACRAMENTIS.

SEcundum signum, quo Catholica Ecclesia dinoscitur, sacramenta sunt, & illorum legitimus usus. Constat enim sacramenta duabus potissimum de causis, diuina autoritate instituta esse, Vna, ut essent signacula, & ueluti tesseræ quædam huius magnæ congregationis, quæ est Ecclesia. Nam ut Augustinus inquit, in nullum nomen aut uerum aut falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum uel sacramentorum uisibilium consortio colligantur. Quamobrem dominus Iesus Christus leui iugo suo & leui sarcinę nos subdens, sacramentis numero paucissimis, obseruatione facilimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit.

Altera, ut sint certa & efficacia signa uoluntatis & gratiæ Dei erga nos, & proinde non signa, ut tantùm signent, sed ut sanctificent, & nos de accepta gratia certos efficiant, utq; in nobis fidem excitent, & ad mutuam dilectionem, sanctos & Christianos mores prouocent & inhortentur.

Rectè ergo describitur sacramentum esse signum uisibile inuisibilis gratiæ Dei, Est enim tale signum, quod in sensum externum incurrens, admonet & erudit nos, ut quòd foris in specie uisibili geri cernimus, intus per Dei uirtutem effici credamus. Constat uerò sacramentum duobus, elemento sensibili, uti signo, & uerbo, quod dum accedit ad elementum, fit sacramentum.

XI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

IAM quia Deus ministerio uerbi Euangelium suum, & per Euangelium certitudinem salutis in omnes gentes propagare uoluit, ordinem instituit. Primum, ne si quilibet sibi hoc munus præter omnem delectum usurparet, doctrina fieret incerta, & tanquam paruuli fluctuantes, circumferremur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, per astuciam ad circumuentionem erroris. Ephe. 4.

Deinde, ut certi essemus ministerium uerbi & sacramentorum non esse metiendum ex personis ministrantium, sed ex autoritate diuina. Christus enim à ministris hanc in se transfert, dicens, sicut misit me pater, & ego mitto uos, & iterũ, qui uos audit, me audit, qui uos spernit, me spernit, deniq; ut sciremus non esse priuato iudicio abrogandam autoritatem ministris, ob malam tantùm uitam, quamdiu doctrinam Christi & sacramenta ritè administrant, & ab Ecclesijs tolerantur, Sed legitimæ ordinationi (quamlibet eam mali ad tempus occupent) suam autoritatem non esse detrahendum, sicut scriptum est. Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi, Quæcunq; dixerint uobis facite.

Hanc ordinationis uim, atq; adeo ordinem esse sacramentorum in Ecclesia diuinitus institutum, ignorantes donatistæ fœdissimè lapsi sunt, quos beatus Augustinus ualidissimè reuincit ac confutat.

Verbum huius sacramenti est, quo nos Christus de autoritate ministrorum & efficacia ministerij certos facit, Sicut, inquit, misit me pater, & ego mitto uos, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. Item, Euntes in mundum uniuersum predicate Euangelium omni creaturæ. Item, Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos &c.

Elementum uerò huius sacramenti, secundum generalem eius rationem, est impositio manuum Episcopalium, qua significatur electos confirmari in opus

opus ministerij, & accipere potestatem prædicandi uerbi, consecrandi Eucharistiam, administrandi sacramenta, ordinandi omnia in Ecclesia, ad ædificationem, & cohercendi rebelles ac criminosos.

Vis ergo huius sacramenti complectitur potestatem ordinis & iurisdictionis. Potestas ordinis, ministerium uerbi, administrationem sacramentorum & Ecclesiarum ordinationem ac ædificationem. Iurisdictio uerò potestatem excommunicandi, & resipiscentes absoluendi, continet.

Sunt autem in Ecclesia alij maiores, alij minores ordines, qui sunt, presbyterorum, Diaconorum, subdiaconorum, Acoluthorum, lectorum, exorcistarum, & historiorum, quorum omnium legitimus usus & administratio, ad ueteris Ecclesiæ regulam & morem restitui petuntur.

Cæterùm inter Sacramenta, quæ in Ecclesia publico ministerio exhibentur & quibus gratia fidelibus diuino munere confertur, hoc differentiæ habendum est, quòd quædam augustiora & magis principalia sunt, ueluti baptismus, ordo, Eucharistia, & absolutio, sine quibus Ecclesia non consistit, quædam uerò in hoc data & instituta sunt ut sint quidem sacra symbola, in subleuationem & medicinam humanæ infirmitatis, at non necessaria, ut illa priora, quanquam ualde utilia & salubria modò tamen religiosè & piè administrentur & accipiantur.

XII.

DE SACRAMENTO *Baptismi*.

BAptismi Sacramentum mandatum Domini, & diuinam promissionem habet quæ his uerbis continetur. Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, Matth. 28. & Qui crediderit & baptisatus fuerit saluus erit, Marci 16.

Elementum uerò eius, secundùm generalem Baptismi rationem, est aqua, iuxta illud Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, Iohan. 3.

Est enim Baptismus lauacrum aquæ, in uerbo uitæ, Ephe. 5. quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia bene respondeat apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextra Dei deglutiens mortem, ut uitæ æternæ hæredes efficiamur 1. Petri 3.

Vis ergo Baptismi, in his qui ritè, & non fictè accedunt, est diuina uirtute ab omni peccato mundari, & per spiritum regenerationis ex filio iræ effici filiũ Dei, Tit. 3. commori & consepeliri Christo, & resurgere cum Christo in uitæ nouitate, ut consepulti cum illo, & participes facti mortis eius, participes quoq; resurrectionis eius simus, uouam uitam non nostra, sed diuina uirtute, qua ille excitatus est, nobis per Spiritum communicata, in nobis incoantes, Roman. 6.

Confert uerò Baptismus iustificationem, & de ea nos planè certos facit, uti Paulus Galat. 3. testatur. Quicunq; inquiens, in Christo Baptisati estis, Christum induistis.

Hæc Baptismi uis rememoranda & exercenda est in tota uita, ut homo Christianus mortali huic moriatur usui, ut abrenuncians mundo & diabolo,

se ipsum abneget,ut in Deo respiret,et nouam uitam meditetur,donec hoc mortale induat immortalitatem,& caro per infirmitatem sepulta,resurgat in gloria 1. Corint 15. Resurrectionis enim nedum Spiritualis, sed & carnis, quæ futura est, Baptismus pignus est & imago, quemadmodum Ambrosius Cap. 6. ad Roma. docet.

Docendum quoq; est, Ecclesiam ab Apostolis mandatum accepisse Baptisandi paruulos, essecq; non solum adultis,sed & paruulis Baptismi gratiam necessariam ad salutem, quod & in illis genuinæ sordes peccati sint, quæ per aquam & Spiritum aboleri debent,iuxta illud Euangelij,Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c. Ad quos etiam promissionem Euangelij pertinere constat, quam impossibile est pertinere ad eos, qui non sunt Ecclesiæ inserti per Baptismum, Et damnandi sunt Fanatici Anabaptistæ, qui paruulorum Baptismum non recipiunt, & paruulos sine Baptismo saluos fieri affirmant.

XIII.

DE SACRAMENTO CONfirmationis.

POst Baptismum succedit confirmationis Sacramentum,quòd etsi non sit necessitatis ad salutem,uerbo Christi tamen innititur,quo promisit patrem rogantibus se daturum bonum Spiritum.

Elementum uero est manuum impositio, ad quam etiam Apostolorum tempore Spiritus sanctus sensibiliter descendit in fideles, postea cum amplificata Ecclesia, donum illud diuersitatis linguarum non esset amplius ad adstruendam fidem necessarium,remansit tamen manuum impositio,& autoritate quoque Ecclesiastica surrogatum est Symbolum Chrismatis, quo inuisibilis & interior unctio Spiritus sancti, fidem Christi post baptisma professis, denotaretur,ut testantur patres.

Vis ergo Sacramenti est, ut qui eo Symbolo cum fiducia uerbi & gratiæ Christi (quemadmodum in alijs Sacramentis) confirmantur,intelligant ac credant, se accipere Spiritum sanctum quo solo in uia salutis progredi,perseuare,& tentationibus & insidijs carnis,mundi,ac diaboli resistere possint.

Et quia nunc infantes omnes baptisantur, & ad baptisma fidei professionem per se non edunt,conueniet, ut pueri postquam catechisati, & de religione Christi instituti, ad confirmationis sacramentum percipiendum adducantur, fidem Christi & obedientiam Ecclesiæ,suo etiam ore profiteantur,quemadmodum in concilio Aurelianensi Can. 3. qui habetur de consecratione,dist. 5. cap. 6. Ieiuni, constitutum est, sed tamen aliarum Ecclesiarum mos hactenus obseruatus non damnetur, donec in concilio generali super eo statuatur.

XIIII.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

EVcharistiæ Sacramentum uerbum habet, quod est omnipotens Christi sermo, cuius uirtute hoc Sacramentum conficitur & quo fit, ut post consecrationem,uerum corpus & uerus sanguis domini,uerè & substantialiter adsint,& fidelibus sub specie panis & uini, illis nimirum, hoc est, pane & uino in corpus & sangui-

& sanguinem domini transmutatis & transsubstantiatis distribuatur, qui habet in hunc modũ, Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum quòd prouobis tradetur, & ad calicẽ, bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Hic collocutores protestantium exhibuerunt suum scriptum signatum. B.*

Elementum uerò est panis & uinum, ad quæ cùm accedit uerbum fit Sacramentum, duobus enim hoc sacramentum conficitur, uisibili elementorum specie, & inuisibili corpore & sanguine, quæ hoc Sacramento uerè & realiter participamus.

Vis huius Sacramenti est, ut per uiuificatricem carnem saluatoris nostri Iesu Christi, ei nedum Spiritualiter, sed & corporaliter iungamur, & efficiamur os de ossibus eius, & caro de carne eius, certificati, quod in ipso Christo Iesu acceperimus remissionem peccatorum, & in Sacramento uirtutem restringendi concupiscentiam in membris nostris hærentem. Dulcissimum certè pignus remissionis peccatorum, uitæ æternæ, & societatis cùm Deo nobis in Christo promissæ & exhibitæ.

XV.
DE SACRAMENTO POENITENtiæ seu Absolutionis.

HVius Sacramenti uerbum Matt. 18. Quæ ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlis & quæ solueritis, erunt soluta & in cœlis. Et Ioh. 20. legimus, Hæc inquit Euangelista, cùm dixisset Iesus, insufflauit in Apostolos, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt, Verbum sanè omni suauitate plenum & redundans, quo mirificè eriguntur conscientiæ lapsorum post Baptismum, quibus impij Nouatiani pœnitentiam in Ecclesia dandam esse, blasphema in Dei misericordiam uoce, negauerunt.

Elementum est ritus ille exterior, quo impartitur & accipitur absolutio in uerbo Christi, Et quoniam sacerdotes in hoc Sacramento medicos agunt spirituales, qui conscientias & peccatorum & uitiorum laqueis implicitas expedire, & mole iræ Dei pressas consolari & erigere debent, Idcirco peccata saltem letalia, quorum quis sibi conscius est & quæ conscientiam perplexam tenent, & angunt, confitenda sunt. Iustum quoq; & sanctum est, ut ad minimum quotannis semel quilibet se curationi pastoris sui subijciat, quo pastor fidem & conuersionem confitentis exploret, & pro sua Spirituali prudentia & prudenti arbitrio ex uerbo Dei informando, morbis confitentis salutarem medicinam adhibeat, huc enim respicit parabola de Samaritano Lucæ 10. *Hic protestantes exhibuerunt suum scriptum signatum literâ. C.*

Vis autem huius Sacramenti est, ut intelligant, nec dubitent, qui eo signo à peccatis, quæ iam legitimè confessi sunt, absoluuntur, & Ecclesiæ reconciliantur, se peccatorum uinculis liberari, & Christum in cœlis ratum habere, quod minister eius nomine gerit in terris, Et quoniam potestas clauium se latius, quàm ad remissionem peccatorum porrigit, de ijs postea fusius dicemus,

De satisfactione quoq; docendum est, satisfactionem propiciatoriam culpæ, & abolitoriam æternæ pœnæ, soli Christo tribuendam esse, satisfactionem uerò Canonicam quæ & castigatoria dici potest, à parochis & præpositis sacramentorum acceptam, & ex fide, peractam præteritorum peccatorum causas excindere, & peccati reliquijs mederi, temporariam quoq; pœnam seu tollere seu mitigare, in exemplum deniq; rectè adhiberi. Cæterùm pœnarum *De satisfactionibus protestantes exhibuerunt suum articulum, signatum literâ. D.*

reſeruationem neminem ad integrum noſſe,niſi Chriſtum Ieſum,cui pater omne iudicium dedit, & propterea pœnarum diſcuſſionem & exactum iudicium ſoli Deo relinquendum eſſe.

XVI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PORrò matrimonij Sacramentum ſolis Chriſtianis peculiare eſt, qui ſciunt matrimonium quod in Dei & Chriſti nomine iungitur & contrahitur,unius uiri & unius fœminæ ſanctam & ratam eſſe coniunctionem,benedictione & conſecratione Chriſti firmatum, quod non ita in infidelium matrimonijs obtinet. Chriſtus enim ſublato iudaico diuortio, quod genti illi Moyſes ob duritiem cordis permiſit matrimonium in primęuam uindicauit puritatem Mat.19. Id quod etiam intimæ illius ſuæ Eccleſiæ coniunctionis, ſacrum ſymbolum eſſe uoluit Ephe. 5.

Verbum huius Sacramenti ſitum eſt in ſermone Chriſti,dum inquit,qui fecit hominem ab initio maſculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ,& erunt duo in carne una, Itaq; iam non ſunt duo, ſed una caro, Quos autem Deus coniunxit, homo non ſeparet, Et paulo poſt Moyſes, ob duriciem cordis ueſtri permiſit uobis dimittere uxores,ab initio autem non fuit ſic, Quamobrem quicunq; dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur, Quod Apoſtolus 1.Cor.7.interpretatur cum ait,his qui matrimonio iuncti ſunt,precipio non ego, ſed dominus, uxorem à uiro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut uiro ſuo reconciliari.

Elementum huius ſacramenti eſt,exterior illa uiri & mulieris coniunctio, qua in Dei nomine & Chriſti,in Eccleſia copulantur,quod Paulus uocat nubere in domino 1. Corint. 7.

Vis uero Sacramenti eſt, ut intelligant coniuges,ſe non humana,ſed diuina autoritate coniunctos gratiam accepiſſe, qua ipſis legitimus coniugalis congreſſus non imputetur ad culpam, qua & Chriſtianus gentilem coniugem ſecum manere eligentem ſanctificet,& ſanctos, hoc eſt, Deo dicatos filios exuſcitet, Qua denicq; perpetuam fidem coniugi ſeruet, ut ſint duo in carne una, ſicut Chriſtus & Eccleſia, Tob. 3. & 6. Hebræ. ultimo 1.Corinth. 7. Ephe.5.

Huius Sacramenti uim ignorantes Manichei & Tatiani,qui & Encratitæ Matrimonium ex doctrina dæmoniorum prohibentes, Apoſtolica cenſura damnati ſunt, 1. Timo. 4.

Quæ uerò de diuortijs & matrimonialibus iudicijs deliberanda erunt, reſeruentur ad reformationem.

XVII.

DE SACRAMENTO VNCTIONIS.

VNctio infirmorum in Eccleſia uſitata ex uerbo Iacobi Apoſtoli deſumta eſt. Hîc enim Apoſtolus hauddubium,non ſuo nomine,ſed ut ſeruus Ieſu Chriſti, nobis tale mandatum reliquit. Infirmatur, inquit, quis in uobis, inducat presbyteros, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio

oratio fidei ſaluabit infirmum,& alleuabit eum dominus, Etſi in peccatis ſit,remittentur ei, Iacob 5. in quo ſitum eſt huius ſacramenti uerbum, quòd fide apprehenditur.

Oleum uerò eſt huius Sacramenti Elementum, quo ſignificatur ægroto, quòd morbo ſeu infirmitate corporis delaſſatus, reſpirare debeat in uno Chriſto,qui eſt unctus Oleo lætitiæ præ omnibus participibus ſuis, Vt cogitet,ſe ueluti athletã aliquem in extrema pugna conſtitutum,in nomine domini inungi, ne ulla ui morbi, ullis ue diabolicis inſultibus ſuccumbat, ſed confortatus fide, carnem, mundum & Satanam ſub pedibus uelociter conterat. Idq; in illo, in quem ungitur Chriſto.

Ad hoc ergo hæc unctio adhibetur cum oratione, ut infirmus in fide, & Eccleſiæ oratione confirmatus,confidat ſe à Deo ueluti uiuum Eccleſiæ membrum reſpici & exaudiri,utq; uelut fortiſsimus miles inuictam ſpem ſumat de aduerſis omnibus in Chriſto triumphãdi, ut denicq; certa fiducia, ſiue moriatur ſiue reconualeſcat,æternam ſalutem,promiſsioni infallibilis Dei non aliter atq; certiſsimæ anchoræ innixus,complectatur & expectet.

XVIII.

DE VINCVLO CARITATIS, QVÆ EST *tertia Eccleſiæ nota.*

TErtia nota,qua dinoſcitur Eccleſia,eſt uinculum Caritatis & pacis,Ephe. 4. Inter cætera Eccleſiæ Chriſmata longè præſtantiſsimum 1. Cor. 13. Quòd ut in Eccleſia firmum conſtaret,uocauit nos initio Deus per baptiſmum in unitatem corporis myſtici,unoq; quem cœlitus demiſſum hauſimus ſpiritu potauit, ut ſcilicet eſſemus inuicem membra.

XIX.

DE ECCLESIÆ HIERARCHICO ORDINE, ET *in conſtituenda politia autoritate.*

SIC autem corpus iſtud myſticum, ex multis membris coagmentatum, temperauit, ut unum alterius opera indigeret, & quòd preſtantius & nobilius eſt,ignobilius& infirmius non deſpiceret,quo nullum eſſet in corpore ſchiſma, Sed in id ipſum ſolicita ſint membra,ut ſi quid patitur unum membrum, compatiantur cætera, ſiue honorificatur unum membrum, congaudeant ſimul & omnia membra.

De hoc toto articulo exhibuerunt proteſtantes ſuum articulum de unitate Eccleſiæ,ſignatum litera. E.

Vnicuiq; ergo membro data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti,Nam etſi idem ſit Spiritus, tamen diuiſiones gratiarum ſunt, idem ſit Dominus, diuiſiones tamen miniſteriorum ſunt, idem ſit Deus, qui operatur omnia in omnibus,diuiſiones tamen operationum ſunt 1. Cor. 12.

Itaq; ipſe dedit quosdam Apoſtolos, quosdam autem Prophetas,alios uerò Euangeliſtas,alios uerò Paſtores,& Doctores,ad inſtaurationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec peruenìamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenè adultæ Chriſti, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes, & non circumferamur omni uento doctrinæ, per uerſutiam hominum, per aſtutiam qua uos adoriuntur, ut imponant nobis, ueritatem autem facientes in caritate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus ex quo

totum

totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensura unius cuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui per caritatem, Ephe. 4.

Quamobrem, ut Diuus Cyprianus inquit, Ecclesiæ unitas firmiter tenenda & uindicanda est, maximè ab Episcopis, qui in Ecclesia loco Apostolorum præsident, ut Episcopatum quoq; ipsum unum atq; indiuisum probemus. Episcopatus siquidem unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radij, sed lumen unum, & rami arboribus multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum. Proinde quoq; Christus quamuis Apostolis omnibus, ut idem Cypria. ait, post resurrectionem suam parem potestatem tribuat tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem, sua autoritate disposuit. Hoc enim ut subijcit, erant utiq; cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti, & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Hactenus ille.

Hinc scripturæ Petrum ueluti uerticem, os & principem Apostolorum describunt, cui Christus nedum potestatem, sed & nomen suum communicauit, Etsi non ipsi soli, sed tamen ipsi principaliter cum alijs, ut unitas Ecclesiæ insinuaretur, præcipuam solicitudinem, dum ei pascendas oues committeret, Ioh. 21. imposuit, & curam confirmandi fratres in ædificationem & robur Ecclesiæ iniunxit, Lucæ 22. Quam & statim in exordio Ecclesiæ suscepisse uidetur, quemadmodum in Actis Apostolorum legimus cap 8. quòd transiuerit & inuiserit uniuersos, Quam tamen non in destructionem eorum, quæ cæteri bene ædificassent, sed in confirmationem magis contulit, Cum scilicet agnosceret Euangelium per cæteros prædicatum per omnia respondere Euangelio sui Apostolatus, Atq; adeo unum & idem Euangelium omnium esse. Quæ & Paulo fuit causa proficiscendi Ierusalem, & conferendi Euangelium cum Petro, Iacobo, Iohanne, Gal. 2. Non quòd Euangelium per Paulum prædicatum, id quod à solo Deo acceperat, ab illorum autoritate pendêret, Sed ut illi eandem prædicationis gratiam in Paulo agnoscentes, dextras ei societatis, quod est concordiæ & conuenientiæ signum, darent, & eo signo Ecclesias in fide & caritatis uinculo confirmarent, ut inter cæteros Tertullianus testatur.

Et quia Christus hanc Ecclesiæ unitatem Hierarchico ordine, usq; in finem, durare uoluit, idcirco in locum Apostolorum, diuina nimirum dispensatione, succesſerũt Episcopi, qui singuli singulis Ecclesijs, ut Hieronymus inquit, in schismatis remedium, propositi sunt, ne unusquisq; ad se trahens Ecclesiam Christi rumperet. Inter Episcopos quoq; cuiusq; prouinciæ unus Archiepiscopus, qui & Metropolitanus, & inter Metropolitanos Patriarchæ seu Primates constituti sunt, qui initio tres tantùm numerabantur, Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus, Quorum Romanus ueluti Cathedram Petri uicaria succesſsione obtinens, Primas iudicatus est, non quòd dignitate sacerdotij cæteros antecelleret, sed magis amplitudine solicitudinis, & prærogatiua Iurisdictionis, ut Ecclesiæ unitas conseruaretur, anteiret.

Hoc ordine ritè custodito, & per legitimam succesſsionem Episcoporum conseruato, uinculum illud caritatis omnibus Charismatibus supereminens, inprimis firmatur. Quod Irenæus libro 3. & 4. contra hæreses sæpè testatur ac docet.

Cæte-

Cæterum ut uinculum iſtud caritatis,quod,ut Auguſtinus ait, proprium eſt Catholicæ Eccleſiæ donum, commodius retineretur, Chriſtus miniſtris & Eccleſiæ ſuæ poteſtatem fecit,politiam Eccleſiaſticam ordinandi, quæ in piis ceremoniis & diſciplina Eccleſiaſtica conſiſtit.

Iam quod ad ceremonias attinet, mandatum habent & poteſtatem qui præſident, nedum Ceremonias,quas ad excitandam retinendamq; pietatem facere arbitrabuntur, ordinis & decoris cauſa conſtituendi, ſed & ritus externos in diuinis literis expreſſos, ad Fidei & caritatis regulam dirigendi & exhibendi, ac prout, ſecundum temporum ac locorum rationem, fidelium ſaluti expedire & ſufficere nouerint, diſponendi ac moderandi. Quo ſpectat illud Euangelij, Quia dominus eſt filius hominis,etiam ſabbati,Lucæ 6. Item de diſciplina(quæ à claue Iurisdictionis pendet,& ſine qua Euangelicus uigor in Eccleſia non ſubſiſtit)conſtituenda ac diligenter retinenda,præſides, ac obediendi præpoſitis ſubditi, mandatum habent, Hebræ .13. 1. Corinth. 11.

Sic tamen, ut hæ Ceremoniæ & diſciplina hoc fine in Eccleſia inſtituantur & adminiſtrentur,non ut in illis fiducia ſalutis, quæ in gratia domini noſtri Ieſu Chriſti conſiſtit, reponatur. Hoc enim eſſet Deum fruſtra colere mandatis hominum, contra mandatum domini, Matthæi 15. Et Eſaiæ 1. Sed tantùm ut ſint incitamenta & retinacula pietatis,ut omnia in Eccleſia piè, decenter, honeſtè & ordine fiant 1. Corinth.14. Quæ tales quoq; erunt, ne ullatenus ab Euangelica puritate & ſimplicitate diſſentiant,neúe laqueum conſcientijs injiciant,& Chriſtianæ nihil derogent libertati. 1.Cor.7.

Libertas autem Chriſtiana in hoc potiſsimum ſita eſt,ut quia gratia Chriſti Ieſu & donatione Spiritus ſancti,à coactione legis liberati ſumus,ultro facientes quæ Lex moralis præcipit,ſciamus iuſticiam noſtram,quæ Spiritualis eſſe debet,ab externis obſeruationibus non pendêre,ſed eas ſicut propter retinendam & fulciendam fidem infirmorum, & caritatem inſtitutæ ſunt, ita caritati cedere debere,atq; etiam,ſi res ita poſtulare uidetur,ſine peccato omitti poſſe,ita tamen, ſi abſit & ſcandalum & contemtus. Lucæ 6. Tunc enim ſemper plus illud ualet: Miſericordiam uolo, & non ſacrificium,Matth.12.

Hactenus de Eccleſiæ notis & autoritate generatim dictum eſt.

XX.

DOGMATA QVÆDAM QVÆ ECCLESIÆ *autoritate declarata, firmata ſunt.*

CAeterum quædam etiam ſpeciatim recenſenda ſunt,quæ hac autoritate,qua Eccleſia tum in dijudicandis ſcripturis & dogmatibus,tum in conſtituenda politia utitur,firmata ſunt, & conſtituta. Ex prima illa itaq; autoritate, intellectu & mente iudicata, recepta ſunt ſequentia dogmata & explicationes, ueluti diuinitus traditæ, ut ſunt Symbolum Apoſtolorum, de conſubſtantialitate Trinitatis,de æqualitate perſonarum, de duabus naturis & unitate perſonæ in Chriſto, de duplici uoluntate in Chriſto, de peccato originali, de baptiſmo infantium,& ſimiles.

Hac quoq; autoritate receptum eſt,ſanctos,qui ad uitam futuri ſeculi præmiſsi ſunt, ueluti nobiliſsima Eccleſiæ membra, quos pater cœleſtis filios agnoſcit ac honorat,Iohan. 12. Filius ut fratres & cohæredes habet, Romano. 8.

Spiri-

Spiritus ſanctus templa ſua uocat 2. Corint. 6. laudandos, ac eorum memoriam, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſociemur, religioſa ſolennitate celebrandam eſſe, Quemadmodum Auguſtinus habet contra Fauſtum Manichæum libro 20. cap. 21. Et Paulus ad Ebræ. 13. Quorum, inquit, intuentes exitum conuerſationis, imitemini & fidem.

Sentit enim Eccleſia (nec deſtituta quidem in hoc ſcripturis) ſanctos miro deſiderio ſalutis noſtræ (uti unius eiusdemq; nobiſcum corporis membra, quæ ſine nobis conſummanda non ſunt Ebræ. 11.) teneri, & proinde eos Deum pro nobis exorare, Deum quoq; ſanctos pro nobis ſolicitos exaudire, & propter illos nobis benefacere, Exod. 32. Daniel 3.

De hac parte, & ſuper ſequenti proteſtantes exhibuerunt ſuum ſcriptum de ſanctis ſignatum litera. F.

Et ut non dubium eſt, ſanctis ſua eſſe merita, quæ tamen etiam Dei ſunt dona, ita communi Eccleſiæ conſenſu receptum eſt, ut piè in hunc modum oretur Deus, quo ſanctorum ſuorum meritis precibusq; concedat, ut in omnibus ſuæ protectionis muniamur auxilio, Non quidem ipſorum meritis ex ſe, Verum per Chriſtum dominum noſtrum, cuius gratia & illi ſeruati ſunt, cui etiam omne meritum illi acceptum ferunt.

Nec damnandum eſt, ſi quis religioſa quadam pietate, & animi quodam ardore, in commemoratione tam intimæ noſtræ cum illis in Chriſto unionis, eos etiam nominatim adpellet, Sed extra preces, quæ ad altare offeruntur, in quibus ad ſolum Deum patrem per Chriſtum dirigenda eſt oratio, ut habet Concilium Carthaginenſe tertium. Sic tamen, ut tota fiducia in ſolum Ieſum Chriſtum omnis boni autorem reponatur, & nihil quod Deo proprium eſt, ſanctis tribuatur, tantum uero ut conſerui (qui iam meruerunt fieri ſupernorum ciuium conſortes) non ſecus quàm qui nobiſcum adhuc in carne ſunt ſancti Dei homines, ad iuuandas noſtras preces apud Deum implorentur.

Et quia facilis eſt hominum à uera pietate in ſuperſtitionem lapſus, diligenter ac ſedulò de his docendi ſunt homines, hoc eſt, de collocanda in ſolum Deum fiducia, ſoli Deo ſacrificia offerenda, ſolum Deum ut unicum ſalutis noſtræ autorem inuocandum, ſanctos uerò non aliter habendos, quàm ſedulos apud Deum precatores noſtræ ſalutis auidos, eosdemq; non in ſua uirtute, ſed in ipſo Deo (cui de illorum uictoriis gratiæ agendæ ſunt) honorandos & imitandos.

Præclarè certè Auguſtinus lib. 3. contra Epiſt. Pelagij ad Bonifacium cap. 8. Non, inquit, conſtituimus martyribus templa, ſacerdotia, ſacra & ſacrificia. Quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei, qui uſq; ad mortem ſuorum corporum pro ueritate certarunt, ut innoteſceret uera religio, falſis religionibus uictis atq; conuictis. Quis autem audiuit aliquando fidelium, ſtantem ſacerdotem ad altare etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumq; conſtructum, dicere in precibus, offero tibi ſacrificium Petre, uel Paule, uel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis Angelis ſuis cœleſti honore ſociauit, ut ea celebritate & Deo uero de illorum uictoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum & palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ recordatione adhortemur. Quæcunq; igitur adhibentur religioſorum obſequio in martyrum locis, ad ornamentum ſunt memoriarum, non ſacra ſunt uel ſacrificia mortuorum, tanquam Deorum. Hæc ille.

De ſan-

De sanctorum martyrum reliquijs ea semper fuit in Ecclesia sententia, quod reuerenter & religiosè habendæ essent, primùm quod hi sanctorum cineres & ossa, ueluti quædam relicta nobis pignora & exuuiæ, nos eius quæ in illis fuit fidei & caritatis commonefaciant, dum scilicet recogitamus hæc eadem ossa illa, quibus compaginatum olim fuit corpus, inhabitantis gratiæ domicilium, quibus cohæserunt membra, iam pridem templa Spiritus sancti fuisse. Qua recordatione fides nostra in Deum, non dubium, excitatur, ut quemadmodum illi per fidem uicerunt regna, & operati sunt iusticiam: ita & nos eundem fidei spiritum habentes, eorum exemplo confirmati, aduersa omnia in Domino uincere annitamur. Quamobrem etiam Deum tam insignia sæpe miracula ad Martyrum memorias edidisse, compertum est. Nimirum ut fidem suorum incenderet & eos ad imitationem factorum prouocaret. Nam ut Augustinus (cum Ecclesiam in miraculo ad memoriam beati Stephani facto plaudentem refert) quid, inquit, erat in cordibus exultantium, nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est &c.

Deinde reliquiarum uenerationem in hoc quoque utilem iudicauit uetustas, quod & futuram resurrectionem tacito quodam affatu nobis promittant, & spem nostram ad futuram glorificationem corporis expectandam erigant. Quod certè tùm fit, cum recolimus eadem illa sanctorum corpora quandoq́, etsi immutata, ad uitam excitanda, Ac Deum nostrum esse Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob, Deum, inquam, non mortuorum, sed uiuentium.

Sed quoniam hic facilè surrepit superstitio, quod plurimus abusus hactenus ostendit. Populus diligenter docendus est, non fidere reliquijs, nec reliquias adorare, sed in eis tantum exosculari sanctorum fidem & caritatem, atq́ hinc uitæ & doctrinæ recordatione accendi, futuræq́ resurrectionis spe fulciri debere, Verùm & hoc interim ualde cauendum est, ne aliæ quàm ueræ reliquiæ, & uera sanctorum Martyrum monumenta habeantur, neúe ipsæ reliquiæ ad quæstum exponantur, aut circumferantur, Quòd ita quoque in multis Synodis constitutum est.

Iam & imaginum usum non in totum esse damnandum, communi Ecclesiæ consensu probatur. Sed hoc omnino cauendum, ne illis aliter quàm imaginibus utamur. Quod tùm fit, cum ad excitandam modò gestorum recordationem & historiæ memoriam adhibentur, ueluti cum imago Saluatoris nostri non ideo statuitur seu pingitur, ut ipsa quasi Deus colatur, uel Christi, etiam cultus aliquis ad eam instituatur, sed ut proponatur tantum ad admonendum homines Christi, & eorum quæ pro nobis passus est, ut in eius amore incalescamus, cuius imaginem uidere desideramus.

In primis ergo prouidendum est, ne ullæ imagines, quàm uerarum rerum & historiarum in Ecclesiam inuehantur. Deinde ne ad seculi uanitatem affingantur, denique ne in imagines ipsas ulla fiducia collocetur. Nam tum demum sine periculo retinentur, si nihil eis diuinitatis tribuatur, si nulla spes salutis in eis reponatur, sed tantum ad memoriam & recordationem ueluti quædam trophæa rerum diuinitus gestarum habeantur, & quod imagine represententur, non autem ipsa imago ueneretur.

Ad hæc omnis Ecclesia Missam, in qua uerum corpus & uerus sanguis Christi conficitur, sacrificium esse consentit, sed incruentum & spirituale, In ea

De Miſſa exhibuerũt proteſtantes ſcriptum ſignatum litera G.

enim (modo piè & religioſè agatur) Deo quatuor ſpiritualiter offeruntur. Initio enim Chriſtus, qui ſe ipſum patri in mortali corpore cruentum, ſufficientem,& bene placentem pro totius mundi peccatis hoſtiam cruci affixus obtulit. Idem ille in Miſſa (quæ eſt omnium ſacrorum ſanctiſsima actio & publicum in Eccleſia miniſterium) totius Eccleſiæ nomine repreſentatiuo ſacrificio eidem Deo patri immolatur.

Quod certè fit, cum Eccleſia illum eiuſque uerum corpus & ſanguinem Deo patri pro totius mundi peccatis pia prece ſiſtit. Nam etſi oblatio illa in Cruce ſemel facta tranſijt non reiterabilis, uictima tamen ipſa immolata, perpetua uirtute conſiſtit, ut non minus hodie in conſpectu patris oblatio illa in ijs,qui eam Deo religioſa fide repræſentant, ſit efficax, quàm eo die,qua de ſuo latere ſanguis & aqua exiuit.

In quam ſententiam Patres, corpus & ſanguinem Chriſti in altari præſentia, nunc precium pro peccatis totius mundi, nunc precium redemtionis noſtræ, nunc uictimam ſalutarem appellare conſueuerunt. Et Chryſoſtomus teſtatur, nos eandem hoſtiam,quæ ſemel oblata eſt, in ſancta ſanctorum ſemper offerre,atque unum eſſe utrobiq; ſacrificium, unum Chriſtum, & hic plenum exiſtentem, & illic plenum, ſic tamen, ut quod nos agimus ſacrificium exemplar ſit illius, in commemorationem eius, quod factum eſt ſemel, nec abs re. Deus enim in hoc donauit nobis Chriſtum Ieſum Filium ſuum, ut de noſtris uiribus diffiſi, déque noſtris peccatis nobis probe conſcij, ueluti unicam & potentiſsimam uictimam pro noſtris peccatis ſatisfactoriam Deo Patri repræſentemus. Ipſe enim datus eſt nobis, ut quicunque in eum credimus non pereamus, ſed pacem cum DEO, reconciliati per ſanguinem eius, habeamus.

Secundo, Eccleſia in hoc Miſſæ ſacrificio ſe ipſam quoq;, quatenus Chriſti myſticum corpus eſt,per Chriſtum Deo offerre non dubitat. Dum enim ex immolatione Chriſti ſemel in Cruce peracta ſpiritualiter agnoſcit, nos in uniuerſum omnes perditos eſſe, niſi per unicam illam Hoſtiam reconciliati ſeruemur,fit ut uiciſsim ſe Deo conſecret,& quemadmodum Chriſtus nos omnes in cruce portabat,& totius Eccleſiæ cauſam gerebat,eam in ſe ipſo Deo patri offerens, ſic Eccleſia tantam oblationem pia deuotione recolens,ſe totam per Chriſtum Deo uiuo uiciſsim dedicat.

Et quoniam ramos ſuos in præterita, præſentia & futura tempora extendit, & membra habet non tantum, qui præſentem uitam adhuc ex fide uiuunt, ſed etiam qui cum ſigno fidei præceſſerunt.

Idcirco in hoc auguſtiſsimo ſacrificio, quod per publicum miniſterium conſentiente fide peragit,cum recolet Chriſtum ob id mortuum ſemel,ut & uiuorum & mortuorum dominetur, non ſe diuidit, ſed ueluti ſe totam colligens, non ſolùm præſentium, ſed & ſanctorum (quos iam certò apud Deum uiuere nouit) & aliorum quoque fratrum & ſororum, qui in Domino, ſed non defecati ſatis obdormiuerunt, meminit, ac teſtatur ſe in hoc ſacrificio unitatem corporis Chriſti intelligere, ſeq; per fidem, tum illorum qui apud Deum uiuunt, ſocietati ſuaui communicatione copulari, tûm cæterorum omnium in Chriſto membrorum pia ſolicitudine & caritate tangi & teneri.

Quamobrem Patres teſtantur Eccleſiam in eodem ſacrificio, non ſolùm memorias martyrum, cum ad excitandam imitationem,tùm ut meritis eorum conſo-

consocietur, religiosè celebrare, se & pro fidelibus defunctis in uniuersum supplicare, atque adeo horum animas eiuscemodi precibus subleuari, qui tamen ut hoc eis post mortem prodesse possit, in hac uita sibi per fidei meritum comparárunt.

Tertiò, in Missa sacrificium laudis (quæ huius quoque constitutionis finis est) offertur, hoc est, sacrificium fidei, spei & charitatis, atque in primis gratiarum actionem complectitur, quam pro illo summo beneficio & nobis & uniuersæ Ecclesiæ collato persoluimus, propter quam tremenda & reuerenda ista mysteria Eucharistica appellantur, quod sint beneficiorum recordatio plurimorum, caputq; diuinæ erga nos caritatis ostendant, nosq; faciunt debitas Deo gratias semper exoluere. Gratiarum actioni communicatio & confessio doctrinæ, obsecrationes, orationes, postulationes & preces pro omnibus hominibus, & pia uota, sacrificia certè spiritualia & Deo grata coniuncta sunt, quæ etiam præsentia tanti Sacramenti magis efficacia & plus ualere censentur. Vt enim Cyprianus inquit, In huius ueracissimi & sanctissimi corporis præsentia non superuacuè mendicant lacrymæ ueniam, neque unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Hic Hierarcha pius, eleuatione manuum crucis mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua & populi ignorantia. Hactenus ille.

Postremò Ecclesia & dona quædam, tam panis quàm uini, ex quibus partim corpus & sanguis Christi conficiebantur, offerebat, partim & Eleemosynæ fiebant, & iustum est, quod populus in hoc sacrificio se non tantum uerbis Deo consecret, sed & Symbolo aliquo externo testetur, quod se totum dedicet Deo. Iam is mos in Ecclesijs pene abolitus est, cum olim omnibus diebus Dominicis panis & uinum & res aliæ ab omnibus tùm uiris tùm mulieribus ad altare offerebantur, quemadmodum decreta, quæ Fabiano tribuuntur, testantur.

Iam si Canon ille Missæ (quam ueteres solennem & prolixam precem super panem & calicem trifariè digestam adpellarunt) in hunc quem diximus sensum intelligatur, nihil habet incommodi, Superstitiosa tantum absit opinio, qua quidam de natura, & energia huius sanctissimi sacrificij malè edocti, uirtutem eius ex solo externo opere, quod facit Sacerdos, in se deriuari putabant, tametsi illi nullam uiuam fidem adferrent, nullam pietatem adhiberent, nulla communione seu precum, seu orationis sacrificio adsensum præberent, quales erant qui nulla suæ nephandæ impietatis & execrandorum flagitiorum habita ratione, in peccandi proposito perseuerantes, se huic sacratissimæ ac diuinissimæ actioni damnabiliter miscuerunt persuasi sibi Missam solius externi operis, quod Sacerdos facit, uirtute prodesse, etsi ipsi nihil probæ mentis adferrent. Quæ opinio damnanda est, atque etiam tales, si publica sint crimina à sacris arcendi, sin occulta, ut se à tam tremendis mysterijs, dum resipuerint subtrahant, docendi sunt.

XXI.

DE VSV ET ADMINISTRATIONE *Sacramentorum, & Cæremonijs quibusdam speciatim.*

Hic proteſtantes exhibuerunt ſuum articulũ de priuata Miſſa ſignatum litera H.

SVnt ex una parte quibus perſuaſum eſt Miſſam peragi non debere, niſi adſint qui cum ſacerdote ſacrificante, Sacramenti corporis & ſanguinis ſumtione communicent. Quod eò fine hoc Sacramentum primùm per Chriſtum inſtitutum & commendatum ſit, ut unus panis & unum corpus multi ſimus. Quod ex uno pane & uno calice participamus, atque hunc fuiſſe ueteris Eccleſiæ morem adſtruunt.

Huius ſententiæ nos ſumus, Sed concilium quod ſubiungitur in libro cum id tale ſit, ut eo poſſit tranquillitati Eccleſiarum utrinque commodè & Chriſtianæ conſuli, relinquimus Cæſareæ Maieſtati & Sacri Imperij ordinibus expendendum. Iulius Pflug, Iohannes Gropper.

Sunt ex altera qui exiſtimant Miſſam etiam piè celebrari, ſi modo adſint, qui ſpiritualiter tantum, cum ſacerdote communicent, & ſacrificio conſenſum præbeant, Etſi horum quoque ſententia populus docendus & diligenter admonendus ſit, ut quàm ſæpiſsimè communicet, ut qui quotidie peccat, quotidie etiam anhelet, ad ſumendam medicinam. Atque hanc ſententiam ne cum ueterum quidem more pugnare dicunt, atque etiam putant hunc uſum iuſtificationi Chriſti nihil præiudicare, quod ſacerdos hoc publicum in Eccleſia miniſterium gerens, ſe omnibus qui toto terrarum orbe hoc ſacramento participant per fidem adiungat. Ad hæc uerentur iſti ſi hic uſus ex Eccleſia tollatur, fieri poſſe ut (quæ eſt hominum præſentis tempeſtatis in frequentandis myſterijs acidia) hoc ſacrificium laudis, quod Chriſtus in Eccleſia frequentiſsimum eſſe uoluit, quàm rariſsimè celebretur. Ac demum etiam in totum ferè omittatur.

Hîc quoniam utriq; de ſua ſententia ſunt perſuaſi fieri forſan poſsit, ut ſinguli ſuo ſenſu abundare permitterentur, ne hi, qui ſine communicantibus ſacramentaliter, cum aſtantibus tamen, & conſenſum ſacrificio prebentibus ſacrificium offerunt, damnarentur, Illi uerò non cogerentur aliter quam præſentibus communicantibus Miſſam habere.

Rurſus ſunt ex una parte qui dicunt Sacramentum corporis & ſanguinis ſub utraq; ſpecie populo adminiſtrari debere, quod id Chriſti mandato & inſtitutioni & mori ueteris Eccleſiæ ſit conſentaneum.

Sunt ex altera, qui cum exiſtiment hoc potiſsimum in Sacramentis ſpectandum, quo ſignatis magis quam ſignis fruamur & acquieſcamus. Ac conſtet, interim ſub una tantùm quantum ſub duabus ſpeciebus contineri, aſſerendum non eſſe, ut impium damnandum, quod Eccleſia iam multis ſeculis laicos una ſpecie contentos rectè communicare, & nihil contra inſtitutionem Chriſti facere eſt arbitrata, eò maximè, quod Chriſtus eam autoritatem Eccleſiæ reliquiſſe uideatur, ut in externis Sacramentorum cæremonijs eam moderationem adhibere poſsit, quæ pro ratione temporum & locorum fidelium ſaluti cum ſufficere tum commodare exiſtimetur.

Verùm cum tam plurima in Germania plebs perſuaſe ſit, Chriſti mandatum & inſtitutionem requirere, ut integra Sacramenta accipiat, & omnino cauendum, ne quis adhæc ſacroſancta myſteria participanda cum mala conſcientia accedat, opere præcium uidebitur, ſi Eccleſia ad medendum his malis omnibus liberum faciat, ſub altera uel utraq; ſpecie communicare, ſic tamen, ne hinc cuiquam ulla cauſa prebeatur, receptam hactenus in Eccleſia conſuetudinem temere damnandi, uel poſthac inuicem iudicandi. Certè cæremoniam iſtam communionis utriuſque ſpeciei ad neceſsitatem alligare abſurdum fuerit, uel propter abſtemios, ægrotos & ſimiles, qui à uini ſpecie plane abhorrent.

Denique

Denique sunt ex una parte, qui postulant Sacramenta ea lingua administrari, quæ à populo intelligatur, ut is clarè ac disertè intelligens quod agatur, ad omnia respondeat Amen. In quo Paulum Apostolum primo Corinthiorum, 14. autorem citant.

Sunt ex altera, qui putant in Latina Ecclesia latinam linguam retinendam esse, ac sufficere arbitrantur si populus subinde in Concionibus, de his, quę in Missa aguntur, clarè ac diligenter edoceatur, ac admoneatur singulis actionibus suum adhibere consensum, pioq; desiderio apud Deum ambire, ut publicis Ecclesiæ uotis aurem suæ benignitatis accommodet. Si tamen ad hæc populo, quod Epistolæ nomine, & quod ex Euangelio recitatur, lingua ab eo intellecta explicetur. Atq; hi etiam uerentur, ne si hæc summa mysteria ad tantam ac tam promiscuam hominum multitudinem (quæ est præsentis Ecclesiæ facies) lingua uernacula frequenter adferantur & decantentur, fore, ut ab impijs & malè institutis in Canticum & Prouerbium uertantur, atque ita impingatur in id quod inhibuit CHRISTVS, ne scilicet sanctum canibus daretur.

Verum hîc facile ab eruditis & pijs uiris ea moderatio inueniri ac instituti poterit, qua fiat, ut neque dignitati Sacramentorum quicquam detrahatur, neque sanctæ plebi pius rerum, quæ geruntur intellectus, & suum Amen subtrahatur. Et cùm antiqui ritus & obseruationes, qui circa Sacramentorum administrationem nobis quasi per manus traditi sunt, in raram pietatem redoleant, erunt quoque deligendi uiri, tûm docti tùm pij, qui eosdem ritus ac formulas diligenter inspiciant & examinent, ut si quid forsan irrepserit, quod ad pietatem nihil fecerit, id tollatur, & antiqua puritas & sinceritas sacris restituatur.

DE DISCIPLINA *Ecclesiastica.*

HAnc constat in Ecclesia quàm maximè necessariam esse, quod ea sola, fidei ac spei nostræ retinaculum sit & custos, itineris salutaris dux, magistra, fomes & nutrimentum uirtutis quæ facit in Christo & unitate corporis eius semper manere iugiter in Deo, ad proximi utilitatem uiuere, & ad promissa cœlestia & diuina premia peruenire, quam sectari salubre, negligere lætale est, quemadmodum Diuus Cyprianus docet. Hæc est quam Apostolus Timotheo ac Tito Episcopis præscribit, ut norint, quomodo eos oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia, columna & firmamentum ueritatis, 1. Timo. 3.

Iam ut hæc ob nimiam rerum præsentium exulcerationem subitò ad seueritatem antiquorum Canonum, reuocari non possit, annitendum tamen modis omnibus est, ut saltem quoad fieri potest Ecclesia restituatur, ac indies magis ac magis augescat.

Est autem in Ecclesia duplex omnino disciplina spectanda, & requirenda, una cleri, altera populi.

Vt autem disciplina restituatur, ante omnia necessarium est, ut ad gubernandas & regendas Ecclesias, ac alia publica ministeria gerenda, nulli nisi probati & idonei adsumantur, id quod debet in omnibus omnium graduum ministris tàm summis quàm medijs & infimis obtineri. In usum itaque reuocandæ sunt Canonicæ Electiones ac Electorum examina, manuum impositiones,

confirmationesq; ad Apostolicam regulam, & ueteres Canones exigendæ, & omnino prouidendum, ut quæ gratis impartire Christus mandauit, gratis quoque dentur, & omnis omnino Simoniæ labes ab Ecclesia tollatur, item ut nulli nisi ad certum ministerium, ut habet Chalcedonense Concilium, ordinentur.

Deinde ut quilibet suum officium sedulò ac diligenter faciat & exequatur, ac interim caueat, ne falcem suam in messem alienam immittat, secundùm ueterum Canonum instituta, & inter cætera ut Episcopi Germaniæ, qui Ecclesiarum regimini Imperatorum beneficio, ciuilem administrationem coniunctam habent, eam quam debent Ecclesijs, curam præcipuam habeant, & in hoc potissimum sint, ut Ecclesijs ubique de idoneis ministris prospiciant, manus nemini cito imponant, 1. Timoth. 5. Sed uiros constituant boni testimonij, plenos spiritu sancto & sapientia, non ad ocium, Sed super opus. Actorum sexto.

Insuper quo nihil magis necessarium est sedulò inuigilandum erit, ut uita ac mores ministrorum sua professione digni sint, ut primùm uita, deinde doctrina populum instituant, ne quos sermone ædificant, destruant exemplo, utq; singulorum ministerijs mores quoque respondeant.

Hîc optimus habendus est præceptor Paulus, qui qualem oporteat esse Episcopum, quem & Presbyterum appellat, & quales Diaconos, suum Timotheum ac Titum diligenter edocet. Ex qua Apostolica formula pene omnes antiqui Canones, qui de ritu ministrorum sunt, dimanauerunt. Et quoniam uiderunt patres, Paulo quam maximè curæ fuisse, ut qui ministrarent Ecclesijs ab omni solicitudine liberi, ea tantum quæ Domini sunt curarent, atque eum qui cum uxore est, de ijs non posse non solicitum esse quæ sunt mundi, primo Corinthiorum septimo. Plurimum semper fuerunt propensi ad indicendam ministris perpetuam continentiam, etsi in hac re non eadem seueritate uetus & recentior Ecclesiæ usæ fuisse reperiantur.

De Cœlibatu pro testantes sub scriptum exhibuerunt signatum littera I.

Vetus enim Ecclesia eos qui tantum unius uxoris mariti essent ad sacerdotium assumit, ac decreuit etiam, ne tales uxores suas religionis obtentu abijcerent, ut habet Canon Apostolorum octauus, Grangrensis Concilij, & Paphnutij sententia in concilio Niceno recepta. Eos uerò qui post Baptismum duabus nuptijs impliciti fuissent, aut concubinam habuissent, aut uiduam duxissent, aut diuortio separatam à uiro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam quæ publicis spectaculis mancipata fuisset, à sacerdotali consortio excludebat, ut habet Canon Apostolorum 16.

Cæterum ijs, qui cœlibes ad sacerdotium uel Diaconatum peruenissent, matrimonio interdixit, ut habet Canon Apostolorum uicesimus quintus. Nisi tamẽ Diaconi in ipsa ordinatione protestati fuissent, se uelle habere uxores, nec posse se continere, Hi enim si ad nuptias ueniissent manebant in ministerio, propterea quod ijs Episcopus licentiam dedisset, ut testatur concilium Ancyranum Canone nono. Eos uero qui nulla protestatione facta contra tacitam professionem nuptias contraxissent, à ministerio tantum amouebat, hoc est, offerre & sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officijs fungi non permittebat, Laica tantum communione eis concessa, ut habet Canon quintus concilij Ancyrani.

Denique qui contra expressam professionem & uotum, matrimonium

contra

contraxissent,excommunicabat. Sed interim ea erat apud Episcopum loci autoritas, ut talibus confitentibus humanitatem facere posset, ut habet Canon Concilij Chalcedonensis 15. 16. Matrimonium uero non diremit, ut testatur Augustinus Canone Nuptias 27. quæstione prima.

Porrò ne Episcopus aut quisquam ex Clero subintroductam mulierem haberet, omnino uetabat, ut habet Canon tertius Synodi Nicenæ. Clericos uerò in fornicatione deprehensos extra Ecclesiam abiecit, & ad pœnitentiam inter Laicos agendam redegit, ut habet Canon primus Concilij Neocæsarienſis.

Postea recentiores Canones coniugàtos ad Sacerdotium seu Diaconatum promoueri uetuerunt, Presbyteros quoque & Diaconos, qui ante ordinationem nuptijs uincti fuissent,abstinere ab omni opere coniugali,atque adeo separari à coniugibus iusserunt. Matrimonia quoque quæ Presbyteri seu Diaconi post susceptum ordinem contraxissent, diremerunt, & irrita declararunt.

In hac ergo Canonum diuersitate, si postremi Canones omnino posthac retinendi sunt,necessarium quoque erit, ut censuræ quæ in fornicarios in ueteribus Canonibus distinguntur,in usum quoque reuocentur,ne publicum scandalum ex impura ministrorum uita Ecclesiæ ingeratur.

Post uitam Cleri rectè institutam pari cura prouidendum est,ut Parochi puram & sinceram doctrinam populo tradant, ut sanam habeant uerborum formam, cuius finis sit ea quæ ueræ fidei & charitatis sunt,reiectis omnibus fabulis & quæstionibus curiosis,seduló inculcare, quemadmodum Apostolus docet. Quod finis præcepti sit Caritas de corde puro, conscientia bona,& fide non ficta.

Item, ut uerbum sine ullius contumelia & absque contentione spargant, ab errore caueant, falsam doctrinam arguant, sanæ uerò doctrinæ fortiter adhæresçant, in qua opus erit, ut breuis aliqua formula quæ doctrinæ summam contineat, publica autoritate edatur, ad quam ubiq; Parochi suas conciones exigant.

Prouidendum est quoque,ut in Ecclesia nihil neque in precibus,neque in Hymnis, neq; Lectionibus, quam quod ex scripturis & receptis autoribus depromtum est,recipiatur. Item,ut externi ritus,qui ad pietatem,honestatem,ordinem & tranquillitatem Ecclesiæ faciunt, obseruentur.

Item cum diuersitas ordinum Monasticorum, & plericq; abusus qui in Monasterijs committuntur multis scandalo sint, nec Monasticè eum fructum præsenti Ecclesiæ adferat, quem attulit olim,reformationi quoque eius inuigilandum est, ut posthac sint Monachi apud quos doctrina Christiana uigeat, qui linguas & autores conseruent, scripturas scrutentur, & explicent concionibus, & se & populum instituant, sic tamen ne Parochis in officio præiudicent, ac ea faciant quæ eos antiqui Canones facere debere censuerunt.

Vt autem tales in Ecclesia ministri, ac etiam Monastices professores haberi queant, constituendæ sunt apud Cathedrales & collegiatas Ecclesias & in Monasterijs Scholæ, quibus præficientur uiri tum docti tum pij.

Et quoniam operarius dignus est mercede sua, & ministris Ecclesiarum, et professoribus honesta stipendia seu solaria conferenda sunt,ne egentes in suo munere tepescant.

Postremo ut hęc omnia in perpetuo cursu retineantur, habendæ sunt suis temporibus Generales, Nationales, Prouinciales, Episcopales, Archidiaconales, & aliæ Synodi, in quibus de omnibus istis diligens inquisitio fiat. Item, ut gradatim appelletur, & secundum ueteres Canones de causis Ecclesiasticis ordine & ritè cognoscatur.

XXIII.

DE DISCIPLINA populi.

CVm insancta plebe sint senes, anus, iuuenes, puellæ, mariti, uxores, parentes, liberi, domini, serui, sint item diuersa uiuendi genera & uocationes, curæ erit Ecclesiæ ministris, ut omnes & singuli suam uitam & mores ad doctrinam Euangelicam conforment, id est, ut uocationi suæ seruiant & tranquillitati studeant & paci.

Deinde usus Clauis qui Iurisdictionis dicitur, in Ecclesiam quoad fieri potest, reuocandus est, & censura Ecclesiastica secundum Apostolicam & ueterum Canonum censuram restituenda, ut qui publicè criminosi sunt & impuri seu refractarij, & contentiosi, & qui Ecclesiæ scandalo sunt, à communione & sacris, donec resipuerint, arceantur & prohibeantur.

Pœnitentia quoque publica, quantum fieri potest in usum reuocanda, ut non nisi facta Exomologesi & obtenta reconciliatione, qui publicè deliquerunt, in Ecclesiam recipiantur, idq; ad eam moderationem quam præsentia tempora ferunt.

Postremò de Ieiunijs, de delectu ciborum, Ferijs & similibus corporalibus exercitijs, quæ partim ceremonialia sunt, partim disciplinæ, facile conuenerit, si uiris aliquot pijs iuxta ac doctis hoc negocij delegetur, ut hæc omnia ad eam moderationem reducant, quæ nulli laqueum injiciant seu oneri sint, sed ad exercendam pietatem & opera uerè bona (de quibus Decalogus & Euangelium præcipit) nos reddant alacriores.

Sequun-

SEQVVNTVR ARTICVLI QVOS DELECTI EX CONIVNCTIS AVGVSTANÆ CONFESSIONI EXHIBVERVNT OPPOSITOS CERTIS LOCIS IN LIBRO NON RECEPTIS.

PRÆFATIO PHILIPPI MELANTHONIS.

ETSI non prorsus noui, quibus consilijs institutæ sint actiones Ratisbonenses, tamen & moderatio Inuictissimi Imperatoris Caroli Augusti grata Ecclesijs & bonis omnibus esse debet, & exemplum memoria dignissimum est, ac ad omnem posteritatem pertinet. Constat enim non paucas esse Erinnyas, quæ ciuile bellum accendere, delere Ecclesias nostras, trucidare Christi membra, & pios Euangelij ministros, extinguere literarum studia, barbariem & vastitatem in patria efficere conantur. Hos impetus cum reprimat Imperator Carolus, agnoscendum est Dei beneficium, qui eius animum ad mitia consilia flectit, & ipsi Imperatori habenda est gratia, quòd suæ potius bonitati, quàm alienis odijs, morem gerit, quod vetat arma inferri Patriæ, & Ecclesijs, denique quod de his controuersijs Ecclesiastico more deliberationes instituit. Hæc moderatio cum in præsentia salutaris est, tum vero magnis Principibus ad posteritatem exemplo erit, vt motis controuersijs, inquirant fontes, audiant bonorum & moderatorum iudicia, non statim obtemperent Pontificum iracundiæ, qui dimicant non de Euangelio Filij DEI, non de salute Ecclesiarum, sed de sua potentia, de suis opibus & sua tranquillitate. Moderatè Imperator & hoc fecit, quòd cum librum proposuisset, qui videretur ad concordiam iter monstrare, tamen æquam conditionem adiecit, vt liberum esset dicere, quod quisque sentiret, eáque quæ in libro desideraret, bona conscientia indicare. Præclare Ambrosius, inquiens, ad Theodosium Imperatorem. Nihil tam in Imperatore amabile esse, quàm si libertatem dicendæ sententiæ concedat, & hoc inter bonos & malos Principes discrimen esse, quod boni libertatem ament, seruitutem improbi. Addit idem, Nihil tam in Sacerdote turpe esse, quam non dicere quod sentiat.

Contulimus igitur inter nos de libro, non solum placidè, sed etiam ingenuè. Et ad ingenuitatem candor pertinet. Autor libri ita attemperauerat scriptum ad iudicia Pontificiæ partis, vt si quid nobis largiebatur, obscurè id significaret, quædam vero palàm eripiebat, quædam etiam inuoluit ambiguis sententijs velut ænigmatibus. Quanquam igitur quædam in materijs vtilibus, de quibus nostræ Ecclesiæ necessario pugnant, breuius, aut obscurius dicta erant, quàm opus erat, tamen in iudicando candorem adhibui, pleraque preterij, vt aditus ad concordiam fieret. Sed cum postea grauiter nos ledi in quibusdam libri partibus in loco de Ecclesia, de humanis cultibus, de applicatione Cœnæ Domini, & alijs quibusdam animaduertissem, cœpi, vt dicam quod sentio, metuere insidias. Et manifestas ineptias aduersarij adeo duriter defendebant, non vt veritas queri ab ipsis, sed nostræ sententiæ palinodia videretur. De me dicam, nec reprehensionem, seu stulticiæ seu ineptæ morositatis metuò, incandui & ipse, & labefactare quædam absurda

surda cœpi, de quibus articuli sequentes exhibiti sunt, communi iudicio trium, qui eramus delecti ex nostra parte.

Videram pingi Ecclesiam, velut regnum politicum. Et erant in descriptionibus quædam quæ, quanquam fremens, preteribam tamen. Cùm ventum esset ad locum de potestate interpretandæ scripturæ, vidi quæ fundamenta iacerentur stabiliendorum maximorum errorum. Tria enim complectitur articulus. Primùm humano more constituit in Ecclesia potestatem interpretationis, propemodum vt de prætoria potestate interpretandarum legum Iurisconsulti loquuntur, deinde addit amplius, non licere priuatis, non paucioribus reprehendere iudicia maioris partis, seu dissentire à suffragijs plurimorum. Hinc efficit postremò, maiorum Synodorum sententijs & decretis parendum esse, Inde etiam contendebat Eccius, Synodos quæ vocantur legitimæ, non posse errare. Semper ita accidit, vt de Ecclesia homines politici cogitantes, imaginem conceperint humanæ politiæ, seu Regni. In Regno potestas est interpretandæ legis, seu regia, seu prætoria, quæ tribuitur certis personis, quæ funguntur publicis muneribus, hoc est, vel principi ipsi, vel præcipuè iudicum curæ. Et huic interpretationi obtemperandum est propter autoritatem magistratus, valent enim magistratuum leges ac sententiæ, partim propter probabilem rationem, partim propter autoritatem quam Deus attribuit ordini, vult inferiores horum iudicia, modo non sint absurda, priuatis iudicijs anteferre. In Ecclesia longè alia res est. Deponamus paulisper illam imaginem humanæ politiæ & cogitemus cœtum dispersum qui verè Deum inuocat, gubernatur à spiritu sancto, circumfert puram Euangelij doctrinam, & inter pericula admirandis Dei operibus defenditur. In hoc cœtu non potestas est alligata certis personis aut certæ multitudini, sed donum est aliquorum piorum, id est, lumen diuinum, quo intelligunt sapientiam in Euangelio traditam, quæ est supra rationis humanæ iudicium posita. Ac ingens interuallum est inter domum, & illam prætoriam potestatem, quæ Episcopis aut Synodis tribuitur. Porrò sæpè accidit in instauratione Ecclesiæ, vt vnus, aut pauci priuati renouarint doctrinam, & reprehenderint falsas persuasiones Pontificum, & reliquæ multitudinis, quæ dominabatur, vt Elias, Esaias, Ieremias, Iohannes Baptista, ab ordinaria potestate, & à multitudine dissenserunt. Et quidem mandatum Dei de confessione doctrinæ cogit singulos rectè sentientes testari quod sentiunt, & vbi vocatio requirit contra dicere multitudini, & gubernatoribus errantibus.

Sed liber longè aliter pingebat Ecclesiæ politiam. Nec aliud erat comprobare hanc formam, nisi traducere equum Troianum intra mœnia. Primùm enim errores quidam non leues recentium Synodorum stabiliti essent, si autoritas eis tribueretur ἀνεπιλήπτως, eamq; ob causam fatebatur Eccius se autoritatem Synodorum propugnare, vt articuli sequentes, de quibus sunt controuersiæ, sine certamine obtineri possent. Deinde & hoc astutè agebatur, si adsensi essemus, non licere priuatis aut paucioribus dissentire à superioribus ac pluribus, iam nostra voce, & nostris suffragijs nos ipsos condemnassemus. Cur enim Lutherus vnus errores Pontificum & scholarum attingere ausus est, cur nostræ Ecclesiæ eum sequuntur, ac non potius tot seculorum, Pontificum & scholarum consensum? Postremò pertinebat hoc præiudicium ad externas nationes, & ad posteritatem, quæ iure leuitatem nostram reprehensura fuisset, si tanta tyrannide armassemus Pontifices. Quanquam igitur video tempora domesticam pacem flagitare, & natura minus sum pugnax quàm opus est, tamen cum non agam priuatam causam, sed publicam Ecclesiæ, quid facerem? Ego verò ne quidem in tauro Phalaridis adsentiendum esse duco.

Hæc

Hæc eò commemoro, ne quis petulantiæ aut contumaciæ tribuat, quod repugnaui, etsi id verecundè feci. Et vident me hæc non tragicè narrare, qui sciunt quam artificiosè res instructa fuerit. Nec propterea veteribus & probatis Synodis autoritatem detrahimus. Semper enim constanter defendimus Nicenum Symbolum, quia & Apostolicæ scripturæ firma testimonia habet, & perspicuè suffragantur vetustiores scriptores, qui testes sunt primæ sententiæ in Ecclesia.

Secutum est certamen de abiectione panis in Cœna Domini, seu vt nouo ipsorum vocabulo vtamur, quod verè est κενοφωνία, de transsubstantiatione. Hic error confirmat falsas persuasiones de oblatione, inanem fiduciam & adorationem spectantium panem in pompis theatricis, extra vsum institutum. Et tota Ecclesia veris gemitibus optare debet, vt tandem Elias aliquis hanc horribilem sacramenti prophanationem aboleat. Sæpe mihi cogitanti de Turcica tyrannide, & tantis successibus impiæ & obscœnæ gentis, venit in mentem temporum. Decretum de illa panis abiectione factum est in magna Europæ perturbatione, anno post Christi natalem. 1215. Eo ipso tempore in Asia dominari hæc Othomannorum familia cepit, ac propemodum initia monent, hanc Turcicam rabiem & crudelitatem, peculiarem pœnam esse multiplicium delictorum, quæ decretum illud peperit, quod neruus est oblationis, quæstus Missarij, & opulentiæ ac luxus sacerdotum. Præcedebat reges Persicos equus gerens paruam aram, in qua erant cineres & flammula sacri ignis, quem ceu numen colebant & adorabant Persæ, vt igitur Rex videretur augustior, & vna cum suo numine adoraretur, cum hac pompa prodibat in publicum. Ita nunc Pontifices Romanos antecedit equus gerens panem consecratum, qui ibi vitiose adoratur. Sed hæc aliâs copiosius. Nunc breuiter recenseo, nos illam κενοφωνίαν, de panis abiectione, & prophanationem Sacramenti inde ortam, non voluisse confirmare.

De Pœnitentia, quales labyrinthi, quæ tenebræ sint in quæstionibus monachorum, quantum ethnicarum superstitionum adhuc sit in satisfactionibus multarum gentium, constat. Cùm verò depulsa illa caligine Deus reddiderit nostris Ecclesijs Euangelij lucem, noluimus recipere nouas corruptelas rerum rectè traditarum, vt facilè iudicabit Lector, collatis nostris & libri sententijs.

Sed vt in acie duces arte distribuunt copias, ita materiæ libri singulari consilio variè dispositæ sunt. In titulo de Ecclesia liber horribiliter execratur eos qui deserunt Ecclesiam. Et hanc describit quibusdam verborum inuolucris, vt non statim adpareat, quid moliatur. His fundamentis iactis, quæ sunt speciosa, post longum interuallum imponit illam suam ἱεραρχίαν, id est, Regnum Pontificium. Hic primum ostendit, quid vocet Ecclesiam, Alligat enim eam ad ordinariam successionem Episcoporum, & ad leges eorum. Ait esse cœtum, in quo vnus sit Monarcha Romanus antistes, dans potestatem docendi & administrandi Sacramenta cæteris per gradus, hoc est, Episcopis, & deinde inferioribus Sacerdotibus, & condens leges, vt liber loquitur, ad excitandam pietatem, & fulciendam fidem. Et addit, vinculum dilectionis à Paulo vocari obedientiam præstandam Episcopis ordinaria successione regnantibus, & eorum legibus. Negat esse Ecclesiam, cœtum non obtemperantem huic Monarchæ, & cæteris ordinaria successione regnantibus, negat esse ministerium Euangelij & remissionis peccatorum, sine autoritate talium Episcoporum ordinaria successione regnantium. Hæc est ἱεραρχία, quam pingit, & fastigium Ecclesiæ, quam extruit. Et vt Virgilij verbis vtar, Hic labor ille domus, & inextricabilis error. In hanc dædaleam domum introducere nos,

quid

quid erat aliud, quàm postulare confirmationem errorum Pontificiorum, & condemnationem nostrarum Ecclesiarum, in quibus cum luceat vera doctrina Euangelij, certum est eas extructas esse super lapidem angularem, Filium Dei, & vt Paulus loquitur, supra fundamentum Apostolorum, & esse Ecclesiam Dei, in qua Deus Pater Domini nostri Iesu Christi verè inuocatur, & perpetuò celebrabitur, Quæ esset impietas, condemnare has Ecclesias?

Remoueantur illæ humanarum politiarum imagines. Regna alligata sunt ad ordinariam successionem, vt Cambysi obeditur tanquam legitimo successori Patris Cyri, etsi filius dissimilis est Patri. In Ecclesia alia res est. Hæc regitur luce Euangelij, quod cum non retinetur in ordinaria successione, vbicumque fulget, ibi amplectendum & sequendum est, vt Christus ait, Oues meæ vocem meam audiunt. Deinde in illa dædalea domo tribuitur potestas Episcopis condendi leges, proponuntur Legum tabulæ, de cœlibatu ministrorum, de votis, de Missarum adplicatione, de inuocandis mortuis, de cæteris superstitiosis ceremonijs. His qui obtemperat, ducitur esse ciuis huius Ecclesiæ, cæteros liber execratur, & detrahit eis ministerium Euangelij & remissionis peccatorum. Nolo in hoc scripto indulgere meo dolori qui quidem à multis bonis viris, ipsis etiam Architectis huius ædificij, conspectus est. Quo enim esse animo debebam, cum viderem stabiliri veteres errores, & nobiscum minimè eo candore agi, quem pios præstare decet? Habeant sibi suam dædaleam domum, regna, iniustas leges, superstitiosos cultus, εἰδωλομανίας aucupia pecuniæ, luxum. Quid attinet à nobis petere earum rerum adprobationem?

Etsi autem autem toties iam audimus & legimus multorum orationes speciosè & plausibiliter concionantes, de ordine, de vinculis bonæ gubernationis & disciplinæ & colligentes incommoda quæ sequuntur, si leges Episcoporum negligantur, si non coerceant Episcopi iudicijs & pœnis Ecclesiasticis hominum petulantiam, tamen honestissimè semper & grauissimè, & eodem modo respondimus, non belligerari nos cum Ecclesiastica politia. Sed cum Episcopi sinceram Euangelij doctrinam improbent, cum interficiant nostros Sacerdotes, homines pios & eruditos, necesse est nos Regulæ Paulinæ obtemperare, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Deinde quid de iudicijs & moribus nunc declamitant. Quas Synodos habent tot iam seculis de doctrina? Quando concedunt pijs & doctis libertatem dicendæ sententiæ? Quæ iudicia exercent de moribus? Quales sunt in collegijs mores Canonicorum? cur ibi silent ipsorum leges & iudicia? Sed illæ magnificæ conciones, de ordine & de disciplina sunt, vt vocat Thucydides, χῆμα πολιτικὸν τοῦ λόγου, hoc est, honesti prætextus prauorum consiliorum. Non enim de vera autoritate Episcoporum, hoc est, de ministerij dignitate, & de cura retinendæ puritatis Euangelij, non de emendandis moribus, & disciplina omnium ordinum, sed de stabiliendis erroribus, & iniustis legibus dimicant, quæ sunt nerui potentiæ & opum. Memini multorum sapientum sermones de Ecclesiæ vulneribus, qui agnoscebant doctrinæ fontes turbatos esse, & inuectum à Monachis doctrinæ genus in Ecclesiam, partim sumtum ex inerudita Philosophia, partim ex Pharisaicis superstitionibus, deplorabant Liturgiæ vicia plurima, detestabantur & Regiam dominationem Episcoporum, & luxum collegiorum. Sed hæc mala potius toleranda esse dicebant, quàm faciendam ἀναρχίαν, quæ sit omnium malorum extremum.

Scio hæc magnifice dici, & gratam esse hanc orationem Regibus. Sed hæc sapientia nihil ad Ecclesiam pertinet, in qua necesse est taxari εἰδωλομανίας, vel si fractus illabatur

batur orbis. Deinde errant illi de ἀναρχία, Nunc verè est in ipsorum Ecclesijs ἀναρχία. Titulus est splendidus, ἱεραρχία Ecclesiæ, in qua fingitur esse vnus gubernator, qui custos sit doctrinæ, legum & morum, deinde attribuuntur Episcopi, velut ephori, nunquam ab hac specula tuendi Euangelij deijcientes oculos. Hæc ita fieri optaremus, & si fierent, iam illam ἱεραρχίαν seu politiam Ecclesiæ toto pectore veneraremur. Sed constat totam illam ἱεραρχίαν nunc quidem apud ipsos, inane nomen esse, reuera est ψυαρχία. Dominari Pontifices, Episcopos, prælatos, tenere opes, dignitates, interesse regum consilijs, aut frui ocio videmus. Sed hæc nihilo plus ad ministerium Euangely, cui seruire debebant, pertinent, quam Lycurgi politia.

Nostris literis magis ornata est ministerij dignitas, quàm vllis scriptis aduersariorum. Ideo maximè prohibemus ἀναρχίαν. Regnet in Ecclesia vox Christi, præeant gregi Pastores, & ministri Euangelij induti iusticia, vt Psalmus loquitur, hoc est, doctrina, pietate, virtute, sapientia antecellentes, & munere suo diligenter fungentes. In his rebus vera est dignitas. Tales Pastores etiam Canonicam politiam, vt vocatur, facilè tuebuntur & sapienter moderari poterunt, ita vt conscientijs pijs non injciantur laquei, & tamen disciplina retineatur. Illa verò vincula de successione ordinaria, non injciant Ecclesiæ, Inde enim postea multa sequuntur. Hunc ordinem Episcoporum ἀναμάρτητον esse, Ea quæ communi consensu probant aut constituunt hi qui titulum gerunt Episcoporum, amplectenda esse tanquam firma dogmata, & κυρίας δόξας Ecclesiæ. Deniq; hæc persuasio, præcipuum vallum est legum iniustarum, & regiæ dominationis ipsorum. Ideo necesse fuit, nos de hoc circumspectius respondere.

Reliqua est extrema pars, quæ inuocationem mortuorum, & adplicationes Cœnæ Domini non dissimulanter confirmat, quam partem si quis nostra suffragatione iudicat comprobandam fuisse, is consideret quantam εἰδωλομανίαν toto orbe terrarum confirmaturi fuissemus. Magnum Ecclesiæ probrum est impurus cœlibatus sacerdotum. Sed multò plus mali est in Inuocatione mortuorũ, & commenticia oblatione & applicatione Missarum, vt vocant. Nec dubito quin præcipuè propter has εἰδωλομανίας Deus iratus tã crudeli & fœda Tyrannide Turcica Ecclesiam puniri sinat. Nec ego nunc augere certamina volo. Scio hic incommoda extenuari, mitigari, tegi, inflecti verbis. Non adeo sum illiteratus vt ignorem hæc in malis causis fieri solere. Hæc sunt illa σοφὰ φάρμακα, & vt Paulus vocat ψιθυρολογίαν quæ semper inde usq; ab initio mundi, veritati tenebras offuderunt, & paulò pòst rursus offundent. Clamant opus esse concordia, pace, agnosco & semper vota feci, vt rebus tantis verè iudicatis, concordia constitueretur, dedi etiam operam, vt disertè explicatis sententijs nostris facilius coiret concordia, & fuisse meas sententias moderatas, puto multos testari posse. Sed nulla sunt humana pericula tanta, propter quæ confirmari vicioſi cultus debeant, video quid dissensio noceat patriæ, & doleo eorum, qui communi animo defendere patriam debebant, voluntates distractas esse. Sed non minus doleo, conferri causam omnium calamitatum in hoc donum Dei, videlicet in Euangelij lucem, cùm reuera aliæ sint odiorum causæ

ACTA
I.
DE ECCLESIA.

PRæcipua reuerentia post Deum & uerbum Dei debetur Ecclesiæ, quam Deus adeo dilexit ut filium unigenitum pro ea uictimam esse uoluerit, quam donat Spiritu suo in qua celebrari uult in uita æterna. Est igitur pietas diligenter & grato pectore omnia dona quibus ornata est colligere, & considerare quàm mirabiliter eam inde usq; ab initio Deus rexerit, habet filium Dei saluatorem, Euangelium, Spiritum sanctum gubernatorem, habet ministerium, per Patres, Prophetas, Christum & Apostolos propagatum. Habet pastores & ius uocandi ministros, ad propagationem & conseruationem Euangelij, habet dona excellentia, intellectum & interpretationem doctrinæ, diuinitus traditæ, quæ est sapientia arcana aliena à iudicio rationis, de Dei uoluntate, sicut dicitur Ephe 4. Dedit alios Apostolos &c. Habet & administrationem Sacramentorum & suam quandam Iurisdictionem & sua iudicia. Sed semper tenenda est regula, Maiorem esse autoritatem uerbi diuini nobis propositi in scripturis Propheticis & Apostolicis, quàm ullius hominis, ullorum Episcoporum, ullarum Synodorum, aut totius Ecclesiæ. Agnoscimus autem hanc triplicem autoritatem competere ueræ Ecclesiæ, primam testificandi de scripturis Apostolicis seu discernendi Apostolorum scripta à suppositicijs. Cùm enim circumferrentur titulo Apostolorum dissimiles libelli, retenti sunt hi, quos meminerant Ecclesiæ certò traditos esse ab Apostolis, seu fide dignis autoribus, Postea uniuersalis consensus his retentis repudiauit alia dissentientia. Narrat enim Eusebius singularem adhibitam esse curam, conseruandi scripta tradita certa autoritate, & discernendi à cæteris temere sparsis.

Etsi igitur singulare opus & beneficium Dei est conseruatio certorum Propheticorum & Apostolicorum scriptorum, tamen agnoscenda est hîc diligentia & autoritas Ecclesiæ, quæ partim testificata est de certis scriptis, partim iudicio Spirituali indigna & dissentientia à reliqua Prophetica & Apostolorum scriptura repudiauit. Quare Augustinus commendat nobis autoritatem primæ Ecclesiæ, recipit scripta Catholico consensu primæ Ecclesiæ comprobata, Manichæorum recentiores libellos repudiat, Ideo inquit, Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret autoritas. Moueri se significat consentientibus testimonijs primæ Ecclesiæ, ne dubitet nos liberos esse traditos ab Apostolis, & dignos fide.

Secundò tribuenda est autoritas ueræ Ecclesiæ, quod penes eam est uerus intellectus seu interpretatio scripturæ. Retinet enim fundamentum, & habet donum interpretationis, ut Paulus inquit. Sed aliàs in pluribus, aliàs in paucioribus, aliàs purius, aliàs impurius, Cum Samosatenus furens nollet uerbum Iohan. 1. de persona interpretari, conuenerunt uicini & ostenderunt ex ipsa narratione Iohannis, & alijs locis uerbum intelligendum esse de persona, & simul testati sunt hanc fuisse sententiam Catholicæ Ecclesiæ traditam inde usq; ab Apostolis.

Cùm Pelagius sparsisset opiniones philosophicas de Iusticia legis, & ex Origenis scriptis alioqui maxima pars hominum similes opiniones hausisset, accendit Deus Augustini pectus, ut errorem uideret, & confutaret, ac monstraret doctrinam de gratia.

Ita est

Ita est quidem donum interpretationis penes ueram Ecclesiam, sed non est certis personis aut locis alligatum. Et aliâs est in pluribus, aliâs in paucioribus, aliâs magis, aliâs minus illustre aut purum. Sicut & Paulus inquit. Quosdam supra fundamentum stipulas struere.

Cùm igitur in Ecclesia sit donum interpretationis, audiri Ecclesiam docentem necesse est, & qui habeant donum, hæc duo ostendent. Scripturæ Testimonia uerè consentientia, & catholicus consensus. Vocamus autem catholicum consensum, Patrum, Prophetarum, Apostolorum consensum, & certis testimonijs tradita ab Apostolis, & quæ cùm his testimonijs uerè congruunt, sicut narrat Origenes Baptismum infantum ab Apostolis acceptum esse, Ireneus narrat se accepisse doctrinam de duabus naturis in filio Dei à Policarpo, Policarpum à Iohanne, Talia sunt multa exempla in scriptoribus, quæ tanquam historiæ primæ Ecclesiæ ostendunt, quid illa senserit. Cùmq; hæ sententiæ cum scripturis aptè congruãt, multum ualent ad confirmandas mentes piorum, sed fides nititur uerbo Dei tradito per Prophetas & Apostolos. Fortassis ethnicus legens illa: Et Deus erat uerbum, non cogitaret uerbum personam intelligi. Ideo audienda est Ecclesia, in qua catholicus consensus interpretatur personam. Admoniti ergo pij & adiuti alijs dictis assentiuntur & credunt articulum propter uerbum Dei, atq; ita uerè inuocant filium Dei, quem non possent inuocare, si fides ex humana autoritate penderet.

Hæc sunt manifestissima, Illud autem affirmari non potest, hunc uerum intellectum, & donum interpretationis esse penes impiam multitudinem, quam uis & hæc sit in externa societate Ecclesiæ, multò minus tribuitur hoc donum prophanis & ijs quos oportuit esse propter nota crimina excommunicatos. Sed intellectus uerus & donum interpretationis ad pios pertinet, sicut dicitur. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

Tertiò tribuenda est Ecclesiæ autoritas constituendi iudicia de doctrina. Imò mandatum diuinum est ut Ecclesiæ exorientes controuersias cognoscant & pronuncient iuxta uerbum Dei rectè intellectum, ut ait Paulus, Si quis aliud Euangelium docebit anathema sit, eaq; in re possunt adiuuari testimonijs primæ Ecclesiæ Catholicis, quæ ab Apostolis tradita leguntur. Hæc enim uocamus consensum Catholicum, sed semper sit præcipua autoritas uerbi Dei. Cùm igitur pronunciatur iuxta uerbum Dei rectè intellectum, necesse est omnes parere, sicut rectè pronunciarunt aliquæ piæ Synodi de multis controuersijs. Obtemperat igitur uera Ecclesia talibus iudicijs, quia imperitiores melius agnoscunt iam sententias traditas in uerbo Dei & confirmantur cùm uerbo Dei, tum etiam admoniti de testimonijs Catholicis quæ leguntur ab Apostolis accepta. Sic nostræ Ecclesiæ nobis assentiuntur contra Anabaptistas & alios.

Cùm autem possit accidere, ut plurimæ personæ in Synodo, ut Syrmiensi sint impiæ, etiamsi aliquę sint piæ, ut ibi Hosius habebatur, fatendum est Synodos generales & prouinciales errasse & errare posse. Præterea etiam pij habent suos lapsus, ut ostendunt scriptorum multa incommodè dicta.

III.

B.

DE SACRAMENTO CORPORIS ET Sanguinis Domini.

CHRISTVS inquit. Accipite, manducate hoc est corpus meum, & deinde hic est sanguis meus. Ideo fatemur in cœna Domini uerè & realiter corpus & sanguinem Christi adesse, & cum Pane & Vino exhiberi sumentibus.

Triplex autem finis est, Primus ut hac sumtione admoniti recordemur passionis & resurrectionis Christi, & erigantur piæ mentes fide agnoscentes filium Dei pro nobis passum esse, noscq; sumto corpore & sanguine Christi factos esse membra, & habere reconciliationem propter filium Dei. Hac fide per Sacramentum applicatur nobis gratia. De hoc fine concionatur Christus ipse inquiens, hoc facite in mei recordationem, Vult enim nos retinere memoriam passionis & promissi beneficij, Nec uult tantùm historiæ memoriam conseruari, sed uult, ut hæc beneficia in usu Sacramenti nobis fide applicemus.

Secundus finis est, ut Deo pro immensa misericordia erga nos, & filio pro nobis dato, uicissim gratias agamus, in usu huius Sacramenti.

Tertius finis est, ut facti membra unius corporis Christi admoneamur de mutua dilectione, Quare Paulus inquit, sicut unus est panis, ita unum corpus multi sumus.

Semper autem de Sacramentis regula tenenda est, esse ea principaliter Testimonia uoluntatis Dei erga nos seu gratiæ, Postea alij fines accedere possunt,

Docemus & hoc, neminem ad usum huius Sacramenti idoneum esse perseuerantem in delictis contra conscientiam, nec admittendos esse eos qui obnoxij sunt manifestis criminibus. Docemus igitur Apostolicam regulam, probet seipsum homo, & sic de hoc pane edat. Vt autem Ireneus inquit, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena & cœlesti, & Paulus ait. Panis quem frangimus participatio est corporis Domini, ita nos docemus, cùm pane consecrato exhiberi corpus Christi sumentibus. Nec docemus fieri transsubstantiationem, ut uocant, seu abijci substantiam panis, & sequimur multorum sanctorum Patrum firma & perspicua testimonia.

C.

DE SECVNDO PARAGRAPHO IN ARticulo de pœnitentia.

IDcirco peccata saltem letalia, quorum quis sibi conscius est, & quæ conscientiam perplexam tenent &c.

De ea parte respondemus, retinendum esse in Ecclesijs ministerium priuatæ absolutionis, quæ est uox Euangelij sonans per ministros, & singulis applicans remissionem peccatorum. Id beneficium pijs & pauidis conscientijs gratissimum est, quæ hac ipsa uoce confirmantur, ut statuant Euangelium non solum alijs generaliter, sed singulis etiam promittere remissionem, & unicuiq; adplicare Christi promissionem. Hæc confirmatio salutaris est pijs, qui luctantur cum ueris pauoribus. Interim tamen in Ecclesia extare & hanc doctrinam necesse est, Quòd enumeratio delictorum nec mandata sit iure diuino, nec necessaria. Et quòd sine ea peccata remittantur contritis & fide se sustentantibus. Sicut & Prosper testatur. Illi quorum peccata humanam noticiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab alijs publicata, si ea confiteri uel emendare noluerint, DEumque habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Quòd si

ipsi

ipſi ſui iudices fiant, & ueluti ſuæ iniquitatis ultores, in ſe uoluntariam pœnam ſeueriſſimæ animaduerſionis exerceant temporalibus pœnis æterna mutabunt ſupplicia, & lacrymis ex uera cordis contritione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia. Hæc Proſper.

Et conſcirentur conſcientiæ in periculoſas dubitationes, ſi putarent omnium peccatorum enumerationem neceſſariam eſſe. Sed tamen quia multi propter ambiguos caſus habent opus conſilio, ideo hortandi ſunt homines, ut addant enumerationem, ut iuuari conſilio aut excitari magis ad pœnitentiam, & de multis rebus admoneri poſſint. Nam prudens paſtor in eo colloquio melius inſtituere confitentem poterit, cùm animaduertit quibus aut erroribus aut uitijs implicitus ſit.

Accedit & hoc quòd ipſa cogitatio de enumeratione ſubijcit conſpectui noſtro turpitudinem peccatorum, & magis admonet nos ipſos de ira Dei, & diſciplina prodeſt rudibus, cum hac enumeratione colligere & diſcernere peccata diſcunt. Sed tamen teneatur doctrina de fide, propter Chriſtum accipi remiſſionem, non propter enumerationem ſeu confeſsionem.

Illud etiam addendum eſt, pertinere ad officium paſtorum, ut certis temporibus audiant plebem & interrogent ſingulos de ſua fide. Nam fidem quiſq; profiteri debet. Hîc rudiores doceat Paſtor, admoneat etiam de moribus ea, quę uidentur idonea ætati. Sed neceſſitas imponi non poteſt, occulta recitandi. Et ad hæc difficilima munera, ad dandum conſilium, ad rudes explorandos, & docendos, miniſtris idoneis, pijs peritis & grauibus opus eſt.

IN TERTIO PARAGRAPHO VBI DICITVR *abſolui homines ab ijs, quæ legitimè confeſsi ſunt.*

NEceſſariò addenda eſt explicatio, abſolui contritos etiam ab ijs, quæ in recitatione omiſſa ſunt, aut quæ ignorantur. Et uerbum (legitimè) pariet ſcrupulos. Ideo ſatius eſſet hanc particulam omitti. Et contritis ac credentibus contingit etiam alijs modis remiſsio per publicum miniſterium Euangelij.

III.

DE ENVMERATIONE DELICTORVM IN *Confeſsione, confirmatio articuli exhibiti.*

IVſi ſumus articulo noſtro de enumeratione delictorum in confeſsione, addere noſtræ ſententiæ rationes & teſtimonia. Rogamus igitur cum debita reuerentia, ut hæc noſtra explicatio clementer accipiatur.

Etſi autem hic unus locus de enumeratione, non longam habet diſputationem, tamen cùm complectatur totam doctrinam de pœnitentia, ſumma uoluntate de eo reſpondemus. Vtiliſsimum eſt enim in Eccleſia extare firmam & perſpicuam doctrinam de pœnitentia. Cumq; diſcordiæ horum temporum primùm exarſerint ex reprehenſione uetuſtorum abuſuũ in partibus pœnitentiæ, dedimus operam, optima fide, ut lucem diuinitus oſtenſam de omnibus pœnitentiæ partibus diligenter conſeruaremus.

Nec ignoramus ſapientum iudicia, qui laxata lege de enumeratione, queruntur ſolui diſciplinam. Et ut Baſilius ſcribit, quendam in refutatione neſcio cuius erroris longius prouectum, feciſſe Agricolarum more, qui cùm curuas frondes extendere conantur, ut rectæ creſcant, pluſculum inflectunt eas in contrariam

trariam partem, Ita ſcimus quoſdam magnæ autoritatis homines de nobis quoq; iudicare, Noſtros magnitudine ueterum abuſuum motos dum uehementius eos exagitant, longius in alteram partem, quaſi uentis contentionum propulſos eſſe. Nnnc à ſapientibus quærendam eſſe moderationem.

Etſi autem interdum in contentionibus ſunt impetus immoderati, tamen in hac tota cauſa de pœnitentia certò ſcimus nos intra ueras metas conſtitiſſe, & ſalutarem doctrinam inſtauraſſe. Nec dubitamus ad iudicia ueræ Eccleſiæ, id eſt, omnium piorum toto orbe terrarum prouocare.

Primùm autem, ad quærelas de diſciplina breuiter reſpondebimus. Paulus monet in Eccleſia humanas traditiones habere ſpeciem ſapientiæ. Sæpè enim incommodè miſcent ſapientes & politici uiri diſciplinam ſeu externam gubernationem, cum ſpirituali. Laxata lege, inquiunt, ſecuritatem in uulgo augeri, & creſcere licentiam, multos negligentius diſcere, quæ ſint peccata, qui gradus, quæ diſcrimina.

Ad hæc reſpondemus, Ingens diſcrimen eſſe inter ea quæ pertinent ad externam diſciplinam, & illa quæ ad ſpiritualia certamina conſcientiæ luctantis cum ira Dei, pertinent. Habet diſciplina ſuas leges & ſuos neruos, puniat Eccleſia flagitioſos excommunicatione, acribus concionibus, increpationibus paſtorum, Habeant pueri & alij rudiores Catecheſin certis temporibus, dicant legem Dei, exploretur eorum fides, caſtigentur malè morati. Coerceantur omnes metu ciuilium legum & pœnarum. Hi ſunt nerui diſciplinæ proprij

Quanquam noſter Articulus talis eſt, ut & ad diſciplinam proſit, & medeatur conſcientijs. Prodeſt enim ad diſciplinam, quia cùm retineamus priuatam abſolutionem, accedunt ſinguli ad paſtores, ab his explorari, inſtitui, increpari poſſunt. Interim tamen, ne inijciantur laquei pijs & perterrefactis conſcientijs, item ne confirmentur errores ex enumeratione orti, nolumus onerari conſcientias lege poſtulante enumerationem ſeu omnium, ſeu paucorum, tanquam neceſſariam.

Dixerunt aduerſarij enumerationem eſſe meritum remiſsionis, dixerunt ideo neceſſariam eſſe ut auditor confeſſionis tanquam iudex irrogare mulctam poſſit. Sequitur perpetua dubitatio, ſi ſentiendum eſt enumerationem neceſſariam eſſe. Hæc dubitatio extinguit fidem. Harum maximarum rerum ſpiritualium præcipuè ratio habenda eſt in Eccleſia. Poſtea uidendum quibus modis à Deo traditis diſciplina retinenda ſit.

Cùm igitur ſapientes illi de diſciplina differunt, reſpiciant etiam ad alteram partem magis neceſſariam, uidelicet ad paria pericula piarum conſcientiarum. Si hunc ipſum ritum in Eccleſijs noſtris uiderent, fortaſſis fierent placatiores. Nemo admittitur ad communionem, niſi prius exploratus & abſolutus ſit à paſtore ſeu diacono, in eo colloquio multi petunt conſilia de certis caſibus multi erudiuntur. Et ſingulis Dominicis magna eſt frequentia confitentium. Si qui ſunt malè morati, arcentur à communione, & paſtor admonet magiſtratus ſui officij. Si quis prophanus nollet accedere ad communionem, admonitus cùm non obtemperat, uituperatur in publica concione, & habetur tanquam excommunicatus. Talis ritus utilis eſt ad diſciplinam, & conſcientijs non inijciuntur laquei.

Hæc præfati ſumus ad placandos eos, qui queruntur ſolui diſciplinam. Quanquam ſpecioſa eſt ea oratio, tamen hîc cogitemus dictum Pauli, qui inquit,

quit humanas traditiones habere speciem sapientiæ, nec discedamus à ueritate propter illas speciosas rationes. Quidam autem fortassis non propter disciplinam, sed propter suas utilitates defendunt hoc regnum confessionū, quod auget autoritatem ordinis, locupletat monachos, dimicant etiam aliqui de hac lege, ne sinant aliquid decerpi de autoritate synodorum. Sed hoc loco has causas exagitare noluimus. Nunc adijciemus nostri articuli confirmationem.

Non est quæstio de Absolutione priuata. Constat enim retineri in Ecclesijs nostris & defendi absolutionem priuatam. Præcipua est quæstio de enumeratione delictorum in confessione. Tres autem grauissimæ causæ sunt, propter quas defendimus hanc sententiam, quod Ecclesia non sit oneranda lege postulante enumerationem seu omnium, seu paucorum, tanquam necessariam.

Prima est quòd hæc enumeratio existimatur esse cultus & meritum remissionis.

Secunda, quod dicitur postulari, ut possit indici satisfactio.

Tertia quòd Lex de enumeratione adducit conscientias in dubitationem, quæ extinguit fidem. Hi pernicioſi errores secuti sunt ex opinione illa de necessitate enumerationis. Imò hic fons est etiam satisfactionum quæ Deo displicent.

Vt igitur Paulus clamitat abrogans legem Mosaicam, state in libertate uidelicet, ne homines putarent cæremonias legis cultum & meritum remissionis esse, ita nos libertatem enumerationis defendere oportet, ut intelligant pij, remissionem peccatorum non pendere ex enumeratione aut satisfactionibus, item ne fides extinguatur & opprimatur dubitatione, & desperatione. Loquimur autem hîc non de publica Confessione, in qua, cum Ecclesia iudicet de manifestis criminibus, fit enumeratio seu mentio criminum, ut in alijs iudicijs humanis. Sed hîc loquimur de arcana Confessione, in qua petitur absolutio pro conscientia coram Deo per uocem ministri, ut satis intelligunt eruditi discrimen inter illud publicum iudicium, & inter hanc partem ministerij adplicantis Euangelium pro conscientia, seu administrantis Sacramentum. In hac petitione Absolutionis, dicimus non esse necessariam enumerationem delictorum seu omnium, seu paucorum.

Prima ratio. Non est addenda gratuitæ remissioni peccatorum ulla res tanquam necessaria, sine certo mandato Dei.

Enumeratio solet requiri tanquam necessaria ad remissionem, cum Deus non præceperit recitari delicta, imò uelit remissionem gratuitam esse, ut intelligamus eam donari propter Christum.

Ergo nequaquam postulanda est.

Minor est manifesta, quia Christus nusquam præcipit hanc enumerationem. Et ipse toties absoluit, inquiens, remittuntur tibi peccata, nec ullam postulat recitationem delictorum.

Secunda ratio. Non est pretextu nominis diuini proponendum mandatum, quod non tradidit Deus.

Nusquam CHRISTVS aut Apostoli præceperunt de enumeratione.

Igitur non docendum est, iure diuino præcipi enumerationem.

Tertia ratio. Quidquid extinguit fidem remiſsionis peccatorum, non eſt addendum abſolutioni. Lex poſtulans enumerationem ſeu omnium, ſeu pluriū tanquam neceſſariam adfert dubitationem, quæ labefacit fidem.

Ergo hæc lex non eſt aſſuenda Abſolutioni.

Sed obĳciunt quidam. Quidquid ſolueritis &c. Hîc cùm Chriſtus iubeat ſoluere, iubet etiam cognoſcere. Plana, perſpicua & firma repſonſio eſt. Miniſterium abſoluens, etiam remittit ignota. Ergo ex hoc dicto non neceſſariò ſequitur cognitionem præcipi, cum fit mentio abſolutionis. Loquimur enim iam non de iudicĳs illis Eccleſiæ publicis, in quibus Eccleſia tantùm de manifeſtis factis iudicat. Sed loquimur de ſolutione animæ coram Deo. In hac ſolutione miniſter impertit Euangelĳ uocem petenti, ſicut alia Sacramenta, Scriptores pleriq; non ſatis attenderunt diſcrimen inter illa publica iudicia Eccleſiæ, & hanc adminiſtrationem Sacramenti. Ideo habent intricatas diſputationes de Abſolutione, cum res ſit facilis. In adminiſtratione ſacramenti miniſter fungitur mandato Chriſti, non ut cognoſcat alterius delicta tanquam iudex, ſed ut ei uocem Euangelĳ annunciet, impertiens beneficium Chriſti.

Animaduerſo hoc diſcrimine facilis eſt etiam reſponſio ad uulgare argumentum.

In iudicio nemo poteſt abſolui, niſi præcedat cognitio.

Hic fit abſolutio, Ergo neceſſe eſt precedere cognitionem.

Reſpondemus, maiorem ueram eſſe de iudicĳs, non de miniſterio, in quo abſoluens, non eſt iudex, ſed habet mandatum ut impertiat beneficium, ut conſtat. Neceſſe eſt enim retineri hanc ſententiam, quòd etiam condonentur ignota, quæ & magna & multa ſunt. Quantus eſt enim aceruus peccatorum omiſſionis ut uocant, in omni gubernatione.

Imaginatio de cognitione ex forenſi doctrina huc translata eſt, cogitet autem lector, in quas fyrtes conſcientia pertrahatur, ſi nulla ſit abſolutio, niſi rei cognitæ. Quare illas imaginationes explodamus & diſcamus intelligere uim Miniſterĳ, audiamus uocem Euangelĳ, fide intueamur filium Dei, hunc cogitemus uictimam pro nobis fuiſſe, hunc cogitemus impertire condonationem & abſolutionem. De hac fide quæ ſtatuit gratis propter Chriſtum certò accipi remiſsionẽ, & luctatur cũ dubitatione, ſilentium eſt apud iſtos cauſidicos ignaros rerum ſpiritualium, qui transformant Euangelium in forenſem doctrinam. Liberanda eſt igitur Eccleſia à talibus erroribus & patefacienda doctrina de conſolatione conſcientiarum, de fide ſine qua non rectè inuocatur Deus. Nam dubitans an habeat remiſſionem peccatorum fugit Deum, nec poteſt eum uerè inuocare.

Sed pergo ad certa argumenta, quæ obĳciuntur de Enumeratione. Iacobus inquit. Confitemini peccata ueſtra mutuo. Hic autem præcipit enumerationem. Reſponſio eſt. Iacobum loqui de mutua reconciliatione inter diſcordes, Iubet enim mutuam eſſe confeſſionem.

Citant & hoc. Oſtendite uos Sacerdotibus, Ergo iubet enumerari. Reſponſio eſt. Non ait cauſidicis, ſed ſacerdotibus, hoc eſt, miniſtris Euangelĳ, mittit Chriſtus omnes, qui mundantur, ad Euangelĳ uocem, hanc nobis uult teſtem eſſe mundationis, imò hac ipſa uult nos mundari. Itaq; dictum Chriſti intelligatur de audiendo Euangelio, non de enumeratione, Laus eſt miniſterĳ, ſeu Euangelĳ, non futilium recitationum humanarum.

Sed

Sed allegatur ueterum autoritas, & nouum sophisma repertum est, hunc esse consensum Ecclesiæ perpetuum & catholicum quod plurimi scriptores, quacunq; de re tradiderunt, unde hoc sophisma ortum sit, dicemus aliâs. Nunc breuiter respondemus, Patres plurimum loqui de publica pœnitentia quam sic uocabant, in qua manifesta crimina puniebantur. Ad hanc pœnitentiam, & ad has pœnas uocabant contaminatos manifesta turpitudine. Ac legendi sunt patres cũ iudicio. Quã multa enim Cyprianus de his pœnis dicit, quæ si quis durius intelligat, absurda sunt, aliquoties ait sine illis pœnis nõ ualere absolutionẽ. Hoc dictum certè opus habet aliqua correctione. Alius alio seuerior erat ac durius exercebat hanc censuram. Inde creuerunt laudes huius publici ritus. Et erant qui ultro has pœnas subibant, & arcana confitebantur. Sed id necesse non erat. Ideo discernunt Patres ipsi arcana à manifestis, ac docent arcana remitti etiam sine confessione, ut perspicuè testatur dictum Prosperi citatum in articulo nostro.

Idem docet Chrysostomus in Psalm. Miserere. Si pudet alicu[illegible]ere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico, ut confitearis conse[illegible]tuo, ut tibi exprobet, dicito Deo, qui sanat ea. Nota sunt ea quæ recitantur à Gratiano, qui significat laudatos scriptores alios aliter de hac re locutos esse, Sunt & recentes scriptores magnæ autoritatis, qui sentiunt enumerationem dictorum iure humano tantum præceptam esse.

Hæc eo commemoramus, ut intelligi possit non esse catholicum consensum de confitendis seu enumerandis arcanis. Nec catholicus consensus æstimandus est ex testimonijs truncatis ullius partis, sed nos quod ad scriptorum ueterum sententiam attinet, prouocamus ad iudicia eruditorum & amantium ueritatem ac abhorrentium à Sophistica. Fides niti debet uerbo Dei, non humanis testimonijs, Ideo primum exorsi sumus à Christi & Apostolorum dictis, ostendimus quid ibi præceptum sit de gratuita remissione. His fundamentis nitatur fides, postea quærantur dicta patrum, à quibus dextrè intellectis pij adiuuari possunt. Et non dubitamus Patres uelle de arcanis id quod dicimus.

Sed obijcitur autoritas Synodi Lateranensis. Veneramur pias Synodos, & non pugnantes cum uerbo Dei, sed regula tenenda est. Si angelus de cœlo aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Qualia autem sint eius synodi decreta in qua & Lex condita est Omnis utriusq;, dicemus aliàs copiosius, Nunc tantùm de hac lege respondebimus

Deus prohibuit onerari Ecclesiam traditionibus humanis, quæ habeantur uel pro cultibus, uel pro meritis remissionis peccatorum, uel pro rebus necessarijs ad salutem, uult enim extare hanc doctrinã, quod fide propter Christũ gratis habeamus remissionem, uult cultus esse, quos ipse tradidit, non quos excogitat humana superstitio. Propter has grauissimas causas dimicat Paulus de abrogatione legis. Et Petrus inquit. Quid tentatis Deum, imponentes iugum &c. Atrocitatem peccati exaggerat, inquiens. Quid tentatis Deum. Peccant igitur qui cultus instituunt, & qui traditiones condunt tanquam necessarias ad salutem. Cùm autem Lex illa de Enumeratione condita sit, tanquam necessaria ad salutem, & enumeratio habeatur pro cultu sequitur necessariò reprehendendam fuisse, & hoc iugo liberandam fuisse Ecclesiam.

Quamuis

Quamuis frequens fuerit senatus ille Synodi, quantumuis longa subsellia, tamen audire Petrum debebant, clamantem, quid tentatis Deum, imponentes iugum? Constat morem ita receptum esse, ut existimetur esse singularis cultus & meritum remissionis peccatorum, Et lex ipsa cùm præcipiat rem impossibilem, tamen facit eam necessariam ad salutem, uult abijci uelut excommunicatos, eos qui non confitentur omnia delicta. Hîc leditur fides dupliciter, primùm, quia obscuratur gratuita remissio, & putatur enumeratio & necessaria & meritum esse, & dubitatio quæ non potest non sequi, postquam lex iubet omnia peccata recensere extinguit fidem.

Hæ sunt magnæ & necessariæ causæ, propter quas legem necesse fuit reprehendi, & negligi autoritatem synodi, cui non licuit instituere cultum nouum, & proponere rem impossibilem, non mandatam adeo, tanquam necessariam ad salutem. Accedit & hoc quòd cùm Ecclesia non iudicet de occultis, non potest mandare ut occulta recitentur. Deinde & alij uicioſi cultus secuti sunt, uidelicet satisfactiones. Nam quidam sic defendunt confessionem, ideo necessariam esse cognitionem aiunt, ut modus mulctæ indici possit, Quantum autem uicij sit in satisfactionibus, expositimus in Apologia, ad quam referimus nos, & sentimus integram doctrinam de pœnitentia uerè, piè & fideliter à nobis explicatam & illustratam esse, eaq; in re credimus nos Deo gratum officium fecisse, & pijs angelis iucundum, quibus lætitiam parit uera hominũ pœnitentia. Itaque ipsos etiam angelos dolore adficeremus, & ueram Ecclesiam Christi grauissimè lederemus, si ueram piam & necessariam doctrinam de pœnitentia abijceremus, oramus autem Deum, ut luce Euangelij & spiritu sancto Ecclesiam suam gubernet & augeat, & nos offerimus ad copiosiorem declarationem, cum summa reuerentia.

Postremò & hoc testamur nos in hoc scripto simpliciter de causa ipsa respondere, de qua multorum securûm errores reprehendimus, nec uoluisse reuerendos ac doctissimos uiros ac nobis priuatim amicos delectos ad hoc colloquium usquam perstringere.

XVII. Maij.
IIII.
D.

DE SATISFACTIONIBVS.

SAatisfactio quæ meruit remissionem culpę & liberationem à morte æterna, haud dubiè est unica mors filij Dei Iesu Christi, qui pro nobis uictima factus est iuxta concionem Iohannis. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Propter hunc agnum fide accipimus remissionem culpæ & liberamur à morte æterna non propter satisfactiones ab hominibus institutas aut ullam compensationem pœnarum, Sed ritus in pœnitentia qui uocantur Satisfactiones canonicæ quondam instituti sunt ab Episcopis exempli causa aut propter disciplinam. Cùm enim lapsos, aut famosos recipiebant, pœnas irrogabant, tum ut ipsorum constantiam explorarent an seriò resipiscerent, tum ut alios talibus exemplis admonerent, ut maiore cura lapsus uitarent. Quosdam etiam frenandos esse hac disciplina putauerunt, teantè absolutionem publicam hi ritus seruabantur, tanquam signa reoum, sicut etiam apud ethnicos fuerunt certa signa homicidarum, & aliorum pollutorum obseruanda, donec absoluerentur.

Porrò

Porrò in Ecclesia paulatim creuerunt hæ pœnæ cum accessit error, quòd mererentur remissionem peccatorum,& posterior ætas cùm uix umbrã uetusti ritus retinuerit, tamen nomen Satisfactionum defendit & quæsiuit nouas causas eius moris. Aiunt Deum iustum & uindicem non remittere peccata nisi compensatione pœnarum, Et addunt operibus non debitis sed impositis ab absoluente compensari pœnas purgatorij, & quidem ualere has Satisfactiones, etiamsi fiant ab iniustis. Hos errores inuectos in Ecclesiam necesse est reprehendi. Necesse est enim in Ecclesia extare doctrinam de gratuita remissione propter Christum & de fide. Necesse est & hoc intelligi, quod opera instituta sine mandato Dei non sint cultus Dei, iuxta illud. Frustra colunt me mandatis hominum.

Quòd dicitur. Deum iustum & uindicem punire peccata,punit Deus etiam electos,primùm contritione, ueris terroribus,de quibus inquit Dauid,Domine ne in furore tuo arguas me,& Ezechias inquit.Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Hi terrores multo uerius sunt pœnæ, quàm qualescunq; luctus satisfactionum. Secundò multa delicta conuersorum puniũtur peculiaribus pœnis ut Dauidis adulterium.Et semper uagantur etiam per sanctos tales pœnæ diuinitus irrogatæ.Sicut Psalmus inquit,uisitabo in uirga iniquitates eorum.Item, iudicium à Domo Dei incipit, castigat enim Deus suos, ut excutiatur carnalis securitas,& crescant timor Dei, pœnitentia, fides, inuocatio, nec tamen omnes afflictiones sunt pœnæ certorum criminum,ut semper flos Ecclesiæ,Prophetæ, Apostoli & alij summi uiri maximas ærumnas pertulerunt singulari consilio Dei. Vult enim Deus Ecclesiam in hac uita non solum ijs calamitatibus subiectam esse, quæ naturam lapsam communiter in omnibus comitantur. Sed uult eam etiam singulari modo exerceri,propter multas causas.

Impia multitudo non agnoscit peccatum,aut iram Dei, ut dicitur in Genesi.Quiescit in eis peccatum,donec reuelabitur,hoc est, nondum terret eos,donec experientur pœnas.Castigatur ergo Ecclesia præ cæteris,ut agnoscat peccata & inhærens uicium, & crescant timor Dei & pœnitentia. Accedit & hæc causa. Si non essent pericula & certamina ingentia, fides & inuocatio languescerent. Ideo onerata est Ecclesia ingentibus certaminibus, sicut in Genesi scriptum est. Serpens calcaneum eius mordebit.Hos sæuissimos morsus, pij multipliciter sentiunt in uarijs tentationibus & afflictionibus. Et Ecclesiæ propria sapientia est,intelligere quod Deus uelit humiliari sanctos, & similes fieri imaginis Christi in hac uita. Item, quod uerè respiciat afflictos, sicut clamitat Petrus, humiliamini sub potenti manu Dei. Hanc potentiam in utraq; declarat Deus, potenter castigat securos,ut,Dauidem,Samsonem, Nabogdonosor, rursus potenter erigit agentes pœnitentiam & inuocantes ipsum.

Sed hæ pœnæ nec imponi nec remitti possunt à clauibus, nec tolli ritibus ullis traditionum humanarum, ut sunt satisfactiones Canonicæ. Adhæc hæ adflictiones diuinitus irrogatæ exercitia sunt continui & futuri temporis, ut Paulus inquit 2. Corint.4. exterior noster homo destruitur, sed interior renouatur de die in diem. Qui autem satisfactiones postulant, pœnas intelligunt pro præteritis delictis. Et utilius esset populo inculcari doctrinam de his magnis rebus, de ira Dei aduersus peccatum, de ærumnis Ecclesiæ, de ueris cultibus quos requirit Deus in illis ærumnis, quibus admonet nos,

ut cres-

ut crescant timor Dei, fides, inuocatio, & aliæ uirtutes, quàm oculis populi proponere spectacula satisfactionum, quæ obscurant doctrinam de gratia & de ueris cultibus.

Nam & hoc sentimus & diligenter docemus, fructus pœnitentiæ, id est, nouitatem uitæ seu obedientiam Spiritualem iuxta præcepta Dei, sequi debere in conuersis, Et cum Paulus inquit: præbete corpora uestra hostiam uiuam, & sanctam, appellatione hostiæ admonet nos de ueris cultibus, simus hostiæ sanctæ, id est, abstinentes ab omni immundicie, perferamus ærumnas in confessione ueræ doctrinæ, & afflictionibus communibus, ut hostiæ quæ mactantur. Sed tamen simus uiuæ hostiæ, hoc est, semper uicturæ, celebrantes Deum etiam in media morte. Hi sunt ueri fructus pœnitentiæ & uera exercitia, quæ radices peccatorum euellunt, ut Augustinus ait. Addimus & hoc, mitigari calamitates communes & Ecclesiæ per totam pœnitentiam & bona opera piorum, Sicut Esaiæ 1. & 63. scriptum est. Et Paulus inquit: Si nos iudicaremus ipsi non iudicaremur. Id de tota pœnitentia intelligi necesse est, non de ritibus satisfactionum quos dicunt ualere etiam in iniustis.

Cæterùm hoc non negamus, exempli uel disciplinæ causa famosos pœna aliqua castigari posse ab Ecclesia, idq; in nostris Ecclesijs, si quando Anabaptistæ aut homicidæ quibus magistratus pepercit, recipiuntur, obseruamus, nec tamen opus est ueteres ritus pœnitentiæ restituere, qui creuerunt errore et plerisq; sunt pleni periculi, ut quod Adultero per longum tempus interdicunt consuetudine uxoris &c.

Videntur olim Episcopi hanc censuram eò seuerius exercuisse, quia ethnici magistratus non puniebant uagas libidines, & alia pleraq; delicta. Sed magistratus docendi sunt ut ipsi manifesta delicta puniant. Hæc seueritas plus prodesset moribus quàm Canonicæ satisfactiones. Ne sine periculo miscentur ministerium Euangelij & officia politicæ potestatis. Minister Euangelij docet de pœnitentia uera cordis, & perterrefactam mentem consolatur, ait non propter compensationem pœnarum sed propter Christum nos liberari à peccato & morte æterna, sicut scriptum est, Captiuam duxit captiuitatem. Item ero mors tua, o mors & morsus tuus inferne. Non addatur opinio, quod fiat remissio propter compensationem pœnarum, Interim Magistratus sit acer & suum officium faciat quod est discernendum à ministerio Spirituali & Euangelico. Ideo in nostris Ecclesijs admonentur Magistratus politici ut officium suum faciant, & disciplinam tueantur.

V.

E.

DE VNITATE ECCLESIÆ ET ORDINE ministrorum Euangelij.

VT Iohannes inquit: Ex plenitudine Christi omnes accepisse gratiam, ita una est Ecclesia Dei sanctificata & consociata per filium Dei qui caput est omnia in omnibus membris suis perficiens agnitione Euangelij ipsius, & Spiritu sancto, inde usq; à patribus, Prophetis, Apostolis & alijs sanctis quæ glorificabitur in nouissimo iudicio. Vt sit igitur una Ecclesia & consentiens semper, Deus idem Euangelium propagauit per patres & Prophetas & postea per Christum

Christum & Apostolos, & instituit Christus ministerium duraturum usque ad consummationem mundi. Sicut scriptum est. Ascendit, dedit dona hominibus, Alios quidem Apostolos, alios pastores, alios doctores. Conseruat enim Euangelium & uoluit post Apostolos uocari pastores in omnibus Ecclesijs fungentes officio Euangelij, quos excitat, quanquam dissimiles donis, tamen eodem fungentes ministerio.

Consistit igitur unitas Ecclesiæ in hac consociatione sub uno capite per idem Euangelium & idem ministerium, cui debetur obedientia, iuxta illud. Qui uos audit me audit, ut retineantur unitas fidei & similis usus Sacramentorum, & disciplina mandata in Euangelio. Habent enim pastores mandatum Christi non solùm, ut doceant Euangelium & Sacramenta administrent. Sed etiam ut palam contumaces in Ecclesia puniant excommunicatione, uidelicet eos, qui uel contra sanam doctrinam prauas opiniones ferunt, aut malos mores emendare nolunt. Debetur enim iure diuino obedientia Pastoribus in hac conseruatione disciplinæ.

Vt autem omnia ordine fierent in Ecclesia iuxta Pauli regulam, & ut Pastores inter se magis deuincti essent, & onus gubernationis plures inter se partirentur, ac alij aliorum curam susciperent & dissidia seu schismata uitarentur, accessit utilis ordinatio, ut ex multis presbyteris eligeretur Episcopus qui regeret Ecclesiam docendo Euangelio & retinenda disciplina, & præesset ipsis presbyteris.

Plures deinde gradus facti sunt, uidelicet Archiepiscopi, & supra hos Patriarchæ, Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus.

Hæ ordinationes, si hi qui præsunt, faciant officium suum, utiles sunt ad retinendam unitatem Ecclesiæ, hoc est, ad Synodos conuocandas, ad constituenda legitima doctrinæ iudicia, ad emendationem uitiorum latè grassantium, usurarum, ac aliorum scandalorũ, ad emendationem legum, ad puniendos autores scandalorum, Sed hi præsides seruiant uocationi suæ, doceant, inspiciant doctrinam & mores Ecclesiarum, quibus præsunt, corrigant errores & uicia, exerceant iudicia Ecclesiastica. Nam Pontificibus & Episcopis, qui aduersantur piæ doctrinæ tribuere autoritatem non possumus, ut ad Galat. scriptum est.

Cæterum in Ecclesiastica gubernatione tribuenda est Episcopis potestas condendi traditiones ut omnia decenter & ordine fiant in Ecclesia, ut de certis feriis, ut sciat populus, quo tempore conueniendum sit. Item, ut sobrij conueniant. Sed hæ traditiones non putentur esse cultus, id est, merita aut bona opera, quorum finis immediatus sit ut per ea honore afficiatur Deus, iuxta illud, Frustra colunt me mandatis hominum. Non pugnent cum mandatis Dei, nec ducantur res necessariæ, sed indifferentes, quas extra scandali casum omittere licet, sicut Paulus in Epistola ad Colossenses de traditionibus humanis quæ sunt in Ecclesia docet. Nemo uos arguat in cibo, potu, aut parte diei festi. Discerni enim oportet humanas traditiones à ueris cultibus, quos Deus instituit, ut apud Ezechielem dicitur, Ego sum Dominus Deus uester, in præceptis meis ambulate.

VI.
F.
DE SANCTIS.

NON recipimus partem huius articuli ubi de duplici inuocatione Sanctorum, qui ex hac uita decesserunt dicitur, ut propter merita Sanctorum iuuemur. Item, ut directè inuocentur, Ora pro me S. Petre. Christus enim inquit. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Vnus certè mediator constitutus est, & mandatum est, ut ad hunc accedamus. Sicut ait ipse, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

Quare non est probandus cultus, qui per alios mediatores orat, præsertim cum nullus cultus in Ecclesiam inuehendus sit, qui non approbatur uerbo Dei.

Item directa inuocatio absentis tribuit omnipotentiam ei qui iuuocatur. Nam audire uota cordium in singulis est solius Dei. Et quanquam subtilitas quæsita est, ut excuset hanc absurditatem, tamen hæc nullum habet testimonium uerbi Dei, & repugnat inuocantium cogitationi, qui ideo ad sanctos confugiunt, quia Deum iratsci iudicant & per sanctos uolunt perferri preces ad Deum.

Denique cum manifestissimum sit hoc cultu sanctorum obscurari mediatoris Christi officium, non possumus eum nostra approbatione confirmare.

VII.

G.

DE MISSA.

SAcrificium quod placauit iram Dei aduersus peccata humani generis, & fuit precium pro peccatis ac meruit hominibus, reconciliationem & gratiam & uitam æternam, fuit unica mors Filij Dei, qui sese obtulit ipse patri æterno, & Pontifex fuit ipse huius suæ oblationis, ut docet Epistola ad Hebræos.

Instituit autem ministeria per quæ huius sacrificij immensa beneficia nobis impertit, & applicat. In his etiam est Cœna Dominica, in qua sumens corpus & sanguinem Christi, applicat sibi fide beneficia per mortem Christi, quæ fuit uerum sacrificium, cum uidelicet, agnoscimus & credimus nobis certò remitti peccata propter mortem Filij Dei, qui sese pro nobis obtulit ipse, & hac fide Christum apprehendimus, & nos consolamur, ita prodest sumenti cœna per fidem.

Cum autem in Missa tria sint, Cœna Domini, recordatio & preces, ac gratiarum actiones, sancti patres totam hanc actionem uocauerunt sacrificium, non quod actio illa sit precium pro peccatis aut mereantur alijs remissionem, sed preces & gratiarum actiones sunt sacrificia laudis ut dicunt, id est, bona opera quæ Deo reddimus, ut eum honore adficiamus. Et oblatio seu Cœna Domini non applicatur pro alijs seu non meretur alijs remissionem peccatorum. Et tamen sumenti fit sacrificium laudis, propter recordationem, quæ multa complectitur, fidem, inuocationem, prædicationem, & gratiarum actionem. Loquitur enim Christus de recordatione fideli. Vult nos recordari non tantum historiam, ut fit in spectaculis humanis, sed uult nos fide recordari & accipere promissam reconciliationem, erigi & liberari à terroribus peccati & mortis, & excitari ad inuocationem & gratiarum actionem.

Hos

Hos esse ueros cultus & sacrificia Deo grata in cœna Domini nihil dubium est, & hæc in laudibus Missæ celebrantur à sanctis patribus. Sicut inquit Cyprianus, pietas inter data & condonata se diuidens, gratias agit tam uberis beneficij largitori. Non igitur sentimus fieri adplicationem pro alijs uiuis aut mortuis. Nam fide sibi quisque adplicat beneficia Christi per uerbum & proprium usum Sacramentorum, non propter opus aut meritum alterius hominis, sicut scriptum est. Iustus sua fide uiuet. Deinde applicatio pro mortuis dissentit ab ipsa institutione Sacramenti, quod pro uiuis institutum est, ut sumant ac fidelem recordationem exerceant. Hæc non conueniunt mortuis. Quare dolendum est non solùm transferri Sacramentum ad mortuos, sed etiam inde tantos abusus ortos esse, ut templa magis occupata sint cultibus pro mortuis, quàm ministerio necessario uiuentibus.

VIII.

H.

DE PRIVATA MISSA ET *usu integri Sacramenti.*

DAtur consilium in libro ut hoc modo consulatur tranquillitati ut suus mos concedatur utrinque Ecclesijs uidelicet ut apud nos Missa tantum celebretur cum adsunt aliqui communicantes, apud ipsos etiam sine communione, sed tamen adhortandos ad frequentiorem communionem, & annitendum ut uetus consuetudo Ecclesiæ aliquo modo restituatur. Quia constat initiò in Synaxi communionem semper factam esse.

De hoc articulo ita nobis uidetur, Agnoscimus non faciendam esse subitam mutationem. Prius enim populus de uerò usu Sacramenti docendus est. Nos quoque in Ecclesijs nostris paulatim docendo reuocauimus ueterem consuetudinem. Paulus enim iubet fieri communionem & in conuentu Ecclesiæ expectari publicam distributionem corporis & sanguinis Christi, Idem ueteres Canones sanxerunt. Et optandum esset non mutatum esse hunc primum morem. Tunc enim communicantes intelligebant uerum usum Sacramenti, sentiebant fieri distributionem ad excitandam fidem, & in hoc ministerio per fidem sibi applicari beneficia Christi. Ibi adhuc erant ignoti abusus Missæ applicandæ pro alijs uiuis & mortuis. Sed quisque sumens suæ conscientiæ consolationem quærebat. Postea mutato more, ut sunt animi hominum proni ad fiduciam ceremoniarum, obrepsit opinio, quòd sacerdos offerat pro Ecclesia & mereatur sibi & alijs. Et cumulatæ sunt Missæ cum accesit imaginatio singulas Missas plus ualere pro singulis, quàm unam pro multis. Accesserunt & aliæ opiniones. Quòd ex opere operato prosint alijs uiuis & mortuis. Hos horrendos abusus, peperit mutatio Apostolicæ & Catholicæ consuetudinis, quæ in Ecclesia ueteri post Apostolos diu duravit, uidelicet, ut in Missa fieret communio plurium Nihil dubium est autem reprehendendam esse applicationem oblationis, & opinionem meriti pro alijs uiuis & mortuis, quia opinio illa partitur meritum in passionem Christi, & opus Sacerdotis, cùm scriptum sit una oblatione consummauit sanctos, Et quidem Filius Dei ipse sese patri obtulit moriens pro nobis sicut scriptum est.

Qui se ipsum obtulit. Nec alius Pontifex ingreditur in sancta sanctorum perpetuam redemtionem inueniens. Nec iussit offerri se in cœna ab alijs. Sed distribuit alijs hoc pignus. Item. Quisque propria fide sibi applicare debet beneficia Christi. Ergo oblatio non meretur alteri. Item, Pontifex noster Christus in Cœna tantùm distribuit discipulis,non obtulit, nec iussit offerri Sacramentum pro alijs,sed inquit, Accipite manducate, Non licet autem aliud facere nobis quàm quòd ibi facit ac iussit fieri noster Pontifex Christus.

Quòd autem maneat oblatio pro alijs seu applicatio,si retineantur priuatæ Missæ inde constat, quia qui eas Missas retinent in Canone dicunt fieri hanc oblationem ad redemtionem animarum pro uiuis & mortuis, & manet persuasio in populo qui putat oblationem illam præcipuum cultum esse ualentem pro cæteris, Et ob hanc causam curat pro se celebrari Missas,& simili persuasione curat Missas pro mortuis celebrari. Hæ opiniones & hi abusus erunt reprehendendi.Sed si constituto consensu doctrinę ubiq; doceretur populus de usu Sacramenti, de fide,de uera inuocatione, & docendo taxaretur illa applicatio oblationis pro alijs, & concederetur uolentibus omittere priuatas Missas, nullum esset publicum certamen, cùm de doctrina conueniret,etiamsi non statim singuli consuetudinem suam mutarent.

De usu integri Sacramenti,ualde oramus,ut ratio earum conscientiarum habeatur,quæ in multis locis iam uehementer anguntur. Norunt fuisse Ecclesiæ morem uti integro Sacramento, sciunt etiam à Christo hunc morem traditum esse,ut Paulus inquit. Accepi à Domino, quod tradidi uobis. Et cùm hominis Testamentum non sit uiolandum,quanto minus licet uiolare Christi Testamentum. Commendat autem Christus nobis hoc Sacramentum nomine Testamenti,inquiens. Hîc est calix noui Testamenti. Hæc norunt multi iam, & ubi non porrigitur integrum Sacramentum alij abstinent prorsus, alij cum quadam perturbatione conscientiæ accedunt. Maximè autem præstandum est,ut hoc Sacramentum, quod consolationem adferre & excitare fiduciam debet, tranquilla & alacri conscientia sumatur, ut mens erecta fide gratias agat Christo,& sit,sicut appellatur,Eucharistia.

Porrò constituto consensu doctrinæ, si populus inuitaretur ad hunc usum, & usus restitueretur, esset iam concordia, Quia enim persecutio cessaret, & doctrina sincera proponeretur, etiamsi non subito mutarent suam consuetudinem singuli in usu,tamen discordia publica non esset. Quia nostri non accusant nondum satis institutos ac dociles, sed persecutores & contrariam doctrinam defendentes,scilicet,quòd liceat mutare Christi institutionem,aut mutationem probare.

Nec propterea Ecclesia superioris ætatis damnatur. Quia habet etiam sancta Ecclesia interdum aliquas stipulas, ut docet Paulus, quas Deus condonat, sicut alias ignorantias ijs, qui tamen fundamentum seu caput tenent,hoc est,fide propter Christum petunt remissionem. Et in abusu Missarum & cultu Sanctorum plus uicij fuit. Ideo predictum est, postrema tempora Ecclesiæ plena periculi futura esse, Vt multis exitio fuerunt Lex de cœlibatu, superstitiones Monasticæ, sic etiam multi propter abusum Missarum, & cultum Sanctorum perierunt. Nunc igitur patefacti abusus non sunt defendendi, sed emendandi.

DE

IX.

DE COELIBATV.

AVtor libri satis grauiter queritur de uicijs, quæ Lex de cœlibatu peperit, & optat emendationem. Sed deliberationi & autoritati gubernatorum permittit, ut de modo emendationis deliberent. An sit concedendum coniugium, an Canones ueteres aut noui seruandi sint. Interim modestè significat, quid uelit. Optamus autem & nos ut gubernatorum autoritate consulatur tot hominum saluti, & tollatur ex Ecclesia Lex iniusta, quæ est fons abominandæ turpitudinis. Paulus uocat prohibitionem coniugij doctrinam dæmoniorum. Hoc dictum satis comprobat euentus. Sunt enim in conspectu flagitia orta ex hac lege, sed in nouissimo iudicio magis apparebit, quantam ruinam Diabolus hac lege traxerit in Ecclesia, quanta animaram agmina perdiderit. Vera est enim uox cœlestis, Fornicatores, adulteri, &c. non possidebunt regnum Dei.

Extant autem satis multa scripta nostrorum, in quibus perspicuè ostendimus, legem de cœlibatu pugnare cum iure diuino & naturali. Quare cùm Deo magis obtemperandum sit, quàm hominibus, rectè faciunt idonei coniugio, quod malunt piè in coniugio uiuere, quàm in cœlibatu periculosè aut turpiter.

Paulus uult Presbyterum esse maritum. Est autem Apostolica uox longè anteferenda omnibus traditionibus humanis. Ideo oramus, ut ex Ecclesia tollatur hæc iniusta & pernicioſa Lex de cœlibatu.

Prima esse cura in Ecclesia debet, rectè constituendi ministerij Euangelij. Vt igitur possint haberi idonei, pij & docti ministri, sentimus non esse impediendum ministerium ullis iniustis uinculis. Sit liberum eligere idoneos tùm maritos tùm cœlibes, sit liberum cœlibi electo etiam postea ducere uxorem. Est enim præceptum generale. Vitandæ scortationis causa habeat unusquisque uxorem suam.

Quòd uerò de uoto obijcitur, copiosè alibi respondimus. Nec Synodi ueteres adeò duræ fuerunt ijs, qui contra uotum contrahebant, ut recentia decreta. Sed regula est certa, uotum contra mandatum Dei factum irritum esse. Cùm autem uotum cœlibatus pugnet cum mandatis diuinis, in ijs, qui non sunt idonei ad cœlibatum, sentimus nec sacerdotum nec Monachorum uoto impediri coniugium. Præterea in utroq; uoto multæ hærent superstitiosæ opiniones, quæ non exiguas tenebras induxerunt doctrinæ de iusticia fidei, & de ueris cultibus.

Romanus Pontifex Syricius cùm præciperet Hispanicis sacerdotibus, ut uxores dimitterent, citat hoc testimonium. Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Siue per insciti am, siue superstitionem detorsit hoc dictum ad coniugium, certè exemplo ipso confirmauit prauas opiniones. Porrò cùm uoto impliciti sunt superstitiosi cultus, certum est ex secundo mandato Decalogi, tale uotum non placere Deo. Cùm enim dicitur. Non usurpes nomen Dei uanè, uetat etiam se inuocari per uiciosos cultus. Ideo uota superstitiosa irrita sunt, Qualia sunt, si cœlibatus existimetur opus excellens, propter quod

fiat Deus placatior homini, si coniugium putetur aut non placere Deo, aut uix placere aut uitæ genus polluens Sacerdotes, aut administrationem Sacramentorum, cùm scriptum sit. Omnia munda mundis.

Sed de hac tota causa, referimus nos ad cætera nostra scripta de coniugio & de uotis Monachorum. Quorum uitæ genus, ut fuit hactenus, quàm multum habeat errorum alibi declarauimus. Quòd cum ita sit, renouari eos errores, aut stabiliri nollemus. Et cùm in multis locis desint stipendia Pastoribus Ecclesiarum, & docentibus literas ac scholasticis pauperibus, necessitas publica postulat, præcipuè illis ex reditibus Monasteriorum consuli. Nemo militat suis stipendijs inquit Paulus. Et hæ opes datæ sunt Ecclesijs ad conseruationem ministerij & literarum. Ideo hinc stipendia sumantur, ut Ecclesia ministros habeat & doctores, ac pauperes scholastici ali possint.

RESPONSIO PRINCIPVM ET *statuum coniunctorum Augustanæ Confessionis, de libro exhibito Imperatori Carolo Aug. 12. Iulij.*

INuictissimè Imperator Auguste Domine clementissime, Legimus & expendimus librum, qui propositus est, ut uiam ostendat, seu moderandarum, seu dirimendarum controuersiarum Ecclesiæ, & narrationem audiuimus eorum, qui ex nostris ad colloquium delecti fuerunt, ut intelligeremus quæ ipsorum iudicio comprobata, quæ reprehensa sint. Nec dubitamus quin Cæsareæ M. V. bono studio hunc librum proposuerit. Nam & moderationem quorundam abusuum quæsiuisse autores animaduertimus, ac si æquitatem adhibituri essent aduersarij aditus ad concordiam factus esset. Quare Cæsareæ Maiestati uestræ gratias agimus, quod doctorum collatione & ciuili modo, qui decet Ecclesiam, dirimi controuersias Ecclesiasticas mauult, & precamur Deum, ut has actiones ita gubernet, ut ueritas & doctrina salutaris Ecclesiæ Christi magis illustretur.

Dolendum est autem, tantam esse temporum infœlicitatem, ut non omnes controuersiæ, dirimi potuerint. Id fortasis eò accidit, quia difficilè est uetustos abusus tollere, quos alij propter diuturnitatem temporis, & exempla, alij propter alias causas defendunt. Neque enim negari potest, ante aliquot seculà irrepsisse in Ecclesiam multos abusus, & sinceram Euangelij doctrinam obscuratam & dilutam esse. Partim insciția docentium, qui uel propter tempora inerudita, uel propter negligentiam gubernatorum extitit, partim quia superstitio fuit quæstuosa, Hæc mala confirmata temporibus nunc titulum habent consuetudinis Ecclesiasticæ. Cùm autem in tanta caligine humanarum mentium facilimè obrepant malæ opiniones, & mores ruant in deterius, testimonium consuetudinis in Ecclesia longe infra uerbum Dei collocandum est, quòd ideo Deus uelut scintillam in tenebris humanis lucere uoluit, ne falsis persuasionibus ac uiciosa consuetudine ab ipso abduceremur. Sed scimus difficillimam esse etiam uiciosæ consuetudinis emendationem.

Cùm

Cùm autem Cæsar. M. V. iusserit nos sententias nostras de libro dicere, principiò Deum testem facimus, nos quoque ex animo concordiam expetere, si qua modo salua luce & ueritate Euangelij constitueretur. Nec dubitamus quin Cæsarea M. V. pro sua pietate & Heroica uirtute primam uelit haberi rationem ueritatis, quæ fulgere in Ecclesia debet.

Intelligimus autem in libro quosdam articulos iudicio collocutorum uideri conciliatos, quosdam uerò reprehensos. Diligenter expendimus eos qui dicuntur conciliati, quales sunt, de libertate uoluntatis humanæ, de peccato originis, de iustificatione, de disciplina & alijs quibusdam, etsi quædam adhuc opus habent longiori explicatione, quæ infra adnotabuntur, tamen si dexteritas & candor adhibeantur in iudicando, & ea quæ desiderantur rectè explicata fuerint, non reprehendimus iudicium collocutorum. Et optaremus, doctrinam sinceram de gratia Christi, & de iusticia fidei propagari in Ecclesijs, quam cum articulus in libro breuiter complexus sit, si hoc agitur, ut saluti animarum & concordiæ consulatur, erit explicatio addenda, ne breuitas aut ambiguitas pariat noua certamina. Nam nos quidem articulos illos, sic intelligimus, ut res eædem in nostra confessione & Apologia traduntur. Ac nos quidem nihil inuoluere cupimus, cùm nec pium, nec utilè sit, Ecclesiæ proponere perplexos aut ambiguos articulos, quos tanquam cothurnos in dissensione diuersæ partes ad diuersas sententias detorqueant. Quare quantum potuimus, operam dedimus, ut nostræ sententiæ extarent perspicuè explicatæ, quas quidem non dubitamus uerè esse consensum catholicæ Ecclesiæ Dei, & siqua concordia constituetur, petimus ut articuli illi de rebus tantis magis illustrentur. Idem petijsse collocutores delectos ex altera parte audimus, uiros Reuerendos D. Iulium & D. Groperum.

Reliquæ sunt controuersiæ in Libro nondum diremtæ, de quibus nostri exhibuerunt articulos, qui cùm sint ueri & moderatissimè scripti, speramus eos etiam alteri parti satisfacturos esse. Nec uerò dubitamus, quin cum proferentur, saniores ubiq; desideraturi sint æquitatem in his qui improbant. Etsi enim liber quædam studio moderationis in his articulis mitius proponit, tamen cùm abusuum magnitudo sit in conspectu, necesse est Ecclesias de fontibus admoneri, Deus nobis testis est, nos quoque moderationem amare & quæsiuisse, sed plurimum refert in Ecclesia, quæ metæ, qui limites harum moderationum constituantur. Sæpè in Ecclesia non solùm principes ac politici uiri, sed etiam doctores quæsiuerunt moderationes humano iudicio, quæ abduxerunt hominum mentes à puritate Euangelij & à uera Dei inuocatione. Quàm multis uisus est Augustinus de gratia horridius disputare. Quæsita est igitur à sententiarijs moderatio, non illa quidem omnino probans Pelagiana dogmata, sed tamen obscurans doctrinam de gratia. Quàm multis Paulus ipse uidetur loqui horridius de fide iustificante. Quæsitæ sunt igitur concinnæ interpretationes humano iudicio, sed hæ ueram uocem Euangelij, & consolationem conscientiarum obruerunt. Toties dicit uox cœlestis, unam esse satisfactionem pro peccatis, mortem Filij Dei. Inuenerunt tamen moderationem sententiarij, de compensatione pœnarum purgatorij, ut uicioso cultus retinerentur. Pulcherrima & dulcissima res est ordo & gradus gubernatorum. Hoc prætextu Pontifices regiam dominationem, quam tamen Christus prohibuit stabilierunt.

Etsi igitur moderatio in omnibus negotijs suam habet laudem, ut sapientissimè dictum est, artes omnes ac uirtutes in hoc elaborare, ut, mediocritatem quandam efficiant, necesse est tamen in Ecclesia moderationis regulam esse, uerbum Dei, non humanam sapientiam, ut Paulus iubet cauere, ne decipiamur speciosis & plausibilibus humanæ sapientiæ argumentis. Nostri quoque moderati sunt controuersias, sed ad normam uerbi Dei, & Ecclesiæ Apostolicæ certa & probata testimonia. Ideo iudicamus articulos exhibitos à collocutoribus delectis ex nostra parte, & moderatè scriptos & ueros esse, nec ab eis discedimus. Ac rogamus ut Cæs. M. V. hanc nostram responsionem boni consulat.

Primùm enim, cùm de gloria Dei, & luce Euangelij agatur, non sunt confirmandi uiciosi cultus, aut opiniones quæ inducunt tenebras Euangelio. Quanti abusus confirmantur, recepta opinione libri de inuocatione sanctorum, & alijs cultibus sine uerbo Dei institutis.

Deinde cùm conscientiæ nostræ, & nostrarum Ecclesiarum iam de his ipsis materijs ita ex ueris testimonijs persuasæ sint, ut profitemur, non licet nobis contra conscientiam pronunciare. Pertinent etiam hæ causæ ad uniuersam Ecclesiam. Si enim rursus adprobaremus abusus antea taxatos, nostrum testimonium opponeretur pijs rectè sentientibus etiam ad posteritatem, & confirmarentur alibi errores & iniusta asperitas eorum qui abusus defendunt. Quale uinculum inijceretur Ecclesiæ, si fateremur, prorsus nullum lapsum generalium Synodorum reprehendi posse. Extat Clementina Pastoralis, edita in Synodo Viennensi in Gallia, ubi Pontifex adfirmat, se dominium habere Romani Imperij & quidem à Christo traditum. Hæc uox quàm sit absurda satis intelligi potest, Et cùm Pontifices & Episcopi magis fuerint occupati regia dominatione, quàm cura doctrinæ & Ecclesiarum gubernatione, quanta incommoda secuta sunt. Sed possent alij lapsus Synodorum recitari, quos omittimus.

Quid? in Ecclesijs nostrarum gentium & ciuitatum, imò domesticis quàm grauiter piæ mentes, imbutæ puriore doctrina, sauciarentur? quàm multi pij nos increparent hac ipsa Pauli uoce? cur nos à gratia Christi traducitis ad aliud doctrinæ genus? Iudicaremur enim, ut Galatæ, Euangelij puritatem corrupisse.

His tantis caussis mouemur ne de articulis reprehensis mutemus iudicium quod extat in articulis quos collocutores delecti ex nostris exhibuerunt, & nos offerimus ad reddendam rationem de hac nostra sententia, & ad articulos nostrorum declarandos qui res magnas & Ecclesiæ necessarias continent. Agitur de gloria Dei, de luce Euangelij, de communi Ecclesiæ necessitate, de salute animarum in Ecclesijs nostris & alibi. Cùm de tantis rebus recto iudicio conscientiæ nostræ teneamur oramus cum debita reuerentia ut Cæs. M. V. clementer hanc simplicem excusationem nostram admittat, & tot Ecclesijs paret redemtis sanguine filij Dei, & sanctificatis Spiritu Sancto ac institutis honesta & pia disciplina, nec credat aduersarijs nostris qui Ecclesias nostras uarijs calumnijs deformant.

Ac ne cui dubium sit quod doctrinæ genus in uniuersum in Ecclesijs nostris tradatur, iterum testamur nos amplecti confessionem Augustæ exhibitam Cæsa. M. V. & Apologiam quæ addita est, nec dubitamus hanc doctri-

nam

nam uerè esse consensum Catholicæ Ecclesię Christi, qui traditus est in Prophe-
ticis & Apostolicis scriptis, & firma testimonia habet Apostolicæ Ecclesiæ ac
eruditorum patrum. Et in hac fide & agnitione Christi semper Deum inuoca-
bimus & celebrabimus cum catholica ipsius Ecclesia. Et quandocunque opus
erit, ad declarationem & reddendam rationem de doctrina Ecclesiarum no-
strarum, nos ut antea sæpe testati sumus offerimus. Cùm autem expendissemus
articulos conciliatos adhibitis concionatoribus nostris qui adsunt, re cum ipsis
disputata, quædam iussimus, eos annotare, quæ prudentes & pios non graua-
tim addituros esse arbitramur. Non enim pariunt nouas quæstiones, sed sunt
explicationes, tùm ubique Ecclesijs profuturæ, tùm ad nos declarandos ne-
cessariæ.

IN CONCILIATIS ARTICVLIS
annotata aut omissa.

SCimus nihil tam circumspectè & planè dici posse, quin eludi cauillatione ali-
qua & euerti queat. Ideo candorem in iudicando adhibemus, & multa uel
breuius uel obscurius dicta commodè interpretamur. Sed ubi ambiguitas pe-
riculosa est, præsertim in doctrina Ecclesiæ, non solùm ingenuitas sed etiam pie-
tas est, addere perspicuas explicationes.

In Articulo de libertate uoluntatis, addita est adnotatio in margine, de
incoata obedientia. Nam uulgaris persuasio est, renatum in hac uita, posse le-
gi Dei satisfacere. Necesse est autem in Ecclesia extare & clarè conspici hanc
doctrinam, quòd in hac naturæ corruptione etiam renati non possint legi Dei
satisfacere, sed sint iusti, id est, accepti Deo fide, propter Christum mediatorem,
ideo non solùm recipi adnotationem prodesset, sed etiam alicubi expressè addi,
renatum non satisfacere legi Dei, ut postea rursus admonebimus.

Cæterùm hîc etiam expediret taxatas esse opiniones, quæ latè uagatæ
sunt in Ecclesia, de merito congrui, quod oppressit doctrinam de fide iustifican-
te, & de gratuita remissione peccatorum propter Christum, Etsi enim Deus
postulat, ut præstetur disciplina etiam à non renatis, & punit uiolationem disci-
plinæ, præsentibus & æternis pœnis, tamen non sentiendum est, disciplinam in
non renatis mereri de congruo remissionem peccatorum. Mens non renata,
aut secura negligit Deum, aut oppressa iudicio legis ac terroribus fugit, & fre-
mit aduersus eum, Sed tunc diligere incipit, cùm fide erigitur, & agnoscit re-
missionem propter Christum donatam. Ita primùm incipit mens diligere De-
um, Ideo recentium Monachorum somnia reijciantur, qui finxerunt posse dili-
gi Deum, posse legem fieri quoad substantiam actuum à non renatis, Et has o-
piniones nos quidem iudicamns taxari à libro, sed recitare hoc loco uoluimus,
ut constet, quomodo nos librum intelligamus.

In Articulo de peccato originis, ubi dicitur, remanet materiale, hoc est,
concupiscentia, grauis morbus, infirmitas &c. addantur hæc uerba, & uicium
repugnans legi Dei, & ut Vuormatiæ conuenit, & non uult liber extenuari
illud materiale, quod est repugnantia non leuis aduersus legem Dei, ut appa-
ret in perpetuis defectibus, quòd non satis ardent animi dilectione Dei, quod

langui-

languidus est timor, languida fides &c. Et liber fatetur subinde hunc morbum parere malos fructus, aduersus quos renati, & fide condonationem petere debent, & eis spiritu repugnare.

In Articulo de iustificatione, ubi dicitur, per fidem efficacem, intellexi-mus id à quibusdam ita deprauari, ut interpretentur efficaci fide, id est, operante fide, hoc est, fide cum operibus iustificari hominem. Est enim quorundam alterius partis uulgaris persuasio, Paulum sic accipiendum esse, cùm ait, fide iustificamur, quasi hoc uelit, fide præparamur ad iusticiam, id est, ad dilectionem, propter quam postea accepti simus, non fide propter Christum. Iam si articulus hoc modo deprauaretur, necesse esset nos reclamare. Nostri cum dixerunt, uiua seu efficaci fide, significarunt se loqui, non de sola noticia historiæ, qualis est etiam in impijs, sed de fiducia adprehendente misericordiam, propter Christum promissam, & erigente perterrefactas mentes. In hanc sententiam locuti sunt nostri, de efficacia, qua ipsa fides per se est motus ardens, consolans, innitens Christo, & uiuificans. Sicut sequens descriptio in articulo de Iustificatione ostendit, & propheta dicit, iustus fide sua uiuet.

Ergo ne ambiguitas discordias pariat, aut hæc declaratio addenda uidetur, aut eximendum uocabulum efficax, & ut de hoc loco magis solliciti simus, mouemur eò, quia in hac urbe etiam post colloquiū, editæ sunt propositiones, quæ apertè damnant nostram sententiam, quæ est haud dubiè uox Euangelij, de fide iustificante, & opponunt uulgarem persuasionem sola dilectione sumus Deo accepti. Hoc quid aliud est dicere quàm quod non propter Christum, sed propter proprias uirtutes seu opera homo sit acceptus Deo, denique renouant illæ propositiones & alios errores pugnantes cum Euangelio. Si multi in altera parte duri suas falsas persuasiones ita pergent defendere, quæ spes poterit esse tranquillitatis aut concordiæ?

In secunda parte articuli de iustificatione, doctrina de bonis operibus longius explicanda est. Cùm enim supra dictum sit in libro manere in Sanctis peccata in hac uita, & clare dicendum sit renatos in hac uita nunquam satisfacere legi Dei, quærunt piæ mentes, quomodo placeant Deo, cùm adsint peccata, cùm legi nondum satisfiat. Hæc quæstio semper exercet bonas mentes, & uidemus eam à scriptoribus Ecclesiasticis Basilio, Hieronymo, Augustino, Bernhardo, studiosè agitatam esse. Hîc igitur taxanda est arrogantia & hypocrisis, quæ ignorans doctrinam de fide in Christum admiratur sese, & putat propriam mundiciem seu perfectionem esse precium uitæ æternæ. Cùm Psalmus dicat. Non iustificabitur coram te omnis uiuens. Item si inquitates obseruaueris. Item tibi tantum pecco ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.

Rursus pij consolandi sunt, ut certò statuant, primùm personas Deo placere fide propter Christum, non quia legi Dei satisfaciant. Deinde & hanc incoatam obedientiam, quam sequi necesse est, placere Deo cum dolentes agnoscimus imperfectionem, & credimus tamen obedientiam placere propter Pontificem Christum, & perferri ad patrem tanquam spirituales hostias, ut Petrus inquit. Offerte spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum, Confidant etiam non quia legi satisfaciant, sed propter Christum ipsis, cum fide iustificati sunt, & hæredes facti, certò dari uitam æternam, iuxta illud. Hæc est uoluntas patris, ut omnis qui credit in filium habeat uitam æternam.

Et quo-

Et quoniam in Sanctis in hac uita manent peccata, adiſciendum eſt diſcrimen peccatorum propter quæ non amittitur gratia, & aliorum quæ excutiunt gratiam & Spiritum ſanctum. Hæc pars propter multas grauiſsimas cauſas addenda eſt. Hinc diſcunt pij, fidem non ſignificare tantum noticiam dogmatum, ſed fiduciam miſericordiæ promiſſæ propter filium Dei, quæ fiducia non manet cum mala conſcientia. Diſcunt item non poſſe Deum inuocari ab iis qui pergunt ruere contra conſcientiam, quia non poteſt inuocari Deus, niſi fiducia mediatoris Chriſti, diſcunt item, neque hanc fidem ſeu fiduciam, neque Spiritum ſanctum in his eſſe, qui delinquunt contra conſcientiam. Exiſtimamus autem & collocutores delectos ex altera parte, & alios uiros prudentes & pios probaturos hoc conſilium de his locis addendis.

In titulo de nota Eccleſiæ, uidelicet de uerbo Dei, addita eſt adnotatio. Vbi dicitur. Hæc magna domus habet promiſsionem præſentiæ Spiritus ſancti. Hîc conceſſerunt noſtri eam promiſsionem pertinere ad pios ſeu electos non ad multitudinem impiam, ad quam pertinent comminationes. Ideo in eodem loco eſſent omittenda hæc uerba (magna domus.) Neque enim confirmanda eſt perſuaſio, quòd multitudo impia non poſsit errare, quia Eccleſia promiſsiones habeat. Cùm Paulus dicat. Non omnes qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſraël. Ideo etiam commodius eſſet, in titulo de Eccleſia, ubi definitur Eccleſia eſſe cœtus bonorum & malorum, ſic ſcribi. Eccleſia uiſibilis eſt cœtus &c.

Quòd autem damnat idem articulus eos qui diſcedunt ab Eccleſia, articulus loquitur de iis qui diſcedunt à rectè docentibus. Et fatemur ab his non eſſe diſcedendum. Sed antitheſis addenda eſt, iuſtè diſcedi ab iis, qui defendunt falſam doctrinam, & qui homines innocentes propter piæ doctrinæ confeſsionem interficiunt, de quibus ait Paulus. Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit. Sicut hoc ipſum exemplum, quod citatur in libro oſtendit. Nam certè Elias & auditores eius erant ſeiuncti à cultu Baal, ſicut clarè dicit textus. Ergo diſceſſerant à cœtu ſacerdotum Ahab. Hæc non negari ab eruditis ullis arbitramur, & commemorari nobis neceſſe eſt, ne cum Eccleſijs noſtris obijcitur ſeceſsio, damnare eas ipſi uideamur, quas quidem certûm eſt membra Eccleſiæ Dei eſſe, cum ibi luceat pura Euangelij doctrina, per quam efficax eſt Spiritus ſanctus & uera fide inuocatur Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non adeo ferreos animos habemus, ut non moueamur, aut atroci maledicto, cum diſiunctio ſeu ſchiſma obijcitur, aut ipſa ſpecie diſtractionis, & cogitatione ingentium malorum, quæ diſcordias ſequuntur. Et redimere ueram & piam concordiam libenter morte noſtra uelimus. Itaque toties nos ad æqua iudicia, & ueram conciliationem obtulimus. Sed Eccleſiæ noſtræ primùm iniuſta condemnatione pontificia, & deinde aſperitate Epiſcoporum, expulſæ ſunt à reliquo cœtu. Quam multi ex noſtris à quibuſdam propter hanc doctrinam interfecti ſunt? Hinc iudicari poteſt, unde orta ſit diſtractio, & qui culpandi ſint.

Damnat etiam liber eos, qui rumpunt uinculum caritatis, quòd nos intelligimus obedientiam in miniſterio rectæ doctrinæ Euangelij, & adminiſtrationis Sacramentorum, & iuriſdictionis in Euangelio mandatæ, ac ſentimus ipſi, uero miniſterio deberi obedientiam, ſed poſtea liber, in titulo de Hierarchico ordine, hoc uinculum de traditionibus humanis interpretari uidetur, ubi noſtri oppoſuerunt alium articulum. Nam Eccleſiæ noſtræ pias & graues cauſas ha-

sas habuerunt,mutandi aliquas humanas traditiones,ad quas iam accesserat superstitio. Extare enim in Ecclesia hanc doctrinam Christi necesse est. Fruſtra colunt me mandatis hominum.

Deinde utri rumpant uinculum caritatis, res ostendit. Pontifices,& quidam Episcopi trucidant nostros, & inflammant Principum animos aduersus nos,interim prædicant se seruare uinculum charitatis, idq; rumpi à nobis,propter neglectas iniustas traditiones cum hoc ipsum sit officium dilectionis, adhibere ἐπιείκειαν in traditionibus.

In titulo de pœnitentia post lapsum cætera placent. Sed quia de confessione,& satisfactione postea sunt articuli à nostris exhibiti,non licuit hic præterire,tanquam nostro testimonio confirmatas. Et mortificatio in scripturis significat opus spirituale in ueris & magnis ærumnis,quibus uidemus asperrimè conflictari ueram Ecclesiam in assiduis uitæ periculis. At enumeratio, & satisfactio, sunt externi ritus ab hominibus excogitati, & accesserunt multi abusus. Eodem loco citatur Paulus ad ornandas satisfactiones,2.Corinth.7.Cùm Paulus loquatur de ordinaria pœna in Euangelio instituta, uidelicet, de excommunicatione,hoc dictum nihil ad has recentes satisfactiones pertinet.

In titulo de Sacramentis rectè dicit liber, non solum significari gratiam per Sacramenta,sed etiam sanctificari utentes. Verùm hic addi petimus, adultos debere fidem addere in usu sacramentorum, quæ credat promissionibus, quarum causa Sacramenta nobis tradita sunt,nec prodesse ea adultis, sine bono motu utentis,ut uulgò loquuntur.

De ordinatione,maximè probamus ueterem Ecclesiæ consuetudinem,ut ordinandi prius explorentur, erudiantur, & publico testimonio aliquorum piorum, & doctorum, qui præsunt Ecclesijs, admittantur ad ministerium, ut nunc fit in nostris Ecclesijs. Hanc difficillimam curam,& necessariam Ecclesiæ, suscipere Episcopos,facta reformatione,optandum est. Et nostros audimus diserte ita tribuisse Episcopis illis ordinationem,si procedat reformatio.

Et quanquam nostri, quadam spe concordiæ, de ritu confirmationis, & unctionis non pugnarũt,tamen hoc necessario monendum erat,cum liber definiat Sacramentũ esse signum infallibile gratiæ,hæc descriptio non conuenit ad hos ritus,qui nunc uocantur cõfirmatio,& unctio,de quibus nec mandata,nec promissiones diuinę extant.Sciunt aduersarij hos ritus tantum esse uestigia ueterum donorum,olim dabantur dona manifesta per Apostolos. Item,ut prophetæ, ita Apostoli, & multi alij depulerunt morbos,sua oratione,& medicinis. Ab his initijs reliqui sunt hi ritus, qui nunc quales sint, constat. Vellemus in Ecclesijs ubiq; Catechismum exerceri,ut liber monet,& post examen,& professionem,fieri precationem à populo pro pueris. Hanc credimus non esse irritam,nec displicet addi impositionem manuum,& hæc fiunt in quibusdam Ecclesijs apud nos, ita & pro ægrotis fiunt preces. Et constat multos propter Ecclesiæ preces reualescere, sed tamen ritus ipse unctionis nihil ad hanc rem facit, nec habet promissionem gratiæ.

Dignitas aliorum Sacramentorum obscuratur, cum hæ leuiores cæremoniæ eadem definitione,& nomine proponuntur populo. Ad hæc,uterq; ritus nunc plenus est magnis abusibus,quos reprehendere necesse est.

In titulo de disciplina, breuiter inserta est particula de Episcopis Germanicis, qui merum & mixtum imperium habent in suis ditionibus. Toties clamitant

mitant scripta nostra, nos hoc agere, ut piè doceantur Ecclesiæ, propter gloriam Dei,& salutem animarum,& hortatores esse pijs,ut studeant puram Euangelij doctrinam conseruare,& propagare, sicut mandat Christus. In hoc glorificatur pater meus cœlestis,ut fructum plurimum adferatis,ac sitis mei discipuli. Docet hunc præcipuum honorem Deo reddendum esse, curam Euangelij conseruandi, ac propagandi. Hanc rem agimus, non impedimus,quo minus Episcopi possideant opes, & imperia, attributa ab imperatoribus & principibus. Sed tamen rogamus,ut consideretur,quanta detrimenta Ecclesiæ,quæ clades sequutæ sint,ex opulentia,& imperijs Pontificum Romanorum,& Episcorum.

Primùm ipsi occupati gubernatione ciuili, & bellis, neglexerunt doctrinam,deinde & collegia Ecclesiarum mutata sunt,in quibus initiò doctrinę studia uiguerunt, & conseruata sunt monumenta tradita à primis Episcopis, qui doctrinam ab Apostolis, & doctoribus probatis acceperant. Nunc iactitant successionem ordinariam,cùm tot seculis nō curauerint, quid antiquitas docuerit. Veteres uerè laudarunt successionem ordinariam, non tam ut potestatem munirent, quàm quod successores doctrinam Apostolicam initiò diligenter conseruauerant. Hanc totam formam ueteris Ecclesiæ mutauerunt opes, & regia dominatio Episcoporum, quæ causa fuit magnæ caliginis, & ingentium bellorum.

Hos abusus nequaquam adprobare possumus, cumq; uideamus esurire pios pastores, multis locis totas Ecclesias orbatas esse gubernatoribus, quia desunt stipendia, deseri scholas, quia nec docentibus, nec scholasticis pauperibus prospicitur,non possumus non deplorare Ecclesiæ calamitatem,& optamus, id quod iustissimum est, ut aliquid de tantis opibus decidatur ad ueros usus Ecclesiæ,id est,ad ministerij Euangelici conseruationem,& iuuandas scholas. Circumit Christus petens,ut Ecclesijs consulatur, ut Euangelium conseruetur & queritur se esurire ac sitire. Huic quid respondebunt hi,qui defraudant pastores & scholas? cum obijciet,esuriui, & non dedistis mihi potum. Optandum est igitur, ut ex facultatibus Ecclesiasticis iuuentur pastores & scholæ.

Cæterùm in eodem loco, in libro petitur, ut electio canonica restituatur & ita reformentur omnes ordines, ut suum quisque officium rectè & sedulo faciat. Hæc placent nobis, & oramus Dominum nostrum Iesum Christum, qui est caput Ecclesiæ Dei, ut sicut eam mirabili consilio & potentia semper gubernauit,& restituit,ita nunc quoque eam emendet,regat,& seruet. Amen.

RESPONSIO AD CENSVRAM CONtareni Cardinalis, de libro, & articulis oppositis.

CVm intellexissemus huic conuentui interfuturum esse Cardinalem Contarenum,bona in spe eramus autoritatem eum suam, non solùm ad concordiam constituendam, sed etiam ad ueritatem propagandam atque illustrandam collaturum esse. Propria est enim uiri docti & sapientis, hæc animi magnitudo, & libertas,ut quod probat, præsertim in Ecclesia proferri sinat. Sed ipsius censura de libro,& nostris articulis,quam legimus his diebus propositam, non respondet expectationi nostræ.

Ledimur ab eo iniquo præiudicio,cum quidem uideat nos nihil absurdi sentire,nihil profiteri, quod pugnet cum sanis iudicijs piorum & doctorum in Ecclesia Christi, imò locos aliquos doctrinæ Christianæ in nostris Ecclesijs piè & utiliter illustratos esse, Et tamen edidit censuram, in qua ait,nos à communi consensu catholicæ Ecclesiæ dissentire. Iubet etiam in altera pagella Episcopos aduigilare, ut genus doctrinæ, quod profitemur, deleant. Hæc cùm publicè proposita sint,dissimulari à nobis non poterant, ne tacitè probare eius iudicium uideremur. Ideo ueniam nobis dari petimus, quòd hanc responsionem, uerè & modestè scriptam,iniustæ ipsius censuræ opponimus.

Fatemur enim à nostris quosdam errores reprehensos esse, latè uagatos, ante hæc tempora in Ecclesijs. Sed iniuriam facit Ecclesiæ Christi,si quis eos errores,uocat consensum catholicæ Ecclesiæ. Persuasiones humanæ,sparsæ in Ecclesia contra Euangelium, etiamsi diuturnitas temporis,magnorum hominum & multitudinis exempla autoritatem addiderunt,tamen non sunt Ecclesiæ catholicæ consensus,qui consistit in Propheticis & Apostolicis scriptis,& sententia per Apostolos probatis testimonijs tradita.

Hunc Consensum nos amplectimur & defendimus, nec ab eo unquam discessuri sumus.

Scit Contarenus qui sint Ecclesiæ næui. Quanta Cœnæ Domini in Missis prophanatio. Quantum uitij in inuocatione diuorum. Quanta labes in cœlibatu Romano. Quanta inscitia in populo,qui non rectè docetur de pœnitentia,de beneficijs Christi, de fide seu fiducia, accipiente condonationem propter Christum,uidet non solum Monasteria, sed ipsos etiam Canonum recentium libros plenos esse superstitionum. Videt Theologiam Monachorum,dilutam esse,& ueteri in multis locis dissimilem, In his abusibus fatemur nos à multitudinis iudicijs dissentire, quæ ne ipsum quidem probare arbitramur, Id autem non est discedere à consensu catholicæ Ecclesiæ. Quare id crimen obijcere nobis desinat. Et quod addit in ea pagella, non desperari concordiam, sciat nos non recepturos esse errores quos taxamus, & quos ipsi non solùm decretis, sed noua asperitate quæ non decet Ecclesiam,defendunt.

Constat enim multos honestos, & quidem in his aliquot doctrina præstantes interfectos esse,tantùm propter piæ doctrinæ confessionem.

Ac quid in altera pagella nunc quoque agit Contarenus aliud, quàm ut confirmet hanc fæuitiam. Cùm iubet Episcopos cauere, ne labes quæ grassatur per Germaniã irrepat in Diocœses.Et præcipit ut medicinã adhibeãt. Quam? Vsitatam uidelicet, sectiones, usturas, neces. Hæc remedia noua sunt in Ecclesia, & præsertim huic nationi parum apta. Deinde non ab eo uiro probanda, qui pacis & concordiæ autor perhiberi uult. Facilè retinerent Episcopi autoritatem, si emendatis quibusdam abusibus, consulerent piorum conscientijs. Id sæpe testati sumus, & hanc ad concordiam uiam esse iudicamus, præsertim in Ecclesia,in qua lucere debet, & eminere gubernatorum Mansuetudo.

Hæc eò recensuimus,ne dissimulatione nostra Contareni scripta probare uideamur, & hortamur omnes, ne talibus præiudicijs assentiamur, sed nostra dogmata conferant ad Euangelium traditum in scriptis Apostolicis & primæ Ecclesiæ exemplis.

Concionatores principum,& Statuum coniunctorum Augustanæ Confessionis.

RO. CAE.

RO. CÆSAREÆ MAIESTATIS DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI ORATORIS, ET PONTIFICII NVNCII COMMEmoratio ad Ducem Iohannem Fridericum Saxoniæ Electorem, de habendo Concilio generali.

Articuli ab eodem Nuncio eidem Electori Saxoniæ exhibiti.

Articuli Responsionis eiusdem Electoris Saxoniæ.

Responsum eiusdem Electoris Saxoniæ, & coniunctorum Principum, Comitum, Ciuitatum, Cæsareæ Maiestatis Oratori, & Romani Pontificis Nuncio datum.

Vna cum Præfatione pro fideli Christianorum omnium instructione.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ETSI MVLTI DISPVTANT, VTRVM expediat Synodum cogere, & pericula atque incommoda colligunt, quæ videatur allatura, tamen cùm in tot conuentibus Principes Germaniæ, re diligenter deliberata, Synodum expetiuerint, cnmq; inuictissimus Imperator Carolus Augustus, censeat Synodum habendam esse, quæ fuerit arrogantia à talibus iudicijs dissentire? Nam hi quoque expenderunt & contulerunt inter se commoda & incommoda. Nulla enim consilia magnarum rerum vacant periculis, quæ cum ingens aliqua vtilitas petitur, non semper recusanda sunt. Et pleráque ratione regi ac mitigari possunt. Certè id quod de Synodo metuunt Imperatoris ac cæterorum Principum consilio & fide caueri potest. Neque verò non vidit incommoda Synodorum, vetus Ecclesia, quæ tamen sanctè constituit, vt in qualibet diœcesi, bis, quotannis Doctores Ecclesiarum conuenirent. Præterea, quoties extiterunt in Ecclesia dissensiones de dogmatibus, inde vsque ab vltimis temporibus Synodos coëgerunt, primùm Apostoli, postea Principes optimi ac sapientissimi, Constantinus, Theodosius, & alij. Neque verò aut Apostoli aut illi sapientissimi Principes Synodos habituri erant, si existimassent eas semper magis ad dissipandas quàm ad conciliandas Ecclesias facere. Cùm igitur hoc tempore multæ ac difficiles controuersiæ de maximis rebus in Ecclesia motæ sint, optandum est, vt exemplum & Apostolorum & laudatissimorum Principum imitetur hæc ætas. Idq; videmus Imperatorem pio studio conari. Nam quod alij disputant, nihil opus esse Synodo, sed armis concordiam restituendam esse, non valde vituperandum consilium videretur, si de rebus profanis aut leuibus certamen esset. Nunc eiusmodi causa est, vt concordia ne armis quidem constitui possit vnquam, nisi prius consulatur conscientijs. Nulla enim potest esse durabilis concordia, si animorum iudicia dissentiant. Nam aliquot articuli eorum qui repurgarunt Ecclesiasticam doctrinam, ita certi & perspicui sunt, vt nemo sanus eos in dubium vocet. Tantum Sycophantæ quidam, ventris causa, calumniantur eos, Et continent res necessarias ad pietatem. Tales articuli non poterunt extorqueri bonis vlla sæuicia. Et fac extorqueri posse, quid minus decet in Ecclesia, quàm cum manifesta veritate belligerari? Plato ait eas demum Respublicas

beatas esse, quæ suum nomen sonantes ipsæ, consentanea appellationi faciant. Vocant autem scripturæ Ecclesiam columnam veritatis. Illa verò Ecclesia minimè sonat id nomen, quæ manifestam veritatem delere conatur.

Deinde sunt articuli quidam non omnibus pariter perspicui, sed sunt multi boni apud omnes gentes, quorum cùm de tantis rebus conscientiæ ambigant, acerbissimè cruciantur hac dubitatione, His profectò debent consulere pastores Ecclesiarum, Siquidem volunt esse Pastores non Tyranni. Quid enim fuerit crudelius, quid in Ecclesia indignius, quàm tales interficere potius, quam sanare? Itaque, si vnquam antea, nunc maximè opus est Synodo, cum res multæ & magnæ controuertuntur, quarum explicatto & necessaria est Ecclesiæ, & flagitatur à bonis omnibus apud omnes gentes. Nec ratio est alia vlla, qua Ecclesijs consuli possit. Quòd autem Epicurei quidam rident hæc negocia, alij securi negant quidquam esse vicij in vsitata doctrina, quam & pepererunt, & defendunt Monachi, horum iudicijs impijs & crudelibus reclamant omnes boni. Non enim sunt obscura vota bonorum apud omnes gentes, quorum exaudire gemitus, affici lachrimis flagitantium Synodum, Pontifices decebat. Quàm horribiliter accusat Deus hos qui ita regnant in Ecclesia, vt veritate oppressa, bonas mentes excrucient & gloriam Christi obruant, nec studeant summis calamitatibus Ecclesiæ mederi. Plena est comminationibus in hanc sententiam scriptura. Quare & laudanda voluntas est optimi Imperatoris, qui remedia publicis malis quærit & orandus est Christus, vt gubernet mentes omnium Principum & Pontificum, ad illustrandam Dei gloriam & ad reuocandam Ecclesiam ad veram pietatem. Sæpe antea superioribus seculis Synodi coactæ sunt non de doctrina, sed de opibus Pontificum, quæ etiamsi fuerunt causæ ad publicam concordiam Ecclesiarum retinendam necessariæ, non enim repugnamus, nec politiam Ecclesiasticam improbamus, tamen quanto magis nunc opus est Synodo, cum non de paucorum opibus, sed de doctrina, quæ ad omnes pertinet, dissensiones ortæ sunt inexplicabiles, Quid sit Ecclesiæ sicut communibus votis expetunt cognitionem ac dyudicationem, in palam etiam flagitare aliquando incipient, Ac Cæsaris quidem voluntas optima satis cognita est vniuersæ Europæ, & poterit in his sequentibus narrationibus perspici, Nec defuturi sunt vtilitati publicæ in Synodo, nostri Principes, vt eorum responsio testatur. Sed in multis locis, sæuitia tanta nunc exercetur in pios, quæ quidem quotidie exasperatur, vt vix quidquam moderati Ecclesiæ ex spectare ausint, Verùm res est, vt dici solet, in Dei genibus. Ab hoc petant omnes pij ardentibus votis, vt suam Ecclesiam respiciat ac restituat, & sanctificet eam verbo suo. Hæc cùm precamur, Pontificem habemus Christum, idem pro sua Ecclesia rogantem à Patre, Sic enim inquit. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est, Cum huius Pontificis votis, nostra vota, nostras preces, coniungamus. Neque verò dubium est quin huius huiusmodi præcibus Deus faueat.

Bene vale Christiane Lector.

PON.

PONTIFICII NVNCII COMMEMORATIO AD DVCEM IOHANNEM FRIDERICVM SAXONIÆ, SACRI ROMANI *Imperij Electorem de habendo Concilio generali.*

ROMANI Pontificis Nuncius commemorationem exorsus, dixit, Cum superioribus mensibus Romanus Pontifex & Sacratissima Cæsarea Maiestas, Dominus noster clementissimus, Conuentum Bononiæ habuissent, de multis grauibus, magnis & arduis rebus, potissimum uerò de religione Christiana collocutos esse, nonnullis etiam causis fœliciter confectis, Romano Pontifici uisum fuisse mittendos ea de re nonnullos, ad Sacri Romani Imperij Electores in Germaniam.

Et quamuis rei magnitudo postularet uiros, tùm autoritate, tûm prudentia & ingenio ipso, superiores, tamen sese Pontificis Romani mandato, quantumuis detrectantem, quantumuis multa causatum in hoc extrusum esse.

Itaque ad Electorem Saxoniæ uenisse, ad exponenda Romani Pontificis mandata, etiam consilio atque consensu sacratissimæ Cæsareæ Maiestatis decreta.

Et ut ea mandata exposituro, eò plus haberetur fidei, sese literas Pontificias ad comparandam fidem sibi profecturo datas Electori Saxoniæ reddere.

Quibus redditis, mox commemorare cœpit, Romano Pontifici Clementi Septimo, inito diuina prouidentia Pontificatu, inter omnes curas & solicitudines, hanc fuisse summam, hanc potissimam, ut si modis fieri posset ullis, hæc natio Germanica, in qua proximis annis controuersiæ de religione suborta essent, ad ueterem concordiam atque religionem reuocata, plus ocij atque tranquillitatis, tùm ipsi in administranda republica, tûm Ecclesiæ, adferret.

Atque antea quidem sæpenumero à Romano Pontifice missos in Germaniam uiros, ut prudentia & doctrina, ita autoritate atque probitate excellentes, per quos, his malis & motibus componendis, medicinam fieri posse speraret. Cæterum Pontificem Romanum quantumlibet conatum omnia, ea spe frustratum esse.

Vbi uerò deinde post annos aliquot, haud dubiè, non sine diuino consilio & uoluntate, sacratissima Cæsarea Maiestas, ex Hispanijs in Germaniam reditura, in Italiam uenisset, in spem statim eximiam uenisse, Romanum Pontificem multis rebus alijs inter ipsos, id temporis fœliciter confectis, sese etiam in causa religionis non minus quàm cæteris, uoti compotem futurum.

Verum Cæsaream Maiestatem in Germaniam postea profectam, nihil omisisse uel operæ uel studij, quod uideretur profuturum ad hanc Nationem Germanicam, ad antiquam religionem reuocandam, Eoq; nomine, non parum multos conuentus Principum & Ordinum Sacri Romani Imperij, à Sacratissima Cæsarea Maiestate institutos, habitosq;, summa semper & ubiq; data opera, ut rebus his quomodocunque consuleretur. Proculdubio etiam Sacratissimam Cæsaream Maiestatem, maiore studio prosecuturam omnia fuisse, nisi

se, nisi hæc magna fide magna cura agentem, irruptio Turcæ communis totius nominis Christiani hostis, impedijsset.

Cæterum, ubi Sacratissima Cæsarea Maiestas in Hispanias reditura denuò in Italiam profecta, Bononiam uenisset, multa hac de causa agentem, haud uulgarem dedisse significationem, his malis sanandis, nullum aliud remedium esse reliquum, quàm hanc solam habendi Concilij Generalis, tamdiu à Principibus Germanis expetiti, rationem.

Ne igitur quicquam in Romano Pontifice, hac in parte desiderari posset, & ut uotis Cæsareæ Maiestatis fieret satis, adnuisse tandem, Concilium generale cogendum, habendumq; esse.

Itaque sese à Romano Pontifice ad Electorem Saxoniæ missum esse, ad exponendum sibi mentem & uoluntatem esse, habendi Concilium generale.

Verùm cum in Concilio habendo, multa necessariò sint deliberanda, præsertim quo modo, qua ratione sit habendum. Item, quis locus habendo Concilio sit maximè oportunus & accommodus. Tertiò, quo etiam potissimum tempore. Ideo Romani Pontificis iussu atque mandato, capita quædam esse præscripta, iuxta quorum rationem, cogendum, habendumq; sit Concilium.

Primò autem omnium, ut sit liberum & generale Concilium, & qualia hactenus Patres in Ecclesia, à primis usque Concilijs habuissent. Rectè enim de illis dici posse illud Christi. Vbicunque duo uel tres congregati fuerint in meo nomine, ibi in medio eorum sum. Neque credendum spiritum sanctum defuisse patribus in sacrosanctis Concilijs, ita congregatis.

Secundò, ut qui Concilio intererunt, eius Decretis stare atque obtemperare, polliceantur, Siquidem alioqui frustraneum sit, quicquam in Concilio statuere, quod nemo amplectatur, nemo seruet. Sicut etiam inutile sit, leges condere, nisi sint, qui positas seruent, qui conditas etiam exequantur, & seruandas curent.

Tertiò, Quòd ij qui iusta causa impediti, Concilio interesse non poterunt, suos legitimos procuratores, cum mandatis sufficientibus, mittant.

Quartò, Vt usque ad decisionem Concilij, nihil innouetur.

Quintò, De habendi Concilij loco, Romanum Pontificem multas habuisse deliberationes. Nam circa locum eiusmodi, multis opus esse circumstantijs.

Potissimùm uerò eiusmodi necessarium sit esse, in quo non sit annonæ difficultas & inopia, ubi sit cœlum salubre, & accommodum omnibus, ex toto orbe Christiano, eò peregre uenientibus. Ideoq; Romano Pontifici Mantuam præ omnibus alijs uisam ad hoc maxime idoneam. Esse enim Ciuitatem Imperialem, & Germanicæ Nationi uicinam, Ad hæc in cœlo salubri sitam, & agro tam fertili, in quo omnia mediocri precio facilè possis assequi, uel Placentiam Bononiam.

Igitur rem esse in opinione Principum, quam ex illis tribus Ciuitatibus & Vrbibus, ad habendum Concilium mallent, selectam.

Sextò, Si aliqui Principes ad tale Concilium uenire detrectauerint, recusauerintq;, nihilo tamen secius, Romanum Pontificem in habendo Concilio, processurum.

Septimò, Quòd si qui Sacrosancti Concilij decretis nolint parere, ut tum Sacratissima Cæsarea Maiestas, & reliqui Christiani Reges & Principes, Romanum

manum Pontificem tueantur, Ne quid mali aut incommodi Romano Pontifici, & Ecclesiæ, aut eius opibus atque fortunis accidat.

Quòd si quis aut cogitet aut interroget, qua nam de causa Concilium, non iam statim indicatur atque cogatur, hanc esse responsionem suam, Ideo extrahi, quòd tam festinato cogi non possit, quum necessitas exigat omnes habendi Concilij rationes atque circumstantias, probè expensas atque exploratas habere.

Porrò cum Sacratissima Cæsarea Maiestas, in tot Conuentibus Imperialibus, Germanicæ Nationi spem fecisset Concilij generalis, ideo etiam Cæsareæ Maiestati placuisse, mittendos esse ad Electores & Principes Germaniæ, qui Romani Pontificis consensum, de habendo Concilio, exponerent.

Romano enim Pontifici hanc esse uoluntatem, simul atque de his capitibus cum Christianis Regibus & Principibus actum esset, sese intra Semestre, Concilium indicturum, literis in hoc emissis, ita ut intra annum post indictionem, Concilium cogatur, habeaturq;.

Hæc cùm Romani Pontificis Nuncius commemorasset, exhibitis Electori Saxoniæ his capitibus charta descriptis, rogauit, ut hac in causa responsum bonum atque benignum daret.

Postea Sacratissimæ Cæsareæ Maiestatis Orator, exhibitis primò literis habendæ fidei, à Cæsarea Maiestate acceptis, breuissimè narrauit, postquam pro summa rerum necessitate, sæpe hactenus Cæsareæ Maiestatis Oratores, & Principes atque ordines Sacri Romani Imperij, Germanicæ Nationis in multis Conuentibus hoc summopere egissent, quomodo controuersiæ religionis in Germania natæ, ad concordiam possent reuocari, frustra tamen perpetuo in ea re nauata opera, uisum esse ad componendos hos motus, necessarium esse Concilium. Idq; Cæsaream Maiestatem fideli nuper Bononiæ studio, impetrasse.

Præsertim Concilium, ea ratione, loco, tempore & modo habendum esse, quemadmodum Reuerendus Romani Pontificis Nuncius, prolixius dixisset, Se enim à Cæsarea Maiestate in hoc emissum, ut Nuncio Pontificio admotus, testificaretur, Romanum Pontificem consensisse, Concilium esse cogendum.

Et quoniam Romani Pontificis Nuncius, & copiosè & aptè omnia dixisset, non esse, cur ipse quoque Electorem Saxoniæ, longa oratione remoraretur. Hoc igitur tantum rogare, ut Romani Pontificis Nuncio fidem haberet, & utrumq; ipsorum responso bono dignaretur.

Ibi Elector Saxoniæ curauit respondendum utrisque, sese Sacratissimæ Cæsarcæ Maiestatis nomine, benignè atque suppliciter intellexisse, quæ Romani Pontificis, & Sacratissimæ Cæsareæ Maiestatis, Domini sui Clementissimi, mandato exposuissent, una cum literis habendæ fidei, & capitibus de habendo Concilio redditis.

Verùm quum causa esset non priuata, sed publica, & tanta, ut in ea totius Ecclesiæ concordia, & omnium gentium salus periclitetur, ideo opus esse deliberatione & Consilio paulò maturiore, Sed quod ne ipse quidem diutius iusto extractum cupiat, daturum se operam pollicitus, ut primo quoque tempore responsum daret. Interim rogans, ut quicquid id esset moræ, æqui boniq; consulerent.

Hîc Romani Pontificis Nuncius ſuſcipiens, dixit Electorem Saxoniæ prudenter agere, quod non ſtatim neque immeditatus reſponderet. Nam his cauſis opus eſſe bona deliberatione.

Præterea in magnis rebus ſtatim reſpondere periculoſum eſſe, Reſpondere uero difficile. Itaque ipſi merito dari deliberationis ſpacium.

Poſtridie uerò, hoc eſt, die quarto Iunij, in ipſa Pentecoſtes hebdomade, Elector Saxoniæ, ut Sacratiſsimæ Cæſareæ Maieſtatis Oratori, ita Romani Pontificis Nuncio reſpondit, Cuius reſponſi capita hoc petentibus & ipſe ſcripto prodita, & ſua ipſius manu ſignata atque ſubſcripta, reddenda curauit.

ARTICVLI A PONTIFICIO NVNCIO *eidem Principi Electori Saxoniæ exhibiti.*

1. IN primis, quod uniuerſale hoc Concilium, quod indicendum & celebrandum proponitur, liberum ſit, & iuxta morem Eccleſiæ conſuetum, atque multis ante ſeculis, ab initio uſque uniuerſalium Conciliorum ad hæc tempora obſeruatum, celebretur.

2. Quòd ij, qui Concilio intereſſe debebunt, eius decretis ſtare, & inuiolabiliter parere, profiteantur & promittant.

3. Quòd ij, qui iuſta cauſa impediti, ei intereſſeſſe non poterunt, ſuos legitimos procuratores, cum ſufficientibus mandatis mittant.

4. Quòd interim in ijs, de quibus apud Germanos in materia fidei eſt controuerſia, nihil ab eis prorſus innouetur, aut attentetur, Sed res uſque ad deciſionem Concilij pacatè maneat.

5. Quòd de loco iam nunc omnes conſentiant, in quo Concilium celebrari debeat, Alioqui omnis apparatus & labor irritus eſſet.

Et quoniam neceſſe eſt, ut locus ad hoc deligendus, omnibus ad Concilium conuenturis, quoad fieri poteſt, maximè aptus ſit, & ad manum. Idcirco exiſtimat Sanctiſs: D. N. nec abſque ratione, unam ex his tribus ciuitatibus, id eſt, Mantuam, Bononiam, Placentiam, omnibus alijs eſſe præferendam. Quarum unaquæq; cum tuta, capax, fertilis, & ſalubris ſit, uicinitate etiam ſitus Germaniæ magis quàm cæteris omnibus Tranſalpinis nationibus eſt commoda.

6. Item, quod ſi forſan, (quod non eſt credendum) aliqui Principes, potentatus, & membra Chriſtianitatis, uelint tam pio & neceſſario negocio, ſine rationabili cauſa deeſſe, & hanc Concilij indictionem & celebrationem contumaciter recuſare, nihilominus Sanctiſs: D. N. ad prædicti Concilij indictionem & celebrationem (ut præfertur) procedet, una cum ſaniori parte conſentiente,

7. Poſtremò (quod maximè rationabile & æquum eſt) ſi qui hoc tam ſanctum Concilij opus, quoquo pacto impedire, eiuſue ſacroſanctis Decretis, non ſtare aut parere, aut hac de cauſa à Sanctiſs: D. N. deficere, uel ſiniſtri aliquid in illum aſtruere, preſumerent, ut contra eos, & eorum quemlibet, reliqui melius ſentientes, & cum illius ſanctitate pro ſacro Concilio ſtantes, & concordes eidem illius Sanctitati, & Sedi Apoſtolicæ aſsiſtant, & totis uiribus fideliter faueant & auxilientur.

Sæpe

Sæpe dictum Concilium Sanctiſsimi D. N. poſtquam de ſupra ſcriptis articulis,à Sereniſsimo Romano Rege, Principibuſq; Germaniæ,ac alijs Chriſtianis Regibus,reſponſum (& quod ſperat)ad uota acceperit ſe intra ſex menſes,indicturum,moxq; intra annum, ſe illius celebrandi initium facturum profitetur,ita ut & quæ Concilio neceſſaria ſunt, in ciuitatem illi deputatam, comportari,& quos intereſſe oportebit,ij commodiſsimè ſe ad profectionem parare,illucq; ex remotiſsimis regionibus conuenire poſsint.

Vgo, Rangonus Comes, Epiſcopus Regienſis, & Princeps, ac Apoſtolicus Nuncius,Lambertus à Briaerde ſubſcripſit.

ARTICVLI RESPONSIONIS EIVSDEM

Electoris Saxoniæ, dati vtrisq; Oratoribus.

QVòd conuenerit inter Romanum Pontificem & Sacratiſsimam Cæſaream Maieſtatem, de indicenda, cogenda,habendaq; Synodo,& Concilio uniuerſali,tantæ eſſe Principi Electori Saxoniæ uoluptati,tanto gaudio, ut nihil neque optatius,neque iucundius auditu,ipſi contingere potuerit.

Nam & ipſum quoque in hoc eſſe, ut ducat hoc ſummam & ineuitabilem totius Chriſtiani orbis & Eccleſiæ neceſsitatem poſtulare.

Quòd ſi Deus omnipotens dederit gratiam & prouentum, id quòd Elector Saxoniæ,& orare uelit,& curare & mandare orandum fideliter in ſuis Eccleſijs,ut diuinum, ut generale, ut liberum & Chriſtianum Concilium cogatur atque congregetur. Cuius rei ſpem multiplicem, Sacratiſsima Cæſarea Maieſtas,pro ſingulari ſua & incredibili clementia hactenus Germanicæ Nationi propoſuerit.

Potiſsimum, ſi ritè, ſi piè gerantur omnia, & tale ſit Concilium, in quo Dei uerbum ſit iudex. Sicut Chriſtus ipſe dixit,Iohan.12. Sermo quem locutus ſum,ille iudicabit eum in nouiſsimo die. Non dubitare Principem Electorem Saxoniæ, Deum id gratiæ, id ſucceſſus, Synodo daturum,ut in ea rebus omnibus fœliciter compoſitis omnia & ſchiſmata & grauamina,in ueram unitatem, ſimul & pacem atque tranquillitatem, commutatione & metamorphoſi fœliciſsima uerterentur.

Quid enim poſsit Deus negare in fide orantibus? Præſertim toties promittens,toties pollicitus opem fideliter inuocantibus, imò in nomine filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti adeuntibus?

In quam rem quicquid etiam Princeps Elector Saxoniæ poſsit, uel ipſe efficere,uel apud coniunctos ſtudio, autoritate, conſilio adiuuare, ſumma cum animi hilaritate ſimul & alacritate, ſinceriter ita facturum, ut in ipſo nihil deſiderare poſsis.

Eſſe etiam Principem Electorem Saxoniæ propenſum ex animo,iam ſtatim ad relationem eorum, quæ in mandatis, tùm à Romano Pontifice, tùm à Cæſarea Maieſtate accepiſſent, finale,quod uocant reſponſum,dandi.

Cæterùm liquere ipſorum Amplitudini, eamq; fando audiuiſſe, eſſe ut Principes & Comites, ita Ciuitates & ſtatus ſacri Romani Imperij in Germania, qui ſeſe propter doctrinam, & uerbum Domini permanens in æternum, quod

quòd Illustrissimus Princeps, Dux Iohannes Elector Saxoniæ, Pater Principis Electoris huius, beati nominis & memoriæ, anno abhinc tertio coram Serenissima & Inuictissima Cæsarea Maiestate sub Comitijs Imperialibus Augustæ publicè confessus esset, ipsis patri beati nominis & filio coniunxissent, Sine horum coniunctorum consensu ipsum Electorem Saxoniæ parum deceat finale responsum dare.

Imò uel ipsorummet iudicio, si quid responderet, causæ minimè profuturum, nisi ab ipsis uniuersum, responsum concors & unanime, consensu communi natum daretur.

Verùm Princeps Elector Saxoniæ nolit eos celare, cum superiore hyeme ex literis tùm Pontificijs, tùm Cæsareis, è Bononia scriptis, spes esset facta statibus Germanicæ Nationis, de futuro generali Concilio, & mittendos esse nonnullos, conuenisse inter ipsos, ut Princeps Elector Saxoniæ, & coniuncti, tùm Principes, tùm Comites & Ciuitates, Conuentum, ut ob alia, ita ob hanc causam, statim post Natalem Diui Iohannis Baptistæ, proximè futurum sint habituri, inter alia etiam, quid hac in re Romani Pontificis & Cæsareæ Maiestatis Oratoribus & Nuncijs uenientibus responderent, tractaturi.

Itaque Principem Electorem Saxoniæ, amanter & rogare & petere, ne hoc grauatim ferrent. Nam id temporis ipsorum Relationem, suis coniunctis probè indicaturum, daturumq́ operam, ut tùm concors & Christianum responsum dent uniuersi, uel missis, qui hoc coràm renuncient, uel datis literis quæ id notificent.

Qua de re Principem Electorem Saxoniæ petere, ut ipsum certiorem facerent, ubi nam possint illis ipsis diebus ipsos assequi atque inuenire. Aut hoc Smalcaldiam, Fer. 4. 5. uel 6. post S. Iohannis Baptistæ diem, ipsi Principi Electori Saxoniæ, & D. Philippo Hassiæ Landgrauio, scriberent, renunciarent ue.

Principi enim Electori Saxoniæ, hoc esse mentis, Deo autore, Deo adiutore, sic agendi, sic gerendi omnia, ut non modò præsentes, sed etiam posteri re ipsa sint intellecturi, ut sicut hactenus habuit, ita etiam post hac per reliquam ætatem, habiturum, nihil potius, nihil prius, nihil antiquius, tùm puro & salutari & beatifico Dei uerbo & uera religione, tùm pace, quiete & tranquillitate, non solùm Germanicæ Nationis, sed etiam totius Sacri Romani Imperij, & Ecclesiæ atque orbis Christiani, tùm etiam obedientia, officio & reuerentia, erga Cæsaream Maiestatem, Potestatem sibi à Deo constitutam, ut Dominum suum Clementissimum.

RESPONSVM EIVSDEM ELECTORIS
Saxoniæ & coniunctorum Principum, Comitum, Ciuitatum, datum Cæsareæ Maiestatis Oratori & Romani Pontificis Nuncio.

SAlutem plurimam, & officia nostra Magnifice & Reuerende in Domino, amice singularis, & Domini obseruandi. Cùm nuper nobiscum die secundo Iunij essetis in oppido nostro Vuimaria in Turingia, postquam nobis deliberata quædam inuictissimi Imperatoris Caroli Quinti Cæsaris Augusti, Domini

mini nostri Clementissimi,& Romani Pontificis Clementis,de Concilio exposuistis, & Nuncius Pontificius exhibuit nobis quosdam articulos de Concilio scriptos,respondimus uobis,nos collocuturos esse de hac re cum alijs Principibus, Comitibus, ac ciuitatibus nobiscum sencientibus, de religione. Vt idem communiter uobis respondere possemus, quia breui una conuenturi essemus, feria quarta post diem S. Ioannis Baptistæ, in oppido Smalcaldia,& ostendimus nos, aut per nuncios,aut per literas responsum nostrum uobis significaturos esse.

Itaque, postquam uestros articulos & narrationem uestram exposuimus his, qui nobiscum coniuncti sunt, conuenimus inter nos de responso in hanc sententiam,ac significamus uobis.

Primùm,nos cum debita reuerentia gratias agere inuictissimo Imperatori Carolo Cæsari Augusto, Domino nostro Clementissimo, quòd, quemadmodum non dubitamus, summa pietate ac studio erga religionem Christianam,de Concilio egerit,ad illustrandam gloriam Christi, & ad construendam concordiam & salutem Ecclesiæ. Neque enim dubitamus, quin hoc ex animo perficere, Optimus Imperator cupiat. Orabimus etiam Deum, ut adiuuet hanc ipsius uoluntatem, ne curam perficiendæ huius rei, maximæ atque utilissimæ uniuerso generi humano,abijciat. Sed ut urgeat propositum,efficiatq; ritè haberi Concilium, ut Euangelij gloria inclarescat, abolitis impijs opinionibus,& impijs cultibus,& sanentur ambigentes conscientię,& uera pietas,aliæq; uirtutes dignæ Christianis, reflorescant.

Ac nos quidem,quemadmodum nos Elector Saxoniæ, etiam Vuimariæ uobis commemorauimus, maximè expetimus Synodum,in qua ritè & ordine ex uerbo Dei cognoscantur controuersiæ.

Neque dubitamus, quin huiusmodi Synodum omnes aliæ nationes,omnes ordines,denique omnes piæ mentes, ubique gentium, expetant.

Non enim obscurum est, multorum conscientias ubiq; exerceri,non leuibus incommodis, quibus non potest aliter medicina fieri,nisi in tali libera Synodo.

Quare nos nullo modo aliarum gentium liberum Concilium perpetuò suspirantium,uoluntati ac uotis, quantum in nobis est,aduersari uelimus. Sed magis pia studia,quibus possumus modis,adiuuare cupimus.

Ac bona in spe sumus, si ritè cognoscantur controuersiæ, Deum pro sua clementia,erga Ecclesiam non defuturum rectis consilijs, Sed patefacta ueritate redacturum esse Ecclesiam in concordiam piam & durabilem, & salutarem humano generi.

Ac spem quidem talis Concilij, diu iam ostendit inuictissimus Imperator Carolus. Nam in aliquot Conuentibus imperialibus, grauissimæ deliberationes de Concilio libero & generali,in Germania cogendo,atque habendo,habitæ sunt,quarum hîc necessariò mentio facienda est.

Etenim postquam ex negocio indulgentiarum parum uerecundè tractato, hæ controuersiæ de religione exortæ sunt, & reprehensi sunt errores quidam & abusus, quorum emendatio perneccessaria est uniuersæ Ecclesiæ. Quanquam Leo decimus Pontifex damnauit hoc doctrinæ genus, in quo reprehendebantur illi errores & abusus, tamen cum nos semper opponeremus illi iudicio & damnationi, manifestam autoritatem Propheticæ &

Apostо-

Apoſtolicæ ſcripturæ, uiſum eſt opus eſſe Synodo, in qua hæc negocia diligentius cognoſcerentur, & bona electa conſeruarentur. Hæc enim uerba cuiuſdam Decreti ſunt.

Neque id nobis tantùm, ſed omnibus Electoribus, & alijs Principibus & ordinibus placuit, ut teſtantur eorum Decreta.

Præſertim cùm uiderent & ipſi, manifeſtos quoſdam errores atque abuſus in Eccleſia hærere, quorum emendatio neceſſaria eſſet, & intelligerent flagitari emendationem earum rerum, quæ conſcientijs officiunt.

Et quia Pontificia damnatio interceſſerat, diſertè in illis deliberationibus de Concilio, hic articulus diſputatus eſt, ut Synodus libera & Chriſtiana, aut generalis, aut Nationalis in Germania haberetur.

Eſtq; ideo diſertè poſitum, ut haberetur Chriſtiana & libera Synodus, ne præiudicio autoritatis cuiuſquam prægrauaremur.

Deinde, ut res non ex conſtitutionibus Pontificum, aut opinionibus ſcholaſticis, quas noſtri oppugnaſſent, ſed ex ipſis ſacris literis, id quod & antiquiores Canones fieri præcipiunt, iudicaretur.

Etenim ſi cuiuſquam autoritas præferretur ſcripturis, & pijs ſententijs, neque conſcientijs hominum, neque ullis alijs incommodis Eccleſiæ ullius partis, ſatis conſuli poſſe certum eſt.

Extant enim exempla ſuperiorum aliquot Synodorum, in quibus Reformatio tentata eſt, quæ tamen autoritate Pontificum impedita eſt.

Denicq; maximis de cauſis concluſum eſt, ut in Germania haberetur Chriſtiana & libera Synodus. Idq; placuit etiam inuictiſsimo Imperatori Carolo.

Sed articuli Papæ Clementis, nobis Electori Saxoniæ, de habendo Concilio oblati, prorſus diſſentiunt ab his imperialibus deliberationibus.

Etſi enim in primo articulo, uocat liberum Concilium, tamen aliud agitur reipſa, cùm primùm omnes potentatus ſibi obligare uult.

Si enim liberam Synodum habere uellet, hanc obligationem non requireret, quæ ei nihil profutura eſt, ſi quid contra eum in libera Synodo, ex uerbo & ſcripturis Dei decernatur.

Nunc cùm obligat Principes, certè per ſpeciem & nomen Concilij id facit, ſuæ potentiæ ſtabiliendæ cauſa, uultq; habere obnoxias omnium uoluntates. Ne quis ſignificet ſe contra Pontificios abuſus, & traditiones humanas aliquid ſentire, aut ſi quid ſentit, ut reliqui quos habet Pontifex iuratos in ſuam ſententiam, reprimant eum.

Quid alij facturi ſint neſcimus, Sed articulus ipſe magis uidetur propoſitus eſſe, ad deterrendas omnes nationes à Concilio, quàm ad inuitandas. Quis enim poſsit bona conſcientia, ſe hoc modo obligare, præſertim cum nondum conſtet, quo ordine & quo modo res agendæ ſint? An Pontifex Romanus cum ſuis obligatis, coniunctis, & ſecum ſentientibus, ſuam autoritatem præferre, rectè ſentientibus, in Synodo uelit, Sicut antea in ſuperioribus accidit. An uelit controuerſias iudicari ex ſacris ſcripturis, an uero ex ſua autoritate, aut traditionibus ſine autoritate ſcripturæ ſubintroductis.

Deinde addit reſtrictionem de libertate, quod ſit habiturus Synodum, more hactenus ſeruato.

Nos uerò nihil eorum, quæ in ueteribus Catholicis Synodis ad uerbi Diuini, & ſcripturarum ſacrarum amuſsim & Canonẽ decreta ſunt, reijcimus. Sed quod

quòd negare nemo potest, dissimillimæ sunt ueterum Synodis, nonnullæ posteriores, quæ potentiam & autoritatem Pontificis, & traditionum humanarum supra modum augent.

Quare facilè intelligi potest, hunc articulum, de more hactenus obseruato, insidiosè positum esse, Ne Synodo concedatur ea libertas, quam in tali causa necessariam, & Principes & ordines iudicauerunt, & res ipsa maximè postulabat.

Etenim si more recentium Synodorum, res agetur, omnia de uoluntate Pontificis decernenda erunt, & controuersiæ iudicandæ ex Pontificijs constitutionibus, & humanis traditionibus. Ita neq; libera erit Synodus, neq; utilis ad sanandas perturbatas atq; ambigentes piorum conscientias, aut ad concordiam Ecclesiæ.

Proinde cùm Pontifex Clemens, nondum responderit uotis Cæsareæ Maiestatis & Principum atq; ordinum, liberam Synodum apud Cæsaream Maiestatem flagitantium, & significet, se nequaquam liberam habiturum Synodum, Sed initio in his articulis, & autoritatem suam præmunire, & obligare sibi Principum uoluntates conetur, Cæsaream Maiestatem cum debita reuerentia atq; obedientia oramus, ut propter magnitudinem huius negocij, in quo Ecclesiæ concordia, & salus omnium gentium periclitatur, Cæsarea Maiestas uelit pro sua pietate prospicere, ut ita habeatur Synodus, ut ritè atq; ordine, hæc negocia cognosci, & ex uerbo Dei dijudicari possint.

Id quod ad officium Cæsareæ Maiestatis pertinere, etiam iura ipsa fatentur, ut Cæsar curet rem ex uerbo Dei cognosci ac iudicari, quandocunq; Romanus Pontifex ueritati aduersatur. Ne Papa cum pars sit, simul etiam Iudex sit.

Omnes gentes erectæ sunt in expectationem huius Concilij, omnes optant tandem sanari dubitantes conscientias, & explicari res maximas ad salutem necessarias. Multis enim seculis, controuersiæ grauiores, & de maioribus rebus uix ullæ extiterunt, quàm hoc tempore, ex abusibus & abominationibus contra Euangelium, Dei gratiam, & Christi gloriam, diu ante nostram ætatem subortis, natæ.

Quamobrem si cognitio, postquam diu iam promissa est, non procedit, quales sint futuræ offensiones tacitę in animis omnium bonorum apud omnes gentes, quæ pericula conscientiarum, facilè iudicari potest.

Ad hæc, periculum est, fore, si legitimam cognitionem Pontifex defugiat, ut Ecclesia postea in maiores motus incidat.

Speramus autem cæteros Reges ac Potentatus, Dominos & amicos nostros, maximeq; Electores, Principes, & ordines Germaniæ, quia in tot Conuentibus, liberam & Christianam Synodum, in Germania habendam, expresse flagitarunt, & in hanc sententiam tot decreta magno cõsensu fecerunt, se non obligaturos esse Pontifici, quemadmodum in articulis, nobis Electori Saxoniæ oblatis, postulatur.

Nam hæc obligatio, planè nouum exemplum, & plenum periculi est, & sine libertate non potest res ritè cognosci.

Et si Pontifex mederi Ecclesiæ nollet, hi qui obligati essent, simul probare, & ad omnem posteritatem confirmare errores atq; abusus uiderentur.

Quare nos quidem teſtatum uolumus, nos non conſentire in eiuſmodi articulos, quos nobis Electori Saxoniæ obtuliſtis.

Non enim poſſumus abijcere cum contumelia Chriſti, ueram & claram Euangelij doctrinam, etiamſi eam damnarent Pontifex, & hi qui ei addicti ſunt.

Sed ſi Papa Clemens, habebit Synodum, qualem uolet, obligatam, in qua ſua autoritate, omnia gerere uolet, commendabimus Deo Eccleſiæ cauſam, qui tamen conſeruabit Euangelij ueritatem, ſicut pollicitus eſt.

Nobis tamen noſtriſq; integrum, reſeruatumq; uolumus, etiamſi Pontifici permiſſum fuerit, Synodum ſic indicere, ac habere qualem uolet, obligatam (Quanquam nobis propter ſpem à Cæſarea Maieſtate, hoc nomine clementer propoſitam, diuerſum perſuademus.) Nos nihilominus, ſi cum conſtanti, legitima, ſufficienti, & inuiolabili aſſecuratione, in hoc uocati fuerimus, inuenerimusq; & perſpexerimus, idipſum, & Dei & Euangelij eius gloriæ uſui futurum, ad eiuſmodi Concilium uel ipſos uenturos, uel miſſuros eſſe noſtros, cum mandatis ad exponenda ea omnia, quæcunq; neceſsitati noſtræ Chriſtianæ nobis uidebuntur oportuna. Interim uerò denuo teſtantes, nos in Papæ Clementis articulos, aut Concilium aliter habendum, quàm tot Conuentuum imperalium decretis petitum atq; ſancitum eſt, nequaquam conſenſiſſe.

Cæterum, ſi tunc Pontifex Romanus, contra uerbum Dei decreuerit aliquid, in Synodo ipſi obligata nouo more, quo minus liberè res iudicari poſſint, ex uerbo Dei, excuſati nos erimus, coram Deo & omnibus gentibus, qui neq; impedire Synodum uolumus, & rogamus ſummo ſtudio, ut ratio ineatur, ut ita Synodus libera & Chriſtiana habeatur, ut conſcientijs hominum conſulatur, ut gloria Chriſti ornetur, ut conſtituatur concordia Eccleſiæ, pia & durabilis.

Nam ſi Pontifex hoc tantum aget, ut ſuam immoderatam potentiam, & impias opiniones atq; impios cultus, autoritate etiam optimi ac pientiſsimi Imperatoris, ſuffragijs Regum, Principum ac populorum aliorum muniat, ac ſtabiliat, Si ſine legitima cognitione pronunciauerit, nobis quidem non uidetur hæc ratio profutura ad conſtituendam Eccleſiæ concordiam & pacem. Certè, Pontifice, qui uerum paſtorem agat, indigna eſt, qui conſcientijs hominum mederi, & gloriam Chriſti illuſtrare debet, & ad ueram pietatem, & ad omnia pietatis officia, præcipuè inuitare homines.

Quapropter petimus, ut Magnificentia & Reuerentia ueſtra, tanquam huius negocij cauſa miſsi, hoc reſponſum noſtrum, ad ea mandata, quæ ad nos pertuliſtis, recipere, & inuictiſsimo Imperatori Carolo Cæſari Auguſto, Domino noſtro clementiſsimo, & Romano Pontifici, exponere pro ueſtra fide & prudentia, uelitis, ut Cæſarea Maieſtas, hanc commemorationem neceſſariam nobis, boni conſulat. Quemadmodum ſperamus Cæſaream Maieſtatem, poteſtatem à Deo nobis conſtitutam, Dominum noſtrum clementiſsimum benignè facturum eſſe. Quem iterum atq; iterum rogamus, ut Concilium tale haberi curet, quale poſtulat huius cauſæ & periculi magnitudo, ad quale etiam

etiam ipsius Maiestas, in tot Conuentibus clementer spem dedit, uidelicet, ut in Germania habeatur libera & Christiana Synodus, in qua controuersiæ ex uerbo Dei, sine suspectorum, aut aduersariorum malignitate & maleuolentia, arbitratoribus pijs & æquis iudicentur.

Hoc officium & Deo gratum erit, & nulla alia re Cæsarea Maiestas, melius mereri de omnibus gentibus poterit, neq; quicquam aliud sua magnitudine ac fœlicitate dignius facere poterit, quàm ut suam potentiam conferat ad gloriam Christi amplificandam, & ad pacem Ecclesiæ constituendam, non ad confirmandam quorundam sæuitiam, qui tot iam annis infinitam crudelitatem exercent in bonos & innocentes homines, propter doctrinam Christi.

Et nos offerimus nostra officia omnia Cæsareæ Maiestati, eiq; nos, ut Domino nostro clementissimo, cum debita reuerentia atq; obedientia commendamus. Bene ualete. Datum Smalcaldiæ, die ultima Mensis Iunij. Anno Domini,

1533.

Cæsareæ Maiestatis.

Subiecti & obedientes Principes.

Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector.

Ernestus Dux Brunsuicensis, & Luneburgensis.

Philippus Landgrauius Hassiæ. Vna cum reliquis Principibus, Comitibus, ac Ciuitatibus, hac in responsione coniunctis.

CAVSÆ QVARE ET AM-
PLEXAE SINT, ET RETINENDAM DVCANT
DOCTRINAM, QVAM PROFITENTVR ECCLESIÆ, QVÆ CONFESSIONEM Augustæ exhibitam Imperatori sequuntur,& quare iniquis iudicibus, collectis in Synodo Tridentina, ut uocant, non sit adsentiendum.

ETSI EX MAGNITVDINE PERICVLORVM NOSTRORVM SVMptuum, & laborum satis intelligi potest, nos, nec curiositate, nec praua aliqua cupiditate, nec cœca pertinacia, genus doctrinæ, Dei beneficio instauratum in Ecclesijs nostris, in quo iam non consenescimus, retinere & propagare: tamen de consilio & uoluntate nostra hîc rursus quædam dicenda sunt, non modò ut honestis hominibus huius ætatis nos purgemus: sed etiam ut uniuersam posteritatem Christianam præmoneamus, ne ex criminationibus & condemnationibus aduersariorum de nobis iudicet, sed & causſæ, fontes, & nostras uoluntates uerè consideret.

Reddent enim Deo omnes homines ubiq; terrarum rationem sui iudicij de nobis, quia non agimus priuatam aliquam causſam, sed Euangelij doctrinam de uera inuocatione, de uera agnitione Domini nostri Iesu Christi, & de omnibus partibus uitæ Christianæ necessarijs profitemur, quam Deus exaudiri uult à toto genere humano, ut colligatur æterna Ecclesia ex omnibus gentibus.

Quare iterum & uerè affirmamus exaudiente uniuersa Ecclesia in cœlo & in terris, & testem uoluntatis nostræ facimus Deum nos præcipuè moueri seueriſsimis & immutabilibus Dei præceptis, ut hanc ipsam doctrinam Euangelij puram, quam Ecclesiæ nostræ sonant, amplectamur, nec abijciendam esſe censeamus, quæ iubent rectè inuocare Deum, iuxta Euangelium, & uetant idola coli, & religioni Christianæ Ethnicos furores misceri. Sic enim inquit primum mandatum: Non habebis Deos alienos. Et secundum, Non assumes nomen Dei tui uanè. Et pater æternus inquit de Filio: Hunc audite. Et Paulus ait: Si quis aliud Euangelium docet anathema sit. Item, Fugite idola.

Hæc fulmina cœlestia & coëgerunt nos assentiri prolatæ ueræ doctrinæ, & adhuc cogunt nos ne eam abijciamus. Non opes, non uoluptates, non imperia, deniq; nullæ res humanæ mouent animos nostros, ut cum summis periculis & laboribus tot iam annos ab alijs dissentiamus, quorum beneuolentiam & coniunctionem omni officio in alijs rebus tueri cupimus. Sed doctrinam cœlestem anteferre nos necesse est, ut præcipitur: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Nec ignoramus ab hominibus prophanis hanc piam uoluntatem nostram terribili oratione uituperari.

Primùm, multi sunt athei, qui cùm omnes religiones pariter commentitias & fabulosas esſe arbitrentur, inflectendam esſe Ecclesiæ doctrinam ad tem-

ad tempora,& ad potentum ſenſus atq; opiniones dicunt,ac fremunt inanibus uerbis,ut ipſi dicunt,multarum gentium tranquillitatem & imperia turbari, uoluntq; omnibus religionibus concordiam anteferri.

Quanquam autem ualdè dolemus tantis contumelijs Deum & Filium eius,Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Eccleſiam Dei affici, ut religio dicatur fabuloſa eſſe,& poſtponenda ocio & tranquillitati imperiorum: tamen nunc breuiter reſpondemus nos abhorrere ab illis opinionibus Epicureis,easq; execrari. Delectentur illa ſapientia Oratores aduerſariorum, qui eam ex rancidis Epicureorum libellis excerptam paſsim nunc educunt, & hoc uelut Sirenum cantu multorum aures deliniunt, & mentes eorum à Deo auertunt.

Nos affirmamus doctrinam de Deo commendatam Eccleſiæ illuſtribus teſtimonijs, in quibus ſe Deus patefecit humano generi,ueram & ſalutarem eſſe,& Paulus inquit: Potentiam Dei eſſe ad ſalutem omni credenti. Ac Deo gratias agimus quòd immenſa miſericordia ex arcana ſede ſua prodiens ſe patefecit generi humano, & Filium miſit, ut pro nobis uictima fieret. Et ſentimus præcipuè hoc officium ab omnibus hominibus flagitari, ut hæc beneficia Dei agnoſcant & celebrent, ut Ioan. 14.dicitur. Si quis diligit me,ſermonem meum ſeruabit,et pater meus diliget eum,et ad eum ueniemus,et manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Sit igitur prima cura tuendæ puritatis Euangelij, nec ſumant ſibi ulli homines aut Angeli tantam audaciam, ut æterna decreta Dei corrumpant aut mutent, ſicut initiò fecit Diabolus Euam à decreto diuino abducens,& poſtea omnibus ſeculis fecerunt idolorum & impiorum dogmatum architecti.

Nec ſumus adeò rudes uitæ communis, cùm quidem & nos difficilibus tempeſtatibus,Deo iuuante,regamus noſtras politias,ut non intelligamus quantum bonum ſit ordo politicus, & concordia in ſingulis regnis, & quanta uirtus ſit cauere ne temerè,ne errore,ne cauſis non ualde neceſſarijs eius ordinis harmonia turbetur.

Ament omnes & uenerentur imperia,ſed propter Deum, qui ſe in imperijs rectè coli iuſsit,non amemus imperia extruſo Deo autore, nec putemus hanc hominum ſocietatem tantum ideo coijſſe,ut collatis operis quærant uoluptates, & earum inſtrumenta, quales fuerunt ciuitates Sodoma, Sibaris, Thebæ,& ſimiles. Sed ſint Imperia templa Dei,& ad hoc officium præcipuè conditos eſſe homines agnoſcamus, ut Dei noticia in eis luceat,& congregatos eſſe diuinitus, & ſocietatem mirandis uinculis generationis,educationis officiorum,contractuum,gubernationis,defenſionis copulatam eſſe,ut ueram Dei noticiam docendo & confitendo alij alijs tradamus.

Sit igitur hoc præcipuum officium in uita, longè anteferendum ocio & tranquillitati imperiorum, ueram de Deo doctrinam diſcere & tueri.

Secundò, alij nos uituperant callidiores, qui cùm diſsimulent ſe eſſe

atheos,ſtudium religionis præ ſe ferunt,& arrogant ſibi titulum Eccleſiæ Dei. In hac aiunt ſemper manere ueram doctrinam neceſſariam ad ſalutem. Quare cum nulla nunc ſint idola,nulli errores pugnantes cum articulis fidei in illo cœtu qui iam aliquot ſeculis regit Eccleſiam, uociferantur, aut falſò quædam in doctrina uſitata,& uſitatis ritibus reprehendi,aut ſeditioſè res paruas exagitari,quas condonari communi tranquillitati melius eſſet.

Cùm autem ſæpe aliâs refutata ſit hæc iactantia aduerſariorum, qui magnos & ueteres Eccleſiæ morbos occultant,nunc tantùm orabimus omnes honeſtos homines,non faſcinatos ſtulta ſuperſtitione,ut circumſpiciant toto orbe terrarum collegia ſacerdotum plena inſcitiæ & ſpurcitiæ,& uideant in templis populum ad diuerſas ſtatuas proſtratum,ab alijs alia dona petere,& non modo ſingularum gentium, ſed penè ſingulorum oppidorum alia numina eſſe, quorum inuocatione mentes à uera Dei inuocatione abduci tam manifeſtum eſt,quàm manifeſtum eſt in bruma nobis diem breuiorem eſſe,quàm in æſtiuo Solſtitio.

Deinde conſiderent & prophanationem cœnæ Domini,quæ partim in theatricum ſpectaculum conuerſa eſt, partim in quæſtum collata, & multis modis contaminatur.

Hæc cùm conſiderant prudentes,nihil'ne mali putant eſſe,tetras libidinum confuſiones? ſtatuarum inuocationes? & uarias cœnæ Dominicæ prophanationes? quæ cùm ante hæc tempora pij eruditione & prudentia antecellentes ſemper deplorarint, nunc homines aſtuti defendere præſtigijs uerborum conantur.

At res loquitur ipſa hæc exempla Ethnicorum ſimilia in Eccleſiam,Diaboli artificijs,inuecta eſſe, & paulatim confirmata.

At non errat,inquiunt Eccleſia. Quæ eſt iſta impudentia? Cùm in conſpectu ſint tam tetra mala,nolle tamen fateri errata.

Non dubium eſt & fuiſſe ſemper,& eſſe homines pios in Eccleſia, qui pleroſq; errores & deplorarunt,& reprehenderunt,alij magis, alij minus perſpicuè.Ita manet in Eccleſia ueritas.Interim tamen,ut prædictum eſt,dominati ſunt in Eccleſia Pontifices prophani, qui imperia & tyrannides pluris fecerunt quàm doctrinam,& indocti ſacerdotes & auari Monachi multos errores ſparſerunt.Et cœca multitudo facilè capitur plauſibili doctrina, quæ ſtultis adfectibus blanditur.

Horum iudicia & exempla non tribuantur Eccleſiæ Dei. Nam & prædixit uox diuina,non ſolùm multos extra Eccleſiam Dei Euangelium oppugnaturos eſſe,quales ſunt Ethnici, Mahometiſtæ,ſed etiam in hoc ipſo cœtu, qui titulum habet Eccleſiæ Dei, magnam fore multitudinem faſcinatam prauis opinionibus,& à uera inuocatione aberrantem. Ac Petrus nos ad exemplum Iſraëlitarum deducit: Fuerunt & Pſeudoprophetæ in populo, ſic inter uos erunt. Quanta multitudo ferè omnibus temporibus in Iſraël idola coluit.Et ſacerdotes ipſi,qui(ut nunc loquuntur homines)ordinariam gubernationem tenebant, uera ſacrificia deprauabant, & pro iuſticia fidei externam hypocriſin ceremoniarum docebant,quam cum Prophetæ taxarent, fæuitia,ut nunc quoq; fit,exarſit.

Et poſt

Et post Macabeos cùm sectæ duæ summam potentiam tenerent, Pharisæi & Saducæi, fateri necesse est, non solum paucos in uulgo, sed magnam turbam sacerdotum, interpretum legis, iudicum, tetris erroribus inquinatam fuisse.

Hæc cùm acciderint in illa parua politia, quæ neruos disciplinæ plures habuit quàm Ecclesia dispersa nunc in barbaricis imperijs, cogitemus & hanc postremam mundi senectam multis morbis & delirijs obnoxiam esse, & Prophetæ querelam ad hæc secula quoq; pertinere, qui ait: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus. Imò quid tam simile est, quàm Saducæorum agmini Epicurei Pontifices & Cardinales, & Pharisæis sacrificuli & Monachi, qui suos ritus in quæstu habent? nisi quòd aliquanto plus pudoris in illa politia Iudaica fuisse consentaneum est, quàm nunc est in collegijs Pontificijs, & Monasterijs. Erant enim mariti, & domesticam disciplinam utcunq; tuebantur, & minus erant ocioſi.

At paruos neuos, inquiunt nonnulli, & aliquas anicularum ineptias reprehenditis, quas, nisi essetis nimis morosi & μεμψίμοιροι dissimularetis propter communem concordiam. Plus enim nocet orbi Christiano tam atrox dissidium, quàm illæ leues ineptiæ, quæ taxantur. Nec fuit unquam ulla ætas, nec erit in hac hominum infirmitate, sine multis morbis, & hallucinationibus.

Hac oratione homines, qui perhiberi uolunt politici, extenuant errata, quod eò fit, quia leuiter curant gloriam Dei, & suæ utilitati aut tranquillitati malunt consulere. Quare uerborum præstigijs aut tegunt, aut excusant multa horrenda mala. Non enim de paruis tantùm rebus, aut paucis dissensio est, nec tantùm anicularum superstitiones taxamus.

Extant scripta Doctorum uetera & recentia, quæ defendunt hæc portenta. Negant in scriptura Prophetica & Apostolica hanc fidem, qua accipienda est remissio peccatorum contineri, cùm Petrus hunc esse uniuersæ Ecclesiæ consensum affirmet, inquiens: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

Nec obscurum est quàm tetram sententiam propugnent aduersarij, cùm iubent uniuscuiusq; mentem in perpetua dubitatione manere, an habeat remissionem peccatorum. Postea fingunt dari remissionem propter cuiusq; merita, imò etiam propter uota Monastica, propter uenales Missas, quas scribunt etiam ex opere operato mereri remissionem facienti & alijs. Deinde cœnam Domini & ad mortuos peruersè transferunt.

Doctrina de uera pœnitentia, caligine opinionum de enumeratione & de satisfactione prorsus obscurata fuit.

Quales ferè toto orbe terrarum in templis Idolomaniæ conspiciuntur, ubi ad certas statuas fiunt concursus, & hominibus tribuitur honos propriè debitus Deo æterno Patri, & Filio eius Domino nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto, scilicet inuocatio.

Quæ eloquentia seu hominum, seu Angelorum, satis deplorare potest

animarum exitia,quæ pereunt propter Legem, quæ coniugia prohibet? Ac multa concurrunt mala in immundo cœlibatu. Primùm, uerè Deus iraſcitur uagis libidinibus. Deinde mentes pollutæ non poſſunt inuocare Deum,ruunt igitur ex alijs ſceleribus in alia,tanquam uaſa iræ.

Ad hæc mala accedunt inſcitia & neglectio miniſterij Euangelici tanta, ut paſsim aut nullæ conciones,aut futiles audiantur, & diſciplinæ prorſus nulla ſit cura.

Non igitur pauci tantùm in uulgo peccant,nec leues tantùm ineptiæ à noſtris taxantur. Magni errores contumelioſi aduerſus filium Dei,& pernicioſi mentibus,& atrocia ſcelera defenduntur magna autoritate ab aduerſarijs, qui ſe iactitant ordinariam poteſtatem in Eccleſia tenere. Et additur ſæuitia ad ſtabiliendos errores,& confirmanda multa uicia, qualem antea nunquam exercuerunt gubernatores qui non fuerunt Ethnici.

Cùm igitur in conſpectu ſint tanta mala Eccleſiæ,errores,idola,libidines,neglectio miniſterij Euangelici, ſæuitia, non ſolùm agnoſcenda ſunt, ſed omnes homines ubiq; terrarum expaueſcere eorum conſpectu, & cogitatione iræ Dei debebant. Non enim de nihilo dictum eſt,ſonante Dei uoce certiſsimis teſtimonijs in monte Sinai,inter fragores horrendos & fulmina æternas pœnas denunciantia idolorum cultoribus: Non habebis Deos alienos coram me. Ego ſum Dominus Deus tuus uiſitans iniquitatem patrum in filios, &c.

Hanc uocem cùm ederet Deus tremuerunt longa montium iuga, ſaxa, ſcopuli,Et ueram eſſe pœnæ mundi quotidianæ oſtendunt. Si qui igitur hanc concionem rident,& præſentibus uoluptatibus fruendum cenſent, & inanem curioſitatam ducunt,anxiè inquirere ueram de Deo & de uera inuocatione doctrinam,illis ipſis ſcopulis & ſaxis rupis Sinai duriores ſunt.

Sed non dubium eſt triſtiſsimas pœnas contemptæ uocis diuinæ,uagari omnibus temporibus per totum genus humanum, & ſequuturas eſſe poſt hanc uitam,cùm filius Dei ſe iterum mundo oſtendet, ut ſuam Eccleſiam ornet æterna gloria, & hoſtes horribili & non deſituro incendio puniat.

De hoc ipſo iudicio interea commonefieri nos ſtatuamus, cùm incendia orbis terrarum,ruinas regnorum,confuſiones religionum,domeſticas calamitates infinitas,magno cum dolore ſpectamus.

Sed aliqui,non omnino ferrei,fatentur aliquos Eccleſiæ morbos, &, ut ipſi molli uocabulo nominant,abuſus eſſe. Nobis tamen iuſtè iraſci ordinariam poteſtatem,id eſt,ſummos orbis terrarum principes inquiunt,quia ſine ipſorum iudicio & autoritate quaſdam opiniones, aliquot ſeculorum conſenſu confirmatas,& quoſdam ritus aboleuerimus.

Negant priuatis & paucis concedendum eſſe,ut ſibi iudicium ſumant de re communi,de ſtatu Eccleſiæ. Et uidetur ſequutura infinita diſſipatio,ſi cuilibet in uulgo ſententias & ritus ſuo arbitrio mutare licebit. Quid enim manifeſtius eſt, quàm in populo maximam eſſe multitudinem inimicam religioni & legibus, cupidam infinitæ licentiæ inuidentem alienæ potentiæ, ſeditioſam

ditiosam,inconstantem,rapacem,denique audacia & furore præcipitem? Hanc armare hac persuasione,ut putet sibi licere dogmata & leges mutare aut delere sine superiorum iudicio, summa amentia & atrocissimum scelus uidetur.

Nec uetera tantùm exempla commemorant: sed etiam recentia. Vt cùm Vlyssis socij uentos ex utre,in quem inclusos Aeolus Vlyssi dederat, emisserunt,passim in diuersas aëris regiones erumpentes contrarijs flatibus mare agitarunt,ut ingentes procellæ nauim undique quassarent. Ita nunc postquam semel propositum est exemplum ab ordinaria potestate discedendi, multis locis homines phanatici, palam furiosi tragicos tumultus in Ecclesijs excitarunt. Hos igitur iudicant neruos atque artus esse sapientiæ in uiris politicis, acerrimè propugnare ordinariam autoritatem, receptos mores, & communem consensum.

Hanc terribilem orationem,tanquam caput Gorgonis,omnibus ætatibus Ecclesiæ obuertunt potentes,quæ ad inflammandam regum iracundiam ualdè accommodata est.

Nec uerò nihil mouemur nos hac atroci oratione. Nam & nos pacem, concordiam principum, & imperiorum tranquillitatem optamus. Nec ab ordinaria potestate sine perspicuo mandato diuino dissentiendum esse censemus. Nec laxamus frenos multitudini,sed hoc sentimus & probamus,quòd Apostoli consentientes dicunt: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.Semper ita omnes sani iudicarunt, diuinam autoritatem humanæ anteferendam esse.

Sed præcedat,inquiunt,cognitio. Vtinam quidem esset ea gubernatorum Ecclesiæ pietas,ut gloriam Dei, & salutem animarum anteferrent suis cupiditatibus,& doctrinam emendarent ipsi,& disciplinam piè regerent. Sed Deus Ecclesiam suam ita gubernat,ut tradiderit nobis Euangelium, quod est æternum & immutabile decretum diuinæ uoluntatis certò comprehensum in scriptis Propheticis & Apostolicis.

Ab hac regula uetat discedere, etiamsi superiores, aut plurimi, eam negligant & abijciant. Et quia ipse immensa misericordia colligit & subinde instaurat Ecclesiam,excitat Doctores, & lucem doctrinæ restituit, qua agnita neminem uult expectare humanas cognitiones aut hominum iudicia.

Clamat æternus Pater de Filio: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite.Si uerè statuimus esse Deum conditorem & iudicem, ac patefactum esse,& uero amore nostri misisse Filium, ut æternam Ecclesiam colligat, huic eius mandato etiam parendum esse statuamus, ut Filium salutis nostræ causa missum,& illustribus testimonijs, resuscitatione mortuorum & alijs miraculis commendatum toti generi humano, audiamus, eique summa reuerentia obediamus.

Hoc æternum & immutabile mandatum: Hunc audite,anteferendum est, non solum uniuersæ humanæ autoritati, sed etiam alijs rebus omnibus, quas homines suo ordine rectè expetunt, uitæ nostræ, facultatibus, imperiorum tranquillitati, paci.

Non

Non feri, non ἄσοφοι homines erant Apoſtoli: ſed patriam, ut ciues in optimis familijs nati, maximè amabant, uenerabantur templum, in quo ſe Deus toties patefecerat, totumq; ordinem politiæ iudaicæ, qua ſciebant in toto genere humano nullam eſſe pulchriorem politiam, magis quàm uitam ſuam diligebant. Deniq; norant utrumq; à Deo præcipi, ut res obſcuræ ad collegium Sacerdotum, quod miniſterio ad templum fungebatur, referentur, & iudicatum fieret, ut Deutero: 17. ſcriptum eſt. Hi tamen nec referunt de Euangelio ad id conſilium, nec obtemperant prohibentibus ſpargi nouum doctrinæ genus, quia iam antea audierant uocem æterni Patris de Filio: Hunc audite. Imò norant in omnium Prophetarum concionibus, præcipi de audiendo Meſsia, etiamſi Pontifices, Reges, & Principes ei aduerſaturi eſſent, ut in Pſalmis dicitur: Oſculamini filium. Item, Tu es Sacerdos in æternum.

Nec tantum illa uox cœleſtis æterni Patris, aut illa dicta in Prophetis ad Apoſtolos, aut Apoſtolorum tempora pertinebant, ſed ad omnes homines, omnibus ætatibus pertinent. Audita uoce filij Dei in Euangelio neceſſe eſt omnes obedire. Et qui non audierit, inquit Deus, ego ultor ero.

Sed reclamant aduerſarij: Multa ſunt obſcura, quorum declaratio prius ab ordinaria poteſtate petatur. Scimus hæc plauſibiliter dici ab aduerſarijs, qui ſi hoc ſeriò dicunt Euangelium eſſe ambiguam & incertam doctrinam, quid aliud eſſe cogitant quàm Sphingos ænigmata, ut nuper quidam ex aduerſarijs noſtrarum Eccleſiarum ſcripſit, nullum eſſe uerbum in ſcriptis Prophetícis & Apoſtolicis, quod non uariè intelligi poſsit.

Profectò horrenda contumelia Deum afficiunt, qui ſic de ipſius ſermone iudicant. Etiam ſicubi in parte aliqua non ſtatim ſe rudibus offert ſententia, tamen ſumma doctrinæ perſpicua eſt. Nulla in Decalogo eſt ambiguitas. Vult enim extare & exaudiri Deus ſuam ſententiam ab uniuerſo genere humano, ſine ulla ambiguitate, aduerſus peccatum. Deinde toti generi humano notam uult eſſe hanc conſolationem, prolatam ex arcano ſinu: Remitti nobis peccata, & fieri nos hæredes uitæ æternæ propter Filium, non propter noſtras uirtutes. Et hoc ingens beneficium fide accipiendum eſſe, ſtatuendumq; ſingulis in pœnitentia uerè ſe recipi propter filium Dei.

Ac oportere in nobis poſtquam recepti ſumus lucere hanc fidem, & exiſtere iuſticiam bonæ conſcientiæ.

Hæc doctrinæ capita nec obſcurè, nec ambiguè tradita ſunt. Et, ſi quid eſt in ullo articulo obſcuritatis, addidit Deus ſcriptis perpetuam uocem miniſterij Euangelici, qua imperiti erudiuntur de uera interpretatione. Id miniſterium docendi Euangelij, & fuiſſe, & eſſe in noſtris Eccleſijs negari non poteſt. Et ſunt & fuerunt ſtudia doctrinæ Euangelij apud nos, ut filius Dei præcipit: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.

Quare non temerè ſententias inexploratas, aut ſparſerunt noſtri Doctores, aut nos recepimus. Sed & Doctores & nos, propter gloriam Dei et ſalutem noſtram, conſiderauimus fontes doctrinæ, contulimus Eccleſiæ teſtimonia, quæſiuimus antiquitatis ſinceræ tempora, ne nouas aut ambiguas ſententias amplecteremur.

Atq;

Atq; ita ſeruat Deus ſemper in Eccleſia ueritatem, non in illo cœtu, qui Prophetica & Apoſtolica ſcripta negligit & præſentes religiones propter tranquillitatem boni conſulendas eſſe ducit, qualeſcunq; ſunt, ut dicunt multi peruerſè Philoſophantes, nec in ijs qui curioſitate aut ambitione, quærunt nouas opiniones, aut ut potentum adfectibus ſeruiant, applaudunt erroribus. Sed in alijs qui legunt, diſcunt, & amplectuntur Prophetica & Apoſtolica ſcripta, ueritatem amant, teſtimonia ueteris Eccleſiæ probata inquirunt, & humanis opinionibus Dei uoluntatem anteferunt, quales non ſolùm apud nos & ſunt, & fuerunt: ſed ſunt paſsim in toto orbe terrarum multi docti & pij, quorum aliqui profitentur quod ſentiunt, aliqui metu impediuntur quo minus palam oſtendant ſuam ſententiam, hi tamen aſsiduo gemitu Eccleſiæ emendationem optant.

Vt igitur ne nos quidem concedendum petulantibus ingenijs iudicamus, ut rectas & uera autoritate traditas ſententias mutent, ut fecerunt Anabaptiſtæ: Ita econtra ubi perſpicua eſt uoluntas Dei, obediendum Deo eſſe affirmamus, nec expectandam eſſe cognitionem humanam. Certè illorum cognitio non expectanda eſt, qui palam ſunt hoſtes ueritatis.

Deinde, etiamſi qua eſſet obſcuritas, cur rebus non iudicatis damnantur noſtræ ſententiæ, & multi honeſti homines propter ſolam purioris doctrinæ confeſsionem interficiuntur? Ea in re certè hoc noſtri iudicij eſt, nec trucidare inſontes, nec adiuuare aut approbare alienam ſæuiciam.

Exarſerat iniuſto odio Saul aduerſus Dauidem. Interea filius Ionathas, etſi erat in eo pietas erga patrem, & reuerentia erga Regem præcipua: tamen miniſter eſſe iniuſtæ crudelitatis noluit. Multi uerò alij præſentem potentiam pluris quàm cauſſam faciebant.

Quam multis locis Sacerdotes docti & ſancti, tantùm propterea necati ſunt, quod manifeſta errata inuocationis mortuorum taxarunt, quæ in ipſo iudicium confeſſu aliqui in animis ſuis tacitè improbabant, ut poſtea eos fateri audiuimus.

Cùm igitur ueriſsimum ſit ad proprium uniuſcuiusq; iudicium pertinere, ne in re uel ſibi probata, uel dubia, ſæuiciam exerceat, aut adiuuet, nemo nobis iuſtè ſuccenſere poteſt, quod ſæuiciæ, quæ quidem à Monachorum furore, & Pontificum ſuperbia orta eſt, ſocij eſſe noluimus. Sed ut Ionathas homines innocentes, pios, doctos, Deum inuocantes pro nobis, utiliter ſeruientes Eccleſiæ teximus, præſertim cum nos etiam, ut re iudicata, cauſam probaremus.

Nam cùm Pontifices nullam legitimam cognitionem inſtituerent, & manifeſtam ueritatem damnarent, & magna aſperitate idolomanias ſtabilirent, aſſentire iniuſtis iudicijs non potuimus.

Quare diu diſputata re & deliberata cum eruditis & pijs & hoc doctrinæ genus, quod unum diligenter conſideratis fontibus, id eſt, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & collata omni antiquitate, uidemus eſſe perpetuum conſenſum Catholicæ Eccleſiæ Dei, hoc eſt, omnium eruditorum & piorum, qui fuerunt omnibus ſeculis in Eccleſia Dei, quod quidem in Symbolis, Apoſtolico Niceno, & Athanaſiano breuiter comprehenſum eſt, & probatiſsimo-

batiſsimorum ſcriptorum poſt Apoſtolos teſtimonia habet, propter gloriam Dei & ſalutem noſtram amplexi ſumus. Scimus non eſſe gignendas nouas opiniones de Deo,ut audaciſsimè fecerunt cultores idolorum, & Philoſophi & multi phanatici homines. Sed reuerenter tuenda eſt unica doctrina,in qua Deus ipſe illuſtribus teſtimoniſs ſe patefecit. Ideo nullam nouam opinionem proponi in Eccleſijs noſtris paſsi ſumus. Sed ueterem,ueram & unicam Eccleſiæ Dei doctrinam incorruptam profitemur, ac ut ſciri poſsit, quænam illa ſit,extat confeſsio noſtra Auguſtæ exhibita,quæ ſummam breuiter continet,quam quidem congruere ad Symbola,Apoſtolicum, Nicenum,& Athanaſianum,& ad perpetuam ſententiam probatiſsimorum ſcriptorum, qui in Eccleſia poſt Apoſtolos fuerunt,non dubium eſt,ſi modò dextrè & non calumnioſè de ſcriptoribus illis iudicetur.

Et quicunq; erunt euentus, Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti gratias agimus pro hac Euangelij luce, quæ monſtrat ueram inuocationem Dei,& firmam conſolationem animorum & normam uitæ, quæ res omnibus inter ſumma bona ducendæ ſunt.

Neq; enim Epicureorum iudicijs mouemur,qui alios bonorum fines,alias metas rerum expetendarum proponunt: ſed conditum eſſe genus humanum ſcimus,ut in eo notícia Dei luceat, & ut de Deo uera teſtimonia dicat, eiusq; conſuetudine in uita æterna fruatur. Nec maius præſidium eſſe in hac uita homini,in omni genere periculorum, quàm ſcire ueram inuocationem Dei,ut ſcriptum eſt: Turris fortiſsima nomen Domini.Quare uera agnitione Dei nihil optabilius eſt.

Et quanquam euentus in hac uita uarij ſunt,ut omnium temporum exempla oſtendunt ueritatem non ſine magnis periculis retineri: tamen Deus eam non prorſus deleri ſinit. Et nos quidem ſperamus Deum huius officij noſtri memorem fore,quod ſæuiciam in ſacerdotes pios & innocentes noluimus exercere,ſicut dictum eſt:Beatus,qui intelligit ſuper egenum & pauperem,in die mala liberabit eum Dominus.

Nec ſumus adeo feri, aut rudes uitæ communis, ut terribili clamore de ordinaria poteſtate prorſus nihil moueamur, cùm uociferantur multi, non fuiſſe mutandam doctrinam aut ritus, ſine ordinariæ poteſtatis iudicio & comprobatione,quia & ordo Eccleſiæ turbetur,& exemplum ſit periculoſum.

Hæc tragicè exaggerata multos aduerſus nos incitant, nec nihil mouent animos noſtros. Nam & nos ordinem & gubernationis uincula intelligimus & magnifacimus. Sed huic noſtro dolori opponimus multa perſpicua mandata Dei,quibus ſeueriſsimæ conciones additæ ſunt. Filius Dei inquit: Neq; in hac uita,neq; poſtea remitti blaſphemiam, quæ contra Spiritum ſanctum dicitur.Hac moniti uoce homines ubicunq; ſunt, poſteaquam audierunt ueras ſententias,& re cognita eas intelligunt, ſeueriſsima lege cogi ſe agnoſcunt, ne ueritati diuinitus monſtratæ aduerſentur.

Quid igitur faceremus in articulis multis,quorum perſpicuitas omnes ſanos adſentiri conuincit? ut de indulgentijs, de Sacerdotum coniugio,de manifeſta prophanatione cœnæ Dominicæ, quam ſacrificuli indocti, ignoran-

ignorantes quid agant,& quid sit sacrificium,toto orbe terrarum uentris causa in theatricum spectaculum transferunt? Num aduersaremur Spiritui sancto manifesta scelera taxanti? & rei horrendæ blasphemiæ fingeremus nobis hanc excusationem, quam scribunt Oratores aduersariorum, quia plus mali sit in schismate hos errores dissimulandos esse. Imò uerò anteferatur mandatum diuinum, quod prohibet blasphemiam dicere in Spiritum sanctum omnibus Episcopis & Regibus.

Metæ sunt seruitutis, quas Deus ipse generi humano circumdedit, quæ ostendunt quæ mala dissimulanda & ferenda sint, quæ non sint ferenda. Atq; ita Deus sæpè collegit, & emendauit Ecclesiam contra iudicia ordinariæ potestatis, Ieremias, Amos, & alij Prophetæ palam dissentiebant à summis Sacerdotibus ac Regibus, & maiore parte Sacerdotum ac populi. Sic postea Zacharias,Baptista, Christus, Apostoli dissenserunt ab ordinaria potestate.

Hi si uiros politicos consuluissent similes Oratorum, qui nobis aduersantur,audiuissent idem consilium,quod apud Platonem scriptum est: ut parentes deliros ferre decet,ita tolerandos esse potestatis ordinariæ errores, nec excitanda dissidia in patria,quia in ἀναρχίᾳ & seditionibus nihil mali non insit.

Hæc oratio etiamsi alicubi locum habet: tamen in Ecclesia non usurpetur ad stabilienda idola, & confirmandas blasphemias. Viderant Apostoli Christum reuocatum ex morte in uitam. Norant sibi mandatum esse, ut Euangelium docerent, quo quidem & illius pulcherrimæ politiæ uincula & nerui laxabantur, qua ex re, in patria dissipationem fieri uidebant. Hîc si assensissent ordinariæ potestati neganti reuixisse Christum,& damnanti doctrinam,horrendæ blasphemiæ rei fuissent,Deum contumelia affecissent, & sibi & alijs æternum exitium accersiuissent.

Vt igitur Apostolos ipsos necesse fuit docere Euangelium,etiamsi potestas ordinaria dissentiebat: ita omnes homines eorum doctrinæ, cùm uiderent eam diuinitus confirmari,assentiri necesse fuit,quanquam in toto orbe terrarum omnes summi gubernatores refragabantur, Ita semper Euangelij uoci omnes obedire debent, & qui cum eam audierint agnoscunt Dei uoluntatem,& tamen obsequi nolunt,imò etiam delere eam conantur, seu ui, seu fraude,ut nunc multi præstigias, ad labefactandam ueritatem, comminiscuntur,metuant sententiam,quam de blasphemis Filius Dei pronunciauit, nec cogitent harum rerum maximarum, & ad gloriam Dei pertinentium explicationem inanes ludos esse, de quibus,ut in Arcesilæ schola concessum sit quamcunq; uelint partem tueri.

Hæc præfati sumus,ut coram uniuersa Ecclesia huius ætatis & posteritatis, publicè exponamus quæ nos causæ mouerint, & ad amplectendum & ad retinendum doctrinæ genus, quod in Ecclesijs nostris sonat. Non curiositate,non cupiditate ulla, non errore à cæteris dissentimus, sed de Deo testimonium dicimus. Sentimus ueram esse de Deo doctrinam in libris Prophetici & Apostolicis traditam,& filium Dei iudicaturum esse omnes homines, & daturum æternam salutem ijs qui Euangelio obediunt, & abie-

cturum in æternas pœnas illos qui contemnunt aut oderunt Euangelium. Sentimus præcipuè Deo hoc officium à toto genere humano,& à singulis hominibus deberi,ut hanc ipsam doctrinam per Prophetas, Christum, & Apostolos traditam seruari & illustrari curent,& propagationem adiuuent,sicut scriptum est: Qui non colligit mecum,dissipat.

Sentimus uicissim uerè diligi à Deo exaudiri,& seruari hanc Ecclesiam, quæ Euangelium incorruptè sonat. Sentimus etiam hanc ipsam doctrinam, quæ in Ecclesijs nostris proponitur,uerè esse sententiam scriptorum Propheticorum & Apostolicorum,de qua Symbolorum & probatorum scriptorum testimonia extant.

Manet enim in Ecclesia in aliquibus uera sententia de Dei uoluntate, aliâs illustrior, aliâs obscurior, etiamsi ordinaria potestas sæpe prorsus prophana est, & tetros errores defendit, sicut in Zacharia, Simeone, Maria,Elizabeth fulsit lumen Euangelij,etiamsi Annas & Caiphas erant athei, nec alligatæ sunt promissiones de ueritate mansura in Ecclesia ad eos, qui titulum habent ordinariæ potestatis, nec legunt, nec didicerunt, nec amant scripta Prophetica & Apostolica, & cùm sumpserint inde suæ potentiæ titulum,deinde nouas leges condunt accommodatas ad suam utilitatem,& pugnantes cum cœlesti doctrina,& excogitant strophas,quibus eam ad suas opiniones inflectant.

Sed manet ueritas in alijs,qui cum discunt cœlestem doctrinam pio pectore se Deo subijciunt, expauescunt agnitione peccatorum,& rursus eriguntur fiducia misericordiæ propter Filium Dei mediatorem promissæ, & ardentibus uotis orant se gubernari à Deo, obtemperant ei, & regi uolunt non tantùm humanis iudicijs: sed uoce Dei. Ideo Esaias uidens sequuturas in Ecclesia sui populi, & postea tristes tenebras, precatur Deum ne lucem doctrinæ prorsus extingui sinat. Cumq; ait: Obsigna legem in Discipulis meis, significat mansuram esse doctrinam, uelut obsignatam diuino Spiritu in mentibus non omnium: sed Discipulorum, id est, eorum qui Propheticam doctrinam discunt, amant, & amplectuntur, & non corrumpunt eam,sicut & nunc Iudæi & olim Pharisæi corruptelas excogitarunt, quorum exempla aduersarij nostri in multis grauissimis controuersijs imitantur.

Cùm Paulus toties clamitet, Fide iustificamur: Impossibile est lege iustificari,&c. Isti contrarias sententias proponunt. Imò, inquiunt, homo legi Dei satisfacere potest, & his actionibus meretur remissionem peccatorum. Sed cùm nunquam sciat quando satisfecerit, semper dubitet,an placeat Deo. Ita ostendunt se non auditores esse Pauli: sed mordicus tenere persuasionem humanam,quam anteferunt Paulo disertè diuersum docenti.Et cùm scriptum Pauli non ausint prorsus delere,audacter fingunt cauillationes ad eludendam Euangelij uocem,quam prolatam ex sinu æterni patris Deus per Prophetas, Christum,& Apostolos generi humano tradidit,ut de remissione peccatorum certò nobis uoluntas Dei nota esset.

Omittimus exempla alia. Nam si plura commemorare uellemus,quam longa futura esset oratio? Num Prophetarum & Apostolorum discipuli sunt,

sunt,qui sacerdotem,honestum maritum,interfici iubent? Hæc iniusta crudelitas ex Phalaridis disciplina est,non ex Prophetica & Apostolica.

Postquam autem ostendimus & quid sentiamus, & quæ sit uoluntas nostra in caussa tanta, nunc reliquum est, ut reuerenter omnes Reges, Principes, & omnium nationum uiros bonos oremus, ut propter gloriam Filij Dei, & salutem Ecclesiæ,autoritatem suam,ad hoc officium Deo,à toto genere humano debitum, conferant, uidelicet, ne adsentiantur ijs, qui delere sinceram Euangelij doctrinam, seu Synodi prætextu, seu alijs modis conantur.

Nobis quidem nulla res humana gratior contingere posset,quàm uidere Synodum dignam Ecclesia Dei,in qua libera & pia collatione sententiarum,de rebus maximis explicata ueritas inter omnes gentes communi consensu propagaretur. Talem Synodum, Ecclesiæ necessariam & salutarem, & nos à Deo ardentibus uotis petimus, & aliquoties ab inuictissimo Imperatore Carolo Augusto Domino nostro clementissimo,omnes ordines in hoc imperio petiuerunt,in qua Synodo uerè, ut Psalmus dicit, conuenirent populi & Reges ut seruirent Deo, hoc est, in qua ueris modis restituerent ueram Dei inuocationem, & saluti animarum consulerent, non stabilirent idola, & prauas opiniones,oppressa ueritate, partim ui, partim sophismatum præstigijs.

Sed huius Tridentinæ synodi, quam indixit Paulus tertius, iudicium sequuturos nos esse nequaquam polliceri possumus. Nosq; perspicuæ & ueræ caussæ excusant.Persona iudicis,qui est inimicissimus nostræ causæ, & forma iudicij,in quo nulla libertas est dicendæ sententiæ: & in suffragium ibunt plures indocti & inimici nostræ doctrinæ,& si qui alij meliores aderunt, deterriti sæuicia malorum, non audebunt dicere quod sentiunt. Postremò & locus periculum nostris minatur.

Ac primum iustas esse causas cur Romanum Pontificem non possimus facere iudicem nostrarum controuersiarum manifestum est. Nota est enim uox naturæ & scripti iuris,quæ uetat illi iudicium permittere,qui reus est ipse & inimicus, & hostilem animum perpetuis præiudicijs declarauit.

Hoc tantum dissidium orbis terrarum initiò ortum est à repræhensione errorum Pontificiorum, quos Monachi circumferentes uenales indulgentias cum auxissent, postea Pontifex Leo decimus edita bulla confirmauit,& cumulauit errores, quorum refutatio maius certamen accendit. Ac sole meridiano clarius est, defendi in bulla Leonis errores pugnantes cum uera Ecclesiæ doctrina. Constat autem Pontificem errantem non faciendum esse iudicem. Cumq; reus sit,insuper hostilem animum perpetuis præiudicijs declarat. Quot annis repetit condemnationem nostræ doctrinæ & magnam crudelitatem exercet in omnes,qui amplectuntur nostras sententias, & inflammat reges & principes toto orbe terrarum ad exercendam similem sæuiciam.

Quid aliud nunc quoq; iudicaturum esse speremus, quàm ut hanc crudelitatem confirmet, quam necessariam esse iudicat ad retinendam potentiam & eius neruos. Suntq; potentiæ ipsius nerui idola & falsæ opinio-

nes quas taxamus? Scimus hanc tam triſtem repræhenſionem multis magnis uiris politicis ingratam eſſe, & nos non ſine magno dolore hos Eccleſiæ morbos commemoramus. Sed nimis uera eſt hæc commemoratio & nunc quidem neceſſaria, quia aliquos eſſe de Deo teſtes oportet.

Deinde qualis erit iudicij forma? Initia iam uidimus, habitæ ſunt orationes in quibus Amphictyones, qui ſunt Tridenti, iactitant Romanum Pontificem & ei addictos nullis doctrinæ erroribus contaminatos eſſe, & queruntur ab alijs ſparſas eſſe hæreſes, nec dubium eſt eos id crimen in nos conferre. Tales quid iudicaturi ſint iam oſtendunt. Et accedunt alij multi Epiſcopi, quibus ſolis ſuffragatio conceditur, ignari doctrinæ de Deo & opiniones de Eccleſia peregrinas & Ethnicas circumferentes, dediti uoluptatibus & ardentes odio noſtri, quia aliquid diminui de dignitate ſua noſtris clamoribus arbitrantur. Hi habent adiunctos monachos indoctos, partim faſcinatos ſtulta ſuperſtitione, partim agnitam ueritatem ceu furijs agitati delere conantes.

Hæc tota turba iudicum, etſi per ſeſe abhorret à ueritate, tamen ſicubi in rebus manifeſtis luce ueritatis conuicta mutare aliquid in Pontificijs ſententijs uellet, non auderet. Tota enim unius arbitrium intuetur. Id non eſſe iudicium Eccleſiæ, nec ſententiarum collationem, res ipſa loquitur. Etſi enim & pauci aliqui Nicodemi ſimiles aderunt, hi tamen uix gemitu ſententiam ſuam ſignificare audebunt. Et ut maximè aliquid rectè monerent, maior pars uinceret.

Hæc cum ſint manifeſta, iniuſtè faceremus, ſi illius multitudinis, quam ueritati inimicam eſſe ſcimus, audaciam confirmaremus, quod fieret, ſi iſtam Synodum iudicem faceremus. Nec dubium eſt nihilo nos iuſtiores aut liberiores iudices habituros eſſe, quàm habuit Theramenes Critiam & cæteros collegas.

Præterea ad iudicij formam pertinet, certò conſtitui, an ex iure diuino, ex Symbolis & certis teſtimonijs doctrinæ Apoſtolorum pronunciandum ſit, an uerò ex recenti conſuetudine ſexcentorum annorum & decretis, quæ aut ex ſuperſtitione nata ſunt, aut condita ſunt, ut munirent potentiam, & ex dilu-
ta Theologia Thomæ, Scoti, & ſimilium.

Imò uero tertia ſeſsione ſynodi Tridentinæ decretum eſt, non diſſentiendum eſſe ab ijs traditionibus & interpretationibus, quæ ſunt ipſis uſitatæ. Hæc ſi erit norma iudicij, quid pronunciaturi ſint de noſtris ſententijs iam liquet. Damnabunt hanc propoſitionem: Fide iuſtificamur, quia non ſequitur Thomæ interpretationem, quæ eſt corruptela pugnans cum ipſo Paulo, & cum uetuſtis & ſanioribus enarrationibus. Damnabunt hoc dictum: Vna oblatione conſummauit omnes qui ſanctificantur, quod affirmat unicum fuiſſe ſacrificium propiciatorium mortem filij Dei. Nunc cœnæ Domini adminiſtrationem non eſſe ſacrificium, quale ipſi docent applicandum pro alijs ut mereatur remiſsionem peccatorum. Habent enim contrariam perſuaſionem, quæ multis ſeculis latè uagata eſt.

Si ex his recentibus opinionibus, pugnantibus cum Apoſtolica doctrina pronunciabitur, nihil opus eſt Synodo. Nota enim ſunt hæc recentia, &

ob hanc

ob hanc ipsam causſam à noſtris reprehenſa, quia cùm ab Apoſtolica doctrina diſſentiant, quæ eſt immotum, & immutabile decretum Dei, neceſſe fuit ad Apoſtolicam doctrinam mentes hominum reuocari.

At dicent, cum pleræq; ſint ſcripti & ſententiæ controuerſiæ, ῥητῶ & διανοίας, cur magis ueſtræ interpretationi quàm noſtræ, quæ conſenſu aliquot ſeculorum comprobata eſt, crederemus? Etſi hæc obiectio plauſibilis eſt: tamen omnes piĳ, doctrina mediocriter exculti, uident quid reſpondendum ſit.

Primùm, non ſunt omnia obſcura in ſermone diuino et in ſymbolis. Nulla igitur interpretatio cum fontibus pugnans recipienda eſt. Non enim gignenda eſt noua de Deo doctrina, ut fecerunt Ethnici Orpheus, Heſiodus. Oſtendimus autem multas aduerſariorum interpretationes pugnare cum fontibus, & genus doctrinæ nouum eſſe, non traditum à Deo. Ethnicum eſt enim quòd fingunt prodeſſe ſacrificium ex opere operato ſine bono motu utentis.

Deinde conſtat & hoc, recentia ſecula, quorum conſenſum ſequuntur aduerſariĳ, diſceſsiſſe à ueterum ſcriptorum ſaniorum interpretatione. Videndum eſt igitur utra interpretatio, noſtra an contraria, pugnet cum fontibus, hoc eſt, cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, ſymbolis, & certis teſtimonĳs Apoſtolicæ ſententiæ.

Hanc eſſe normam iudicĳ oportebat. Nec nos ignoramus multos præſtigiatores, ut ſtabiliant idola & prauas opiniones, prætexere antiquitatem, & inflectere integras conciones Chriſti & Apoſtolorum ad humanas opiniones contra natiuam ſententiam, & illuſtria primæ Eccleſiæ teſtimonia. Ac magnũ decus ſapientiæ multi in collegĳs Pontificĳs & in aulis Regum eſſe putant artificioſè pingere idola, & concinna aliqua interpretatione falſas opiniones lenire.

Hi ludi, cùm multis modis Eccleſiæ pernicioſi ſint, profectò exemplum non eſt confirmandum. Nam ſi his fucoſis interpretationibus excuſare licet errores, qui nunc taxati ſunt, aliquanto poſt etiam Ethnicis religionibus, ut Diabolus inſtigat leuia ingenia ad deridendum Deum affingentur bellæ excuſationes.

Eſſet autem impietas talibus ſophiſtis permittere cognitionem, qui non habent ſtudium ueritatis: ſed cum uideant hoc plauſibilius eſſe, tantum quærunt prætextus, ut quoquo modo præſentes ritus tueantur. Oramus autem omnes graues uiros, amantes Eccleſiam Dei, ne audiant tales agyrtas corrumpentes doctrinam de inuocatione, quam puriſsimam eſſe oportet.

Cum mens in inuocatione quærit quem alloquatur, & an & cur audiantur noſtræ preces, neceſſe eſt ſciri hunc eſſe uerum Deum, creatorem cœli & terræ, & conditorem Eccleſiæ ſuæ, qui ſe nominat patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, et certò exaudire propter Filium, quem uoluit pro nobis uictimam fieri, & conſtituit μεσίτην καὶ ἱκέτην καὶ ἀρχιερέα.

Hîc ſi oculis obĳcit ille præſtigiator Georgium, Martem, Iunonem, Annam, & dicet congruere has inuocationes, iam reuera Deus horribili contumelia afficitur.

Artaxerxes uotum fecerat, ægrotante inceſta coniuge, ſe Iunonem ſolam

uelle colere,si sanaret mulierculam,& uelle totam uiam ab arce Babilonica ad templum auro tegere,quod ipsi donaturus esset.

Hæc si talis aliquis sophista leget,quæret speciosam interpretationem. Dicet Iunonem significare unicam æternam mentem, seu προνοίαν rectricem. Et Deo gratam esse munificentiam,qua templa ornantur,ut sacerdotes ali,studia iuuari,pauperum inopia subleuari possit.

Tales fuci semper & fuerunt,& erunt pernicioſæ corruptelæ inuocationis ueræ,de qua concionatur Euangelium. Quare aduersari,talibus,quamlibet speciosis interpretationibus, necesse est.

In historia passionis filij Dei insignis imago proponitur,cùm oculi filij Dei teguntur fascijs,& undiq; facies cæditur colaphis,& adduntur uirulenti sarcasmi : Vaticinare quis te percusserit.Irrident uelatum, quasi aut non uideat à quo contumelia afficiebatur,cùm uelit perhiberi uates,aut etiamsi uideat, dissimulare tamen,& accipere iniuriam cogatur.

Quid tam simile est huic imagini, quàm illæ fucosæ erratorum interpretationes? Veritatem tanquam captiuam isti producunt,ac primùm oculos eius uelant, hoc est, nudam cerni nolunt. Deinde alij aliunde colaphos infligunt,hoc est,corruptelis nouis eam lacerant.Et sibi ipsis plaudunt, tanquam re bene gesta triumphos agunt, inter suos, & Epicurea audacia sibi persuadent non cerni has fraudes à Deo,nec uerentur iudicia hominum freti potentum fauore.

Aduersus tales sophistas,in tantis periculis extremæ senectæ mundi,profectò diligentia & circumspectione opus est,ne & hæc,quæ iam restituta sunt, nouis præstigijs obruantur,& ne hoc exemplo confirmentur petulantia ingenia,quæ libenter omnes religiones miscent.

Omnium uirtutum longè maxima est, maximeq; necessaria uera Dei inuocatio,quæ est rectrix omnium periculorum uitæ,& radix cæterarum uirtutum,& præsidium in hac miseria humana præcipuum. Huius uirtutis doctrinam uult Deus omnibus hominibus notissimam esse,& seruari incorruptam. Facile autem deerrant humanæ mentes à Deo,et in quam tetros furores ruant, postquam semel impulsæ Diaboli laqueis tenentur,ostendunt idola,& pernicioſi errores omnium seculorum atq; ætatum.

Ideò non concedendum est ut homines Epicurei,aut ignari doctrinæ cœlestis,& non amantes ueritatem,et studioſi sophistices de his controuersijs pronuncient.

At dicet aliquis : Nullane patiemini iudicia,nullam cognitionem? Imò non dubitamus membra ueræ Ecclesiæ Dei passim in toto orbe terrarum,quo perferri doctrina potuit quotidie iudicium facere de doctrina, & multi suam sententiam declarant,qui ut testentur se probare hanc doctrinam, confessionem eius uitæ suæ anteponunt.

Non igitur desunt iudices & testes nostræ sententiæ. Atq; utinam de his tantis rebus,quas uniuerso generi humano notissimas esse oportebat, in iudicio uerè Ecclesiastico possemus nostras sententias cum uiris doctis,timentibus Deum,& amantibus ueritatem, conferre. Cur autem eius synodi cognitionem expeteremus,in qua non solum nos non audiemur : sed etiam alijs rectè sentientibus libertas dicendæ sententiæ nulla concedetur?

Postre-

Postremò & loci periculo iustè mouemur, ubi cum nostri tutò uersari, præsertim emissa aliqua libera uoce non possent, satis excusati sumus, quo minus ad eum locum accedamus.

Extant & uetera, & probata exempla sanctorum patrum, qui Synodos defugerunt, quanquam autoritate summa indictas, cùm suspicabantur non hoc agi, ut ueritas patefieret: sed ut stabiliretur aut tyrannis, aut impium aliquod dogma.

Imperator Constantinus edicto luculenter & seuerè scripto præcepit gubernatoribus Ecclesiarum, ut in Tyro conuenirent. Etsi aliqui eò uiri boni & Deum rectè colentes accesserunt, ut Potamon martyr: tamen plures Episcopi colludebant cum Ario. Cùm igitur Athanasius uideret se habiturum esse iniquos iudices noctu discesit, cùmq; ad Imperatorem, qui non procul erat, uenisset, coram Imperatori, quanquam irato se excusauit.

Deinde Constantinus synodum Antiochiæ coegit frequentissimum. Ad hanc noluit accedere Maximus Hierosolymorum Episcopus, cum quidem loci uicinitas eum inuitare posset. Sed norant quo uoluntas Constantij propendebat, uel potius quid machinarentur illi impostores, qui mirificis technis deprauabant Imperatoris animum.

Postea cùm Photinus horribilem tumultum in Pannonia excitasset renouans ueterem Ebionis blasphemiam, ac negans in Christo duas esse naturas, Imperator, ut in re magna, synodum conuocat Syrmium. Ad hanc magnitudo negocij inuitare debebat omnes, præsertim qui non longe aberant. Venit autem eò magna frequentia Arianorum, quæ cum suspecta esset pijs Episcopis in occidente, plurimi eò accedere noluerunt. Ex præcipuis uerò uenit eò Hispanus quispiam Osius Cordubensis Episcopus, quem Imperator propter nominis celebritatem peculiariter euocarat. Cumq; ibi astutè deprauatum esset Nicenum symbolum, Osius ambiguitatem uerbi, quod insertum erat, stulta opinione tranquillitatis approbauit.

Postea cùm eius autoritatem hæretici allegarent, Ecclesiæ in multis regionibus perturbatæ sunt. Ideò Hilarius asperè queritur de Osio, eicq; non solum imprudentiam, sed etiam leuitatem tribuit. Quare multò facius fuisset Osium non uenire in Synodum.

Cyrillus Episcopus Hierosolymorum, qui defendit ὁμοούσιον, & cum Gregorio Nazianzeno tandem consentit, aliquoties citatus à Synodis non accessit ad eas, ac primus dicitur usus scripta appellatione.

Imperator indixerat ut Mediolani conuenirent Episcopi ex Oriente & Occidente. Ibi cum Paulinus Episcopus Treuirensis, & pauci quidam alij animaduerterent Auxentium fauere Arianis statim initio discesserunt, ac fuerunt cæteris autores discedendi. Non enim uolebant prætextu Synodorum deleri ueritatem.

Cùm igitur similes causas habeamus, ne Tridentinam synodum probemus, quales illi habuerunt in fugiendis aut relinquendis impijs Synodis, satis nos & hæ causæ, & hæc exempla excusant.

Precamur autem Deum æternum Patrem, Domini nostri Iesu Christi, ut sicut se immensa bonitate generi humano patefecit, ita seruet inter homi-

nes lucem Euangelij, nec sinat eam deleri humanis furoribus quibuscunq. Precamur etiam ut uoce Euangelij colligat sibi in multis gentibus æternam Ecclesiam, à qua uerè inuocetur & celebretur, & ubiq terrarum idola euertat. Oramus etiam propter gloriam Dei & salutem Ecclesiæ inuictissimum Imperatorem Carolum Augustum Dominum nostrum clementissimum, & omnes reges & principes ne prætextu Synodi sinant damnari manifestam ueritatem, & confirmari idola, & iniustam sæuitiam passim grassantem, ac sibi ipsis comminationes diuinas proponant, in quibus dicitur: Blasphemia Spiritus non remittetur hominibus. Item, ueniet super uos sanguis iustus effusus inde usq à nece Abel iusti, &c. Non assentiantur hypocritis, qui agnitam ueritatem obruere conantur, non sint ministri alienæ crudelitatis: sed quærant salutaria consilia ad fouendam Ecclesiam Dei, quæ profectò in hac mundi senecta fit angustior & ærumnosior. Hæc reuerenter, ut in Ecclesia Dei, sine ullis priuatis cupiditatibus petimus. Non enim delectamur dissidio, nec ignoramus nostra pericula & nostras ærumnas. Sed assentiri non possumus ut Euangelij lux, & doctrina necessaria Ecclesiæ Dei, aboleatur nec societate crudelitatis polluere mentes nostras, & uniuersam posteritatem nostram uolumus

Hæc est plena consilij ratio, quam cùm iustissimam esse constet, ab ea non discedendum est, & exitus Deo commendandi sunt. Sicut sæpe docet uox cœlestis, ut in Psalmo 36. Subditus esto Deo, & ora eum. Item, Expecta Deum, & custodi uiam eius. Et hunc ipsum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem omnium rerum & Ecclesiæ suæ oramus, ut nos gubernet & defendat,

Amen.

SCRI-

SCRIPTA EXHIBITA IN COLLOQVIO VVORMACIENSI, ANNO M. D. LVII.

RESPONSIO AD PRÆFATIONEM REVERENDI DOMINI PRÆSIDENTIS, DIE XI. SEPTEMBRIS.

REVERENTER AVDIVIMVS ORATIONEM ET MANDATA Reuerendiſsimi Domini Præſidentis, ac initio ueris gemitibus precamur Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum uerè colligentem æternam Eccleſiam uoce Euangelij, ut nos gubernet, & ſemper inter nos ſibi Eccleſiam colligat, & nos ad explicationem doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum perſpicuam & ueram offerimus, quam & propter gloriam Dei, & propter ſalutem animarum lucere, propagari & conſeruari optamus. Et reuerenter agnoſcimus D. Præſidentem à Regia Maieſtate conſtitutum.

Ne autem uagari opinionibus exiſtimemur, nunc quoq; expreſſè teſtamur, nos pio & firmo conſenſu amplecti ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & quidem in hac ipſa ſententia quam comprehendunt Symbola, Apoſtolicum, Nicenum & Athanaſianum, eamq; doctrinam adfirmamus compræhenſam eſſe in confeſsione Eccleſiarum noſtrarum, quæ exhibita eſt Imperatori Carolo quinto in conuentu Auguſtano, Anno 1530.

Hanc confeſsionem fatemur nos omnes pio conſenſu amplecti, & ab ea nec diſceſsimus, nec diſceſſuri ſumus. Reijcimus etiam errores & ſectas pugnantes cum illa confeſsione, cùm ueteres tùm recentes, & nominatim decreta impia facta in Tridentina Synodo, ut nominant: Et librum cuius titulus eſt INTERIM, & alias actiones pugnantes cum confeſsione noſtra.

Credimus etiam certò Filium Dei colligere æternam Eccleſiam uoce Euangelij, & eſſe ueram Eccleſiam Dei non multitudinem, quæ ſcripta Apoſtolica & Symbola non recipit, quales ſunt Ethnica, Mahometica aut Iudaica colluuies, nec illos qui ſibi arrogant titulum Eccleſiæ, & tamen ſcientes ueritati aduerſantur & Deum contumelia adficiunt, ſtabiliendis Idolis, & adiuuant aut confirmant parricidia animarum & multorum corporum: Sed illum cœtum qui ſonat uocem Euangelij incorruptam, qui quanquam habet ſuas infirmitates, tamen retinet fundamentum, ut Paulus nominat, nec ſciens defendit Idola, iuxta dictum: Oues meæ uocem meam audiunt.

In hac uera Eccleſia ſcimus eſſe multos electos, & certò hæredes eſſe uitæ & ſalutis æternæ, qui conuerſi ad Deum uera fide propter Mediatorem accipiunt remiſsionem peccatorum. Nec dubitamus in hac uera Eccleſia placere Deo, conuerſionem, fidem, inuocationem, & alios cultus ab eo mandatos.

Huius ueræ Eccleſiæ membra nos eſſe profitemur & docemus mandatum Dei eſſe, ut omnes homines illius ueræ Eccleſiæ ciues fiant, ſicut ſcriptum eſt: Vnum petij, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ &c.

Hæc initio præfari uoluimus, ut ſciatur & quid profiteamur, & nos non diſceſsiſſe à uera Dei Eccleſia. Vtrunq; certum ſit, quæ & ubi ſit Eccleſia, & ſit unicum & certum doctrinæ genus, quod eſt conſenſus Catholicæ Eccleſiæ Dei,

siæ Dei,Prophetarum & Apostolorum,quòd quidem & testimonia habet ueteris & purioris Ecclesiæ,etiamsi scriptores post Apostolos,alij magis, alij minus puri sunt,& multi contagia habent suorum temporum, sicut semper hominum natura aliquid habet imbecillitatis.Quòd autem aliqui relicta doctiorum perpetua sententia,excerpunt semina errorum,qui post eos maiora incrementa habuerunt,fraus est & peruersitas.

Altera pars orationis Reuerendissimi D. Præsidentis, in qua est commemoratio de publicis calamitatibus, quas & attulit & adfert publica discordia,ualde auget nobis dolores nostros. Significat enim nos esse dissidiorum autores & faces,& uelut exprobrat nobis calamitates nostras. Meminimus uulnera nostra,& experti sumus aspera rudimenta,quæ nos commonefaciunt de amanda pace,Et deploramus principum & ciuitatum ærumnas & multorum Nobilium & fortium uirorum interitus. Deploramus & aliorum neces, qui propter confessionem piam quotidie interficiuntur, & assiduis gemitibus Deum precamur,ut Ecclesiæ concordiam, & patriæ, nostris familijs & posteris tribuat non solum pacem: Sed etiam ordine constitutas politias & honesta domicilia.

Sed quòd ab hostibus Euangelij qui se Ecclesiam nominant dissentimus, seueriss imis mandatis Dei cogimur,iuxta hæc dicta: Si quis aliud Euangelium docet,anathema sit. Item,Qui dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum,non remittetur ei.Item,Fugite Idola. His diuinis mandatis cum parêre necesse sit,non nos discordiæ autores sumus, Sed culpa illorum est,qui manifestam ueritatem delere & horribilia Idola stabilire conantur. Nec nos ab Ecclesia Dei discessimus: Sed socij illorum esse nolumus,qui cruore piorum respersi,Idola tuentur.

Cumq; mandata Dei anteferenda sint omnibus commodis,uitæ nostræ, tranquillitati publicæ & priuatæ, & carissimis familijs nostris, commendamus Deo exitum nostrarum ærumnarum,qui dixit: Posui uerba mea in ore tuo,& umbra manus meæ protegam te, ut plantes cœlos.

Quòd autem petit Reuerendissimus D.Præsidens,ut placidè sine ambagibus & sine conuicijs, nostras sententias exponamus, nihil nobis gratius est tali collatione,in qua simplex ueritas sine sophistica & sine animorum acerbitate quæritur,ut gloria Dei illustretur, & saluti animarum consulatur. Promittimus igitur nos Deo iuuante modestè & propriè, & sine sophismatum præstigijs exposituros esse uera fundamenta doctrinæ nostræ ex scriptis Prophetic is & Apostolicis, Ac uicissim petimus ut gubernatores colloquij non concedant aduersarijs ludere sophismatibus,et detorquere dictaProphetica & Apostolica ad alienas sententias, & cumulare dicta scriptorum,seu falsa seu malè detorta.Talibus centonibus aduersarij iam multos annos fucum faciunt indoctis. Eò magis autem uitandus est hic ludus,quia hæc tota collatio referenda est ad senatum Imperij.

Postremò, quia iubet nos Reuerendissimus D. Præsidens deliberare de ordine collationis,fuit anteà usitatum in talibus congressibus ordinem articulorum confessionis sequi.Idem nunc quoq; fieri petimus. Sed audiemus quid & Reuerendissimo D.Præsidenti & cæteris uideatur. Precamur autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum,ut nos gubernet.De iuramentis postquam formam eorum audierimus,exponemus nostram petitionem,quam necessariam esse iudicamus.

DIE

DIE XV. SEPTEMBRIS.

INtelleximus orationem Reuerendiſsimi Domini Mersburgenſis & Collegiarum præcipuè has quatuor partes complexam eſſe. Prima fuit commemoratio, in qua narrat ſuos non adferre animorum acerbitatem ad hanc collationem, ac uiciſsim petit ut ſine odijs quæramus publicam concordiam. Pars ſecunda fuit de antiquitate doctrinæ quam tuentur. Tertia petitio fuit, ut in tantis diſſenſionibus oſtendamus, an communi conſenſu amplectamur Auguſtanam confeſsionem, & in ea ſententia perſeueremus. Quarta fuit de commutatione ſcriptorum, & de ordine articulorum.

Etſi de ſingulis membris dici multa poſſent, tamen breuiſsimè reſpondebimus. Nos nec curioſitate, nec ulla inhoneſta cupiditate, amplexos eſſe doctrinam quam profitemur, Sed ſimplici animo, quia ueritati agnitæ contradicere blaſphemia eſt. Nec delectamur publica diſcordia, ſed ingenti dolore adficimur propter diſcordiam & propter calamitates, quæ ex illa ſequuntur, ac uulnera meminimus, quæ propter doctrinæ profeſsionem noſtri acceperunt. Quare uerè adfirmamus nos in hoc tanto dolore & his ærumnis, nec odia, nec ambitionem, nec φιλονεικίαν ad hanc collationem adferre, ſed optare nos hoc unum, ut gloria Dei illuſtretur, & ſaluti animarum conſulatur. Quas uoluntates illi adferant, qui manifeſtos abuſus defendunt, aut etiam exercent ſæuiciam in noſtros, facilè iudicari poteſt.

De antiquitate doctrinæ miramur uiros doctos adfirmare, genus doctrinæ quod ante quadraginta annos plurimi docuerunt, ſemper ab initio notum & probatum fuiſſe Eccleſiæ, cùm manifeſtum ſit uetuſtati multos recentes errores & ritus prorſus ignotos fuiſſe. Non prohibuerunt Apoſtoli coniugium miniſtris Euangelij. Non fuerunt priuatæ Miſſæ, ac multò minus uenales pro mortuis. Non fuit inuocatio mortuorum hominum, Non fuit adoratio in circumgeſtatione panis. Non erat mercatus indulgentiarum, Nemo diſputabat Romanum Epiſcopum habere utrumq; gladium. Deniq; longa eſſet enumeratio, ſi recitare plures abuſus uellemus, qui paulatim irrepſerunt & tempore creuerunt. Auguſtinus deplorat ſui temporis ſuperſtitiones. Et his recentibus ſeculis docti uiri multi, Gerſon, Vueſſelus, & alij reliquerunt ſcriptas querelas de Eccleſiæ morbis, & ſemper aliqui à multitudine faſcinata erroribus, diſſenſerunt.

Cùm autem manifeſtum ſit à ueteri puritate paulatim diſceſsiſſe poſteriores, magis miramur cur dictum ſit à collocutoribus, nolle ſe diſcedere ab ea doctrina, quam ante quadraginta annos plurimi docuerunt. In ea aſſeueratione ſi perſeuerant, quid opus eſt hanc collationem inſtitui, quid opus eſt quæri remedia ad tollendos Eccleſiæ morbos. Sed utrum genus doctrinæ ſit antiquius & Apoſtolicum, in collatione, Deo iuuante, oſtendemus. Placet & nobis dictum Tertulliani: Primum quodq; rectiſsimum eſt. Sed quæratur antiquitas ex teſtimonijs Apoſtolorum, & eorum qui proximi eis fuerunt, & qui eruditione & iudicio antecelluerunt. Horum nobis teſtimonia non deeſſe ſcimus.

Dictum eſt in oratione Reuerendiſsimi Domini, proximam ætatem ante quadraginta annos uiam compendiariam & certam monſtrare ad concordiam. Manifeſtum eſt autem ea ætate tenebras fuiſſe maiores quàm antea. Videmus nos ipſi inuocationes mortuorum hominum, curſus ad ſtatuas, Enthuſiaſmos

siasmos hominum,qui perciti furore ad statuas concurrerunt,ut in orgijs Bacchi furores hominibus immissi sunt,carnificinam confessionis & satisfactionum,uenales indulgentias,merita Monachorum alijs uendita,& alias multas portentosas superstitiones. Hæ tetræ confusiones non erunt norma piæ concordiæ,sed earum restitutio uerè esset redire ad uomitum. Sit norma de qua scriptum est: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Nec Lutherus tanta studia multorum piorum initiò habuisset,nisi magnitudinem abusuum multi detestati essent.

Tertio loco nobis obijciuntur nostræ dissensiones. Ad hanc obiectionem antea respondimus. Nos omnes in nostris Ecclesijs pio & firmo consensu amplecti confessionem exhibitam Carolo Imperatori, in conuentu Augustano Anno 1530. Ab ea confessione nec discessimus,nec discessuri sumus. Et reijcimus opiniones cum ea pugnantes. Nec de fundamento inter nos in nostris Ecclesijs dissensio est. Etsi ut semper infirmitas est humanæ naturæ,interdum errata aliqua accidunt etiam piorum,qui tamen sunt sanabiles. De ijs uerò qui sunt extra nostras Ecclesias, manifestum est fanaticos homines plurimos,Seruetum,Thammerum,Anabaptistas,Stenckfeldium, & multos præstigiatores à nobis constanter refutatos esse,& præmunitam esse iuuentutem optima doctrina,ut illos furores iudicare possit & execretur. De his tantis rebus alij extra nostras Ecclesias nihil scripserunt, sed ocioſi spectatores nostrorum præliorum fuerunt,aut etiam odio nostri furiosis erroribus & transfugis adplauserunt.

De commutatione scriptorum & ordine articulorum,adsentimur orationi Reuerendissimi Domini Mersburgensis,& petimus ut sine sophistica propriè & perspicuè suas sententias exponant,nec in opinionibus manifestè falsis & pernicioſis quærant fucosas excusationes,et σοφὰ φάρμακα, ut multi didicerunt iam arte pingere superstitiones. Scitis pro uestra excellenti sapientia etiam malas causas ab astutis splendidè ornari posse. Id non fiat in Ecclesia,sed cedant errores Deo & ueritati,& luceat in Ecclesia perspicua ueritas. Nos sine fraude, sine corruptelis testimonia Prophetica & Apostolica recitabimus,nec adfingemus peregrinas interpretationes,sed Deo iuuante natiuas sententias retinebimus.

Quidam ueteris Ecclesiæ exempla proferunt, non ea quæ uetus puritas tradidit,sed quæ paulatim irrepserunt & semina fuerunt errorum. Ideò etsi scimus congruere nostras sententias cum ueteri puritate, tamen exemplis uetustatis cum delectu utemur. Precamur autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum,ut nos gubernet,& suæ ueritati ipse opituletur.

DIE XVI. SEPTEMBRIS.

PLacet nobis de Iudice primam esse deliberationem, in qua nos sequimur Pauli dictum: Si quis aliud Euangelium docet anathema sit, & hoc dictum: Sanctifica eos in ueritate,sermo tuus est ueritas. Ac toties iam diximus nos fideliter & constanter amplecti scripta Prophetica & Apostolica & Symbola.

Adfirmamus hoc quoq; sermonem Propheticum & Apostolicum,& Symbola non esse sermones incertos & non intellectos: Sed filium Dei qui protulit

protulit Euangelium ex sinu æterni patris, & est λόγος æterni patris, ueracem nuncium esse, qui uelit intelligi, nec adferre ambigua dicta, aut numeros Platonicos. Ac sapienter dixit Epiphanius: Non omnia uerba Dei sunt allegorica, sed intelligantur ut natiua significatio postulat. Opus est autem speculatione & sensu ad considerandum de qua materia loquantur, Adhiberi uult intellectum phrasis & circumstantiarum, & distinctionem materiarum, definitiones, diuisiones, & rectas ratiocinationes. Deinde & sensum, id est, experientiam in uera conuersione & consolatione. Manifestum est legis moralis sermonem proprium & perspicuum esse, proprio sermone etiam traditas esse Euangelij promissiones. Sic de omnibus fidei articulis sentire necesse est. Etsi enim, ut postea dicemus, Ecclesia reuerenter audienda est ut doctrix, tamen fides non nititur Ecclesiæ autoritate, sed uoce diuina. Audis docentem Ecclesiam λόγον esse ἄφεσιν, remitti peccata, & dari uitam æternam credenti in filium, sed credis propter uocem diuinam. Et execranda est uox Asoti, qui ait: Scripta Prophetica & Apostolica non plus habitura autoritatis, quàm fabulas Aesopi, si non accedat Ecclesiæ autoritas. Tam prophanam uocem in Ecclesia edi indignissimum est. Sit igitur Iudex in Ecclesia ipse sermo Propheticus & Apostolicus, uidelicet ipse filius Dei, qui Prophetas & Apostolos misit doctrinam æterni patris traditam à filio sonantes. Nec perspicuo horum sermoni refragetur ulla humana sapientia aut autoritas.

Quid igitur agit Ecclesia? Doctrix est, ut dicitur: Nisi arassetis uitula mea, non inuenissetis. Audiamus docentem Ecclesiam, & sicubi uidentur obscura aut dissimilia esse dicta in scriptis Propheticis & Apostolicis, consideremus in fontibus collatione testimoniorum, quæ sit uera interpretatio. Audiant pij Antiochenam Synodum pronunciare in dicto Iohannis: In principio erat uerbum, intelligi λόγον ἄφεσιν, Sed quærant testimonia in scriptis Propheticis & Apostolicis. Doceri, commonefieri, adiuuari, confirmari piorum consensu possumus, ut Paulus inquit: Docete & emendate uos mutuo, Sed fides nitatur scriptis Propheticis & Apostolicis, ut dicitur: Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei.

Sed obijcitur, oportere uiuam uocem esse, quæ dirimat certamina, cùm alij alias interpretationes adferunt. Ad id respondemus: Vbi τὸ ῥητὸν perspicuum est, manifestissimum est sermonem Propheticum & Apostolicum Iudicem esse. Vbi uerò quærenda est διάνοια ne tunc quidem ualet interpretatio, ut in iudicijs politicis autoritate gradus. Autoritas Regia aut Prætoria interpretatur legem, addit aliquid aut corrigit, Et propter graduum officium necesse est parere interpretationi, additioni aut correctioni. Sed iudicia doctrinæ in Ecclesia confessiones sunt piorum & eruditorum, qui ostendunt quid sentiant rectè collatis dictis Propheticis & Apostolicis sine sophistica. Nec ualent horum sententiæ propter gradum seu officium, quia rectè collatis membris in sermone Prophetico & Apostolico, agnoscunt, quæ sit uera διάνοια. Contendunt Anabaptistæ, oportere esse Platonicam rerum communicationem, quia scriptum est: Da omni petenti te. Nos contradicimus. Iudicat Ecclesia non ex humana autoritate, sed prolatis diuinis regulis: Non furtum facies. Item, Euangelium non abolet, sed adprobat legitimas politias. Sic de cæteris disputationibus sentiendum est. Origenes interpretatur: Ex operibus legis non iustificatur omnis

caro,tantùm de cæremoníjs,Auguſtínus de tota lege,Iudex de re tanta non pro nunciat propria autoritate,ſed fontes & totam ſeriem diſputationis conſiderat, uidet hoc agi, remitti peccata propter ſolum mediatorem,Reíjcit igitur Origenis interpretationem.

Hæc de Eccleſiæ iudicíjs dicta ſint. Et tamen aliud eſt loqui de ſcriptoribus quàm de Iudicíjs Eccleſiæ, Magna diſsimilitudo eſt ſcriptorum & Græcorum & Latinorum, Alíj magis,alíj minus puri ſunt. Venerantur autem omnes bene meritos de Eccleſia & ornatos teſtimoníjs diuinis, Et ſcimus multos fuiſſe organa Dei ſalutaria,de quibus dictum eſt: Sedet ad dextram æterni patris Filius, dans dona hominibus, paſtores & doctores. Ac filio Dei gratias agimus quòd teſtes doctrinæ & inſtauratores ſubinde excitauit & excitat. Prodeſt confeſsio Gregoríj Neocæſarienſis, & aliorum de filio Dei, Proſunt monumenta Irenæi & Athanaſíj. Labor Hieronymi in interpretatione ualde utilis fuit. Ambroſius, Auguſtínus, Proſper & alíj quidam doctrinam de gratia fideliter inſtaurarunt. Ac dolemus multos bonos ſcriptores amiſſos eſſe negligentia Epiſcoporum & principum,Et ualde optamus uos reſtituere doctrinam eruditiorum patrum, qui uelut gemmæ Eccleſiæ fuerunt. Sed uos ex promiſcua multitudine & diuerſarum ætatum ſcriptis fragmenta excerpitis, & multa inconcinnè ad ueſtras opiniones detorquetis, ſæpè etiam notha & ſuppoſitícia citatis, quia ſcitis moueri homines mentione Eccleſiæ & antiquitatis, & ſuffragantium numero. Apud Græcos ipſi canones Miſſæ diſſimiles ſunt inter ſeſe, & diſcrepant à Latino. Quærimus ſinceram antiquitatem & ſumus hortatores noſtris ut legant uetera ſcripta, ſed ſciant normam eſſe debere Prophetica & Apoſtolica.

Multa enim occurrunt in pleriſq; ſcriptoribus incircumſpectè dicta. Cyprianus inquit: Peccata ante baptiſmum remitti in baptiſmo. Ea quæ fiunt poſtea eleemoſynis redimenda eſſe. Chryſoſtomus de pœnitentia octo modos recenſet,quibus accípitur remiſsio peccatorum. Melius Euagrius qui ait, bona opera placere προκεχαριτωμένης πίστεως, quod nos dicimus prælucente fide, ſicut & Paulus inquit: Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Scopus enarrationis Origenicæ alius prorſus eſt in Epiſtola ad Romanos, quàm enarrationis Auguſtini. Et poſſemus exempla diſsimilium interpretationum plurima recenſere, quæ uos doctiſsimi uiri non ignoratis, Sed populo non oſtenditis, ut ſuffragia antiquitatis habere uideamini,

Quid quod notha etiam citatis. In libro Theophylacti leguntur uerba de tranſelementatione, quæ nuſquam ſunt in noſtro codice græco. At contra illam μεταστοιχείωσιν, inquit uetuſtior & melior ſcriptor Theodoretus ἄρτος φύσιν οὐ μεταβάλλων. Gregoríj ætate cum in Europam, Aſiam & in Africam infuſi eſſent barbari, partim Ethnici, partim Ariani, & horribiliter delerent urbes, diſsiparent Eccleſias, extinguerent ſtudia doctrinarum, barbaries multas ſuperſtitiones ſecum aduexit, & ſecuta eſt magna caligo. Tunc & inuocationes hominum mortuorum, & miſſæ pro mortuis & leges cœlibatus contra antiquitatem receptæ ſunt. Scripſerat Dionyſius Corinthius, non onus graue cœlibatus imponendum eſſe tanquam neceſſarium fratribus, ſed multorum infirmitati parcendum eſſe. Gregorius contrà ſacerdotibus prohibuit etiam conſuetudinem coniugum, quas antea duxerant.

De ex-

De exercitijs ieiuniorum & castitate scripserat Athanasius: Pulchra res est exercitium, si simul sit cognitio ueritatis, & si sint possibilia. Nec dubium est, quin Athanasius uir sapiens hac grauissima censura taxauerit superstitiones sui temporis. Semper enim natura hominum suas habet infirmitates. At posterior ætas cumulauit ritus, & quidem adfinxit falsas opiniones, quòd sint cultus Dei, Sicut Thomas expressè scripsit, Ieiunia mereri remissionem culpæ & pœnæ.

Cùm igitur magna sit dissimilitudo scriptorum, etsi cognosci antiquitatem uolumus & ab ea adiuuamur, tamen perspicuum sermonem Propheticum & Apostolicum anteferimus, Et Pauli regulam retinemus, quæcunq; doctrina adfertur sit analoga fidei. Item ad Philippenses: Etiamsi quid aliud sapitis, non discedite tamen à Canone ad quem prius uenistis, Et quidem si recipitis eruditiorum scriptorum testimonia, nihil dubium est eos nobis patrocinari, & uestras superstitiones ruituras esse.

Diximus autoritatem summam esse Prophetici & Apostolici sermonis, deinde de Ecclesiæ iudicijs & de ueteribus scriptoribus diximus, sequitur membrum quartum, quod uos attexuistis, propagatam esse ueritatem in posteriores, quia Deus Ecclesiam non relinquat. Fatemur Ecclesiam esse columnam ueritatis, & in ea semper aliquos à Deo mirabiliter seruari rectè sentientes & rectè inuocantes Deum, ut regnantibus Pharisæis & Saducæis, erant tamen Ecclesia Zacharias, Simeon, Elisabet Maria & parentes eius, & alij multi horum auditores, Sicut &3. Regum 19. dicitur: Reliqua sunt in Israël septem millia quę non flexerunt genua coram Baal. Et subinde Deus immensa bonitate in aliquibus pijs doctoribus accendit lucem suam, ut Ecclesiam decrescentem restituat.

Nec tamen alligata est hæc uera Ecclesia ad imperia pontificum aut ad impiam turbam dominantium, ut dominabantur Pharisęi & Sadducęi, sicut & hac postrema ætate dominati sunt pontifices, qui impias leges condiderunt & defenderunt, Et sacrificuli ac Monachi qui doctrinam nouam genuerunt, ut libri ostendunt, & superstitiones ualde cumularunt, Manifestum est doctrinam de pœnitentia, de iusticia fidei, & de multis alijs articulis in doctrina Thomæ, Scoti & similium corruptam esse. Quærit Scotus an una missa dicta pro multis, tantundem ualeat, quantum singulæ pro singulis. Qualis carnificina fuit illorum opinio, quæ docet peccata mortalia esse, uiolare traditiones de cibis & similibus rebus etiam sine petulantia. Denicq; corpus doctrinæ plenum fuit inextricabilibus labyrinthis & laqueis conscientiarum. Deinde & superstitionum spectacula oculis conspici potuerunt, Inuocationes hominum mortuorum, concursus ad certas statuas, & sacrificia pro mortuis & multiplex prophanatio Missarum, Non est igitur propagata ueritas in multitudinem dominantium in Ecclesia, & defendentium manifestos & tetros errores, etiamsi titulum habuerunt & habeant Pontificum, Episcoporum, Sacrificulorum & Monachorum.

Quare non recipimus conditionem propositam, ut nostræ controuersiæ iudicentur ex promiscuis scriptorum ueterum dictis, & ex pontificum decretis, & ex recentibus labyrinthis Theologiæ Monachorum, sed iudicari eas uolumus ex scriptis Propheticis & Apostolicis, & ex Symbolis. Non enim sentimus horum sermonem incertum esse & pomum ἐριθῶν, sicut quidam contumelia Deum adficientes, dicũt scripta Prophetica & Apostolica ambigua esse & literam

mutam & mortuam, & materiam discordiarum, Et hortamur pios ut cogitent seueriſſimè præcipi à Deo, ut omnes doctrinæ iudicentur ex his ipſis libris ſicut ſcriptum eſt ad Epheſios, Eccleſiam extructam eſſe ſuper lapidem angularem Chriſtum, & Prophetas & Apoſtolos huius ædificij fundamentum eſſe. Et 2. Iohannis primo dicitur: Omnis qui non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet. Et de perſpicuitate uocis diuinæ multæ ſententiæ notæ ſunt. 2. Corinth. 4. ait Paulus, Euangelium non eſſe uelatum niſi in impijs. Et in prouerbijs ſcriptum eſt capite 30. Omnis ſermo Dei igne probatus, clypeus eſt omnibus ſperantibus per ipſum. Igne probatum nominat, quod in ueris exercitijs fidei & inuocationis experimur eius certitudinem, quia Deus uerè efficax eſt uerbo ſuo in iudicandis & conſolandis cordibus, Et Spiritus Dei dat teſtimonium Spiritui noſtro.

Hæc breuiter de norma iudicij diximus, quæ & alibi ſæpius à noſtris copioſius expoſita ſunt, & ad declarationem copioſiorem nunc quoq; nos offerimus. In articulo de peccato Originis non dubitamus noſtræ confeſsionis ſententiam ueriſsimè eſſe ſermonis Prophetici & Apoſtolici & ueterum Eccleſiæ ſcriptorum manifeſtam doctrinam. Nec reprehendimus definitionem recitatam à collocutoribus, ſed in una parte inſidias detegi neceſſe eſt. Sciunt ipſi multos antè hæc tempora de fomite ſcripſiſſe, qualitatem corporis eſſe quæ non ſit peccatum, ſed uelut morbus & pœna languefaciens uires animæ. Hæc extenuatio mali nobiſcum naſcentis, neceſſariò reprehenſa eſt ab Eccleſijs noſtris, ut magis intelligatur & deploretur magnitudo peccati & pœnæ. Cùm nominatur mala concupiſcentia in hac doctrina, non tantùm intelligatur fomes ſeu qualitas in corpore, ſed ſimul in mente amiſsio firmæ noticiæ de Deo, & inuoluntate auerſio à Deo, & in corde triſtis inobedientia repugnans legi mentis, Sicut rectè dicit uniuerſa pia uetuſtas, ſaucium uiatorem uulneratum & ſpoliatum eſſe. Et Ieremias inquit: Cor hominis peruerſum eſt in omnibus & miſerum. Peruerſitas ſignificat auerſionem à Deo, Miſeria ſignificat poſtea hæc horribilia mala, fugam indignationem ac fremitus aduerſus Deum. Ideo dicit Paulus: Senſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Talis eſt homo cùm deſijt eſſe templum Dei. Horum malorum non eſt omittenda mentio, cùm de peccato Originis dicitur. Hæc tanta mala in non renatis, eſſe uerè & propriè peccata, & non renatos propter hæc ipſa mala actu reos eſse æternæ iræ Dei, nihil dubium eſt.

Hac tota explicatione omiſsa, Synodus Tridentina aſtutè ad ſtabilien-
dos alios errores inde ſequentes fecit decretum. Concupiſcentia in Renatis non eſt uerè & propriè peccatum. Cum eo decreto congruunt uerba collocutorum, ut tectè confirmentur illa ænigmata Synodi Tridentinæ, Agamus planè & perſpicuè, Iohannes inquit: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Peccatum eſt, quicquid eſt contra legem Dei. Nec dubium eſt illas triſtes dubitationes in mente etiam in renatis, & in uoluntate & corde neglectionem Dei & carnalem ſecuritatem & alias prauas inclinationes pugnare cum lege Dei. Sunt igitur peccata ſuo genere, Et non ſunt tantum mala corporis, ut morbi ſeu pœnæ. Volumus igitur expreſſè dici, quòd concupiſcentia ſit malum pugnans cum lege DEI.

Sed obijciunt, cùm reatus remiſſus ſit, non dici uerè peccatum. Non mo-
uemus

uemus λογομαχίαν. Hæc quæstio est: An illa mala pugnent cum lege Dei. Hoc exprimi uolumus. Scimus remitti sanctis reatum, sed tamen declarari necesse est de fundamento, ut eruditi loquuntur, an sit malum pugnans cum lege DEI, præsertim cùm in Articulo uestro uerba obscura & inexplicata posita sint. Dicitur non solum peccati reatus in baptismo remissus sed etiam id totum, quod ueram propriamque peccati rationem habet. Vetus est illud Messeniorum. τάυτα μὲν παλαιὰ σοφίσματα δὲ λακεδαιμονίων. καινὰ δὲ ἀδικήματα. Intelligi has fraudes existimate & planè dicite. Cur dicatis non solum tolli reatum, sed etiam id totum, quod ueram propriamq; peccati rationem habet. Quid hîc uelitis exponite, nec præstigias offundatis lectoribus uerbis nihil significantibus. Non est candor talia uerba nihil significantia intexere. Paulus inquit: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Quid tristius dici potest? Et in capite septimo expressè Paulus nominat hæc mala peccatum, cùm ait: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, Et petimus considerari pondera uerborum. Quæ relæ sunt omnium piorum similes de hac tanta miseria. Et si petitis testimonia scriptorum, recitari plurima possunt. Augustinus libro 5. contra Iulianum inquit: Concupiscentia carnis aduersus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, quia inest illi obedientia contra dominatum Mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est defectione consentientis & contagio nascentis.

Postremò quod dicunt calumnias esse, & affingi quòd doceant, homines sine auxilio spiritus sancti posse diligere Deum super omnia, extant libri Scoti & similium, in quibus hæc expressè scripta sunt, quos si collocutores non legerunt, iniustè faciunt, quod nos calumniatores nominant, re non explicata. Sed si legerunt miramur eos non cogitasse quàm facile refutari possint. Non uolumus certare conuicijs, Et petimus uicissim, ut res ipsas candidè perspicuè, sine sophistica & sine conuicijs exponant.

Iussi sumus huc accedere ad placidam collationem, in qua fieret seu ueritatis inquisitio, seu in aliquibus controuersijs conciliatio, Et attulimus piam uoluntatem ac preces, ut hic labor illustraret gloriam Dei, & prodesset ad aliquarum Ecclesiarum emendationem. Sed omisso colloquio mox institutum est, ut scriptis certaretur, cuius mutationis consilia, fortasis magis intelligentur postea. Hîc uidemus conductum esse declamatorem, qui uenali lingua ostentet grandiloquentiam suam, non in explicatione dogmatum, sed in concertatione priuatorum conuiciorum, cui nominatim respondemus, nisi huic ornatissimorum uirorum consessui parceremus. Hæc tantùm eò breuiter dicimus, ne dissimulata illa parte orationis calumniosa fateri crimina nobis obiecta uideamur. Nunc de Iudicijs Ecclesiæ breuiter & perspicuè sententiam nuper exhibitam repetemus. Nequaquam concedi uolumus, ut sibi quisque fingat interpretationem sermonis Prophetici & Apostolici suo arbitrio, ut nobis obijcitur. Sed ut Deus præcepit sint iudicia in Ecclesia, Sicut ad Corinthios scriptum est. Et sit norma Iudicij certa & immota, sermo Propheticus & Apostolicus & Symbola, sicut scriptum est. Iohannes 8. Si manse-

ritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis. Cùm τὸ ῥητὸν perspicuum est, manifestum est ab eo non discedendum esse, Sicubi διάνοια quærenda est quæratur ex collatione membrorum, in qua collatione adiuuamur & testimonijs ueteris & purioris Ecclesiæ, quia uult Deus audiri Ecclesiam ut doctricem, sed fides uerbo Dei nititur. Hanc nostram commemorationem de purioris Ecclesiæ testimonijs, & de nostra reuerentia erga organa Dei, quæ ad propagationem ueræ doctrinæ diuinitus excitata sunt, callidè omisit ille declamator, & falsò uociferatur nos de patrum autoritate detrahere. Nos uerò gratias agimus DEO, quòd Irenæi, Gregorij, Athanasij Neocæsarienſis, Basilij, Augustini, & similium testimonijs nos & docuit & confirmat de multis magnis rebus. Sed tamen fateri necesse est, alios magis, alios minus puros esse, & normam esse oportere sermonem Propheticum & Apostolicum. Aiunt in Basilio esse inuocationem sanctorum hominum. Etsi is tantùm uno in loco oratorio more compellationem ad Ecclesiam cœlestem facit & nominat sanctos συμπροσκυνητὰς nostrarum precum, credimus & nos sanctos in cœlo assiduè præcari pro Ecclesia. Nec tamen inde sequitur, inuocandos esse, Ac multò minus illa obiter dicta in Basilio detorquenda sunt ad horribilem impietatem, quam recentior ætas in inuocatione hominum mortuorum exercuit & exercet, Et cùm dogma constituitur, anteferenda est Basilij & aliorum dictis Lex expressa: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Item: Sola natura omnipotens iudicat corda & agnoscit ueram inuocationem. Hæc exempli causa commemoro, ne anteferantur scriptorum impropria dicta sermoni Prophetico & Apostolico. Hîc uos dicitis confugiendum esse ad communem consensum, & intelligitis consuetudinem uestram, quæ orta à paruis initijs, paulatim, ita cumulata est, ut multa tetra mala accesserint. Sincera uetustas nullas habuit missas pro mortuis. Postea inuenitis apud Augustinum, matrem uoluisse sui mentionem fieri in synaxi. Hæc primùm de precibus intellecta sunt. Posterior ætas addidit oblationem prodesse mortuis. Hîc quoq; consensum nominatis consuetudinem, cum longè differant tempora & incrementa abusuum. Etsi igitur ueneramur antiquitatem, & cognosci eam uolumus, ut nuper diximus, tamen rursus hoc adfirmamus nos nolle iudicari controuersias nostras ex illo consensu quem ex promiscuis autoribus & diuersis ætatibus, ex dissimilibus exemplis, ex impijs pontificum decretis, & ex sordibus doctrinæ Monachorum colligitis, Et tandem ostenditis esse consuetudinem uestram. Scitis enim uiciosam consuetudinem non esse ius. Ideo discessimus à uestra consuetudine, quia eam scimus pugnare cum doctrina à Filio Dei tradita, sicut & in Ezechiele mandatum est: In præceptis meis ambulate, non in præceptis patrum. Quòd uerò dicitis uos non processuros esse ad reliquam collationem, si hunc iudicem, quem proponitis non admiserimus, testamur nos in hac recusatione perseueraturos esse, & speramus senatum Imperij hæc uestra insidiosa & sophistica postulata non probaturum esse.

Hæc de præcipua parte responsionis breuiter dixisse satis sit. Nunc quædam de alijs uestris Sophismatibus addemus. Qualis cauillatio est, quòd excusatis pontifices quòd non tulerint legem de cœlibatu, quia cum nemo cogatur fieri sacerdos, illi qui fiunt, uolentes sibi hoc onus imponunt, cum non coactus

coactus militat, iudicatur uolens tantos labores adire. Nos contra dicimus. Ordini necessariò iniustè hoc onus additum esse, quia Deus nulli ordini necessariò uult hoc onus imponi, et manet immota lex diuina: Melius est nubere quàm uri. Ac res ostendit horrendis sceleribus pollutas esse omnes gentes propter illam pontificiam legem. Circumspicite & tristia exempla plurimorum in uestris collegijs toto orbe contemplamini, quæ si uobis dolorem adferunt, cur uanissimo sophismate Legem excusatis quæ iniusta est, siue uolentes se offerant siue nolentes. Deinde etiam qui uolunt seu ministerium seu reditus, nollent hoc onus accedere. Aliquos stultitia, aliquos Epicurea prophanitas mouet, ut onus non recusent, multi honesti & docti apud uestros fugiunt ministerium, ne polluantur ijs sceleribus, quæ impiam legem comitantur. Desinite igitur fingere sophisticos prætextus ad confirmandam legem quæ tot seculis multorum inuocationem impediuit, & postea causa eis fuit æterni exitij, in quo tota æternitate erunt hostes DEI, & uicissim ingentem iram sentient. Nolite errare inquit Paulus, Scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei. Magnum igitur scelus est confirmare legem, quæ & à Deo damnata est, & causa est horribilium peccatorum. Aliud sophisma de dicto Epiphanij prorsus insulsum fuit, qui cùm dicit natiuam uerborum significationem retinendam esse, uult phrasin rectè intelligi, non hoc uult, figuratè dicta pueriliter sine figuris intelligi, ut cum dicitur: Si te offenderit manus tua, præcide eam. In sequenti cauillatione malitia potius quàm insulsitas conspicitur. Cùm diximus, sit itaq; Iudex sermo Propheticus & Apostolicus, uidelicet ipse filius Dei, fingunt confundi personam & sermonem uocalem. Nos uerò hæc longè discernimus. Et locuti sumus ut in Iohanne inquit dominus. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum. Dicitur iudicium filij Dei, quod ipsius sermone regitur seu profertur. Et quidem tunc ipse regit mentes iudicum sua doctrina & Spiritu sancto, sicut dicitur ad Ephesios, Christum esse caput in Ecclesia omnia perficiens. Et hæc iudicia per ueram Ecclesiam exerceri fatemur, Nec tamen alligatam esse ueram Ecclesiam ad Imperia Pontificum qui sæpè manifestè sunt hostes ueræ Ecclesiæ, ut in Synodo Antiochena erat Paulus Samosatensis. Et quæ de discrimine iudiciorum politicorum & Ecclesiæ, & de autoritate gradus, in priore responsione diximus, necessariò attigimus. Nec recusamus ea copiosius declarare. Obijciunt nobis & dissensiones nostras, & alia scandala. Ad hæc primùm hoc respondemus, Inter nos omnes qui ad hanc collationem missi sumus, & inter pastores omnium Ecclesiarum in nostris regionibus Dei beneficio pium consensum esse de confessione Augustæ exhibita CAROLO Imperatori Anno 1557. & reijcere nos omnes doctrinas pugnantes cum ea confessione. Si qua autem uel exorta sunt dissidia, uel oriuntur, habemus iudicia, ut sanentur errantes. Semper in Ecclesia in hac uita fuerunt sunt & erunt infirma membra. Et dominus iubet septuagies septies remittere sanabilibus. Interea tamen cœtus inter nos rectè sentiens & rectè inuocans Deum est uera Ecclesia Dei iuxta dictum: Oues meæ uocem meam audiunt, ac singuli inter nostros parati sunt cedere iudicio & censuræ nostrarum Ecclesiarum. Contra uerò dicimus non esse ueræ ECCLESIAE ciues illos qui manifestè falsa dogmata & idola pertinaciter retinent, & sunt defensores parricidiorum &

libidinum. Hæc uiciſſim ueſtris obiecimus. Nec obſcura ſunt exempla parricidiorum. Meminimus tantùm propter improbatas ſuperſtitiones in cultu ſanctorum crudeliter interfectum eſſe Henricum Sutphanienſem uirum excellentem ingenio, eruditione & pietate, qui quidem adhuc celebs erat. Ac poſſemus alia multa exempla recitare. Et continua exercetur ſæuitia in ipſa urbe Roma, Gallia, Belgico, Anglia, & multis Germaniæ locis. Hanc confirmare ſophiſticis excuſationibus eſt ſceleri ſcelus addere. Hanc reſponſionem opponimus illi Epiphonemati ueſtri declamatoris, qui ait nos ſuperba præſumtione & inuidię & malignitatis plena æſtimatione nos ut diis genitos efferre. Agnoſcimus nos eſſe miſeros homines & erumnæ noſtrę multis notæ ſunt, conſpiciuntur exilia & neces. Sed tamen manifeſtæ ueritati, quæ & uobis nota eſt, ſcimus non contradicendum eſſe. Nihil ne pudet iſtum declamatorem pios Reges, principes, uiros nobiles, & honeſtiſsimos omniũ ordinũ homines, qui graui iudicio probant hoc doctrinæ genus, magno cum periculo, tanta contumelia adficere, ut tribuat eis ſuperbam præſumtionem & inuidiæ & malignitatis plenam. Sed diſsidia, inquit, oſtendunt incertum eſſe ſermonem Propheticum & Apoſtolicum. Conſulatur ergo communis conſenſus. De noſtris diſsidiis iam dixi, etiamſi qua de magnis rebus inciderent, legitimis iudiciis ea in noſtris Eccleſiis tolli, & unumquenq; noſtrum paratum eſſe ſubire iudicium & cenſuram noſtrarum Eccleſiarum. Quòd commemorant diſsidium de cœna Domini, id non eſt in noſtris Eccleſiis. Sed hoc miramur, cur in hac re confugiant ad illum conſenſum quem iactitant, cùm manifeſta ſit diſsimilitudo teſtimoniorum in ſcriptoribus. Quid diceret ſapiens & erudita uetuſtas, ſi legeret has recentes fabulas? An aſinus bibens aquam baptiſmi, bibat baptiſmum. Quid mus commedat rodens panem conſecratum. Cohorreſcimus hæc deliramenta cogitantes. Reuerenter autem retinemus uerba Chriſti & Pauli, qui dicit, panem eſſe communicationem corporis Chriſti &c. Communicatio autem ſignificat præſentem actionem inſtitutam. In hac actione dicimus uerè adeſſe & ſumi corpus Chriſti, & teſtificari filium Dei, ſe nobis applicare ſua beneficia, & nos facere ſibi membra. Hæc tanta beneficia uult accipi filius Dei fide. Sicut & Cyprianus inquit: Pietas inter data & condonata ſe diuidens gratia agit tàm uberis beneficij largitori.

De ſpectaculis extra actionem inſtitutam, retinere regulam neceſſe eſt, Creaturas non facere Sacramentum, cùm fit adoratio in circumgeſtatione & quidem diuulſis partibus Sacramenti, non congruunt dicta: Panis eſt communicatio corporis &c. Sed de hac quæſtione & aliis tunc copioſius dicendum erit cum ad articulos ueniemus, de quibus ordine dicendum. Hæc tantùm nunc breuiter attigimus, ut oſtendamus quare nos illam conſuetudinem, quæ nobis præcipuè inimica eſt non faciamus ludicem. Veneramur ueterem & puriorem Eccleſiam, ſed hanc non reſtituunt nobis collocutores, ſed excerpunt abuſus qui paulatim irrepſerunt, & fucum faciunt ignaris ſpecie Antiquitatis. Nos hac conſolatione nos ſuſtentamus: Quod ex Deo eſt, non diſſoluetur.

PRI-

PRIMVS ARTICVLVS.

PEtiuimus ut ad doctrinæ articulos procederetur, præsertim cùm inchoata sit collatio de peccato, quod reliquum est in sanctis in hac uita, De quo Pharisaicam doctrinam necesse est taxari. Vult enim Deus agnosci peccatum, ut uicissim intelligantur beneficia filij Dei, gratia & iusticia fidei, & finalis liberationis à peccato. Adfirmamus igitur hos defectus seu ἀταξίαν, quæ reliqua est in sanctis in hac uita, non tantùm esse morbum aut rem indifferentem, nec tantùm ideò nominari peccatum à Paulo, quia sit effectus peccati: Sed quia sit malum pugnans cum lege Dei, etsi in renatis reatus æternæ iræ tollitur, & fit inchoatio sanationis. Manent tamen tristes reliquiæ, propter quas & hæc corporalis, natura damnata est ad mortẽ corporis ut Rom. 8. dicitur, Et homo inpeditur ne satisfacere legi Dei possit, nec possit esse lege iustus, sicut Rom. 8. dicitur: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deũ. Legi enim Dei non subijcitur, nec subijci ei potest. Hanc doctrinã necesse est in Ecclesijs conseruari, ut Lex Dei intelligatur, nec dominentur Pharisaicæ opiniones, quæ ab aduersarijs & defenduntur & confirmantur. Scripsit quidam ex aduersarijs: Concupiscentiam tam naturalem esse homini, quàm soli est proprius motus. Tanta cæcitas est ut non distinguat ἀταξίαν, in omnibus uiribus, ab appetitione cibi & potus creata natura. Et communis error est aduersariorum, concupiscentiam non esse malum pugnans cum Lege Dei, & multo insultiorem rationem addunt: Quia lex tantùm loquitur de actionibus. Nec considerant quid sit Lex Dei, & quòd naturæ hominis conformitatem cum Deo postulet, nõ tantùm actionum, sed intuentur uelatam faciem Moysi. De his tantis rebus concionantur Filius Dei, Prophetæ & Apostoli, & taxant prophanas, philosophicas & pharisaicas opiniones & omnes sancti in hac uita gementes deplorant hanc molem peccati, sicut quærela Pauli Roman. 7. ostendit. Scimus in hac quæstione dissimilia esse iudicia prophana, & uera Ecclesiæ. Eò magis necesse est, nos ueritatem retinere, & nos & alios ad timorem Dei hortari, & securitatem carnalem taxare, sicut Propheta clamat: Conuerte me & conuertar. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur. Cur adeo blandiuntur sibi homines, ut negent peccata esse assiduos æstus dubitationum de Deo & de prouidentia, securitatem carnalem in rebus secundis in aduersis fugam, & fremitus aduersus Deum, & deinde uaga incendia malorum adfectuum, quæ omnia pij tristissimis gemitibus deplorant.

Vt igitur extet nostra perspicua confessio de peccato originis, damnamus & ueteres Pelagianos, & Anabaptistas, & alios, qui aut prorsus negant esse peccatum originis: aut negant reliquos defectus & prauas inclinationes in renatis esse mala pugnantia cum lege Dei. Reijcimus & synodi Tridentinæ flexiloqua dicta, & in uestra narratione absurdè dictum: Totum hoc quod habet rationem peccati, sublatum est. Scitis in dogmatibus, proprietatem & perspicuitatem necessariam esse, & nostram sententiam planè intelligi non dubitamus. Quid autem hæc uestra uerba significent: Totum hoc quod habet rationem peccati sublatum est, quis intelligit? Quodnam est illud totum? An caligo in mente, dubitationes, carnalis securitas, & similia mala, prorsus sublata sunt? Ideò à nobis in superiore scripto explicatio petita est.

SECVN.

SECVNDVS ARTICVLVS.

IN Catalogo articulorum nobis exhibito, ſecundus eſt: De LIBERO ARBITRIO, de quo noſter articulus in confeſsione Auguſtæ exhibita, planus & perſpicuus eſt, & ne tunc quidem improbatus eſt. Ac iudicamus explicationem noſtram utilem eſſe diſciplinæ & Eccleſiæ, cùm dicimus quæ libertas in uoluntate ſit reliqua, uidelicet, regendæ locomotiuæ, & quòd uoluntas humana ſine Spiritu ſancto non poſſit efficere motus interiores à Deo præceptos, ut timorem Dei, fidem, dilectionem Dei, conſtantiam & robur in confeſsione, caſtitatem cordis, & ſimiles interiores uirtutes, quæ ſunt & nominãtur fructus Spiritus, Hac noſtra diſtinctione & Pelagiani & Manichæi refutantur, & diſciplina confirmatur, & ſimul monſtrantur beneficia filij Dei promiſſa in Euangelio.

Dicimus non renatos & debere & poſſe regere locomotiuam, ut externi geſtus congruant cùm lege Dei. De externis actionibus, ac de his dictum eſt: Lex eſt iniuſtis poſita. Adfirmamus autem hanc externam diſciplinam, nec ſatisfacere legi Dei, nec iuſticiam eſſe Deo placentem, nec mereri remiſsionem peccatorum, nec eſſe id, quo homo coram Deo iuſtus, id eſt, acceptus ſit: Sed propter alias cauſas, de quibus ſuo loco copioſè dicimus, neceſſariam eſſe.

Sed de motibus interioribus qui ſunt fructus Spiritus, & incoant obedientiam interiorem, quam Deus præcepit, dicimus, eos motus non poſſe effici ſine Euangelio & ſine Spiritu ſancto, ſicut ſcriptum eſt: Sine me nihil poteſtis facere. Certum eſt autẽ dari Spiritum ſanctum cum in conuerſione corda uoce Euangelij ſuſtentantur, iuxta dictum, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Item ad Galatas 3. Vt promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem. Hæc ſunt plana & perſpicua & habent teſtimonia piorum in adſiduis exercitijs pœnitentię & inuocationis, de quibus Spiritus ſanctus dat teſtimonium Spiritui noſtro. Item Spiritus ſanctus opitulatur infirmitati noſtræ. Et quidem docemus cultum Dei neceſſarium eſſe, petere Spiritum ſanctum, ut ſcriptum eſt. Petite & accipietis. Item, Quantò magis dabit pater cœleſtis Spiritum ſanctum petentibus? Hanc doctrinam & ueram eſſe, & pijs utilem manifeſtiſſimum eſt, & à multis doctis uiris & peritis in Eccleſia ſæpè repetitam eſſe, non dubium eſt. Quia non ſolum ueteres Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Proſper & alij quidam de ea perſpicuè ſcripſerunt ſed etiam recentiores, Bernhardus, Cameracenſis, Vueſſalus & alij.

Clarè etiam adfirmamus, non eſſe ſpiritum ſanctum in his, qui non retinent fundamentum fidei, de quo Paulus inquit: Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt, nec in illis eſſe dicimus, qui perſeuerant in ſceleribus contra conſcientiam, & excuti ex cordibus eorum, qui fuerunt renati, cùm dogmata pugnantia cum fundamento amplectuntur, aut cum ruunt in ſcelera contra conſcientiam. Galat. 5. Qui talia faciunt regnum Dei non poſſidebunt.

PROTESTATIO.

CVm huc miſſi ſimus ut doctrinam in Eccleſijs noſtris receptam, quanquam ſæpè in conuentibus repetita eſt, tamẽ rurſus hîc recitemus, ut poſtea collatę ſententiæ utriuſq; partis referantur ad ſenatũ Imperij, initio precamur filiũ Dei domi-

dominum noſtrum Ieſum Chriſtum uerè colligentem æternam Eccleſiam uoce Euangelij ut nos gubernet, & ſemper inter nos ſibi colligat Eccleſiam. Deinde quia neceſſe eſt oſtendi quid profiteamur, hoc in ſumma præfari uoluimus, nos pio conſenſu amplecti ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & quidem in hac ipſa ſententia quam comprehendunt Symbola, Apoſtolicum, Nicenum & Athanaſianũ, eamq; doctrinam adfirmamus comprehenſam eſſe in confeſsione Eccleſiarum noſtrarum, quæ exhibita eſt Imperato: CAROLO Quinto in conuentu Auguſtano Anno 1530. Hanc confeſsionem fatemur nos omnes pio conſenſu amplecti, & ab ea nec diſceſsimus, nec diſceſſuri ſumus. Quòd ideo præfari uoluimus, ut notum ſit omnibus, quid certò profiteamur, ſicut in Eccleſia debet extare certum & perſpicuum genus doctrinæ. Reijcimus etiam errores & ſectas pugnantes cum illa confeſsione, cùm ueteres, tum recentes, Et nominatim Decreta impia facta in Tridentina Synodo ut nominant & librum cuius titulus eſt INTERIM, & alias actiones pugnantes cum confeſsione noſtra. Quòd autem obijcitur nobis, quòd ab Eccleſia diſceſſerimus, & Eccleſiam intelligant Romanũ pontificem cum cæteris quorum multi ſcientes aduerſantur ueritati, & defendunt & colunt idola, reſpondemus, planè & perſpicuè, omnes homines cogi ſeueriſsimis mandatis Dei, ut ab illa congregatione defendente errores & idola diſcedant, iuxta hæc dicta: Si quis aliud Euangelium docet anathema ſit, Item: Si quis dixerit blaſphemiam contra Spiritum ſanctum non remittetur ei. Item: Qui negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram patre meo cœleſti. Item: Fugite idola. Et mandatum primum inquit: Non habebis alios Deus præter me. Etſi autem ingenti dolore adficimur propter diſcordiam, quam ſcimus & nobis & Reipub: magna pericula adferre, tamen neceſſe eſt omnes homines mandata Dei anteferre omnibus humanis commodis & incommodis, & euentus Deo commendare, iuxta dictum: Subditus eſto Deo & ora eum. Hanc habemus iuſtam & neceſſariam cauſam ſeiunctionis à Pontificia congregatione, Ac optima conſcientia propter gloriam Dei & ſalutem noſtram, non curioſitate, non iniuſta ulla cupiditate aut ſpe diſceſsimus à conſenſu tot gentium. Sed errores & idola reliquimus, & noluimus eſſe ſocij iniuſtiſsimæ crudelitatis, quæ in multis regnis exercetur. Hac nos conſolatione ſuſtentamus aduerſus & odia & multa triſtia mala quæ adfert publica diſcordia. Scimus illos non eſſe Eccleſiam Dei, qui ſcientes ueritati aduerſantur & Deum contumelia adficiunt ſtabiliendis idolis, & adiuuant & confirmant parricidia animarum & multorum corporum, iuxta dictum: Qui dixerit blaſphemiam contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei. Credimus autem certò filium Dei colligere æternam Eccleſiam uoce Euangelij, & eum cœtum eſſe ueram Dei Eccleſiam, qui ſonat uocem Euangelij incorruptam, Et quanquã habet ſuas infirmitates, tamen retinet fundamentum, nec ſciens defendit idola, iuxta dictum: Oues meæ uocem meam audiunt. In hac uera Eccleſia ſcimus eſſe multos electos, & certò hæredes eſſe uitæ æternæ, qui conuerſi ad DEVM uera fide propter filium Mediatorem, accipiunt remiſsionem peccatorum. Nec dubitamus in hac uera Eccleſia placere Deo conuerſionem, fidem, inuocationem & alios cultus ab eo mandatos. Huius ueræ Eccleſiæ membra nos eſſe profitemur, & docemus mandatum Dei eſſe, ut omnes homines illius ueræ Eccleſiæ ciues fiant, Sicut ſcriptũ eſt: Vnum hoc petij ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Hæc initio præfari uoluimus, ut ſciatur nos non uagari opinioni-

opinionibus,ſed amplecti certum,unicum,& perpetuum doctrinę genus,quod eſt conſenſus Catholicæ Eccleſiæ Dei, Prophetarum, quod quidem & teſtimonia habet ueteris Eccleſiæ purioris, etiamſi ſcriptores poſt Apoſtolos, alij magis, alij minus puri ſunt, & multi contagia habent ſuorum temporum, ſicut ſemper hominum natura aliquid habet imbecillitatis. Quòd autem aliqui relicta doctiorum perpetua ſententia, excerpunt ſemina errorum, qui poſt eos maiora incrementa habuerunt, fraus eſt & peruerſitas. Quare iam præfamur nos non abiecturos eſſe ueritatem propter talia delicta ſcriptorum aut canonum pugnantia cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis: Sed retinebimus normam ſupra commemoratam, ſcilicet ſcripta Prophetica, & Apoſtolica, & Symbola, quorum non eſt incerta ſententia, Et filium Dei qui dat dona hominibus, oramus, ut noſtras mentes ſemper doceat & regat, nec ſinat nos abduci à natiua ſententia ſermonis Prophetici & Apoſtolici & Symbolorum. Ac nos quidem DEO iuuante doctrinam Eccleſiarum noſtrarum fideliter, ſine præſtigijs ſophiſmatum, propriè, perſpicuè, & ſine ambagibus & conuicijs, exponemus, Et uera fundamenta ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis monſtrabimus. Viciſſim autem petimus ut gubernatores colloquij, non concedant aduerſarijs ludere ſophiſmatibus, detorquere dicta Prophetica & Apoſtolica ad alienas ſententias, & cumulare dicta ſcriptorum, qui poſt Apoſtolos fuerunt, ſeu falſa ſeu malè detorta. Hæc ſimulacra pugnæ eò magis uitanda ſunt, quia hæc tota collatio referenda eſt ad ſenatum Imperij. Plauſibilis eſt autem illa coaceruatio recentium dictorum apud eos, qui teſtes potius numerant, quàm dijudicant, nec tempora diſcernunt. Et tot iam annos aduerſarij præcipuè his coaceruationibus ueritatem obruunt, ac fucum faciunt populo, nomine Eccleſiæ, quo tanquam gorgone multos terrent, cum multa horribilia Idola recentium temporum prorſus ignota fuerint puriori antiquitati. Vult autem DEVS taxari errores, ſiue tempore, ſiue multitudine confirmatos, ſiue recentes. Sicut ſcriptum eſt: Fugite Idola.

Vt dulciſsimum nobis eſſet colloquium, in quo cum eruditis, pijs, & amantibus ueritatem de uniuerſæ doctrinæ fontibus, placida & candida collatio fieret, ſicut & fieri deberet, & nos facturos eſſe iurauimus: Ita dolemus nobis oppoſitos eſſe uiros doctos quidem, ſed qui lucem ueritatis ſcientes fugiunt, & nobis uarijs modis inſidias ſtruunt. Statim initio propoſita eſt norma iudicij, quam ipſi ſciunt ſui diſsimilem eſſe. Nam ueterum ſententiæ ſæpè cùm recentibus opinionibus pugnant. Deinde & condemnationes initio flagitatæ ſunt. Sæpè reſpondimus nos & miſſos eſſe ex Eccleſijs, quæ confeſsionem Auguſtæ exhibitam, & non aliud doctrinæ genus amplectuntur, Et nos ipſos eam confeſsionem & non aliud doctrinæ genus amplecti. Addimus etiam reijcere nos opiniones cum confeſsione noſtra pugnantes, Extare etiam refutationes à nobis editas contra multorum errores. Hac honeſta reſponſione non contenti, flagitarunt alias particulares condemnationes, in quibus adhiberi declarationem neceſſe erat: Reſpondimus de illis particularibus explicatè dicendum eſſe ſuo ordine in articulis. Simul enim & aſſeuerationes ueras exprimendas eſſe, & falſa improbanda, & cauſas oſtendēdas eſſe. Hæc παράεργα aſtutè ſic inſtructa ſunt, ne peruenīretur ad doctrinæ collationem, & ut inter nos diſsidia fererentur. Poſtquam igitur aliqui ex noſtris diſceſſerunt, nunc nacti occaſionem

abrum-

abrumpunt Colloquium,& fingunt prætextus,qui sunt σκιομαχίαι iuris: Cùm illi nominatim delecti fuerint, alios non surrogandos esse, & improbaturos eorum Dominos,si quid hîc ipsis absentibus inter cæteros conuenerit. Propter has causas si abrumpent Colloquium, nos testamur, nobis non defuisse uoluntatem procedendi ad doctrinæ collationem,etsi liberari nos non molestè ferimus, cùm tam uariè insidias nobis strui uideamus, & oppositi collocutores scientes ueritatem occultent, & arte errores confirment & idola stabiliant. Quæ potest esse utilis collatio, si absint amor ueritatis & animorum candor? Extant scripta nostra multa, ex quibus controuersiæ nostræ cognosci possunt. Nec ueræ Ecclesiæ iudicium unquam defugimus, & ad id nunc quoq; prouocamus. Cùmq; sciat Deus qui est καρδιογνώστης, nos nulla iniusta cupiditate dissentire ab aduersarijs: Sed propter mandatum Dei quærere ueritatem,non dubitamus nostros cœtus esse Ecclesiam Dei,& Deum oramus, ut nos gubernet & protegat, sicut scriptum est: Quod est ex Deo non dissoluetur.

Quòd uerò attinet ad condemnationes, quas flagitarunt,iterum respondemus,quòd toties diximus,nos non aliud doctrinæ genus, præter confessionem Augustæ exhibitam profiteri,& omnia dogmata pugnantia cum ea confessione reijcere.

Quòd autem & aliæ condemnationes flagitantur,de ijs semper obtulimus nos in singulis articulis explicatè dicturos esse,quia in illis materijs declaratione opus est. Non enim tantum Cinglij dogma improbandum est,sed simul horribilia idola Pontificia damnanda sunt,quæ sciunt ipsi aduersarij nullo modo excusari posse,& ignota fuisse sinceræ antiquitati. Quomodo ad rationem Sacramenti congruit auulsio unius panis,ut in circumgestatione adoretur,cùm extra institutum usum nihil habeat rationem Sacramenti. Deinde quanta prophanatio est in Missis plurimorum, qui prorsus nesciunt quid agant. Hæc tristia mala non libenter commemoramus, sed ingenti mœrore deploramus. Attingi tamen in Colloquio sincero hæc uulnera necesse esset, & ueram doctrinam aduersus multos errores illustrari. Ideò ut in cæteris articulis multis,differre commemorationes errorum maluimus, donec ad integram explicationem peruenissemus. Et cùm toties petiuerimus, & adhuc petamus, ut procedat doctrinæ collatio, intelliget Imperij Senatus, nos non defuisse nostro officio. Miramur autem si qui sapientes delectantur hoc triumpho, quòd nouas discordias accenderint. Profectò in hac tristi & delira mundi senecta, in qua prædictum est uoce diuina, plures distractiones futuras esse quàm fuerunt antea, uiri sapientes pia moderatione cauere nouarum dilacerationum occasiones debebant. Oramus autem Filium Dei, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ut nos gubernet & protegat.

PETITIO DIMISSIONIS.

REuerendiſsime Domine Præſes, exiſtimamus bono ſtudio, & ab inclyto Rege,& à ſenatu Imperij hanc doctrinæ collationem inſtitutam eſſe. Ideo nos quidem,qui ex noſtra parte adſumus,modeſtè & ſine ulla tergiuerſatione Colloquium inchoauimus,& prorſus nihil monuimus, quòd uel diſtractionem adferret,uel impediret præſens inſtitutum, Sed ſtatim arte moliti ſunt aduerſarij diſtractionem,& normam iudicij manifeſtè iniuſtam & abſurdam propoſuerunt, uidelicet, conſuetudinem diſsimilimorum temporum, quam nominant perpetuum Eccleſiæ conſenſum, cùm manifeſtiſsimum ſit multos recentes abuſus,& falſas opiniones puriori uetuſtati prorſus ignotas paulatim in hac delira mundi ſenecta in Eccleſiam irrepſiſſe. Nos uerò ſæpè expreſſè teſtati ſumus, conſtanter nos amplecti ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola, Et non dubitare nos,quin totum doctrinæ noſtræ corpus cum uetuſta & puriore antiquitate congruat iudicio omnium, dextrè & ſine Sophiſtica iudicantium. Nota eſt enim nobis antiquitas, & ſumus Dei beneficio Eccleſiæ ciues, & rectè uerum Deum in agnitione & fiducia Filij inuocamus. Nec uolumus diſſentire à teſtimonijs probatæ antiquitatis,Et ad eruditorum & piorum iudicia in Eccleſia ſemper prouocauimus,& adhuc prouocamus,non ad prophanam & ineruditam multitudinem Pontificum, Sacrificulorum,Monachorum, Aulicorum aſſentatorum. Hæc turba omnibus temporibus ueritati in Eccleſia aduerſata eſt,partim faſcinata opinionibus politicis,partim auaritia & ambitione contra conſcientiam defendens errores. Immota eſt autem regula: Non aduerſandum eſt agnitæ ueritati. Quare cùm huc miſsi ſimus ad explicationem doctrinæ,neceſſe fuit nos dicere, quòd ſentimus,ſicut & iuramento obligati ſumus. Vt igitur modeſtè & piè reſpondimus in exordijs colloquij: ita redire ad inchoatam collationem non recuſamus.

Cùm autem nunc Collocutorum alterius partis conſilio impediatur hæc doctrinæ collatio,nos quoq; dimitti iuſtum eſt. Quòd uerò prætextus fingunt,ut cauſæ in nos deriuentur,uſitatæ ſunt tales eluſiones & ironiæ in negocijs,quæ nominantur χήματα πολιτικὰ λόγυ. Itaq; de his prætextibus iudicium & ſenatui Imperij,& alijs honeſtis & prudentibus uiris permittimus. Non eramus defuturi noſtro officio,etiamſi quidam ex nobis diſceſſerunt,quos quidem malueramus nobiſcum manere. Optaremus enim non illos tantum qui diſceſſerunt,ſed multò plures ex noſtris Eccleſijs, & alios rectè iudicantes,auditores & arbitros eſſe omnium noſtrarum actionum & ſententiarum. Quòd autem illi diſceſſerunt,culpa eſt nonnulla eorum, quorum artificijs diſtractio quæſita eſt,ut ille de Lacedæmonijs dixit: Sic cum eis bellum gerendum eſſe,ut cum apes fumo ſub alueolis facto diſsipantur,id eſt, domi diſtrahendos eſſe,priuſquam uniuerſi conueniant. Hæc artificia nota ſunt noſtris aduerſarijs etiam ſine Xenophonte.

In omnibus negocijs ac præcipuè in condemnationibus uitanda eſt ambiguitas. Prius igitur diſertè adſeuerationes & explicationem poni uoluimus,quàm nudæ condemnationes ſpargerentur, inflammaturæ maiora diſsidia & odia. Nam illis ipſis condemnationibus inuolutæ ſunt multæ ambiguitates,& quædam magis lædunt aduerſarios quam nos. Errant autem aduerſarij ſi putant ſibi profuturas eſſe maiores dilacerationes, quarum ruinæ &

multas

multas gentes ferient,& ad posteritatem facturæ sunt uastitatem. Quare omnes prudentes decet cauere semina nouarum discordiarum.

Nos autem in hoc discessu nostro rursus adfirmamus, nos maximè optare,ut nostræ Ecclesiæ,in quibus uera Dei inuocatio fit, sint tranquillæ, quia dissidia horribiliter turbant inuocationem.Eamq́ ob causam repetimus hanc nostram adseuerationem,nos neq́ discedere, neq́ discessuros esse à confessione nostra,nec autores fore nouarum dissensionum. Præstabimus etiam modestiam conuenientem pijs doctoribus,& utilem paci. Et optamus omnes ubiq́ anniti,ut unum simus in Deo,nec dimicemus inter nos sicut Cadmei fratres. Non adeo ferrei sumus,ut non adficiamur ingenti mœsticia Ecclesiarum,quæ hæc uulnera sentiunt,quæ uident inuocationem Dei extingui,& mentes multorum fieri prophanas & efferas,quæ bella,uastationes, tenebras,Legum interitum,& Diabolicas morum coufusiones, secuturas esse metuunt. Hæc ingentia mala cogitantes,adsiduis uotis & gemitibus Deum oramus propter Filium,ut semper & colligat æternam Ecclesiam inter nos, & eam gubernet, ac flectat principum & docentium pectora ad piam & æternam concordiam.

Nunc uerò Reuerendissime Domine Præses, gratias agimus Reuerendissimæ dominationi uestræ,quòd nos patienter audiuit, & non solum æqualitatem in hac gubernatione præstitit,Sed etiam ut Regiæ Maiestatis mandata postularunt,magno studio perficere conata est, ut collatio doctrinæ procederet.

FORMVLA CONCORDIAE DE CONTROVERSIS articulis,

DEO IVVANTE, PIVM CONSENSVM IN ECCLESIIS NOSTRIS omnibus fideliter tueri uolumus, iuxta confessionem Augustæ exhibitam,& Apologiam & articulos à Luthero scriptos,quibus additæ sunt subscriptiones in conuentu Smalcaldensi. Nec recepturi sumus ulla dogmata pugnantia cum ea doctrina. Testamur enim Deum,nos nunquam uoluisse discedere à doctrina Prophetica & Apostolica, & à Symbolis,& à ueteri consensu purioris Ecclesiæ Catholicæ,& tantum sublatis idolis & erroribus quæsiuisse & quærere ueritatem, ut nos & alij Deum in agnitione & fiducia Filij rectè inuocemus,& simus ueræ Ecclesiæ Dei membra,& ciues in tota æternitate. Ostendunt etiam nostra confessio & consentiens uox Ecclesiarum nostrarum,nos expressè damnare omnes fanaticos furores ueteres & recentes, pugnantes cum Propheticis & Apostolicis scriptis & Symbolis. Nec dubitamus doctrinam confessionis nostræ ueram & ueterem Ecclesiæ Dei Catholicæ sententiam esse.Est etiam curæ nobis,ut publicum ministerium docendi Euangelij,& administrandi Sacramenta piè conseruetur,& non fiant congressus clàm aut priuatim,ad faciendas dilacerationes aut serendas pernicioſas opiniones.

Cùm autem extent in confessione nostra adseuerationes de singulis ar-

ticulis,ex his intelligi potest,reijci à nobis opiniones cum illis adseuerationibus pugnantes. Sed tamen hîc de præsentibus dissidijs nominatim etiam & expressè ostendimus sententias nostras.

Multi errones circumferunt Seruetica blasphemias contra filium Dei. Et Thammerus editis libris transformat Euangelium prorsus in Ethnicas allegorias. Tales furores damnamus una cum ipsis autoribus, quos manifestum est esse organa Diabolorum.Et sint pastores intenti & uigilantes, ut ueris testimonijs pios confirment,& refutent impiorum præstigias. Pertinet & ad officium politicæ potestatis,dogmatibus ritè iudicatis, prohibere blasphemias, & contagia earum, & punire blasphemos, ut scriptum est, Leuitici 24.

Hortamur etiam omnes pastores,ut populum sæpè erudiant de erroribus Anabaptisticis,qui & impij & seditiosi sunt, & extant de eis nostræ admonitiones & condemnationes,in quibus etiam politicam potestatem de suo officio commonefacimus.

In multis locis turbant Ecclesias & Stenckfeldiani libelli & satellites, quorum unus recens hoc scripsit: Vnus est Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, Ergo uerbi uocalis seu scripti cogitatio, non est medium quo Deus est efficax.

Hoc insulso sophismate contendit Deum sese communicare hominibus, sine cogitatione doctrinæ,& abducit homines à ueris exercitijs fidei, qua cor intuens uerbum externum ducitur ad Deum,et acquiescit in ipso Deo propter Mediatorem,ut scriptum est: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Cùmq; Paulus inquit: Vnus est Mediator,de persona loquitur,& de Mediatore propitiationis, non tollit uerbum, quod est medium agnitionis,& per quod Deus ueriſsimè est præsens & efficax in uera consolatione,ut dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Nec rectè Stenckfeldius negat ibi intelligendam esse uocem Euangelij de externo ministerio, sed tantùm περὶ λόγου ἀϊδίου. Cumq; glorioſè iactitet suos Enthusiasmos,abducit homines in multis locis à doctrinæ cogitatione,à ueris exercitijs fidei,in ueris pauoribus & doloribus,& inuitat ad contemptum ministerij publici.

Audacter etiam scribit,non rectè doceri in Ecclesijs nostris,renatos non posse satisfacere legi Dei, & uideri uult illos Enthusiasmos,de quibus scribit esse integram legis impletionem. Testamur ergò nos Stenkefeldij errores improbare,& pastores hortamur, ut rectè & sæpè populum de his tantis rebus doceant,quomodo se Deus communicet, cogitatione uerbi Dei, & quòd fides cogitatione uerbi per Filium & Spiritum sanctum accendatur. Sicut in Psalmo dicitur: Sustinuit anima mea in uerbo eius,Sperauit anima mea in Domino. Agnoscitur uoluntas Dei patefacta in promissione, & fides Deo ipso promittente & saluante propter Filium nititur.

De Iustificatione retinemus doctrinam,quæ pio consensu in Ecclesijs nostris iuxta confessionem & Apologiam proponitur,ac piè & constanter retinemus propositionem: Sola fide coram Deo iustificamur,& hanc propositionem intelligimus & declaramus,iuxta consensum perpetuum, traditum in

Pro-

Propheticis & Apostolicis scriptis: Quod homo in conuersione ex iniusto fiat iustus, id est, ex reo habens remissionem peccatorum, reconciliatus & acceptus Deo ad uitam æternam, per misericordiam gratis propter solum Mediatorem filium Dei, sola fide, id est, fiducia mediatoris, iuxta promissionem, quæ fides nititur obedientia Mediatoris, propter quam persona credens iam est iusta, id est, habens remissionem, & reconciliata & accepta Deo iusticia imputata, sicut Roma. 4. dicitur: Non operanti, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides imputatur ad iusticiam. Fit autem ea ipsa fide uiuificatio, qua æternus Pater per Filium & Spiritum sanctum uiuificat & regenerat credentem, & ex doloribus inferorum liberat, sicut dicitur: Iustus fide sua uiuet. Item, Iustificati fide pacem habemus. Item, 1. Iohan. 5. Et uita in Filio est, qui habet Filium, habet uitam. Item, 1. Petri 1. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per uerbum uiuum Dei, & manens in seculum. Item, Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Hæc certissimum est ubiq; in Prophetis & Apostolis tradita esse. Et accedit testimonium omnium piorum in uera conuersione.

Quanquam autem inchoantur fide uiuificatio & nouitas, tamen semper retinenda est hæc consolatio: Fide sumus iusti, id est, imputata iusticia, & acceptí Deo propter obedientiam Mediatoris, non propter sequentem nouitatem nostram, seu inhabitationem Dei, quæ est efficacia in Sanctis. Et quanquam in Elia & multis alijs sanctis excellentia dona sunt, tamen ipsi longè anteferuut Mediatorem, & statuunt personam iustam, id est, acceptam Deo esse propter Mediatorem promissum, quia iuxta legem totus mundus reus est Deo. Et Iob inquit: Verè scio, quòd non est homo iustus coram Deo, sed credentes iusti sunt imputata iusticia propter Mediatorem, sicut dicimus, Roma. 5. Iustificati sanguine ipsius, saluabimur per ipsum ab ira. Item, Per obedientiam unius iusti constituentur multi.

Cùm igitur de iusticia coram Deo dicitur, semper fides nitatur obedientia Mediatoris. Hac fide persona iusta est coram Deo, etiam post regenerationem. Nec recipimus Synecdochen Origenis, Monachorum, Papistarum libri Interim, Stenckfeldij, Osiandri, Funccij, & aliorum, qui sic interpretantur propositionem: Fide iustificamur, scilicet, præparatione, ut simus deinde alia re iusti, id est, accepti coram Deo, scilicet, nouitate seu dilectione, seu inhærente iusticia essentiali. Nam hi modi loquendi idem significant. Nec uolumus abijci Iusticiam imputatam, de qua Paulus expressè inquit: Fides imputatur credenti ad iusticiam. Et rectè discerni uolumus Gratiam & Donum. In tota scriptura Prophetica sancti sic accedunt ad Deum, confugientes ad misericordiam, propter promissum Dominum, ut Daniel inquit: Non in iusticia nostra, sed propter Dominum exaudi me. Et Psalmo 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Et Psalmo. 4. Conuertere Domine, eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam. Item, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ephe. 3. Per quem audemus accedere in fiducia, quæ est in fide eius. Roma: 8. Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis condemnabit? Christus intercedit pro nobis. Nitatur ergò fides Mediatoris obedientia & intercessione,

sione, non nostra nouitate, seu inhærente iusticia, seu essentiali. Hanc consolationem non abijciamus, sed nos exemplis & testimonijs sanctorum confirmemus, ut sciamus quomodo ad Deum accedendum sit, & hanc fidem, qua certò reputamur iusti, id est, accepti Deo, quanquam ingens in nobis infirmitas est, niti Mediatore, ut dictum est.

Cùm uerò hac consolatione corda uiuificata sunt, iam fiunt templa Dei, & habent iusticiam, scilicet, ipsum Deum mouentem & sanctificantem corda, seu nouitatem, quam efficit Deus, & quæ est fructus Spiritus, eoq; nominatur & est iusticia, etiamsi aliud est, propter quod persona in iudicio Dei iusta reputatur, quia nouitas nondum est integra, & tristes reliquiæ peccati hærent in omnibus in hac uita, ut suo loco copiosius dicitur.

Deniq; totam doctrinam de Iustificatione, Deo iuuante, retinemus & retinebimus, consentaneam confessioni Augustanæ, & confessionibus quæ contra librum INTERIM in Ecclesia Hamburgensi editæ sunt. Nec uelimus admisceri corruptelas aut ambiguitates. Ac maximè optamus, ueram doctrinam in omnibus articulis ijsdem formis loquendi et propriis, quantum fieri potest exponi, & ambitiosas nouitates uitari.

Contra Antinomos constantissimè retinenda est hæc uera & propriis uerbis dicta sententia: Noua obedientia est necessaria eo ipso, quia creaturam rationalem Deo necesse est obedire, sicut Paulus inquit: Debitores sumus. Ac insulsitas est, fingere, hæc uocabula, Necessitatem & debitum significare terrore extortum, Sed ordinem diuinum & immotum in Deo significant. Et cùm noua obedientia & bona opera nominantur, non tantum externa facta intelligantur, sed iusticia bonæ conscientiæ interior & exterior, diuinitus mandata, seu inchoata obedientia interior & exterior, iuxta mandata Dei, de qua dictum est: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Nec Filius Dei ideo sudauit sanguinem, & in cruce pependit cruentus, ut tu spurcissimis libidinibus Deum offendas, & omnibus furoribus indulgeas: Sed passus est, ut Lex Dei & imago Dei in nobis restituatur. Est igitur barbarica impietas, fingere, non esse necessariam hanc obedientiam, sed esse concessam licentiam omittendi eam, sicut non est peccatum, uesci carne die sexta. Nec tantum hic furor in Antinomis taxandus est, sed singuli doleamus in nobis ipsis reliqua esse multa magna mala, quòd ualde languidè assentimur uerbo Dei, quòd æstus dubitationum & fremitus aduersus legem Dei in nobis assidui sunt, quòd minus timemus Deum, quòd fides, fiducia, dilectio Dei, inuocatio, gratitudo, zelus, non ardent, ut debebant, quòd fortitudo & patientia languidiores sunt, quòd castitas turbatur multis uicijs incendijs, doleamus nos blandiri uicijs nostris, & non crescere in nobis pœnitentiam, sicut Dominus inquit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Hæc peccata cùm necesse sit deplorare sanctos, quantò magis necessarium est execrari barbaricum dogma Antinomorum, contumelioſum contra Deum, & contra Legem & Euangelium.

Retinemus igitur hanc propositionem & hanc formam loquendi: Bona opera

opera ſunt neceſſaria,& rectè declaramus, non quòd ſint merita remiſsionis culpæ & pœnæ æternæ,nec quòd ſint merita uitæ æternæ: Sed quia diuino ordine homo debet obedientiam.

Sed hac forma uerborum non utimur: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſeu ad uitam æternam, ne intelligatur meritum reconciliationis aut uitæ æternæ, & ne obſcuretur conſolatio Euangelica, quæ agentibus pœnitentiam concionatur de gratuita donatione uitæ æternæ propter Mediatorem. Vt igitur uitetur ambiguitas,uelimus & nos omitti hanc additionem: Neceſſaria ad ſalutem.

Rurſus etiam uelimus ab alijs omitti falſas hyperbolas,qualis eſt: Bona opera non ſolum non neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſed officiunt etiam ſaluti, quia comitantur ea ſuperbia & uana confidentia. Hæc mala accedunt per accidens. Notum eſt autem non eſſe firmam conſequentiam ab eo, quod accedit per accidens. Tales clamores cient adplauſus in multis, qui & laxatione & contumelijs legis diuinæ delectantur, qualis eſt illa uox apud Platonem: Lex eſt tyrannus. Et ſicut nuper quidam propoſuit dogma: Summa ars Chriſtianorum eſt neſcire Legem. Etiamſi leniri interpretatione tales hyperbolæ poſſunt,tamen improprietas periculoſa eſt,Et quidam tribunicij homines non utuntur eis tempeſtiuè,ſed malo ſtudio,ut ſuo Theatro aſſententur. Paulus contra inquit,Per fidem lex ſtabilitur. Item,Per legem agnitio peccati. Ac ueriſsimum eſt ſolos Chriſtianos,id eſt, renatos rectius intelligere legem, quàm omnes non renati intelligunt. Petulans lingua turpiſsimus morbus eſt, inquit Euripides. Id in Eccleſia certè ueriſsimum eſt,Vbi & propter gloriam Dei,& propter ſalutem hominum maior debet eſſe cura & circumſpectio in loquendo,he ſermonis ſpurcities Deum contumelia adficiat,& errores in animis hominum pariat. Cæterum quæ ſint bona opera, & quomodo Deo placeant,uſitata in noſtris confeſsionibus declaratio extat, de qua communem ſenſum tuemur.

De cœna Domini retinemus confeſsionem Auguſtanam & Apologiam. Nec dubium eſt filium Dei adeſſe miniſterio,quod inſtituit,& per illud efficacem eſſe. Sic autem adeſt in hoc miniſterio ſubſtantialiter,ut communicatione ſui corporis & ſanguinis nos membra faciat ſui corporis, & teſtetur ſe nobis adplicare ſua beneficia,& uelle ſe in nobis efficacem eſſe,& noſtram miſeram maſſam inſertam ſibi uelle ſeruare & uiuificare, ſicut & Hilarius loquitur: Hæc ſumpta & hauſta faciunt,ut ipſe ſit in nobis,& nos in ipſo. Sic & Irenæus & ſynodus Nicena loquuntur,hanc conſociationem cum ipſius corpore,& adplicationem beneficiorum & efficaciam complectentes.

Cùm autem uerba Chriſti & Pauli expreſſè de ſumptione loquantur: Accipite,manducate. Item,Panis eſt κοινωνία σώματος, & nihil habeat rationem Sacramenti extra actionem inſtitutam, damnamus adorationem Papiſticam in circumgeſtatione,repoſitione,& Miſsis Papiſticis,quia hæc ſunt aliena ab inſtitutione,quæ de ſumptione loquitur, non de ullis ſpectaculis rei extra inſtitutum uſum. Itaq; nec tranſſubſtantiationem aut incluſionem localem recipimus,prorſus ignotam uetuſtati. Nec tamen in actione nuda ſigna eſſe dicimus,& tantum ſigna ſocietatis cum Eccleſia, ſed dicimus uerè & ſubſtantialiter ad-

ter adeſſe Chriſtum,& facere nos membra ſui corporis,& adplicare nobis ſua beneficia,& uelle in nobis efficacem eſſe. Et formæ loquendi ex Paulo,& ex antiquis ſcriptoribus idoneæ ſumi poſſunt,ac ualdè optamus, ut de ſimili forma deliberetur à pluribus uiris pijs & eruditis.

De Adiaphoris retinemus doctrinam Pauli ſæpè repetitam, & in confeſsionibus noſtris recitatam. Nec tamen uelimus Eccleſias, quæ uocem Euangelij ſonant, & miniſterium habent rectè ordinatum nouis mutationibus turbari. Si qui autem titulo Adiaphororum alia crimina compræhendunt,de his relinquimus iudicium Synodo.

Oramus autem Filium Dei,Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, dona dantem hominibus,ut ipſe clementer gubernet Eccleſias noſtras,& efficiat ut omnes ſint unum in ipſo. Deinde cùm etiam in ipſis doctoribus ſtudium eſſe debeat tuendæ concordiæ & tranquillitatis,hortamur eos,ut in iudicando candorem adhibeant, & non accendant certamina non neceſſaria, aut ſi quid emendandum eſſe aliqui exiſtimant, agant ordine,placidè,ſine ſæuitia odiorum, ſine calumnijs, oſtendant quid deſiderent, diſcernant ciues & hoſtes, parcant corpori Eccleſiæ multipliciter ægro,& ſanare & conſociare ſanabiles malint, quàm facere maiores dilacerationes. Aliqui odijs indulgent,aliqui ſuo theatro gratificantur,quibus ſi durius reſponſum fuerit,non ſolum maiores diſtractiones fient,ſed etiam uanitas aliquorum conſpicietur.

Precamur autem filium Dei,ut propter ſuam gloriam ſeruet & gubernet Eccleſiam.

RESPON-

RESPONSIO AD CRIMINATIONES STAPHYLI ET AVII EDITA, A

PHILIPPO MELANTHONE.

VETVS EST VERSICVLVS DE RIXIS SOPHISTARVM, φοιτᾶ δὴ βροτολοιγὸς ἔρις, κενεὸν λελακίῖα. Hæc querela magis uera est hoc tempore, quo de maioribus rebus docti & indocti rixantur, & multi improbi odijs augent certamina & diſsidia. Etſi autem in hac ſenecta malim & quieſcere & tacere, & ſæpe illud Pſalmi cogito. Illi maledicebant, ego autem orabam, tamen cùm recens duo libri editi ſint, alter Staphyli Transfugæ, alter Auij Coloniensis, qui uerè ſunt ἄμαξαι βλασφημιῶν, in quibus non mihi tantum & Eccleſijs noſtris rabioſè maledicitur, ſed etiam libri Prophetici & Apoſtolici contumelia adficiuntur, reſpondere breuiter decreui, non ut meam famam, aut mea ſcripta tuear, omnia enim hæc Deo & piorum iudicijs commendo, ſed ut iuniores confirmem, ne de libris diuinis minus honorificè ſentiant propter impios Staphyli & Auij & ſimilium clamores, qui ſermonem diuinum uociferantur ambiguum eſſe, uelut σφιγγὸς ænigmata, ac potius eſſe μῦλον ἔριδος, quam doctrinam ſalutarem pijs auditoribus & lectoribus, deinde ut confirmati ſermone diuino firmiſsimè ſtatuant Eccleſiam eſſe noſtros cœtus rectè docentes, non blaſphemos illos, qui manifeſta mandata Dei delere conantur, & parricidas, qui multos innocentes propter ueritatis ſtudium interficiunt. Intuens autem Eccleſiarum noſtrarum uulnera, cùm propter alias cauſas multas ingenti dolore adficior, tùm uerò eò magis crucior, quòd occupati inteſtinis bellis non ſtudemus, uel σωγκρητισμῷ, ut olim dicebatur, nos aduerſus communes hoſtes coniungere. Sed in his delirijs ultimæ ſenectę mundi precamur filium Dei, ut ipſe ſeruet & gubernet Eccleſiam & pectora docentium mutua & uera beneuolentia copulet. Sæpe etiam in querela de noſtris diſsidijs Demoſthenis Epiſtolam recito, in qua hortatur ciues, ut deponant domeſtica odia, & ſeſe coniungant contra externos hoſtes, ac modeſtiſsimè de ſeſe inquit. Ἀλλ' οὐδὲ σὺ τὰ ἰδίαν ὀργὴν ἀναπλήρου τὸ κοινὸν συμφέρον δίκαιον δ' ἐστὶ βλάπτειν, οὔτε μίγνυμι τὰς ἰδίας ἐχθρὰς εἰς τὰ κοινὰ συμφέροντα, ἀλλὰ ἐφ' ἃ τοὺς ἄλλους παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸς οἴομαι δεῖν πρῶτος ποιεῖν.

Primùm autem de Epilogo Staphyli dicam: Nominat confeſsionem Eccleſiarum noſtrarum Pandoræ pyxidem ex qua omne genus calamitatum eruperit, noſq; Epimetheos ille nouus Prometheus poſt annos triginta monet, ne iſtam Pandoram audiamus. Etiam lepidus eſſe ſtudet in exprobrandis calamitatibus. Sentimus noſtra uulnera & ea deploramus. Sed oratoris impudentiam miror, qui ita nobis ærumnas noſtras exprobrat, quaſi nulla ſint ſcelera ſuæ factionis. Multi morbi, multa uicia ſunt in utraq; parte, quæ puniri agnoſcamus, noſq; ad emendationem exuſcitemus. Illud autem ſciamus de doctrina non ex ærumnis iudicandũ eſſe, cùm notum ſit Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci.

Sed illum noſtrum Prometheum transfugam interrogo, quid in Confeſsione

feſsione reprehendat. Iuſsi ſummam doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum modeſtè recitauimus, & quidem ſæpe teſtati ſumus nos amplecti Prophetica & Apoſtolica ſcripta, & Symbola, & non dubitare nos congruere cum eis confeſsionem noſtram, noſq; & eſſe Dei beneficio & Deo iuuante manſuros eſſe ueræ Eccleſiæ Dei ciues. Et quia multum de conſenſu Eccleſiæ diſputatis, ſæpe ego quidem addidi nos conſtanter retinere ueteris & purioris Eccleſiæ conſenſum, quem ſi uos ſequi uelletis, multa idola ueſtra mox ruerent.

Num prima Eccleſia ad ſtatuas aduoluebatur, & homines mortuos inuocabat? Num uenales Miſſas habebat? Num prohibebat coniugium? Num adorabat panem, ut uos in circumgeſtatione, ſeu Perſica pompa facitis? Num uetuſtas docuit poſſe homines ſatisfacere Legi Dei, & iuſtos eſſe hac legis impletione, & tamen ſemper dubitandum eſſe, an Deo placeant? Num uetuſtas docuit de remiſsione peccatorum dubitandum eſſe, ut uos in Synodo Tridentina decreuiſtis, falſò detortis uerbis Salomonis ad Ethnicam imaginationem, Neſcit homo an amore uel odio dignus ſit. Num in illa antiquitate Romani Epiſcopi interficiebant pios rectè ſentientes? Num faces erant bellorum inter Reges?

Deniq; nota eſt nobis antiquitas, nec ab ea diſſentimus. Et cùm ſcriptum ſit, Oues meæ uocem meam audiunt, adfirmamus nos ueræ Eccleſiæ Dei ciues eſſe, & Eccleſias noſtras non ex illa Heſiodi pyxide ſumpſiſſe doctrinam, ſed ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & Symbolis, & ueteri conſenſu purioris Eccleſiæ, eaſq; eſſe, ut apum alueolos, in quos & fuci multi irrumpunt, & ſunt inſidiatores, ſtelliones, & crabrones, quales experimur multos. Et tamen extat doctrina, quæ in noſtris Eccleſijs traditur, quam ueram eſſe iudicari poteſt ex ipſis ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & Symbolis.

Hîc uociferantur Staphylus & Auius, ambigua eſſe ſcripta Prophetica & Apoſtolica, Sed ſumendam eſſe interpretationem ex perpetuò conſenſu, ut nominat. Semper adiungimus Symbola, quærimus etiam teſtimonia ueteris Eccleſiæ purioris, ut ſæpe ſcripſimus audiendam eſſe Eccleſiam, tanquam doctricem, ſed fidem niti uerbo Dei. Grata ſunt nobis teſtimonia Gregorij Neocæſarienſis, Irenæi, & ſymboli Niceni de filio Dei, ſed fides nititur dictis ipſius filij Dei, Prophetarum & Apoſtolorum.

Quòd autem de ambiguitate Prophetici & Apoſtolici ſermonis uociferantur aduerſarij, primùm hoc negare non poſſunt, ubi τὸ ῥητὸν nihil habet obſcuritatis aut ambiguitatis, ibi neceſſariò anteferendum eſſe Synodorum & omnium hominum ſententijs, ut nihil eſt obſcuritatis aut ambiguitatis in dicto. Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies. Ergo impietas eſt dicere, Maria tu nos in hora mortis ſuſcipe.

Grauiter dictum eſt ab Epiphanio: τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα δεῖται ἀλληγορίας, ἀλλὰ ὡς ἔχει, θεωρίας δὲ δεῖται καὶ διανοίας, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως δύναμιν. Non omnes ſermones diuini indigent allegoria, ſed natiua ſententia retinenda eſt. Speculatione autem indigent & ſenſu, ut quælibet materia rectè intelligatur. Nihil dubium eſt in Lege morali, & in promiſsione gratiæ, & in articulis fidei retinendam eſſe natiuam ſignificationem ſermonis. Non quærantur in his dictis aliæ ſententiæ. In principio creauit Deus cœlum & terram, Diligas Dominum

num Deum tuum ex toto corde tuo,& proximum ſicut te ipſum, Non occides, Non mœchaberis. Quas hîc alias ſignificationes uocum quæris extra communem ſermonis conſuetudinem? Sed ſpeculatione opus eſt, inquit Epiphanius,id eſt,collatione membrorum,definitionibus,diuiſionibus, ratiocinatione. Sciri neceſſe eſt in præcepto, Non occides dici de cæde non mandata à Deo,& excipi Magiſtratus officium. Eſt & ſenſu opus,id eſt,Experientia,quæ declarat uerborum ſignificationem,quid ſit uita,quid mors.

Hæc copioſè declarari poſſent. Nec dubium eſt τὸ ῥητὸν ubi nulla eſt obſcuritas & ambiguitas anteferendum eſſe omnibus omnium hominum decretis. Sed Pontificij ſæpe τὸ ῥητὸν corruperunt. Cum Paulus dicit,Iuſtificamur gratis ſine operibus Legis,falſam interpretationem additis,uidelicet,ſine ceremonijs & forenſibus operibus. Deinde affingitis homines iuſtos eſſe,propter opera moralia. Et ueram ac neceſſariam conſolationem deletis, quæ dicit,credentes gratis recipi propter Mediatorem,non propter opera moralia. Adfingitis etiam ſemper in dubitatione manendum eſſe. Hæc pugnant non ſolùm cum perpetua oratione Pauli,ſed etiam cum Prophetarum concionibus, quarum conſenſum eſſe oſtendunt hæc dicta. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Talem collationem ſine Sophiſtica nominat Epiphanius θεωρίαν. Nec propterea fit ambigua oratio Prophetica & Apoſtolica,etiamſi interpretes alij alias imaginationes addunt,ſed ſi fontes ſine Sophiſtica conſiderentur, quæ ſit ſententia natiua rectè intelligi poteſt. Protulit filius Dei promiſſionem gratiæ ex ſinu æterni Patris, & Pater inquit: Hunc audite,& iubet te ipſi credere. Et Petrus inquit: Omnes Prophetæ teſtimonium ei perhibent, accipere remiſsionem peccatorum per nomen eius omnes qui credunt in eum. Paulus expreſſè inquit: Ideò ex fide gratis,ut ſit firma promiſſio. Iubet promiſsionem fide accipi. Vos contra ſemper in dubitatione manendum eſſe dicitis,ut dicunt Ethnici. Ab hac ueſtra imaginatione cùm diſſentiant perpetua oratio Pauli, & plurima Prophetarum dicta,quid ſtatuendum ſit, lector pius intelligit. Cùm in Pſalmo Dauid inquit: Suſtinuit anima mea in uerbo eius,ſperauit anima mea in Domino, num à uerbo retrahes precantem,& dices: Cur ambigua uoce te conſolaris,ut Crœſus audiens,Halym tranſiens magnum regnum euertes. Alibi dicit Pſalmus, Lucerna pedibus meis,uerbum tuum. Et multa ſunt ſimilia dicta, quæ iubent normam eſſe iudicij ſcripta Prophetica & Apoſtolica, quibus addimus Symbola quæ non aliud genus doctrinæ continent, ſed contra præſtigiatores tradita ſunt, qui peregrinas interpretationes Prophetico & Apoſtolico ſermoni affingebant,ut fecerunt,& faciunt Pontificij. In Prouerbijs cap. 30. Omnis ſermo Dei purgatus igne,clypeus eſt confidentibus propter ipſum. Non addas uerbis Dei,ne arguaris & fias mendax. Iubet ſermonem Dei nobis clypeum eſſe & fidem adfirmat niti ſermone diuino. Hæc fruſta dicuntur, ſi ſermo diuinus eſt ambiguus. Fruſtra etiam dicitur. Nihil addas,diſertè autem inquit Salomon purgatum eſſe,ut metalla purgantur, id eſt, puritatem retinendam eſſe, nec miſcendas eſſe imaginationes humanas. Ac ſimiles ſententiæ multæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis traditæ ſunt.

Nec in re manifeſta diſputatione longiore opus eſt. Vbi τὸ ῥητὸν manifeſtum eſt

ſtum eſt & ſine obſcuritate & ambiguitate,contrarium docere aut ſentire impietas eſt,ut cùm manifeſtum ſit τ ῥητὸν, Non mœchaberis, tetra confuſio eſt Lex Laconica,quæ concedit paciſci de aliena coniuge cum marito. Non dubium eſt illos qui ſcientes manifeſto ſermoni diuino aduerſantur,hoſtes eſſe ueræ Eccleſiæ Dei.Id faciunt Pontificij & petulanter & impudenter. Nam in controuerſijs omnibus de quibus loquitur Confeſsio noſtra ſententiæ noſtræ ſunt perpetua uox Prophetarum & Apoſtolorum, addo & ſcriptorum ueteris Eccleſiæ puriorum,de peccato,de pœnitentia,de gratuita remiſsione peccatorum,& reconciliatione fide accipienda,de donatione Spiritus ſancti,de noua obedientia,de collectione Eccleſiæ per filium Dei,de miniſterio Euangelij, & præſentia filij Dei,in Eccleſia,de Sacramentis,de ueris cultibus à Deo præceptis,de uera inuocatione, de uſu & abuſu rituum humanorum, de libertate Chriſtiana,de diſcrimine Eccleſiæ & imperiorum,de dignitate ordinis politici.In his materijs omnibus quid dicimus,quòd non ſit expreſſè dictum & ſæpe repetitum in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis perpetuò conſenſu. Nullæ ſunt ibi monſtroſæ ,nullæ ſeditioſæ opiniones, nulla adfectata obſcuritas aut ambiguitas.Memini ante triginta annos ſcribere & dicere quoſdam. Quem fugiam habeo,quem ſequar non habeo,cùm ſignificarent ſe uidere idola Pontificia fugienda eſſe,ſed adhuc dubitarent, an ſe noſtris Eccleſijs adiungerent. Hanc dubitationem tollit uox æterni patris, qui de Filio dicit, Hunc audite. Hunc nos Doctorem & ducem ſequi oportet, & ad huius Eccleſiam nos adiungamus.Sit nobis norma iudicij in tantis generis humani confuſionibus,ipſius ſermo,nec admittamus præſtigias, quibus prophani homines perſpicua dicta in peregrinas ſententias transformare conantur. Deinde & in hoc cœtu ſimus & maneamus,quem certo ſcimus uocem diuinam ſonare,nec ſimus ſocij eorum qui manifeſtè ei aduerſantur,& ut eam deleant, horrendam ſæuitiam exercent.Hæc ad nos ipſos confirmandos dixi, & in hac cogitatione petamus & expectemus à filio Dei huius ſuæ cymbæ conſeruationem.

Nunc σέμφυλα excutiamus uel ſtercora potius quæ Staphylus in nos conijcit.In tantis diſsidijs,inquit,nec ueritas,nec certitudo eſſe poteſt. Ad hoc reſpondeo nos de Confeſsione noſtra,non de quorumlibet ſcriptis reſpondere, & de Eccleſijs noſtris hoc adfirmamus, Nullam de dogmatibus in Confeſsione recitatis diſſenſionem in noſtris Eccleſijs eſſe,ſicut & in urbe Vangionum teſtati ſumus,nec miſceri noſtris uolumus alienos à nobis,ut calumnioſè Anabaptiſtas & multos alios nobis Staphylus admiſcet,quorum ne quidem nomina audiuimus. Semper fuerunt,ſunt & erunt multi & diuerſi hoſtes ueræ Eccleſiæ,& ſæpe ipſa multitudo quæ tenet in Eccleſia autoritatem, ut nominant, ordinariam,inimica eſt ueræ Eccleſiæ,ut Phariſæi & Sadducæi erant hoſtes Chriſti & Apoſtolorum,& ante hos pio cœtui Zachariæ, Simeoni, Ioſeph, Eliſabeth,Annæ,Mariæ,ſorori Mariæ,& alijs adiunctis huic cœtui. Ita nunc ſunt hoſtes Eccleſiæ & Pontificij,& alij multi qui prophanas & impias opiniones ſpargunt & defendunt,& nobis ſunt inimici. Extant autem perſpicuæ refutationes contra multos ſcriptæ in noſtris Eccleſijs. Eſt igitur uenenata calumnia miſcere nobis alios,qui confeſsioni noſtræ aduerſantur.

Deinde in cœtu qui uerè eſt Eccleſia,etiam cùm conſenſus eſt in fundamento,quod eſt Chriſtus Ieſus, tamen in tanta multitudine diſsimilitudo eſt, alij aurum, alij ſtipulas fundamento imponunt. Interdum etiam aliqui labuntur,

labuntur, ut dicitur, ἁμαρτάνει τι καὶ σοφοῦ σοφώτερος. Sed pij admoniti redeunt in uiam. Si qui contumaciter defendunt errores, his non conceditur ut doceant.

De antilogijs igitur hoc respondeo. Etsi pleræq; in hoc tuo aceruo sunt manifestæ & uirulentæ calumniæ, tamen etiamsi qua parum circumspectè uel à me uel ab alijs dicta sunt, opponimus confessionem quæ sententiam communem Ecclesiarum nostrarum ostendit, & totum doctrinæ corpus complectitur. Quis in tantis tenebris doctrinæ Monachorum tam potuit esse Lynceus, ut ita dicam, ut ex eis sine ulla offensione egredi potuerit. Ac ut multa in articulis mutationum accidunt incommoda, ita in illis initijs accesserunt multi ad causam plausibilem, quorum non erat eadem uoluntas, alij studio pietatis, alij dulcedine libertatis mouebantur. Et ut in Abderis correpti morbo Melancholico tota urbe uagabantur eodem modo plurimi tragœdias recitantes, ita tunc plures erant scriptores noui, quàm fuit utile. Erant furiæ Sertorius, Monetarius, & alij quorum scriptis seditio Agricolarum in Sueuia, Turingia, & alibi accensa est. Has furias Lutherus repressit, illustrata dignitate ordinis politici. Multa conantur diaboli omnibus temporibus ad dissipandam ueram Ecclesiam. Sed qui studio pietatis amplexi erant ueram doctrinam, postea maiore cura Ecclesias constituerunt, & cùm Antilogias tunc quoque collegissent Cochleus, Eccius, & Faber, quorum tu exemplum Staphyle nunc imitaris, ut dicitur ἄωτις παρὰ ἐχίδνης φάρμακον δανείζεται, necesse fuit opponi confessionem in qua summa doctrinę contineretur. Nihil igitur de illis tuis Antilogijs respondebo aliud nisi hoc, Ecclesias nostras duplici iniuria adfici, aut enim narras quæ non probant nostræ Ecclesiæ, aut rectè dicta manifestis calumnijs deprauas, Hæc pars in tuo illo aceruo maxima est. Id nemine monente lector candidus mox animaduertet inspectis aliquot pagellis, sed unum atq; alterum exemplum recitabo, ut specimem artificij tui ostendam.

In titulo de Matrimonio hæc uerba sunt. Adfirmant quòd Matrimonium non sit Sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum ignorantia tam rei, quàm uerbi adductis, Dic scelerate Sycophanta ubi unquam ab ullo in nostris Ecclesijs dictum sit, Matrimonium ab hominibus inuentum esse, de uocabulo Sacramenti disputatio est, non de ipso uitæ genere diuinitus sancito. Cumq; non ignores quid agatur eò maior est & malitia tua & impudentia.

In titulo de Ecclesia primum falso interpretaris, quòd dicimus Ecclesiam non alligatam esse ordinariæ successioni, deinde inquis alicubi scriptum esse, posse ex Symbolo expungi adpellationem Catholica, & meum nomen adscribis, Ita in uno paragrapho duplici iniuria adficior. Nam Ecclesiam non esse alligatam ordinariæ successioni, est non alligatam esse ad Episcoporum successionem in loco certo, ut non sequitur Petrus Antiochiæ Episcopus non errauit. Igitur nec Samosatenus errat.

Vsitata sunt hæc artificia Sycophantis confundere diuersa, diuellere coniuncta, excerpere mutilata, & affingere falsas interpretationes, ut inquit Demosthenes. Ac ille idem inquit, πονηρὸν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ καὶ παντα-χόθεν βάσκανον καὶ φιλάιτιον. Talem te esse ostendit tuus liber qui magna ex parte tales corruptelas continet. Ne hoc quidem uerè dicis me fuisse corypheum eorum qui confessioni adsentiuntur. Nunquam enim præferri me cæteris in Ecclesijs nostris uolui, detestor etiam Syllana Regna in Ecclesia, quicunq; ea adpetit. Sed hoc uerè dicit Staphylus me ne medium quidem locum tenere. Nam ut ipse im-

memor ueteris amicitiæ in me impetum facit, ita me socij propiorem audacter conculcant, qua in re ferre iniurias potius Deo iuuante decreui, quàm ut tu fecisti Staphyle, transire ad illos quos scio idola tueri cùm scriptum sit, Fugite idola. Ac te Staphyle miror, non cohorrescere cogitantem de uiro optimo tuo socero, quem quo uultu intueberis in extremo iudicio. Nec uerò plura exempla ex antilogijs recitabo, sunt enim similes pleræq; ijs quas commemoraui. Verùm hoc uelim te cogitare, quantum uolumen Antilogiarum sine calumnijs ex uestris scriptoribus coaceruare possem. Serio non uerbis tantùm dissentiunt uestri scriptores de traditionibus humanis. Magna pars contẽdit peccata mortalia esse, uesci carne die sexta, non seruare usitata ieiunia, non enumerare omnia delicta in petenda absolutione &c. & notissimum est has opiniones fuisse tristem carnificinam piorum, quæ & fidem & inuocationem Dei impediuit. Extant libri hac de re scripti ab Adriano Pontifice & ab alijs. Gerson contra uideri uult μὴ λίαν λακωνίζειν, quærit remedia trepidationi piorum. Sed ne hæc quidem sanant pios.

Vox filij Dei perspicua est. Frustra colunt me mandatis hominum. Nec merita sunt nec cultus Dei ritus illi, & omittere eos nõ est peccatum. Vbi autem scandali ratio habenda sit, nostri piè exposuerunt. In tuis Sycophantijs & hanc doctrinam calumniaris, cum scias etiam ueterum scriptorum querelas & sententias qui noluerunt has opiniones inseri populo, rituum illorum obseruationem esse iusticiam aut merita, & omissionem esse peccata. Ab hac ueterum sententia discesserunt Monachi. Postea glorioſè prædicatis perpetuum consensum, cùm de rebus maximis dissentiatis. Necesse est autem in Ecclesia nosse discrimen uerorum cultuum, quos Deus instituit, & rituum humanorum.

Postea de satisfactionibus uestris quantæ dissentiones sunt? Harum nomen etiam non intellectum est à uestris scriptoribus, qui dixerunt esse compensationes pœnarum purgatorij, cùm fuerint tantùm spectacula ab Episcopis instituta partim Exempli causa, partim ad explorandas uoluntates eorum, qui ad Ecclesiam redibant. Hæc ipsa uetus consuetudo Cypriani & Ambrosij temporibus superstitionum & dissentionum semen fuit. Postea creuerunt tenebræ, Vidi enim longa uolumina ueterum satisfactionum in quibus erant adeo tetra exempla, ut recitare nolim. Tandem inanis adpellatio, & ludi manserunt, ut cataphracti irent ad Iacobi templum in Hispaniam. Sed hanc recitationem omitto, etsi iuniores commonefieri utile est, qui uestros ludos non uiderunt.

Quantum dissentionum est de pontificum autoritate, An iure diuino Romanus Episcopus habeat utrunq; gladium? Quam suaues sunt illæ uestræ quæstiones, Quid rodant mures, si comedant panem consecratum? Cohorresco talia cogitans, & oro filium Dei custodem Ecclesiæ, ut nos gubernet & seruet ueræ Ecclesiæ reliquias.

Non putes hac me Staphyle commemoratione delectari, teq; adhortor, ne nimium nos irrites. Omissa igitur hac ἀντικατηγορία, uenio ad hanc narrationem quæ tua est propria in tuo libro, ubi uituperas Lutheri laborem utilem toti Germaniæ & gratum pijs omnibus, librorum Propheticorum & Apostolicorum translatione in linguam Germanicam. Antea Vuicelius & nescio qui alij, non transferendi consilium reprehenderunt, sed errata colligere instituerunt, Tu consilium damnas & addis eò institutam esse interpretationem, ut testimonia cor-

nia corrumperet,quæ ex libris usitatis sumunt Pontificij,& citas dictum ex Genesi, quo stabiliunt inuocationem mortuorum, ut inuocetur super eos nomen meum, cap. 48.

Derides opinor tuos qui hæc uerba detorquent ad inuocationem mortuorum,cùm phrasis nota sit. Prædicit Iacob futurum ut filij Ioseph nominentur inter suos filios hæredes promissæ politiæ, in qua tunc Ecclesiæ sedem Deus esse uoluit,quod singulare & excellens beneficium erat.

Quæ autem te Staphyle furiæ exagitant, ut transferendi consilium damnes, nec iudicia tot honestorum hominum intuearis. Qui fontes in lingua Ebræa & Græca legere non possunt, non habent gratiorem thesaurum hac interpretatione,quam testari possunt docti optima fide factam esse, & tu ipse nosti, quanta fuerit Lutheri diligentia in eo labore? An sacri libri non sunt legendi ab omnibus? Sæpè audiui multos præstantes uiros etiam Latine scientes dicere, se nulla re magis delectari, quàm lectione huius interpretationis,qui quidem lætabantur perspicuitate continuæ orationis in Prophetis cùm Latina lectio multo sit obscurior. Scio tuam honestissimam coniugem nullas delicias anteferre huic lectioni. Et idem possum adfirmare de multis principibus & alijs honestis hominibus.Ac si scirent honestæ matronæ & uirgines uituperari à te hæc sua καμήλια, ubicunq; te uiderent, cœnum in te conijcerent. Fatentur & docti qui fontes legere possunt se plurimum adiuuari hac interpretatione in qua res ipsa ostendit maiorem esse perspicuitatem quã in Græca est aut Latina, quas non propterea abijcimus,ut falsò nos accusat Staphylus, quia hortatores sumus ut Germanica ab omnibus legatur.Profuerunt,& prosunt hæ quoq; Ecclesijs,& eò magnifaciendæ sunt,quia linguæ Ebreæ intellectum conseruarũt et adhuc conseruant, Iudico multum adiuuari discentes, si conferantur ad fontes, & Græca,& Latina,& Germanica,ut plericq; apud nos faciunt,non eò tantùm, quia dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ,sed quia maior certitudo est inspectis fontibus. Et tamen prosunt ueteres. Etsi enim alicubi nonnihil deflexerunt aliqui à propietate,tamen consensus in perpetuis narrationibus testimoniũ est de linguæ intellectu. Et si erit in censura rectitudo iudicij & candor, intelligemus congruere cùm fontibus & inter sese Græcam,Latinam,& Germanicam,quòd ad res ipsas attinet. Multa Græci rectius intellexerunt, quàm hodie intelligant Iudæi. Apud Danielem uerba sunt, super alam abominatio. Hic fingunt corruptelas Iudæi contra natiuam uerbi significationem. Est autem simplex sententia, futurum ut collocentur Idola in sanctum sanctorum,ubi fuerunt Cherubim,quos nominat alas,& Græci retinuerunt πτερυγίσ ἀφανισμοῦ, de quo tristi spectaculo & Christus loquitur, inquiens, cum uidebitis in loco sancto βδέλυγμα ἐρημώσεωϛ. Eratq; prophanatio illa in eo populo typus horribilium prophanationum in hac postrema senecta mundi, quas pij non possunt sine ingenti dolore aspicere. Vsus est Græca interpretatione Paulus reddens ueram sententiam quæ est in Ebræa lectione,etiamsi morosè iudicantes propter uerborum discrepantiam putant dissimiles esse sententias, λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ &c. Id ex Esaia Hieronymus sic reddidit, consummatio abbreuiata exundabit iusticiam,sententia est, perficiet Deus quod dixit, seu decretum de fine politiæ, & tamen ita prefiniuit id decretum,ut tunc exundet iusticia, id est, largiter donetur prædicatione Euangelij, Hæc eò tantùm dico ut ostendam nos non abijcere ueteres interpretationes,ut Staphylus nos criminatur & deinde alia multa

absurda attexit,quæ omitto.Non enim institui singularum calumniarum refutationem, quæ & longa esset,& non est necessaria,tantùm ostendere libri specimen uolui,ne Sycophantæ Staphylo credatur.

Non existimo graues uiros apud aduersarios hoc eius libro delectari, quem neq; ad docendos homines neq; ad pacem prodesse sciunt,siqui autem adplaudunt,hos hæc ipsa uanitas ostendit, uelle deleri ueritatem qualibuscunq; præstigijs. Et cùm hunc librum collegerit Staphylus in urbe Vangionum,adparet quantum pacis studium tunc in eo fuerit. Sed oro filium Dei ut nos gubernet,& semper inter nos æternã Ecclesiam colligat,ut ipse uerè agnoscatur,inuocetur,& celebretur. Nunc pauca adijciam de calumnijs Auij Colonienſis. Cũ maximè optemus, ut semper unum sint in Deo nostræ Ecclesiæ, uideremus autem abrupto colloquio aduersarios uarias fabellas sparsuros esse,pio consilio testimonium de consensu nostro modestissimè scriptum edidimus. Ac nondum eius consilij nos penitet,quia postea comperimus eam præmonitionem & necessariam fuisse & multis bonis gratam.Expostuimus etiam nobis non defuisse uoluntatem procedendi in ea collatione, quod uerum est.Huic nostro scripto longam declamationem opponit Auius,quam fuerint cupidi huius certamínis antagonistę nostri,narrat mea somnia quæ ostenderint meam timiditatam. Dico ingenue me non solum à sophistica , sed in uniuersum à rixis abhorrere & aliquanto magis fatuum esse senem rixatorem,quam senem amatorem.Placidã & piam collationem cum bonis,doctis & candidis, de rebus necessarijs expeto, & nulla res in uita talibus colloquijs mihi dulcior est. Hanc meam naturam notã esse multis existimo,Seruiui,quantum Deus mihi concessit,studijs iuniorum in munere scholastico, nec in his pulueribus appetiui splendidiora nomina , & de toto corpore doctrinę,expostui summas rerum, quantum potui,proprijs uerbis & semper Ecclesijs nostris me & mea dicta & scripta subieci.si quibus hæc non placent proponant suas sententias,& sit iudicium penes Ecclesiam. Nihil prodest perpetuò rixari ut de illo Sophista apud Atheneum dicebatur,κεῖται οὐ κεῖται, & ut Thucydides inquit, non omittere μωρίας φιλονεικίαν. Sed tamen cum in urbe Vangionum respondendum esset,non defugi congressus illos,&maximè opto, ut acta edantur. Reprehendit Auius , quod in illa nostra pagella edita Francofordiæ testati sumus nos constanter amplecti Prophetica,& Apostolica scripta & symbola,& hanc doctrinam in confessione nostra comprehensam esse.Ergo inquit historica scripta in sacris libris non recipitis? Hæc cauillatio quàm sit ieiuna & futilis,quis non uidet? Cùm Propheticos & Apostolicos libros nominamus complectimur omnes libros,qui testimonio Ecclesiæ recepti sunt & discernuntur ab Apocryphis , dicebantur autem Apocryphi qui non legebantur publicè in Ecclesia,& quorum testimonia non recipiebantur ut diuina.Libri historiarum in Ecclesia Ebræa publica autoritate à Prophetis & collegio Sacerdotum scripti sunt. Quare eos inter Propheticos usitata phrasi comprehendimus.Et de hac frigida cauillatione non dicam prolixius. In Epilogo respondet ad dictum, Diligite ueritatem & pacem. Ait pacem fore, si nos ueritatem diligamus. Audis uocem censoriæ grauitatis.Si nos uult à se petere ueritatem,proferat doctrinæ corpus , quod in suis lustris quale composuerit , nondum uidemus,Sed omitto ipsum,de socijs loquor.Annos triginta iam de doctrina litigamus,nec unquam aduersarij integrum doctrinæ corpus nobis proposuerunt. Nos , quantum Deo iuuante potuimus , sæpè repetiuimus omnia capita doctrinæ

ctrinæ quæ in Ecclesia proponi necesse est. Vtri ueritatem & pacem diligant, iudicetur ex rebus manifestis. Quàm multos innocentes interficitis, tantùm quia non uolunt idola colere? Num defensio manifestorum errorum est diligere ueritatem? Num iniusta sæuitia est diligere pacem. Hæc dijudicatio cùm sit facilima, declamationem Auij falsam & stultam esse omnes intelligunt, quem quidem non iudico superstitione ista scribere, sed ludere hominem Epicureum, ut suo theatro gratificetur. Vt cum Thammerum laudat, cuius scit extare libros in publicum editos, in quibus transformat Ecclesiæ doctrinam in Ethnicam. Et his ipsis uerbis extat argumentum in Thammeri libris. Scriptum est in primo Capite ad Romanos, Potentiam Dei ex mundi opificio notam esse gentibus. Ad Corin: autem scriptum est, Christum esse potentiam Dei. Notus est igitur gentibus. Hic non discernit Thammerus potentiam in creatione ostensam, à potentia saluationis, qua homini mirabiliter per filium restituitur uita & salus æterna. Hæc & alia multa contumelioſa aduersus filium Dei, & contra ueram Ecclesiam cum scripserit Thammerus, placet Pontificijs, tantùm, quia nobis impudenter maledicit.

Vt autem serio uideatur Auius Ecclesiæ patrocinari, me nominatim ad respondendum de hoc argumento prouocat. Cùm Ecclesiæ autoritas non sit labefactanda in Symbolis, cur labefit in cæteris, quæ non pugnant cum mandatis diuinis. Hoc laqueo existimat me iam strangulatum esse & glorioſè se effert ac triumphũ agit. Sed prima hæc planissima responsio est. Quę nos taxamus in doctrina & ritibus aduersariorum, dicimus expressè pugnare cùm mandatis diuinis, dicimus item Apostolos longè aliam uoluisse symboli sui autoritatem esse, quàm rituum quos alibi alios seruabant. In celebrando Pascate aliquos diem Iudaici Pascatos retinuisse scribitur. Præterea constat singula membra symboli Apostolorum, ut Græca Ecclesia recitat, expressè in scriptis Propheticis & Apostolicis tradita esse, ac nihil in Symbolo Græco addi, eamq; breuem recitationem traditam esse ut res alibi narratæ prolixius, hîc ordine distributæ, & breuiter comprehensæ in conspectu sint, ut in inuocatione simul & Patrem & filium & Spiritum sanctum, & mox summa beneficia cogitemus. Item de Symbolo Niceno & de Athanasiano respondeo. Adfirmo ideã de doctrinę Canonibus quos ex urbe Roma Damasus misit ad Græcos Episcopos, & de doctrinæ explicatione facta in Synodo Ephesina & Chalcedonensi. Hæc dogmata complectimur cùm Symbola nominamus, quia sunt breues repetitiones doctrinæ in scriptis Propheticis & Apostolicis traditę contra impostores, qui præstigijs Sophismatum corrumpebant scripta Prophetica & Apostolica. Ac uolumus certè audiri Ecclesiam ut doctricem, sed fides uerbo Dei nititur. Et iudicia Synodorum sunt dissimilia politicis, ualent enim decreta in politicis iudicijs in his, quæ sunt iuris positiui, ut loquimur, autoritate Regia uel prætoria. At confessiones in Synodis quæ sunt piæ, sunt testimonia quæ ostendunt quid pij tunc & antea senserint, quæ necesse est non dissentire à scriptis Propheticis & Apostolicis. Satis ne uideor de thrasonis Auij argumento respondisse? quanquam hoc ipsum satis erat, quòd ea quæ reprehendimus in Monachorum doctrina & Pontificum decretis manifestè pugnant cum mandatis diuinis, idq; ex uera norma iudicij, uidelicet ex scriptis Propeticis & Apostolicis & Symbolis singuli homines non athei iudicare & possunt & debent, iuxta dictum, si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit.

Obiiciuntur nobis & Flaciana diſsidia, quæ mihi quidem propter publica incommoda magnum dolorem adferunt, ideoq; ne maiores diſtractiones, & dogmatum certamina orirentur tacui, qua in re multorum prudentum exempla ſecutus ſum. Nec recens hanc Socraticam Philoſophiam diſco, multas iniurias mihi illatas inde uſq; à triginta annis mediocri moderatione tuli, ut multi norunt. Et habeo domeſticum patientiæ exemplum Capnionem. Sed profecto errant Pontificij, ſi ſibi prodeſſe putant noſtras diſſenſiones. Fata ultimæ ſenectæ mundi conſiderent, & cogitent, ſibi non minus periculi eſſe, quàm alijs. Procedit autem Flacius & nunc non ſolũ deliberata de Adiaphoris reprehendit, ſed etiam uituperat mea ſcripta in quibus doctrinæ ſummam pio ſtudio collegi, cùm inſpectio Eccleſiarum coegiſſet me & collegas poſt ſeditionem Agricolarum admonitiones neceſſarias paſtoribus & Magiſtratibus tradere. Planè igitur de me ipſo & de omnibus actis & ſcriptis ſubijcio me iudicio paſtorum in Eccleſijs omnibus amplectentibus confeſsionem, quæ Auguſtæ Carolo Imperatori exhibita eſt, & ne uidear quærere Ideam, nominatim uolo iudices eſſe Academias Tubingenſem, Haſſnienſem, Marburgenſem & Ienenſem. Cùm magna eſſet tunc confuſio, fateor me ſuaſiſſe & Francicis paſtoribus & noſtris, ne deſererẽt Eccleſias propter ueſtem lineam & ordinem feſtorum. De cæteris quæ mihi & alijs obijcit, iniuriam nobis facit Flacius. Sciunt multi præſtantes ſapientia, uirtute, & pietate, ne ipſum quidem Ducem Mauricium Electorem excellentem ingenio & uirtute plus petiuiſſe in oppido Grimma, quam ut hac in re ſibi mos gereretur. Poſtea edita ſunt falſa ſcripta à Flacianis, in quibus ſcriptis & mutilata membra ſunt, & alia inſerta de quibus nulla unquam ſuffragia noſtra ſcripta ſunt, ſed plectimur οὐ διὰ ποδὸς ἁμάρτημα, ἀλλὰ χορεία. Hactenus Flacius tantùm Carneadeo more mea ſcripta reprehendit, nec ſe aperit. Quòd autem ſemper optaui, ut de omnibus doctrinæ membris curarent noſtri rediberata à præcipuis doctoribus edi commune ſcriptum, quod ad totam poſteritatem de conſenſu piorum illuſtre & firmum teſtimonium eſſet, idem nunc quoq; opto. Vitam meam etiam filio Dei commendo, quem oro, ut Eccleſias harum regionum gubernet & protegat, & me faciat organum ſalutare, Et ſiue me noſtri ſiue Pontificij interficient, Deo iuuante decreui, me non diſceſſurum eſſe à filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ab his Eccleſijs, nec futurum me eſſe ſocium eorum, qui idola defendunt, & ſæuitiam in homines innocentes exercent.

Nihil dubium eſt in hac ultima & delira ſenecta mundi ſubinde maiores dilacerationes Eccleſiarum futuras eſſe, in quibus ut filius Dei ſeruet agmen retinens doctrinæ puritatem & ueram inuocationem, in qua multi ſint hæredes ſalutis æternæ, aſſiduis gemitibus & uotis petamus. Sed tamen & Principes, & alios gubernatores & doctores oportebat etiam ſui officij memores eſſe prohibere rixas non neceſſarias, frenare curioſitatem leuium ingeniorum & φιλονείκιαν, ſumma uigilantia pium conſenſum tueri, ſanabiles placidè in uiam reuocare, & inſanabiles iuſta ſeueritate reprimere. Hæc ut fiant toto pectore opto, nec piorum & doctorum iudicia defugio, nec eis refragabor.

DEO SIT LAVS.

PRECA-

Quantus erat dolor in Cananea matre puellæ,
Cuius mens furijs exagitata fuit.
In tanta nunc est Ecclesia mœsta dolore.
Doctorum furias cùm videt atq; Ducum.
Sed tu gnate Dei gemitus audito precantum,
Nulla venit nobis te nisi dante salus.
Tu procul à nobis sæuos depelle furores,
Et sanes verbo pectora nostra tuo.
Quamuis ira tui nos vrget iusta parentis,
Et sumus vt turpes nos rea turba canes.
Attamen vt timidè sub mensa captat herili,
Esuriens modicas parua catella dapes.
Sic cùm dira fames nostros absumserit artus,
A mensa petimus pabula Christe tua.
Gnate Dei generis nostri massam induis vt nos.
Viuifica infirmos hæc tua massa gerat.

CONSILIVM, DE MODERANDA CONTROVERSIA, IN ARTICVLIS RELIGIONIS PRAECIPVIS, SCRIPTVM AD GALLOS A PHILIPPO MELANTHONE M. D. XXXVI.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, DILECTO NOSTRO PHILIPPO MELANTHONI SALVTEM.

SINGVLARE TVVM AD SEDANDAS EAS, QVÆ IN doctrinam Ecclesiasticam inuectæ sunt, altercationes, studium intellexeram, antea quidem ex Gulielmo Bellaio Langio cubiculario atq; consiliario nostro, quo ego præcipuè sum usus ad eam rem administro & interprete, nunc uero ex literis ad eum tuis, & sermone redeuntis à te Barnabæ Vocei Fossæ intellexi etiam te hoc laboris prælubenti animo susceperturum, uti ad nos primo quoq; tempore te conferas, deq; unione doctrinarum cum selectis aliquot nostratibus Doctoribus hîc apud me coram disseras, atq; rationes ineas, quo resarciri possit, pulcherrima illa Ecclesiasticæ politiæ harmonia, qua una re ego mihi nihil unquam maiore cura, studio sollicitudineq; animi amplectendum esse duxerim. Committere nolui, quin hunc statim Voceum Fossam ad te dimitterem, cùm his ueluti publicæ fidei obsidibus literis, obtestarer etiam, abduci te ullius persuasione ut ne sinas ab hoc pio sanctoq; instituto. Venies omnino mihi gratissimus, seu priuato tuo seu publico uestratium nomine adueneris, Meq; reipsa experieris, & priuatim uestræ Germaniæ dignitatis, & publicæ in uniuersum quietis, ante omnia esse atq; adhuc semper fuisse studiosissimum. Vale. ex oppido Gulsi. die 28. mensis Iunij. Anno 1535.

RESPONSIO PHILIPPI MELANTHONIS ad Regem Galliæ.

S. D.

CHristianissime & potentissime Rex. Quum alijs multis ornamentis, pulcherrimum Franciæ Regnum, longè antecellat omnibus regnis totius orbis terrarum, tum hæc laus inter præcipuas ducenda est, quòd & doctrina cæteras nationes semper uicit, et pro Religionis Christianæ defensione, præcipuè uelut in statione perpetuò fuit. Quas ob causas, meritò titulum habet auspicatissimum, Christianissimum, quo nullum in terris præconium maius aut augustius dici potest. Quare gratulor Regiæ maiestati tuæ, quod etiam hoc tempore suscipit curam seruandæ Ecclesiæ, non tantùm uiolentis remedijs, sed uera ratione & digna rege optimo & Christianissimo, Et in his dissensionibus utriusq; partis impetus ita moderari studet, ut explicata doctrina Christiana & repurgata, simul gloriæ Christi, dignitatiq; Ecclesiastici ordinis, & tranquillitati publicæ consulatur. Profectò hac uoluntate & his consilijs nihil gloriosius, nihil rege dignius cogitari potest. Itaq; regiam M. T. oro, ut non desinat in hanc curam cogitationemq; incumbere. Etsi enim publica dissensio alicubi immoderatis uel etiam malis Doctoribus locum prebuit: Tamen à bonis uiris plæraq; patefacta sunt, quæ extare in Ecclesia plurimum refert. Quanquam igitur coercenda est in malis petulantia, Tamen oro regiam M. T. ne asperioribus iudicijs aut scriptis quorundam sinat se adduci ut etiam res bonas & Ecclesiæ utiles deseri patiatur. Mihi quidem nullæ immoderatæ opiniones, aut quæ labefactarunt pulcherrimum & sanctissimum Ecclesiæ ordinem unquam placuerunt, quo quidem nihil in terris charius, nihil antiquius esse omnibus debet. Atq; ita scio apud uos affectos omnes bonos uiros, qui in hoc ipso doctrinæ genere uersantur, in quo ego uersor. Itaq; quum accepissem literas regiæ M. T. Deum testor me quantùm potui conatum esse, & contendisse, ut statim ad Regiam M. T. accurrerem. Nam mihi nihil optatius est, quàm ut pro mea tenuitate aliquid opis adferre Ecclesiæ possim, Ac in spem optimam ueni, postquam cognoui eam pietatem ac moderationem esse Regiæ M. T. ut in commune gloriæ Christi consultum cupiat, sed quantæ me difficultates paulisper adhuc remorentur, intelliget Regia M. T. ex Voceo. Quæ quidem etiamsi moram attulerunt huic itineri, tamen animum meum neq; à professione, à consilijs aut studio mitigandarum controuersiarum auerterunt. Sed hæc exponet omnia copiosè Voceus. Postremo me Regiæ M. T. commendo, ac polliceor me meum iudicium perpetuò ad bonorum & Doctorum uirorum in Ecclesia sententiam aggregaturum esse. Christus seruet Regiam M. T. florentem & incolumem, & gubernet eam ad communem orbis terrarum salutem, & illustrandam ac ornandam gloriam Dei. Data in Saxonia 5. Kalendas Septembris Anno 1535.

Regiæ Maiestat. T.
addictissimus.

Philippus Melanthon.

CONSI-

CONSILIVM, DE MODERANDIS CONTROVERSIJS Religionis, scriptum à Philippo Melantone ad Gallos.

MVlti sunt in ea opinione, aut nulla esse uicia in doctrina usitata, quam reprehendimus, aut leuia esse, quæ dissimulari possint. Et qui sic sentiunt, existimant nostros sine causa tumultuari, & execrantur eos tanquam temere mouentes seditionem & schismata. Atq; hæc opinio de nobis, inculcatur Pontificibus & Regibus. Quare principiò optandum est, ut & Pontifex, & summi Reges, agnoscant Ecclesiæ morbos, & cogitent quosdam abusus eiusmodi esse, qui non debeant dissimulari ac tollerari. Scimus ipsi, in tanta infirmitate hominum Ecclesiam nunquam adeo puram esse, quin aliqui incidant abusus. Scimus & hoc, abusus aliquos dissimulandos & condonandos esse publicę concordiæ. Sed hoc intelligi debet de ijs abusibus, qui salua doctrina, oriuntur ex quadam imbecillitate, non de ijs abusibus, qui delent aliquos articulos fidei necessarios, aut sunt idolatrici, aut cogunt homines ad manifesta peccata. Oportet enim eos, qui docent in Ecclesia arguere peccata, sicut Christus præcipit. Quare Pontificis est, in rebus magnis & necessarijs, ut consulat conscientijs, aliquam concedere relaxationem, Et uicissim est nostrum ferre omnia propter publicam dilectionem, quæ sine impietate fieri possunt, præsertim cùm tamen pontifex non possit retinere obedientiam, neq; possit ulla concordia sperari, donec conscientiæ piorum adiguntur ad impios cultus, semper enim erunt qui reclament & aduersentur.

Quidam etiam nihil aliud agi putant, nisi ut quædam libertas Barbarica quæratur, excussa monarchia Romani pontificis, & repudiatis ueteribus ordinationibus Ecclesiasticis. Hæc opinio etiam nocet nobis apud Romanum pontificem & Reges.

Quare principiò opus est ostendere eis non hoc agi, ut dissoluatur auctoritas Ecclesiastica, sed alias res magnas disputari & agitari, quæ ad conscientiam & cultum Dei pertinent. Primùm igitur dicam de externis rebus, hoc est de politia Ecclesiastica & quibusdam traditionibus.

DE POTESTATE PONTIFICIA.

COncedunt nostri politiam Ecclesiasticam rem licitam esse, quòd uidelicet sint aliqui Episcopi qui præsint pluribus Ecclesijs, Item quòd Romanus Pontifex præest omnibus Episcopis. Hanc canonicam politiam ut ego existimo nemo prudens improbat, neq; improbare debet, si intra fines suos maneat. Hoc est Pontifex & Episcopi non abutantur auctoritate sua, ad opprimendam doctrinam. Deinde quòd ad opes & reditus attinet, etiam hoc docemus. Regum & Principum donationes esse res licitas, Sunt autem reditus illi Regum & Principum donationes.

Quare quòd ad hunc articulum attinet, de superioritate pontificia, & de Episcoporũ auctoritate nõ est dissensio, & facile possunt retinere autoritatẽ suã Ro. Pontifex & cęteri Episcopi. Opus est enim in Ecclesia gubernatoribus, qui uocatos ad ministeria Ecclesiastica explorent, & ordinent, & iudicia Ecclesiastica exerceant, & inspiciãt doctrinã sacerdotum. Et ut maximè nulli essent Episcopi, tamen creari tales oportet. Tantũ optamus, ut hi qui nũc sunt Episcopi, inspiciant doctrinã & sanã doctrinã curent in Ecclesijs sibi commissis fideliter tradi.

Hoc

Hoc si facerent, nemo deberet obedientiam recusare. Prodesset etiam meo iudicio illa Monarchia Romani Pontificis ad hoc, ut doctrinæ consensus retineretur in multis nationibus. Quare facile potest constitui concordia in hoc articulo de superioritate Episcoporum, si de cæteris articulis conueniri poterit. Cæterum illam immoderatam & iniustam potentiam Romani Pontificis, quam in transferendis regnis interdum usurpauit, Reges ipsi moderari facile potuerunt. Hæc neq; ad Euangelium neq; ad Ecclesiam pertinent.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS
Rerum indifferentium.

SCimus Traditionibus & aliquibus ordinationibus opus esse. Ideo in nostris scriptis diligenter discernimus traditiones. Item clarè ostendimus, quid reprehendamus. Constat enim conscientias olim misere uexatas esse hac opinione, quam Sophistæ & alij indocti finxerunt, uidelicet quod traditiones humanas uiolare sit peccatum mortale. Hæc opinio fuit horribilis carnificina conscientiarum. Ideo præcipuè hanc opinionem reprehendimus. Et libenter admittunt nunc docti omnes nostram ἐπιείκειαν quòd traditiones uiolare extra casum scandali non sit peccatum mortale. Sed omitto hic disputationem. Nam in Apologia, & alibi satis apparet nos accuratè discernere in hoc articulo. Constituta autem doctrinæ concordia, postea Christiana charitas debebat moderari usum rituum. Quia enim publicis aliquibus ordinationibus opus est, satius esset retinere usitatos ritus quàm nouos exagitare. Nec nostri recusarunt in conuentibus seruare ἀδιάφορα, id est, indifferentia, & adhuc in plærisq; locis magna ex parte retinemus publicos ritus ueteres, festos dies Christi, cantiones pias ueteres, & pleraq; usitata. Præterea, similitudo rituum inuitaret cæteras nationes, ut facilius reciperent hanc doctrinam Euangelij nec haberet quicquam incommodi hæc obseruatio, si extaret recta doctrina, quæ doceret tales ritus obseruandos esse, sine superstitione, hoc est, sine opinione iusticiæ, aut necessitatis, sed sicut alios politicos mores tranquillitatis & ordinis causa. Facile igitur de hac re poterit concordia restitui, quia & doctrinam nostram de hoc articulo probant omnes pij & eruditi, & nostri admissa Doctrina, usum traditionum, in charitate moderari deberent.

DE CONFESSIONE.

MEO iudicio, prodest in Ecclesijs retinere confessionem & propterea, quod abolito more absolutionis obscuretur Doctrina de remissione peccatorũ, et potestate Clauiũ, et propter disciplinã. Cõmodè enim in Confessione possunt homines institui, nec habet quicquam periculi aut incommodi Confessio, si homines rectè doceantur ne superstitiosa enumeratione peccatorum onerentur conscientiæ, si doceatur unde sit remissio peccatorum. Nam de enumeratione sentiendum est sicut de alijs traditionibus Ecclesiasticis, quòd sine peccato omitti possit. Itaq; de his Quatuor Articulis facilis est ratio constituendæ concordiæ, scilicet de auctoritate Episcoporum, de ordinatione sacerdotum, de traditionibus humanis in rebus medijs, & de confessione.

DE

DE PRÆCIPVIS ARTICVLIS.

1. De Iustificatione.
2. De Missa & utraq; specie.
3. De cultu Sanctorum.
4. De Votis & Cœlibatu.

DE IVSTIFICATIONE.

CONtrouersiam de iustificatione ipsa tempora mollierunt. Nam de multis conuenit inter doctos, de quibus fuerunt initio magna certamina.

Nemo iam defendit ista absurda quæ leguntur apud Scholasticos, quòd homines possint Legi Dei satisfacere, quòd mereantur remissionem peccatorum dignitate suorum operum, quòd sint iusti, id est, accepti propter propriam dignitatem, & legis impletionem. Omnes iam fatentur fide opus esse, hoc est fiducia in Christum in remissione peccatorum, de qua fide nulla est mentio in Scholasticis. Omnes iam fatentur interesse gloriæ Christi, ut illa fides inculcetur hominibus.

Conuenit item inter Doctos de libero arbitrio, de peccato originis & de plerisq; alijs quæstionibus coniunctis. Quare si pontifex aut ipsi Reges darẽt operam, ut aliqui boni & prudentes uiri colloquerentur, facile posset hæc controuersia de Iustificatione dijudicari, ac dirimi. Et quidem prodesset Ecclesiæ extare simplicem & planam Doctrinam de iustificatione. Res est enim necessaria conscientijs. Sunt autem duo articuli, alter de remissione peccatorum, alter de dignitate bonorum operum, seu de meritis in reconciliatis.

De priore articulo etiam existimo facile posse constitui concordiam quòd uidelicet in remissionem peccatorum necessaria sit contritio & mutatio morum. Et tamen remissionem contingere, non propter dignitatem nostræ contritionis seu operum, sed totum per misericordiam propter Christum, qui fide hoc est fiducia Christi apprehenditur. In hac sententia clarum est non excludi bona opera, sed aliam causam remissionis peccatorum quæri certam & sufficientem. Constat enim in ueris pauoribus non posse opponi nostra bona opera iræ ac iudicio Dei.

Hîc meritum non tollitur quia nos nihil agamus, sed ut intelligatur quomodo sit certa remissio. Si enim penderet ex dignitate contritionis nostræ fieret incerta, Deniq; de hoc articulo de remissione peccatorum existimo bonos ac prudenteis facile posse conuenire, tantùm non adhibeantur homines morosi, qui habent deprauata iudicia ex Scholasticis opinionibus, arbitror enim omnes prudentes probaturos esse hunc articulum, quòd remissio peccatorum contingat fide, id est, fiducia in CHRISTVM non propter nostra opera.

Alter Articulus de dignitate bonorum operum in reconciliatis etiam nunc tempore factus est mollior, quia omnes iam concedunt quòd homines procul absint à perfectione legis, ideo concedunt etiam saniores apud aduersarios, principaliter homines iustos, id est, acceptos esse fide, hoc est fiducia misericordiæ promissæ propter Christum, & quòd illa incoatio legis in nobis placeat, non quia legi satisfaciat sed quia persona est reconciliata in Christo.

Omnes

Omnes prudentes iam agnoſcunt oportere addi de fide, quod reconciliati præcipuè placeant, non propter dignitatem operum ſed fide propter Chriſtum, Hoc ſi concedatur poſtea facile eſt iudicium quale ſit meritum operum, & quidem prodeſt poſtea ualde augere atq; ornare dignitatem bonorum operum, ſicut & ſcriptura ualde ornatur modo ut ille ſcopus prius teneatur quòd remiſſio peccatorum per Chriſtum contingat per fidem. Item quòd hæc opera placeant non quia legi ſatisfaciant, ſed quia perſonæ credant Chriſto.

Neceſſe eſt enim pias mentes contra deſperationem præmuniri & doceri quomodo placeat hæc noſtra obedientia, illa conueniunt quòd iuſticia bonorum operum, ſeu bonæ conſcientiæ ſit neceſſaria, quòd Spiritus ſanctus detur in remiſsione peccatorum, quòd oporteat mortificari ueterem hominem, & creſcere nouitatem Spiritus, quod Spiritus ſanctus non maneat in his qui committunt mortalia peccata, hoc eſt, facta contra conſcientiam, & contra legem DEI.

Item quòd liberum arbitrium aliquid agat in cauendis talibus delictis.

Item quòd adiuuetur à Spiritu ſancto ut caueat talia delicta. Si hoc modo colligantur ea quæ conueniunt, paucæ controuerſiæ reliquæ erunt. Nam in ſcholaſticis opinionibus hoc præcipuè reprehenſum eſt, quòd de hac fide, de qua loquitur Paulus, quæ agit aliquid in remiſsione peccatorum, & pacificatione conſcientiæ mentionem prorſus nullam faciunt. Item quod ſomniant hominem poſſe legi Dei ſatisfacere & iuſtum eſſe propter legis impletionem, horum articulorum ipſos iam ſcholaſticos ſi qui ſunt ſaniores pudet. Correctis his duobus articulis iudicari cætera facilè poſſunt.

DE MISSA.

IN cæteris articulis omnibus uidetur facile ratio iniri poſſe conſtituendæ concordiæ. Sed hic unus nodus de Miſſa, ut uereor, eſt inexplicabilis. Quia hęc eſt ſumma Ceremonia in Eccleſia, & eſt collata ad horribiles abuſus, & hi abuſus ſunt meri quæſtus Monachorum. Quare abuſus Miſſæ præcipuè opus habent emendatione. Ac tanta res præcipuè in Concilio generali tractanda eſſet, ſed uix ſperandum fore aliquam in ſynodo legitimam cognitionem tantarum rerum, ideo optarim ut de tanta re deliberari curarent ipſi Reges, præſertim Rex Galliæ & Angliæ, quoniam inter ipſos conuenit. Vtinam hi pios & doctos homines conuocarent, & iuberent eos piè & diligenter agitata re quærere conſilia quomodo abuſus emendari poſſent, hæc tanta res præcipuè digna eſſet his ſummis Regibus, Deus enim poſtulat ut Reges prohibeant impios cultus & curent pios inſtitui & conſeruari. Certum eſt autem impiam opinionem eſſe Monachorum de applicatione Miſſæ, uidelicet quod Miſſa proſit pro alijs uiuis & mortuis & mereatur eis remiſsionem culpæ & pœnæ. Hæc opinio obſcurat doctrinam de fide in Chriſtum, & pugnat manifeſtè cum ueteri uſu Miſſarum, & cum ſententia ſanctorum patrum, ex hac opinione infiniti abuſus orti ſunt, hæc opinio peperit & auxit priuatas Miſſas, nec uerò ſpes eſt ulla Monachis hunc errorem de applicatione unquam extorqueri poſſe. Cùm igitur illa applicatio pro uiuis & mortuis ad promerendam remiſsionem culpæ & pœnæ neceſſariò corrigenda ſit, ne obruatur doctrina de fide, nos ueterem morem Miſſæ renouabimus, Tantùm enim unam publicam ſeu communem habemus,

mus, in qua aliqui & explorati prius & confessi simul, communicant Sacramentum.

Et de usu diligenter docemus, quomodo prosit Sacramentum, his qui agunt pœnitentiam, & fide se erigunt & credunt sibi peccata condonari, hic est uetus mos, nullæ enim olim fuerunt priuatæ Missæ, & in Græcis parochijs hodie etiam priuatæ Missæ nullæ sunt, Quare hic mos habet exemplum ueteris Ecclesiæ, & tutissimus est.

Veteres Missam uocant Sacrificium, non quòd sit applicandum pro alijs uiuis & mortuis, & mereatur eis remissionem culpæ & pœnæ. Sed uocant Sacrificium in genere, quia est memoria Sacrificij Christi, & opus in quo agimus gratias pro beneficio Christi, hac ratione concedimus ut in Apologia diximus Missam Sacrificium esse, sed non applicandum pro alijs uiuis & mortuis, ut mereatur eis remissionem culpæ & pœnæ. Quanquam autem in hoc articulo moderationem reperire ualde difficile est, tamen uidetur mihi non alienum, si Pontifex constitueret, ut nemo cogeretur ad priuatas Missas, Sed, ut antea dixi, maximè optandum est in hoc articulo, ut Reges curarent de eo diligenter deliberari, & liberari Ecclesiam ab horrendis abusibus, & sanari conscientias ambiguas. Nam multæ controuersiæ hærent in hac causa, de Missa, uidelicet, de uerbis Cœnæ, de Sacrificio, de Applicatione. Ad hæc accedit etiam controuersia de usu utriusq; speciei, ea res etiam antea excitauit magnos motus in Ecclesia, quia cùm audiunt pij quòd Christi institutio sit ut sumatur integrum Sacramentum, & quòd hoc ita obseruatum sit in ueteri Ecclesia, iudicant obtemperandum esse institutioni Christi, & ueteris Ecclesiæ exemplo, quamuis quæritur excusatio de usu unius speciei, tamen conscientiæ ambigunt, ideò consultissimum esset ut Pontifex tolleret prohibitionem integri Sacramenti, & constitueret ne altera pars alteram damnaret, donec erudiri Ecclesia posset, & integer usus restitui. Huius ceremoniæ summa esse ueneratio debet, ideò maximè prodesset reuerentia in tractando Sacramento, & liberari conscientias scrupulis, & hæ res externæ, priuatim plus scrupulorum, & publicè plus dissensionum pariunt. Hæc incommoda facilè sanare Pontifex posset sublata prohibitione integri Sacramenti, nec aliquid faceret Pontifex nouum. Nam ipsa prohibitio est noua & humana autoritate instituta, quam haud dubiè licet Pontifici emendare.

DE CVLTV SANCTO-
rum.

TAm multi manifesti abusus sunt in cultu Sanctorum, ut omnes pij & docti iam olim ante hæc tempora flagitarint emendationem. Estq; hæc facilior emendatio in hac causa, quia nullum periculum est conscientijs, etiamsi in uniuersum aboleatur inuocatio Sanctorum. Nam in sacris literis nullum præceptum, nullum exemplum est, quod doceat inuocationem Sanctorum, Quare manifestum est eam non esse necessariam. Sed res noua est, & ignota ueteri Ecclesiæ ante Gregorium. Extant enim conciones aliquot & Basilij & Nazianzeni de Sanctis, in quibus nulla prorsus fit mentio de inuocatione, sed tantum dicunt se exempla proponere, ut discamus quomodo Deus exerceat & iuuet

Sanctos, ut Deo gratias agamus. Deinde ut illorum exempla & fidem populi erigant, & hortentur populum ad imitationem. Nec Hieronymus aduersus Vigilantium loquitur de inuocatione, sed tantum de illa uirtutum & beneficiorum recordatione. Hîc uerò iure deprehenditur negligentia posterioris ætatis, quòd tam procul à ueterum Ecclesia & consuetudine discesserit, finxerunt Sanctos inuocandos esse tanquam intercessores ita obruerunt Christi beneficium, & offuderunt populo imaginationes, quasi Sancti sint clementiores quàm Christus, & propter hanc opinionem populus fiduciam debitam Christo transfert in Sanctos. Item, inuocatio per se tribuit Sanctis omnipotentiam, quia in Inuocatione testamur, quòd is quem inuocamus habeat infinitam potentiam, inspiciat motus animorum in omnibus inuocationbus. Deinde longius etiam aberratum est, Sanctos ut autores donorum inuocabant, sancte Iacobe protege, libera nos. Postea singulis Sanctis distributa sunt certa officia, & prolixè cupiditatibus impijs seruitum est, Alius Sanctus inuocabatur ut ditaret, alius alia de causa, & fuerunt omnia plena Ethnicorum errorum & exemplorum. Aduersus hæc tanta uicia certè deberent Reges & Episcopi remedia quærere. Primùm autem si certa doctrina de Christo instauraretur, facilè perseuerent abusus & prauæ opiniones de cultu Sanctórum, quia populus màgis assuefieret ad intelligenda beneficia Christi, & ad uera fidei exercitia, si intelligeret Christum propositum esse tanquam intercessorem, propter quem uelit Deus certè dare remissionem peccatorum, & alia bona pro sua sapientia & bonitate.

Et tamen si in hoc articulo moderatio aliqua quæritur, potest iniri ratio quomodo iusti honores Sanctorum retineri possint, scilicet, si feriæ aliquæ retineantur, in quibus populo Sanctorum historiæ & exempla prudenter sine inuocatione eorum proponantur, sicut & olim uidemus in Ecclesijs fuisse festos dies Sanctorum. Modus tamen etiam feriarum illarum esse deberet. Nunc enim sunt immodicæ & inutiles pietati, confluit enim ociosa multitudo ad conuiuia, ad ludos, ad rixas, & confirmantur inerudítis concionibus, impij cultus.

Veteres quædam orationes faciunt mentionem intercessionis, sed tamen ita ut inuocatio non fiat ad Sanctos sed ad Deum, id est, Deus da ut adiuuemur precibus Sanctorum. Certum est enim Sanctos in cœlo rogare orare pro uniuersa Ecclesia, & si autem docti de hac forma deliberare possent, tamen periculum est ne etiam talis forma obscuret intercessorem Christum, ideo ne hanc quidem uelim confirmare, Sed illa moderatio sufficeret, retinere recordationem propter exempla, ut dictum est.

Sed renouata pura doctrina de Christo facilè ruerent sine tumultu abusus in cultu Sanctorum, præsertim si potestates quædam dissimulatione paterentur abusus ruere. Nunc iniustissima sæuitia sæpe in rebus leuibus utuntur, etsi autem potestates debent uti suo iure ubi opus est, tamen uidendum est ne abutantur, & contra mandatum Dei ad defensionem Idolatriæ. Errant enim si in tanta negligentia, & in tantis cupiditatibus eorum, qui rexerunt Ecclesias, existimant nihil uicij in Ecclesiam irrepsisse

repsisse,errant etiam si arbitrantur Deum non fore ultorem si iniustam crudelitatem in pios & in membra Christi exercuerint.

Extant seueríssimæ comminationes in scripturis aduersus eos qui Prophetas & pios interficiant, quæ certè mouere debent summos Principes,ne acerbitate illa suppliciorum utantur nisi ubi opus est,& re diligenter deliberata à pijs & doctis.

DE VOTIS.

COnstat non omnes ad uotum perpetuæ continentiæ idoneos esse, & scimus inter ipsos Monachos, saniores optare ut dimitterentur, his qui non sunt idonei,huic rei facilè posset Pontifex mederi proposito edicto, in quo publicam dispensationem ederet,ut his qui non essent ad id uitæ genus idonei, concederetur libertas deserendæ Monasticæ uitæ,nec propterea prorsus desererentur Monasteria,sed reliqui,quibus hoc uitę genus placere uideretur,in illis collegijs,quæ quidem correctis abusibus tolerari possent,manerent. Nescio qualis sit status Monasteriorum in alijs terris in Germania in locupletioribus Monasterijs nullæ literæ nunc sunt,nulla doctrina, tantū ibi aluntur homines ocioſi,quorū nullus potest esse usus in Ecclesia,Itaq; satius esset hęc Monasteria deseri,et reditus transferri ad alios usus Ecclesiarum,et ad alendos studiosos in alijs Collegijs aut Monasterijs.Sed ordines tenuiores adhuc seruiunt Ecclesijs quorum Collegia, ut dixi, emendata doctrina & correctis abusibus possent conseruari,si extaret illa de uotis dispensatio quam dixi.Neq; enim inutile esset pios & Studiosos aliquos ita uersari una in studijs sacrarum literarum,& aliarum disciplinarum et assuefieri pijs exercitijs & cęremonijs,ut inde sumerentur Ministri Ecclesiarum,sicut olim solebat fieri. Præcipuè autem hoc tempore pauci discunt sacras literas,& uidetur opus fore etiam in illis locis,ubi iam deserta sunt omnia Monasteria,ut iterum quædam Collegia constituantur, in quibus pauperes Scholastici alantur,destinati pijs studijs ne desint Ecclesijs pastores,hęc moderatio de Monasterijs nihil uidetur habere incommodi,et profectò esset utilis Ecclesiæ.Boni & prudentes uiri inter Monachos iam olim deplorarunt uicia Monasticæ uitæ,displicuit eis quòd uota sine ulla dispensatione requiruntur,nec delectus habetur aut discrimen personarum, cùm manifestum sit non omnes idoneos esse huic uitæ generi, agnoscunt plus esse superstitionis in Monasterijs quàm ueræ pietatis, ideò extant scripta multorum ante hæc tempora,qui emendationem abusuum optauerunt & flagitauerunt.

DE COELIBATV SACERdotum.

MAnifestum est paucissimos in cœlibatu, sine magnis offensionibus conscientiæ uiuere,plurimi etiam in manifesta turpitudine uiuunt, & illa exempla nocent Ecclesiæ,debet autem Pontifex & sanare conscientias,& prohibere mala exempla,ideo optandum est,ut legem de cœlibatu sacerdotum aboleat Pontifex.Nam hæc res est prorsus iuris humani,magna est autoritas Ecclesiæ in his quæ sunt iuris humani,& hac autoritate Ecclesia uti debet,ad ædificationem,ad alendam pietatem,ad iuuandas conscientias, ad prohibenda peccata, non ad perniciem animarum, aut ad confirmanda peccata. Porrò hæc lex de cœlibatu multa peccata parit, & multas animas perdidit fortasis cum olim

pauciores essent Sacerdotes & liceret eis ducere uxores, sic tamen ne postea essent in ministerio. Hæc lex nimis habuit incommodi, nunc certè tanta in multitudine, & cùm prorsus huic ordini prohibetur coniugium quanta pariat incommoda non est obscurum. Leges humanæ debent cedere temporibus, ideo optandum est ut Pontifex hanc legem mitiget, fortasis illud etiam obstat quod metuunt fore ut dissipentur opes Ecclesiasticæ aut labefactentur iura electionis, si Episcopi ducant uxores: De his periculis posset fortasse iniri ratio, ut tantum cœlibes eligerentur Episcopi, sed cæteris ministris Ecclesiarum concederetur coniugium, paulo post deerunt pastores Ecclesijs, præsertim in Germania. Decet autem Pontificem publicam necessitatem Ecclesiarum anteferre suæ institutioni. Sed hic articulus non habet opus longa disputatione, tantùm hîc æquitate Pontificis & summorum principum opus est, ne legem inutilem pertinaciter defendant, cùm nihil opus sit. Postremò facilis est dijudicatio omnium controuersiarum, tantùm articulus de Missa habet aliquid difficultatis, sed inter bonos & pios spero de omnibus conueniri posse, ideo orandus est Christus ut & summorum Regum animos flectat ad studium illustrandæ gloriæ Dei & iuuandæ Ecclesiæ, & det arbitros harum maximarum rerum idoneos. Nam si dijudicatio committeretur indoctis, & his qui suis affectibus magis uellent morem gerere quàm consulere saluti publicæ, quid futurum sit facilis est dijudicatio. Sed oremus Christum ut Ecclesiam suam, pro qua & orauit & passus est, inspiciat, eamq; redigat in concordiam piam & perpetuam. Hæc scripsi non quòd de unius sententia aliquid constituendum putem. Nemo enim in Ecclesia sibi hanc tyrannidem sumere debet, sed quia rogatus sum bono studio, respondi, & significaui me hoc scriptum uelut deliberationem quandam mittere, & optare ut plures docti communiter de tantis rebus deliberent. Non igitur pro decretis spargi in populum debebant, & quidem professus sum me concessurum iudicijs aliorum rectius sentientium.

EPISTO-

PHILIPPI MELANTHONIS AD SENATVM VENETVM EPISTOLA.

CVM ANNO SVPERIORE BRACCIETVS MEcum,& de ſtudijs optimarum artium, & de religione plæraq; diſputaret, facile perſpexi, eum non modo ſingulari eruditione ſed etiam prudentia & grauitate eximia præditum eſſe. Itaq; magno ſtudio eum complexus ſum. Delectabat cùm ipſius ingenij uenuſtate,quam in carminibus ſuauiſsimis ſcriptis exprimit, tum uero ſermonibus ipſius multiplicem doctrinam redolentibus, Sed neſcio quod fatum mihi diuturnam eius conſuetudinem inuidit.Scitis enim anno ſuperiore domeſtico quodam negotio in patriam ſtatim reuocatum fuiſſe, in quo prædicat ſe à uobis amantur & ſumma fide adiutum fuiſſe. Poſtquam autem nunc recurrit ad nos,& tot Alpium iuga, ac hercinios ſaltus,in ipſa brumæ ſæuitia emenſus eſt, non obſcurum ſpecimem oſtendit præcipuæ erga me beneuolentiæ,& in noſtra amicitia conſtantiæ. Quare reditus eius mihi iucundiſsimus fuit, ac magnopere optabam me diutius eius conſuetudine frui poſſe. Fuit autem mihi periucundum, quòd grauiſſimorum quorundam uirorum iudicia æquiora commemorauit, de emendatione Eccleſiaſticorum abuſuum, quæ à nobis profectò non iniuſta aliqua cupiditate aut ſtudio contendendi inſtituta eſt.Sed initio quidam boni uiri prouocati,impudentiſſimorum quorundam clamoribus, de uenijs pontificijs, coacti ſunt officij ratione purius docere Eccleſias. Hinc exarſit diſcordia, quam paulatim incendit aduerſariorum ſæuitia, tanta autem diligentia cauſa à nobis acta eſt, ut ſemper uim, ac tumultus populares prohibuerimus, ortos etiam propter aduerſariorum rabiem oppreſſerimus, Præterea in doctrina præſtitimus debitam fidem,ut abuſibus correctis, extaret pura ac catholica Eccleſiæ Chriſti doctrina. Scimus ſemper in mundo diſſimillima fuiſſe iudicia de religione, & Diabolum, cùm ſit hoſtis Chriſti, in hoc præcipuè intentum fuiſſe ab initio, ut ſereret impias opiniones ac obrueret gloriam Chriſti. Ac incitat Diabolus curioſa & praua ingenia,ut corrumpant aut conuellant uera dogmata. Hæc pericula Eccleſiæ cùm intelligeremus, magna cura adhibita eſt, ne extra metas,ut ita dicam, prouheremur. Etſi igitur taxamus recens natas falſas opiniones, tamen ueram Eccleſiam defendimus, nec diſcedimus ab Apoſtolicis ſcriptis, nec à ſymbolis, Apoſtolico, Niceno & Athanaſiano, nec quidem à ueteri conſenſu Eccleſiæ Catholicæ, denicq; illud Tertulliani ſequimur, ut rectum eſſe quodcunq; primùm fuit ſtatuamus, poſterius uerò adulterinum. Si quis autem adeo ſecuro eſt animo, ut nihil uitij in Eccleſia hærere putet, nec ambitione, auaritia, ſuperſtitione, denicq; non diaboli fraudibus uetera inſtituta mutata aut deprauata eſſe uideat, is perſimilis eſt ijs, quibus in magnis doloribus mens ægrota non ſentit uim morbi. Quis autem ex ſanioribus, non ante hanc ætatem deplorauit Liturgiæ abuſum, quæ ad ſacrilegum quæſtum conferri ſolet. Diuorum cultus quantulum abeſt, ab ethnicis opinionibus & ritibus : Iure queritur Gerſon recens autor, ita occupatos eſſe hominum animos, cura humanarum traditionum ut diuina præcepta negligantur. Idem ante hunc deplorauit Auguſtinus, & tamen

post ætatem Augustini, quantus accessit cumulus traditionum? Nec uerò ignoramus semper eam esse generis humani infirmitatem, ut nulla ætas sit futura sine uitijs, & meminimus præceptum politicum multorũ literis ac monumentis celebratũ, quod docet publicæ tranquillitati & concordiæ, quædã incommoda condonanda esse, ac uetat, ut Græci loquuntur, malum bene positum moueri, Sed tamen eius præcepti modus etiam aliquis sit necesse est, præsertim in Ecclesia, in qua Deus ueritatem ac doctrinæ puritatem conseruari præcipit, Sicut inquit Paulus. Si quis aliud Euangelium docuerit, Anathema sit. Quamquam igitur quædam morum uitia toleranda sunt, tamen doctrinæ errata qui tenebras offundunt Euangelio, quæ idololatriam pariunt, reprehendi necesse est. Primùm igitur à nostris repurgata est doctrina de pœnitentia, reiectæ humanæ satisfactiones, quas sic uocant ut beneficium Christi clarius conspici posset, ac extaret doctrina de ea fide, qua remissio peccatorum accipienda est. patefecimus & discrimen legis & promissionum, quæ sunt Euangelij propriæ, hæ res maximæ iacebant obrutæ densissima caligine, in tanta mole traditionum ac labirintorum, qui extant in scriptoribus, qui commentarios ediderunt in Petrum Longobardum. Deinde emendata est Liturgia, & mos uetus restitutus in Ecclesijs, Nihil temere, nihil nostro consilio mutatum est, sed secuti sumus, non modò Apostolorum scripta, sed etiam ueteris Ecclesiæ ac purioris iudicia, & exempla, Reiecimus & diuorum inuocationem, ornauimus ueris Encomijs munera politica, ac œconomica, & ostendimus esse cultus Dei, præcipuos, cum antea longe anteferrentur nugacissimæ traditiones. Admonuimus quid de indifferentibus ritibus sentiendum sit, & quatenus retineri possint. Denique summa nostræ sententiæ extat in quodam meo scripto, cui titulus est Loci communes, in quo satis apparet nos tueri ueterem consensum purioris & catholicæ Ecclesiæ, ac reuocare studia ad ueterem puritatem. Etsi autem profani homines partim deridենt, has nostras disputationes, partim tanquam seditiosas execrantur, tamen nobis ratio nostri consilij constat. ac norunt pij ac prudentes hæc certamina in Ecclesia necessaria esse. uidentq; diu iam opus fuisse, quorundam abusuum emendatione. Meministis Historiam apud Herodotum. Cùm Astyages Harpago filium edendum proposuisset, interrogassetque miserum parentem, quo animo filij necem ferret. respondisse Harpagus narratur mihi uerò placet quicquid Rex facit, talis seruitus nequaquam in Ecclesia constituenda est, ut propter tranquillitatem omnia errata illorum qui præsunt, conprobare cogamur, maximeq; eruditis tuenda est in dicenda sententia, seu in docendo, libertas. Cumq; unica sit urbs uestra in toto orbe terrarum, in qua uera est aristocratia tot seculis conseruata, quæ semper inimica fuit Tyrannidi, maximè decet in eo loco esse libera bonorum iudicia, & improbare iniustam sæuitiam, quæ alibi in Ecclesiam exercetur. Quare uos quantum possum adhortor, ut ad gloriam Dei, ornandum studia atq; authoritatem uestram conferatis, hic cultus Deo gratissimus est.

Intellexi autem isthic circumferri Serueti libellum qui renouauit errorem Samosateni initio Ecclesiæ damnatum, & labefecit sententiam de duabus naturis in Christo, negat in Iohanne uerbum significare hypostasin seu personam, ut nunc uocant, cum ait Iohannes: In principio erat uerbum, & postea, & uerbum caro factum est. Etsi autem extat meum iudicium de hac controuersia, ac nominatim in locis damnaui Serueti sententiam, tamen nunc quoq;

quoq; uos admonendos atq; obteſtandos eſſe duxi, ut hortatores atq; autores ſitis, ut fugiant, abijciant, execrentur, impium Serueti errorem. Scio obſurdum uideri, quòd interpretatur Eccleſia, uerbum eſſe perſonam ſeu hypoſtaſin, ſed in his cœleſtibus dictis, non quid concinnum rationi humanæ uideatur ſpectandum eſt, ſed quid certò doceant ac affirment teſtimonia diuinitus propoſita in Apoſtolicis ſcripturis, quæ Seruetus aſtutè eludit, ſed calumniæ præcipuè remouendæ ſunt à ſacris dogmatibus, Nos, ut decet pios, primùm conſideremus, quid ſenſerit certò prima Eccleſia. Nam Seruetus iniuriam inſignem facit Irenæo & Tertulliano, quos fingit ſibi patrocinari, cùm Tertullianus diſertè inſtituat quæſtionem, an uerbum ſit hypoſtaſis aut ſignificet patrem cogitantem, aut deliberantem, ſeu conſtituentem aliquid. Sæpè autem affirmat uerbum eſſe hypoſtaſin ſeu perſonam, & allegat prioris Eccleſiæ autoritatem. Irenæus citat Policarpum auditorem Ioannis, eſtq; autor in primis purus, is clarè affirmat uerbum eſſe hypoſtaſin ſeu perſonam, etiam antequam induit humanam naturam. Extat & Gregorij Neocæſarienſis confeſsio, cuius Gregorij autoritate præcipuè refutatus eſt Samoſatenus, extant multa alia teſtimonia Origenis, Dionyſij Alexandrini, qui ferè attigit Apoſtolorum tempora. Baſilius ait ſibi Gregorij Neocæſarienſis confeſsionem, tanquam normam & regulam doctrinæ Eccleſiaſticæ fuiſſe. Inuocat Eccleſia Chriſtum in quotidianis precibus, neq; hic mos nouus eſt, ſed etiam à Paulo uſurpatus, ut Epiſtolæ eius teſtantur, & habet teſtimonia in Pſalmis, qui iubent inuocare Dominum illum promiſſum, tribuit autem inuocatio, diuinitatis honorem, cùm agnoſcimus eum, quem inuocamus omnium pectorum motus uidere, quod non eſt niſi immenſæ potentiæ ac Dei. Tollit igitur re ipſa Seruetus inuocationem etiamſi in ſpeciem retinet. Primùm igitur teſtimonium primæ Eccleſiæ opponamus, á qua commonefacti, confirmemus etiam animos dictis Apoſtolicis, quæ ſatis perſpicua ſunt, ſi non deprauentur cauillationibus. Si uerbum in loco illo Ioannis nihil ſignificaret, niſi patrem cogitantem, non rectè poſtea diceretur, & uerbum caro factum eſt. Deinde Ioannes de Chriſto inquit, in mundo erat, & mundus per eum factus eſt. Conſtat autem mundum non eſſe per humanam Chriſti naturam conditum, ergo neceſſe eſt, alteram in Chriſto naturam eſſe, quæ fuerit initio, per quam mundus conditus eſt. Sic & Paulus ad Colloſſenſes clarè inquit. Omnia per Chriſtum condita eſſe, eamq; ſententiam aliquoties repetit, & Epiſtola ad Hebræos inquit: Per quem condidit ſecula, qui eſt fulgur gloriæ & character ſubſtantiæ eius. Quid in his uerbis eſt ambigui, ſi ſimpliciter & ſine cauillatione accipiantur? Affirmant conditum eſſe mundum per filium Dei, neceſſe eſt igitur in Chriſto eſſe alteram naturam, quam Ioannes uocat uerbum. Epiſtola ad Hebræos imaginem ſeu effigiem patris appellat. Hæc aptè inter ſe congruunt, Nam uerbum eſt imago. Hæc etſi extra captum humanæ rationis poſita ſunt, tamen non propterea cauillationibus eludenda ſunt, imò quo ſecretiora ſunt, eò maior eſt audacia & impietas conuellere non intellecta, his & ſimilibus teſtimonijs certis ac firmis aſſentiamur, cum apertè hoc efficiant, quod docet Eccleſia de filio Dei. Adiuuemur etiam conſenſu ueteri primæ Eccleſiæ, ac cogitemus de Dei natura & uoluntate non humanis ratiocinationibus, ſed cœleſtibus teſtimonijs credendum eſſe. In hac caligine mentium humanarum prælucere nobis uerbum Dei debet.

Belligeratur autem Diabolus cum uera Ecclesia,& gloriam Dei obscurare conatur,quibus potest artificijs.Has insidias intelligere pios conuenit, ac stare in procinctu ad tantum hostem depellendum, cùm offundere opiniones contra uerbum Dei,cùm auellere animos ab illa regula conatur. Sed hæc militia paucis nota est.Ideo omnibus ætatibus ab initio mundi passim sparsi & propagati errores sunt omnis generis, ac labi facilè est. Cùm enim omnium hominum mentes natura ducantur,ut aliquid de religione quærant, & tamen negligenter tueantur uerbum Dei,ac libentius assentiantur humanis speculationibus,facilè excutitur hominibus uerbum Dei. Quare & in hac controuersia,& in cæteris cauendum est,ne assentiamur cauillationibus confictis ad eludendum ueram scripturæ sententiam. Hæc scripsi uerbosius, quàm modus Epistolæ paciatur, sed multo angustius, quàm magnitudo causſæ postulat. Verum iudicij mei testimonium uobis significare uolui, nec grauatim de tota controuersia,si quis petet copiosius disputabo. In locis collegi præcipua testimonia ad hanc causſam pertinentia, quibus confirmatæ mentes facile possunt contrarias cauillationes refutare. Porrò ut quondam lex Castrensis notabat ignominia,non eum qui gladium,sed qui clypeum abiecerat,quia prior esse cura nostri tuendi debet,quam hostes feriendi,ita in his contentionibus,prior esse cura debet,nostras mentes rectè confirmandi, posterior refutandi aduersarij.

Ex Lypsia,

Anno 1539.

EPISTO-

EPISTOLA PHILIPPI MELANTHONIS, SCRIPTA AD INCLYTVM REGEM ANGLIÆ HENRICVM VIII. ANNO M. D. XXXIX.

S. D.

NCLYTE ET SENERISSIME REX. CLEMENTER ACCEPErunt aliquot Romani Imperatores, Adrianus, Pius, & deinde fratres Verus & Marcus, apologias Christianorum, quæ quidem tantùm apud illos moderatos principes ualuerunt, ut eorum iracundiam aduersus Christianos lenirent, & atrocium edictorum mitigationem impetrarent. Ita postquàm edictum istic cõntra piam doctrinam & Ecclesiæ necessariam, quam profitemur, editum est: Rogo ut R. M. T. benignè hanc nostram querelam & legat & consideret, præsertim cùm non solum nostra causa, sed multò magis propter publicam Ecclesiæ salutem hoc ad te scriptum instituerim. Cùm enim illi Ethnici principes defensiones nostrorũ & admiserint & approbauerint, quantò magis regi Christianæ professionis, & uersato in studijs sacrarum Historiarum, decorum est audire piorum in Ecclesia & querelas & admonitiones. Scribo autem eò ad te libentius, quòd antea cum singulari beneuolentiæ tuæ significatione meas literas accepisti, Et in hac causa spem aliquam mihi facit, te non grauatim hæc lecturum esse, quòd phrasis ostendit Episcopos, haud dubiè autores esse articulorum istic editorum, non te. Etsi, ut sæpe accidit laudatissimis principibus, sophistica sua perfecerunt, tua ut suffragatio accederet, ut Darium Regem sapientem & iustum, impulerunt tamen satrapæ, ut Danielem leonibus obijceret. Nunquam autem indecorum fuit bonis Principibus corrigere iniustam asperitatem, & ut dicitur, habere δευτέρας φροντίδας, hoc est, secundam deliberationem. Sapientissima ciuitas Attica decretum fecerat recuperata Mytilene, quæ defecerat, ut ciuibus omnibus interfectis funditus urbs deleretur. Nauis missa est, quæ ad exercitum hæc mandata adferebat, Postridie iterum relato negocio ad eosdem iudices, fit contrarium decretum, ne pœna uagaretur per omnes, sed ut pauci autores defectionis plecterentur, ciuitas seruaretur. Missa est igitur altera nauis, quæ properare iussa est, ut priorem anteuerteret, sicut accidit. Nec puduit ciuitatem tunc quidem latè regnantem, publicè corrigere prius decretum. Multa huius generis exempla extant, quorum pleraq; tibi nota esse non dubito. Ac de Ecclesia sæpissimè Principes correxerunt edicta, ut Nabogdonosor, Darius. Assueri nomine editum fuerat decretum de interficiendis Iudæis. Id postea retractatum est. Ita sua edicta Adrianus & Antonini correxerunt. Quanquàm igitur extat edictum in Anglia factum, quod supplicia minatur aliena à consuetudine ueræ Ecclesiæ, aliena à Canonibus: tamen existimaui adhuc licere nobis deprecari hanc asperitatem.

Eaq; in re non tantùm periculo eorum qui nobiscum sentiunt, moueor: sed te doleo alienæ sæuitiæ atq; impietatis ministrum fieri. Doleo etiam Christi doctrinam arceri, stabiliri uicioſos ritus, confirmari libidines. Audio uiros excellenti doctrina & pietate præditos, Latimerum, Saxtonum, Cromerum & alios teneri in custodijs, quibus opto animi robur dignum Christianis. Etsi au-

tem ipsis quidem nihil accidere melius, aut glorioſius poteſt,quàm ut in tàm manifeſtæ ueritatis confeſsione mortem oppetant,tamen te nollem ſanguine talium uirorum reſpergi,nollem hæc Eccleſiæ ueſtræ lumina extingui,nollem impietati & uirulentis,ac Phariſaicis odijs inimicorum Chriſti morem geri, nollem præberi uoluptatem Romano Antichriſto,qui gaudet in ſinum te iam aduerſus nos pro ipſo arma gerere,ac ſperat Epiſcoporum opera facilè ſe poſſeſsionem,ex qua honeſtis & pijs conſilijs tuis deturbatus eſt, aliquando recuperaturum eſſe. Videt Epiſcopos ad tempus morem gerere uoluntati tuæ :Sed animo,& perpetuo fœdere cum Romano Pontifice coniunctos eſſe. Norunt has artes Romani pontifices. Ex multis ſæuiſsimis tempeſtatibus eluctati ſunt ante hæc ſecula cunctando. Meminerunt uim eſſe maximam temporum,cogitant illud.Multa dies uariuſq; labor mutabilis æui,Rettulit in melius.

Multi boni & docti uiri in Germania ſpem conceperant forè,ut autoritas tua etiam cæteros Reges inuitaret,ut tandem crudelitatem indignam principibus Chriſtianis deponerent,& de emendandis erroribus deliberarent.Huius ſanctiſsimi & pulcherrimi conſilij ducem atq; autorem te fore ſtatuebant: Sed nunc præiudicio tuo nos non leue uulnus accepimus. Confirmatur cæterorum Regum iracundia,augetur pertinacia impiorum, ſtabiliuntur ueteres errores ingentes.

Sed illud haud dubiè contendunt Epiſcopi ſe non errores, ſed ueras ſententias,& ius diuinum tueri.Et quanquam non ignorant ſe re ipſa cum iure diuino,& Apoſtolica Eccleſia pugnare, tamen homines aſtuti poſſunt inuenire bellas interpretationes,& ut uocat Euripides: σοφὰ φάρμακα,quæ in ſpeciem excuſare errores,& abuſus uidentur.Hæc ſophiſtica nunc non tantum in Anglia habet admirationem ſapientiæ, Romæ dominatur, ubi Cardinalis Contarenus,Sadoletus,Polus,nouis fucis pingunt abuſus.In Germania etiam multorũ nobilium animos hæc ſophiſtica deprauat.Itaq; nihil miror his præſtigijs iſtic moueri plurimos. Et quanquam tibi nec eruditio,nec iudicium deeſt,tamen etiam ſapientes interdum ſpecioſis perſuaſionibus à ueritate abducuntur.Laudatur illud Simonidis,qui ſummis uiris ſuę ætatis, Themiſtocli et alijs familiaris fuit.Opinio ſæpè uim adfert ueritati, ſæpè magis ſpecioſa eſt falſa opinio, quàm ueritas.Idq; maximè in religionis controuerſijs accidit,ubi Diabolus ſe in Angelum lucis transformat, ornat quibus poteſt fucis falſas opiniones. Quàm concinna eſt Samoſateni cauillatio,de dicto Iohannis: In principio erat uerbum. Et tamen plena eſt impietatis,ſed omitto aliena exempla, In ipſo decreto,quàm multa ſophiſticè & inſidioſè poſita ſunt.Confeſsio,inquit Articulus,neceſſaria eſt & retinenda.Cur non diſertè dicit, neceſſaria eſt iure diuino, enumeratio delictorum. Sciebant Epiſcopi hanc ſententiam falſam eſſe. Ideò generaliter uerba poſita ſunt,ut offundatur caligo plebi, cùm audit neceſſariam eſſe confeſsionem,intelligit enumerationem iure diuino neceſſariam eſſe.

Similes præſtigiæ ſunt in articulo de priuatis Miſsis,etſi initium apertè falſum eſt.Neceſſe eſt retinere priuatas Miſſas. Quis ſic ſenſit annis amplius quadringentis poſt Apoſtolos, cùm nullæ eſſent priuatæ Miſſæ. Sed poſtea ſequuntur ſophiſmata,ut populus per eas recipiat diuinas conſolationes,& beneficia,Cur non addunt,Quas conſolationes, quæ beneficia? Non nominant Epiſcopi applicationem & meritum,quia ſciunt defendi non poſſe,ludunt uerbis,ut elabi poſsint ſi applicatio uituperetur. Et tamen à populo intelligi applicatio-

plicationem uolunt, uolunt confirmari persuasionem Idolatricam, mereri hoc sacrificium alijs remissionem culpæ, pœnæ, leuationem omnium calamitatum, deniq; lucra in negotijs, & quicquid affinxit hominum sollicitudo.

Similis est sophistica, cùm dicunt Coniugium Sacerdotum pugnare cum Iure diuino. Non ignorant Pauli locum. Oportet Episcopum unius uxoris uirum esse. Quare Sacerdotibus sciunt concedi coniugium iure diuino, sed quia nunc aiunt accessisse uotum, ludunt uerbis, non dicunt uoto impediri coniugium, sed simpliciter ponunt Articulum, pugnare coniugium sacerdotum cum iure diuino. Deinde quantùm impudentiæ, & Phalarismi addunt, cùm iubent dissolui coniugia, cùm iubent interfici eos qui illa coniugia nolint dissolui. Cùm tamen uotum sacerdotum, etiamsi quod esset, aut si ualeret, tantùm eatenus eos obligaret, ne in ministerio manerent, si ducerent uxores. Hanc esse Synodorum, & Canonum sententiam manifestum est. O sceleratos Episcopos: O Impudentem Vuintonienſem, qui his fucis arbitratur se oculis Christi, & omnium piorum iudicia toto orbe terrarum fallere.

Hæc recitaui, ut deprehensa Sophistica iudices de uoluntate, & consilio Episcoporum. Nam si candidè & ex animo ueritatem quærerent, non his fucis & impostur is uterentur. Est autem cùm in cæteris negotijs illiberalis, & digna odio sophistica, tùm uerò maximè fugienda in religionibus, in quibus impietas est summa corrumpere & contaminare cœlestia dicta. Itaq; ab hoc artificio diabolus nomen habet, cauillationibus & præstigijs excutit hominibus uerbum Dei. Cur Episcopi non ingenuè fatentur se doctrinæ, & cultuum emendationem nullam permissuros esse, quia sit labefactura ipsorum dignitatem, opus, & uoluptates. Cur cæteri quos habent suffragantes, non apertè dicunt se retinere præsentem formam Ecclesiæ propter utilitatem, tranquillitatem, & splendorem. Hæc fateri, esset ingenuitas. Nunc dum simulant studium ueritatis & pietatis, affingunt inepta sophismata, illa tegunt errores, sunt enim falsi, & impij Articuli in illo edicto, quantumuis speciosè propositi. Quare optandum erat Episcopos meminisse cœlestem comminationem apud Esaiam. Væ uobis, qui leges iniquas conditis. Quid facietis in die Visitationis, & calamitatis uenturæ &c. Væ qui dicitis malum bonum &c.

Accedo igitur ad res ipsas. Negari non potest diuturnas & horribiles tenebras in Ecclesia fuisse. Traditiones humanæ non tantùm fuerunt carnificina piarum mentium, sed quod est indignius, fuerunt cultus multipliciter uitiosi. Erant uota, donaria templorum, uestitus, ciborum delectus, battologiæ precium, indulgentiæ, honos statuarum, colebantur sancti manifesta idolatria, ignorabantur ueri cultus Dei, & uera opera, Deniq; magna similitudo erat Ethnicarum religionum. Et Romæ adhuc est. Erat ignota doctrina uera de pœnitentia, de remissione peccatorum, quæ fide in Christum contingit, de iusticia fidei, de discrimine Legis & Euangelij, de usu Sacramentorum. Claues translatæ erant ad tyrannidem Pontificiam constituendam, longè anteferebantur politicis officijs cæremoniæ humanæ. Ad hos

errores

errores accedebat uita contaminata libidinibus propter legem de cœlibatu. Ex his tenebris Deus nonnihil euoluit Ecclesiam repurgata doctrina: fatendum est enim non humana diligentia deprehensos esse tam inueteratos errores, sed Dei donum est hæc Euangelij lux, quæ Ecclesijs rursus ostensa est. Nam Spiritus sanctus uaticinatur postremis temporibus certamina uehementiora pijs fore cum Antichristo. Vaticinatur & Antichristum stipatum satellitio ingenti Episcoporum, hypocritarum, principum, aduersaturum esse ueritati, interfecturum pios.

Hæc fieri nunc res loquitur ipsa, Romani Episcopi tyrannis partim inuexit errores in Ecclesiam, partim confirmauit, & nunc tuetur uiribus, ut prædixit Daniel. Gaudebamus autem te ab eo seiunctum esse, ac sperabamus fore, ut Anglica Ecclesia reflorescceret: Sed Episcopi tui non sunt auulsi à Romano Antichristo, illius Idolatriam, errores, uitia, tuentur. Nam articuli nunc editi astutè delecti sunt, confirmant omnes humanas traditiones cùm stabiliunt præcipua uota, cœlibatum & confessionem. Muniunt non solùm autoritatem, sed omnes errores, cùm retinent priuatam Missam. Ita arte cauerunt, nulla ut emendatio institui possit dignitas & opes in tuto sint. Hoc egisse Episcopos res ostendit ipsa. Quis autem non doleat sic opprimi gloriam Christi? Etenim ut dixi, non tantùm de his Articulis, quorum ibi fit mentio agitur: opprimuntur Articuli cæteri quoq; purioris doctrinæ omnes, si cultus humani necessarij, & retinendi sunt. Cur inquit Christus: Frustra colunt me mandatis hominum: Cur toties detestatur Paulus humanas traditiones.

Non est leue peccatum instituere cultus sine mandato Dei, aut tales cultus defendere. Hanc audaciam Deus horribiliter detestatur, qui uult agnosci in uerbo suo, non uult fingi religiones humano arbitrio, alioqui omnes omnium gentium religiones essent probandæ. Non innitaris inquit prudentiæ tuæ, sed Christum misit, hunc iubet audire, non hominum astutorum inuenta, qui religiones attemperant suis utilitatibus.

Porrò priuatæ Missæ, uota, cœlibatus, enumeratio delictorum in confessione, ut constat, sunt cultus ab hominibus instituti. Etsi enim Cœna Domini à Christo instituta est, tamen priuata Missa est impia prophanatio Cœnæ Domini. Nam in canone quantum est sceleris, qui inquit, hîc offerri Christum, & hoc opus sacrificium esse, quod redimat uiuos & mortuos. Hęc non sunt instituta à Christo, imò multipliciter pugnãt cum Euangelio, non uult se offerri Christus à sacrificulis, nec opus illud offerentis aut sumentis sacrificium pro alijs ullo modo esse potest. Idolatria manifesta est, & opprimit doctrinam de fide, & de uerò usu Sacramentorum, fide in Christum iustificamur non opere sacrificuli, & cœna instituta est, ut minister alijs porrigat, qui agentes pœnitentiam admoneantur, ut credant uerè ad se pertinere promissiones Euangelij, cùm hîc proponatur testimonium nos fieri membra Christi, & ablutos esse sanguine Christi.

Ab hoc usu, qui institutus est in Euangelio, & obseruatus in ueteri Ecclesia annis amplius trecentis, non licet discedere? Impietas est enim transferre ritum diuinum ad alios usus, iuxta secũdum præceptum Decalogi. Quare Missæ priuatæ cum multis modis, oblatione, sacrificio, applicatione, deniq; alijs modis longissimè discesserunt ab instituto Christi, non retinendæ, sed abolendæ sunt. Fugite, inquit Paulus, Idolatriã. Est autem multiplex idolatria in priuatis Missis, quam

sis,quam quidem tueri pontifices,non est mirũ,quia postremis temporibus ait scriptura,insignem idolatriã regnaturam esse in loco Ecclesię.Sicut Christus significat inquiens:Cùm uidebitis abominationem desolationis,quæ dicta est à Daniele Propheta,stantẽ in loco sancto,qui legit intelligat.Et Daniel. cap.11. Et Deum Maosim in loco suo uenerabitur,et Deum quẽ nescierunt patres eius colet,auro,argento & lapidibus pretiosis, uterq; locus de Missa concionatur. Hunc cultum,hanc tetram prophanationem Sacramenti abominatur Deus.

Quàm multa sunt enim manifesta flagitia in hoc ritu,confertur ad quæstũ, coguntur indigni sumere,uel si nolint, applicant pro uiuis & mortuis,promittunt alijs faustam nauigationẽ,alijs alia.Hęc sunt apertè flagitia,sed alia nõ minus reprehendenda sunt,quę imperiti non perinde cernunt. Non sunt humano arbitrio instituendi cultus sine mandato Dei.Quare errant homines,cùm offerunt sine mandato Dei,cùm ex hoc opere faciunt sacrificiũ,imaginantur priuatas Missas faciendas esse,quia hoc ritu Deus coli uelit. Et uidemus auro & argento,apparatu,sumptu ingenti Missas emi, Sacramentum circumferri adorandum in auro & argento,cùm in hunc usum non sit institutũ Sacramentum.

Quare cùm mandatum Dei iubeat fugere idolatriam,non erunt retinendæ priuatæ Missæ,ac miror cur dixerint,necessariò esse retinendas, cùm constet olim nullas fuisse. An deerant puriori Ecclesiæ annis trecentis post Apostolos,res necessariæ in cultu Dei? Quid potest dici absurdius.

Videmus acerrimis studijs defendi priuatas Missas,quòd fit magis ab alijs,quia quęstui metuunt,ab alijs,quia inseruiunt uulgi affectibus,quod ægrè sibi eripi hoc præsidium,ut existimat,patitur,quàm uera aliqua ratione,sed tamen firma et perspicua causa est,cur abrogari debeant. Primùm enim applicatio haud dubiè est impia,non meretur alteri gratiam opus sacrificuli, sed sua quisq; fide iustus est.Nec uult Deus confidere quemquam ceremonia ulla, sed tantùm Christi beneficio.Et certè applicatio pro mortuis plena est erroris. Ac frustra hîc finguntur sophismata ad excusandam applicationem.Nemo ex uniuerso populo aliter sentit,quàm hoc opus prodesse uniuersæ Ecclesiæ. Ipse etiam canon Missę hoc profitetur.Quid ludunt uerbis quidam astuti,qui negant se applicare Missas,cùm sciant suo facto confirmari populi errorem,etiamsi ipsi aliter sentiant.Quanquam quotus quisq; aliter sentit?

Absit simulatio à diuinis ritibus,utamur eis,ut docent sacræ literæ,& ut mos fuit primæ Ecclesiæ aliquot seculis. Cur hominũ audacia discesit à ueteri more,cur nunc defenditur alienũ erratum,qui mutauerunt Christi institutum.

Iam etiamsi fingat aliquis,se non applicare, tamen ita ceremoniam seorsum facit,ut existimet hanc oblationem esse cultum, quem Deus requirat,id quoq; improbandum est. Quia non sunt instituendi cultus humano arbitrio sine mandato Dei.

Quare obsecro per gloriam Christi,ut de Missa non defendas articulum decreti illius,sed sinas rem diligentius à pijs et doctis deliberari.Nostra habent euidens & firmum testimonium primæ Ecclesiæ, quod non dubito omnium posteriorum iudicijs opponere,qui ueterem doctrinam,ueteres ritus multis erroribus contaminarunt.

Reliqui articuli non habent opus longa disputatione,uota impia,ficticia, impossibilia non sunt seruanda.

Non dubium est omnium de uotis hanc esse persuasionem,hæc opera ab homi-

hominibus instituta,esse cultus Dei. Sic sentiunt etiam,qui modestissimè loquuntur,alij plus errorum addunt. Hæc opera esse perfectiones,mereri uitam æternam.Porrò has opiniones omnes,sæpè taxant diuinæ literæ. Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ait: Has ipsas obseruationes esse doctrinam Dæmoniorum,quia tribuunt humanis uiribus falsum honorem,quòd sint cultus,obscurant fidem,& ueros cultus.Item ad Colos.ait: Nemo uos decipiat simulata humilitate &c. Quare decreta facitis. Ergò hæc uitia humanarum traditionum sunt re ipsa impij cultus.

Accedunt deinde alia multa uitia. Totum genus uitæ monasticæ,quantum habet superstitionũ,prophanationes Missarũ,inuocationes sanctorum,uestitus,ciborum delectus,superstitiosas preces sine modo.Hæ causę singulæ sufficiunt,quare uota sint irrita.Quid quod maxima pars hominum inuitatur ad hoc genus uitæ,propter culinas,postea prætexitur uoti religio.

Præterea uotum cœlibatus,non omnibus est possibile,ut Christus ipse inquit:Non omnes capiunt hoc.Rescindenda autem sunt uota,quæ sine peccato præstari non possunt,sed hæc satis alibi à nobis explicata sunt.

Valdè autem miratus sum,uotum sacerdotũ in Anglico decreto etiam arctius adstringi,quàm uotum Monachorũ, cùm Canones ipsæ tantùm eatenus uelint obligatum esse presbyterum,si sit in ministerio,planeq; cohorrui,legens hunc articulũ,prohibet matrimonia,& contracta dissoluit,et addit pœnam capitalem.Etsi autem alicubi interfecti sunt sacerdotes pij propter coniugium,tamen legem hanc scribere nemo adhuc ausus est.Videbant enim plericq; omnes sanos et moderatos hanc crudelitatẽ detestaturos esse,uerebantur etiam iudicia posteritatis. Quis credat in Ecclesia,in qua lenitas præcipuè erga pios esse debet,tantam existere posse sæuitiam,ut capitales pœnæ constituantur in homines pios,propter coniugium.

At uiolant uotum.Id enim opinor allaturos Episcopos.Primùm id uotum, ut dixi,irritum est,cùm sit falsus cultus,& sit impossibile. Deinde etiamsi ualeret,tamen non obligaret discedentes à ministerio. Postremò si hîc uellent Episcopi consultũ conscientijs,deinde ordinarent presbyteros sine uotis,sicut constat ex ueteribus Canonibus,olim multos sine uoto ordinatos esse,& hos cùm postea ducerent uxores,mansisse in ministerio,ut testatur cap:Diaconi dist:28.

Profectò quid querar dubito.Non in hoc articulo inscitiã accusare possum. Nemo ignorat mandatũ Dei, propter fornicationem habeat unusquisq; uxorem suam.Nemo non uidet, qualis sit uita cœlibum, bonorum querelæ notæ sunt,malorum turpitudo manifesta est. Sed fortasis Episcopi istic Epicureas opiniones habent,iudicant Deum non offendi libidinibus, quod si sentiunt, difficilem nos quidem causam agimus apud tales iudices.

Scio cœlibatum aptiorem esse ad splendorem Episcoporum,& collegiorum conseruandum,& ad opes tuendas.Hanc opinor quibusdam esse causam, cur tantopere abhorreant à coniugio sacerdotum. Sed ô miseram Ecclesiam, si seruire leges non ueritati,non uoluntati Dei, sed iniustis utilitatibus coguntur.Errant qui putant licere sibi leges condere,pugnantes cum mandato Dei, cum iure naturæ modò sint utiles ad opes tuendas.

Ac profectò ex animo doleo,et tuam uicem Rex inclyte,& uicem Ecclesiæ Christi.Ostendis teRomani Episcopi tyrannidẽ improbare,et uerè eum uocas Antichristũ,interea eas leges Romani Antichristi,quæ sunt nerui potentiæ ipsius,

fius, defendis, Missas priuatas, cœlibatū, & ceteras superstitiones. Minaris atrocissima supplicia uiris bonis et membris Christi, opprimis illucescentē in Ecclesijs tuis ueritatem Euangelij. Hoc non est Antichristū tollere, sed confirmare.

Obtestor igitur te propter Dominū nostrum Iesum Christum, ne conscientiam tuam horum articulorum defensione polluas, quos Episcopi de priuatis Missis, de confessione, de uotis, de cœlibatu sacerdotum, de prohibitione integri Sacramenti, ediderunt. Non est leue peccatum, idolatriam, errores, crudelitatem, libidines Antichristi stabilire. Si nunc haberet Romanus Episcopus Synodum, quos alios articulos præcipuos conderet, & orbi terrarum imponeret, nisi illos ipsos quos recensent Episcopi tui.

Agnosce quæso Diaboli insidias, qui quidē inprimis gubernatores adoriri, ac tentare solet. Et cùm sit hostis Christi ab initio mundi, præcipuè hoc molitur omnia uafricie, ut Christū contumelia afficiat sparsis impijs opinionibus, & excitata idolatria. Deinde ut iniustis cædibus et libidinibus polluatur humanum genus. Ad has res abutitur hypocritarum ingenijs, & potentum uiribus, ut historiæ omnium temporum ostendunt. Magna imperia sæuijsse in Ecclesiam.

Sed tamen aliquos Principes Deus ab illo Gygantum exercitu, traduxit ad Ecclesiam, & agnoscere ueram doctrinam & ueros cultus uoluit, ut Abraham erudijt Abimelech, Ioseph AEgyptios reges. Postea Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias excelluerunt pietate. Daniel flexit ad agnitionem Dei reges Chaldæos & Persicos. Dedit & Britannia pium Principem orbi terrarum Constantium. In hoc te cœtu potius optarim esse, quàm inter hostes Christi, contaminatos idolatria, & respersos sanguine piorum, de quibus Deus pœnas sumet, ut sæpè concionatur, & ostendunt multa exempla.

Rursus igitur te propter Dominum nostrum Iesum Christum obtestor, ut decretum Episcoporum lenias & emendes. Eaq; in re gloriæ Christi seruias, & consulas tuæ, & Ecclesiarum tuarum saluti, Moueare uotis multorum piorum toto orbe terrarum, qui optant, ut aliqui Reges conferant autoritatem suam ad ueram Ecclesiæ emendationem, & ad tollendos impios cultus, ac propagandum Euangelium. Respicias & illos pios uiros uinctos propter Euangelium, qui sunt uera Christi membra.

Etsi non mutabitur decretum, sine fine grassabitur in Ecclesia sæuitia Episcoporum. Hos enim habet Diabolus odij sui aduersus Christum, & furoris administros, hos impellit ad Christi membra trucidanda. Horum impias & crudeles sententias, & sophisticas cauillationes, nostræ ueræ & iustissimæ deprecationi, ut non anteferas, omnes pij te orant & obtestantur. Quod si impetrabunt, haud dubiè Deus ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & piorum literis, & uoce, uirtus tua celebrabitur. Christus enim iudicaturus est benè, & malè meritos de Ecclesia. Et dum uiuent literæ, extabit ad posteritatem memoria rerum tantarum. Et cùm Christi gloriæ seruiamus, & Ecclesiæ nostræ sint Christi Ecclesiæ, non deerunt, qui piæ causæ patrocinari, qui benè meritos debita laude ornare, & crudelitatem uituperare poterunt. Circumit Christus esuriens, sitiens, nudus, uinctus, conquerens de Pontificum rabie, de multorum regum iniustissima sæuitia, petens ne lacerentur corporis sui membra, sed ut defendantur ueræ Ecclesiæ, ornetur Euangelium. Hunc agnoscere, excipere, fouere pij Regis est officium, & cultus Deo gratissimus.

FINIS.

OCN 1394762518

16 pt type

æ pauperē · æ compunctum
corde ut interficeret ·
Et dilexit maledictionē quę
uenıet ei · æ noluit benedicti
onē quę elongabit̄ ab eo ·
Et uduit̄ sē maledictione
quasi uestimento suo · et in
gredietur quasi aqua in
uıscera eius · et quasi
oleum in ossa eius ·
Sit ei quasi palliū quocirtum
datur · æ quasi cingulum
quo semper accingitur ·
hęc est retributio hiſ qui aduer
santur mihi a dnō · et qui
locuntur malū cont̄ aīam meā
Tu autē dnē ds fac mecū ppter
nomen tuū · quoniā bona
est misericordia tua ·
Libera me qm egenus æ pauper
sum ego · et cor meum uul
neratum est intrinsecus ·
Quasi umbra cū inclinatur
adductus sū et excussus
quasi locusta ·

æ mendicū · æ compunctum
corde mortificare ·
Et dilexit maledictionē et
uenıet ei · æ noluit benedicti
onē et elongabitur ab eo ·
Et induit maledictionem
sicut uestimentum · æ intra
uit sicut aqua in interiora
eius · et sicut oleum
in ossibus eius ·
fiat ei sicut uestimentū quo
operitur · et sicut zona
qua semper pręcingitur ·
Hoc opus eorū q detrahunt mihi
apud dnm · et qui locunt̄ mala
aduersus animam meam ·
Et tu dnē dnē fac mecū ppter
nomen tuum · quia suauis
est misericordia tua ·
Libera me quia egen̄ æ pauper
ego sum · et cor meum
turbatum est intra me ·
Sicut umbra cū declinat
ablatus sum · et excussus
sum sicut locusta ·

æ mendicū · æ compunctum
corde mortificare ·
Et dilexit maledictionem et
uenıet ei · æ noluit benedicti
onem æ plongabitur ab eo ·
Et induit se maledictionem
sicut uestimentum · et in
trauit sicut aqua in interi
ora eius · et sicut oleum
in ossibus eius ·
fiat ei sicut uestimentum
qđ operietur · æ sicut zona
qua semper pręcingitur ·
Hoc opus corū qui detrahunt
mihi apud dnm · æ q locunt̄
mala aduersus animā meā ·
Et tu dnē dnē fac mecū propt̄
nomen [illegible] tuū misediā · qm
suauis ē misedia tua ·
Libera me quia egen̄ æ pauper
ego sum · et cor meum
turbatum est intra me ·
Sicut umbra cū declinat
ablatus sum · æ excussus
sum sicut locusta ·